ANTONII CELLADEI

SEV R[mi.] P. MICHAELIS DE ELIZALDE
Societatis Iesu Echalarrensis, primum in Hispania, deindè in Collegio Romano Theologiæ Professoris, & in Provincia Neapolitana studiorum præfecti, atque in Curia in Congregatione pro Immaculata Conceptione, atque in aliis
REGII THEOLOGI,

DE RECTA

DOCTRINA MORUM.

SECVNDA PARS

Divisa in duos Libros, nempe quintum & sextum,

V. Est de peccatis ignorantiæ in genere.
VI. De Magistro & Doctore Theologiæ, præsertim moralis.

Cum Indicibus Quæstionum, & Paragraphorum præstantissimis.

Nunc primùm in lucem prodit.

FRIBURGI,
APVD DAVIDEM IRBISCH,
M. DC. LXXXIV.

INDEX QUÆSTIONUM, ET PARAGRAPHORVM

QVÆ IN SECVNDA PARTE CONTINENTVR.

LIBER QUINTUS. DE PECCATIS, IGNORANTIÆ, IN GENERE.

QUÆSTIO I.

*** 2

INDEX QUÆSTIONUM

7. Ex

Ad Lectorem.

LIBER QUINTUS.

DE PECCATIS, IGNORANTIÆ, IN GENERE.

QUÆSTIO I.

Utrum, & quantum malum sint ignorantia, & errores.

NUlla, quam sciam Theologiæ pars est, in qua adeò, antiquior; & recentior Theologia discrepent, atque ista de ignorantiis, & erroribus; nam modò habeatur bona intentio, nihil de reliquo obesse nobis ignorantias, & errores, videntur aliqui existimare, & docere. Hæc nos causa cogit rem istam ab ovo, ut ajunt, ordiri, & de manifestissimis quibusdam, quale utique est ignorantias, & errores malum maximum esse, movere quæstiones, ut eorum visis præjudiciis, horrori esse incipiant non minus, quam homicidia, malaque alia. Hæ proinde quæstiones explicatione magis, ac vivida expressione indigent, quam argumentosa probatione.

Haud verò volumus ignorantiæ depellendæ causa homines in curiositatem inducere rerum impertinentium, vel impossibilium vel etiam noxiarum cognoscendarum. Notatum est pridem à D. Thoma, aliisque sapientibus, aliud esse nescire, aliud ignorare presse sumptum: nam ignorantia est privatio cognitionis, non rerum quaruncumque, sed earum, quas scire tenemur, vel saltem consulimur. Non minùs scilicet, quam maris, & aquis, lex, & termini constituti sunt nobis, nec per excessum, nec per defectum in intelligendo, seu in intelligere volendo peccandi, quod medium virtus studiositatis præscribit, & excessus ad vitium curiositatis, defectus ad negligentiam spectat, ut 2. 2. edocetur, & non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem jussi sumus per Paulum Apostolum, *& Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis, &c.* Hæc certè plena sunt sapientia, & veritate; sed vanitas est, & quædam affectata divinitas filiorum hominum, ea parvi facere. quæ scire possit etiam alius, vel Deum etiam ipsum Magistrum habere dedignari; de suo audere, & creare ex nihilo & in accessa ipsa pervadere & insanire, hoc maximum ducunt. Dicetur fortè de his pleniùs *infrà*. Nunc de earum rerum ignoratione nobis sermo instituitur, quarum cognitio ad finem hominis confert, & ad esse, vel melius esse vitæ utriusque præsentis, & futuræ.

§. I.

Quantum malum sint ignorantia & error respectu hominis in se.

NOndum de malo morali determinatè tractamus, sed de malo solùm sub his terminis, ex quo deinceps gradus, ac descensus fiet ad malum morale. Indubitatum est itaque ignorantiam, & errorem esse malum hominis in se, & secundum se. Nam ignorantia, & error privant hominem vel privativè, vel contrariè bono, & perfectione debita, vel conferente cognitionis & scientiæ. Quam est ergo manifestum, cognitionem veritatis, alicujus, & scientiam esse bonum debitum, & perfectionem hominis in se tam est indubitatum, & manifestum ignorantiam & errorem esse malum hominis in se, & secundum se.

Hac de causa mendacium est intrinsecè malum, sicut homicidium, furtum, adulterium; quia scilicet ignorantia, vel error, qui mendacio in proximum inducitur, est malum illius; quemadmodùm sunt mala illius minora, vel majora reliqua illa; nunc enim de malo non de tanto determinavimus.

Jam cum malum sit manifestissimum, quod & ex naturali appetitu hominem sciendi, & veritatem agnoscendi, & ex aliis facilè demonstratur, de quanto est dicendum, & exponendum. Omissa porrò nonnihil voluntate, & de malis reliquis hominis agendo aliarum potentiarum, & malorum exteriorum, ignorantia, & error sunt majus malum, quam reliqua mala hominis, cæteris, servatis paribus; nam est malum unniuscujusque potentiæ magnum, & parvum, & læsio magna exteriorum majus malum est, quam exigua v.g. auditus, vel visus, & ita etiam, quam intellectus, & voluntatis, secluso nunc, vel præcisò malo morali.

Ignorantiam itaque, & errores malum majus esse quam cætera commemorata, primùm quidem patet à magnitudine boni, quo privant, scilicet sapientiæ, constat ex probata Deo ipsi electione Salomonis *lib. 3. Regum cap. 3. & ex libris Proverbiorum, Ecclesiastes, Sapientiæ, & Ecclesiastici*, passim sapientiam qua discernatur *inter bonum & malum*, ut Salomon 3. Reg. 2. loquitur, præstare bonis illis omnibus, quibus privant mala illa reliqua. Pauca illa vulgata ad mentem excitandam commemoro *ex 7. Sapientiæ; propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum esti-*

mabitur argentum in conspectu illius. Super salutem, & speciem dilexi illam &c. Hac plenus sapientia Thomas librum homiliarum Chrysostomi præhabebat dominio opulentissimæ urbis Lutetiæ Parisiorum. Hispanus quoque ille Salomon Alphonsus, Aragonum Rex, cum Aulicis non ocurreret, quo pacto tantus Rex in paupertatem devenire posset, si sapientia, inquit divenderetur. Sapientiæ excellentiam, laudesque haud prosequor, quia eam habentibus constat, quanti sit: cæteri verò dormiunt, vel non sapiunt, qui omnia per corpus, sensusque mensurant, ac æstimant. Uno verbo unam cognitionem visionem esse totam mercedem sapienter Augustinus definivit: tantum bonum est perfectio intellectus.

Id ipsum constat prætereà ex præstantia mentis ipsius, & intellectus. Qua etenim viventes, & animantes sumus, nihil plantis, brutisque præstamus quin vitæ diuturnitate, sensuumque perspicacia, & vigore; virium etiam robore à multis superamur, Hoc nos supra plantas, supra bruta extollit in immensum, cognatos Angelis efficit, & Deo ipsi consimiles; quod intellectuales sumus, menteque vigemus. Quin licet ipsum esse necessarium sit ad esse intellectuale, & quod non est, nec intellectuale quidem esse queat, attamen plus multò est, quod per intellectuale additur ad esse, quam quod ponitur per esse. Præstat scilicet duplò creatura aliqua alteri v. g. leo lapidi: plus autem quam duplò præstat homo leoni. Indè est, quod multò plus quam duplum, quin fortè plus quam centuplum, & sine comparatione tantum ponitur, & additur per intellectuale, quam quod positum esset per esse; & homine inter eunte, si anima quoque interiret, non hoc momenti esset, quod res aliqua esse desierit, sed quod homo res intellectualis. ac tanta perierit. Idcircò sapientissima, quoque Dei providentia, quidquid orbe corporeo clauditur, hominis gratia processit, in eumque tanquam in finem direxit. Si ergo res tanta est mens, & intellectus; si rursus ut Philosophia experientiaque docent, corruptio optimi est pessima, concluditur manifestè, malum intellectus deterius esse, quàm sensuum, quàm virium & salutis, omnium bonorum exteriorum: Ignorantia autem, & error sunt malum intellectûs, & mentis. Sunt ergo malum majus cæteris illis.

Sed ais tu: hæc ego haud intelligo: nam ignorantia, & error non doleat, somnum, ac cibum, & potum non adimunt: quorum ergo tantum malum sint? sed perge & in cœno Epicuri ipso vix Duce Epicuro volutare, nosque apud alios causam istam agere desine. Porrò quod dolendum est, voces illæ, vel si loqui erubescunt, saltem sensus non paucorum sunt, sed plurimorum, qui corporibus immersi, & toti fermè corporei non aliud, quam terram, corpusque sapiunt, ridere etiam Didimi solatium solent, qui visu, quo culices quoque vigent, privari parvi pendebat. Dominatur quippe latissimè in istos animal.

Verùm gentiles ipsi nobis rubori esse possunt, Scholaque tota florentissima Academicorum, qui errare tam turpe existimarunt, ut rebus tanquam veris assensum præstare prohibuerint propter errandi periculum: nec Schola ulla alia rei turpitudinem, miseriamque denegavit, sed censuerunt alii, res multas inveniri, quibus tanquam veris sine ullo, vel raro erroris periculo assensus præberetur: quin teste Tullio Epicurus, nec sensibus credendum esse voluit, si vel semel errarent, & fallerent. Tantùm malum judicatus est error non à sapientibus modo, quales nullos Gentilitas habuit, sed ab eis etiam vel eminùs collimarunt.

Exponamus ampliùs mali magnitudinem. Senectute, & morbis sensim decrescit vita hominis, quà vel vivens, vel animal est. Sic porrò esse sensim definit, & decrescit per ignorantias, & errores homo, ejusque vita præstantissima intellectualis, & per amentiam, quæ uno sæpè errore contrahitur, ut dicam mox, perit ex integro vita intellectualis, sicut per mortem vita animalis, & per mortem quasi animal, per amentiam moritur homo. Da, sanum hominem reddi amentem, mox etiam obire: multò sanè plus amisit insaniens, quam moriens; quin insanum jam hominem mori fœlicitatis magis fuit quam miseriæ. Jam ex toto malo ad partem mali obvia est argumentatio. Cujus totum malum est majus, ejusdem medium malum est quoque majus; & sic de aliis partibus magnis, & parvis ad magnas, & parvas alias comparando. Sed totum ... [illegible] intellectus est majus, quam sensuum, quam bonorum exteriorum, & salutis quoque, & vitæ. Ergo.

Conferendo denique malum ignorantiæ, & erroris cum ipsius etiam voluntatis malo seorsim à morali, universa schola Thomistarum præfert intellectum voluntati: quanquam verò repugnet Scotica non tam propter Physicum, quam propter morale repugnat, in quo nec D. Thomas dissentit; nam potest bonum physicum esse majus, & etiam malum; & tamen esse minus bonum, vel minus malum morale propter minorem voluntarietatem, & similes considerationes; unde D. Thomas *1.2.q.20. & q.34.* peccata odii Dei, & desperationis infidelitate majora esse docere videtur.

Agendo verò seorsim à malo morali, quemadmodum in homine esse hominem præstat cæteris naturalibus hominis, ita præstat eum intellectualem, rationalemque esse, per quod scilicet homo est homo, & nihil in propriis rei uniuscujusque tanti est: quanti ipsamet ipsius essentia, ut duce Aristotele Logici etiam tradunt, & reliqua minus sunt & ejus gratia ac velut proprietates, & accidentia. Idcircò homine non in via solùm, sed universim accepto, operatio præstantissima intellectus præstat reliquis, in qua scilicet ex D. Thoma, & vera sententia beatitudo nostra consistit: non enim in fruitione, quæ ex terminis possessionem supponit; minus autem in amore, qui, ut omittam cætera, idem specie saltem est cum amore viæ: repugnat verò nos per id effici beatos, quod non beati etiam habebamus.

Sed præstet utravis potentia, præstet sanè voluntas. Profectò mentem in hominem rem esse pretiosissimam atque præstantissimam, amentes solùm, & mentem ipsam indignè habentes dubitaverint. Hæc porrò potentia, uti, & cæteræ, non est propter se sed propter actum, ut est principium: quo actu, & bono suo privatur ignorantiis, quia contrariè disponitur, invertiturque tota erroribus. Sunt ergo ignorantia & error malum maximum hominis in se, & secundum se.

Non sunt certè malum visibile ignorantia, & error; sed si essent plus multò misereremur ignorantium, & errantium in pertinentibus ad ipsos, quam cæcorum, claudorum, atque pauperum.

Tunc

Tunc satis intelligeremus, quanti sint ignorantes, & errantes, quod Apostolicum fuit erudire.

§. II.

Quantū malū hominis sint ignorantia, & error quoad Deū?

Dictum est de homine quasi quoad se. Ordo porrò primus, & præcipuus hominis non est sui ad se, vel ad sua, vel sui ad proximum, sed sui ad Deum. Hinc totum, vel potissimum bonum, vel malum hominis, quod benè, vel malè se habeat ad Deum, sui Autorem, sui finem & sui omnia, ex quo cætera sua pendent.

Radix, ac fundamentum totius recti ordinis hominis ad Deum est fides vera, & cognitio ipsius: hac recta fide, & cognitione ipsa primùm præstantissima mens hominis, indè deinceps, & consequenter cætera cuncta hominis rectè ordinantur; vel ordinari rectè possunt ad Deum. Hac autem recta fide & veri Dei vera cognitione privatur homo, quin invertitur per ignorantiam & errorem. Is proinde ignoraverit, quantum malum hominis sint respectivè ad Deum ignorantia, & error qui ignoraverit, quantum bonum sit recta fides, & vera veri Dei cognitio: ad quam excutiendam ignorantiam, vel somnum, si reliqua gravatur legere, percurrat saltem *cap. 11. Epist. ad Hebræos*, ubi quanta sit, fueritque fides, & quam sine illa cætera nihil, inveniet.

Dicebam paulò antè uno sæpe errore contrahi stultitiam, atq; amentiam. Credit se quis Regem; & amens habetur, & illuditur. Credat se Deū: est sanè amens, quo major est stultitia, magis utique miserandus, aut ridendus. Credidit multitudo gentium, saxa, solem, & Lunam esse Deos. Quo ista minus sunt homine, tantò est major amentia. Ille ridetur; isti non ridentur, quin sapientes etiam existimantur: non causa hoc facit, sed multitudo, vel raritas.

Si omnes ægrotarent, aut insanirent (ait rectè Aristoteles 4. Metaph. lect. 11. d. Thomæ) *duo verò, vel tres sani, aut mentis compotes essent; hi utique videri possent ægrotare, aut insanire; cæteri verò non.* Non iam ex causa, quam ex magno & parvo: ex multo, & pauco plerique judicant: quia hoc sensuum est, & prævalent sensata intelligibilibus. Hinc ratio obvia, cur Christus Dei filius primùm, mox perfectè sui stulti habiti sint, qui de pleno contra mundum judicarunt; sunt enim pauci, & rari: cæteri vero infiniti; nam stultorum infinitus est numerus, quemadmodum, ut ajebat Aristoteles, si omnes insanirent; duo vero, vel tres mentis compotes essent, hi utique videri possent insanire; quin etiam ligarentur, vel ejicerentur, atque riderentur ab omnibus.

Inde etiam hyperbolicus, nobis, & vix pressè verus videtur sermo Dei perpetuus, qui prudentiam mundi, atque sapientiam, stultitiam esse deprædicat, & sapientes ipsos dicentes, se esse sapientes, stultos factos esse, obscuratum fuisse insipiens cor eorum, & traditos ipsos in reprobum sensum, ac plurima hoc genus, quibus sacer textus exundat. At nos dormientium ad instar ista audimus, & non capimus; & quemadmodùm stulti stultis stulti non sunt; sic nobis terram, & mundū sapientibus nostri similes mundi sapientes sapientes esse videntur: sapientes quidem capiunt, sed hi pauci, & rari sunt; quin de illa, & adumbrata magis sapientia Gentium edisserens Tullius *lib. 2. de divinat.* quod tunc portenti loco habebatur sæpius mulam peperisse arbitratur, quam sapientem fuisse, & septem solos Gentilitas ipsa numerabat.

Verè tamen insipiens fuit qui dixit in corde suo, *non est Deus*: stulti facti sunt, etiam qui *mutaverunt gloriam* incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium ad Rom. 1. Insipientes sunt itaque, & qui Deum ignorant, & quibus non Deus est Deus, magis multo, quam quibus aut ignoratur suus Pater, aut quibus non Pater est Pater, aut non Rex est Rex, quos tamē cæteri norunt. Da hominē, qui se non sanè se, sed aliū esse existimaret. Plus multo est existimare, Deum meum non Deum meum sed alium esse: nam plus mihi est Deus meus, quam ego plus debeo, plus indigeo: si me habeo, & Deū non habeo, miser sum; si Deum habeo, me habeo, & beatus sim.

Hoc interesse arbitror inter hanc magnam stultitiam, & stultitiam vulgarem, quod sapientes sancti maximè Patres doceot de magnitudine operum Dei & miraculorū quod hæc non semper excedant operis magnitudine sed raritate, unde etiā ea miramur. Multa de his disserunt, ubi agunt miraculo multiplicationis panis, atque similibus. Sed scholæ rigore 1. 2. *qu.* 113. *art.* 7. quæritur, utrum justificatio impii sit maximum opus Dei; & traditur cum Augustino, esse majus creatione ipsa cœli, & terræ; & *art.* 10. quæritur utrum sit opus miraculosum? ubi hac de re multa sapienter docentur, quæ instituti præsentis non sunt. Primò loco arguitur, opera miraculosa non miraculosis esse majora; sed justificatio impii est majus opus, quam alia opera miraculosa, ut patet per Augustinum: ergo est opus miraculosum. Respondet S. Thomas, quod quædam miraculosa opera, & si sint minora, quam justificatio impii quantum ad bonum, quod fit, sunt tamen præter consuetum ordinem talium effectuum; & ideò plus habent de ratione miraculi; neque enim consueta miramur: de quibus aliâs.

In hunc modum, eademque de causa videtur, eos nobis stultos non videri, qui ab ipsa veritate stulti, insipientesque dicuntur, maximè verò eos, qui Deum suum ignorant, aut non Deum pro Deo colunt; hi enim & ignorant, & prætereà errant, quòd plus est, ut diximus, quam si se ipsos, & Patres, atque Patriam, ac domum propriam ignorarent, ac omnia inverterent. Ibi, si corpore quidem non possumus, mente saltem nosmet sistamus, ubi omnes sunt sapientes, & ignorans nullus; cœlestem illam civitatem sanctam beatorum loquor; & nobiscum aliquem, qui se ipsum ignoret, pervehamus, & alium, qui ignoret Deum suum. Non est profectò, cur sapientissimæ curiæ judicium recusemus; recta sunt ibi omnia & recta judicia, & si nostra sunt contraria, nos planè desipimus. Nullus est ibi locus dolori, & miseriæ; si tamen condolere, compati, misereri possent beatissimæ illæ animæ, cujus, quæso, magis misereantur, an ignorantis se ipsum, & suos, an ignorantis Deum suum? noverim te, primò sanè loco ponitur, ac deinceps noverim me. Intuitio mei quin etiam cōprehēsio me beatū haud efficit; efficiet verò intuitio Dei. Ajunt autē, privationē cognitionis; taxariq; per habitum non quantitatē boni, sed etiā debiti considerando. Ergo malo saltē culpæ & pœnæ nunc prætermisso summa hominis miseria est, Dei sui ignorantia, & error. Dixi *saltem*, nam ostensuri sumus, Dei ignorantiā necessario esse malum ma-

rale, quo nullum sit majus ex objecto suo, sed solum ex majori voluntarietate, & aliis.

Video equidem, non ignorationem Dei, sed ipsius visionis Dei privationem esse privationem correspondentem intuitioni, quæ nos beatos efficit: quâ privationem puri viatores omnes habent, & tamen summè miseri non sunt. Argumentatio ergo, ais, nihil conficit. Verum ex argumentatione conficitur directè, summum malum pœnæ non viatorum privationem visionis illius, in qua scilicet pœna damni consistit. Sic porrò se habet vera veri Dei fides, & cognitio ad viatores; sicut visio veri Dei ad constitutos extra viam; per fidem enim nunc ambulamus, sicut comprehendimus (loquor Pauli verbo, & sensu) per visionem. Sed omisso saltem malo culpæ, summum malum non viatorum est privatio visionis veri Dei. Ergo summum malum viatorum in eodem sensu erit privatio veræ fidei, & cognitionis veri Dei.

Nec est, cur de debito, vel non debito nobis moveant quæstionem, quasi vel fides, vel vera aliqua veri Dei cognitio non sit debita, aut necessaria viatoribus, & possit esse pura negatio, & non privatio ignorantia veri Dei. Hoc inquam nobis non moveant, qui prima parte, & aliàs etiam statuimus, nullam cognitionem esse rationali homini magis necessariam, & debitam, quam cognitionem sui Dei de quo etiam rursùs infrà dicemus. Hic, ubi ad mores toti dirigimur, illud memoro, fatuum procul dubiò futurum hominem omni judicio synderesis spoliatum, & omni primo principio morali de bono & malo judicandi. At hominis in se, & morum ejus omnium, & vitæ primus, & præcipuus ordo est ad Deum. Hujus ergo cognitione privatus magis erit fatuus, & est primò omnium necessaria rationali homini cognitio Dei sui; quin istam in ipsamet etiam idolatris involui, sed erroribus adjunctis contaminatam, & involutam, alibi satis exposuimus.

Hæc, quibus ostenditur, quantum malum sit ignorantia Dei; & error, haud curiositati data sunt, sed ad mores persequentes quæstiones ordinabuntur. Se ipsis autem prodesse iis proximè possunt qui gentiles convertendi gloriosam Provinciam sortiti sunt, ut auditores quo ad veri Dei cognitionem desiderandam disponantur, intelligant, quantum malum sit Dei veri ignorantia, & error. Nullus invenitur gentilium, cui non sit aliquis Deus, cui res aliqua non sit vilis, & abjecta, v. g. saxum, vel lutum. Ille in alio facilè intelliget malum suum, & quantum malum & miseria esset alicujus alterius, qui Deum ipsius, quem ipse verum putat, non Deum esse, sed rem vilem, & abjectam existimaret: saxum autem, aut lutum crederet esse verum Deum. Hinc ad ipsum convertitur oratio dicendo: ergo si fortè Deum, sed res quædam vilis, & abjecta foret, maximo malo, miseriaque laborares.

Quid alius is respondeat, quam Deum suum esse unique verum Deum. Sed instandum est, eum etiam, qui saxum, & lutum pro Deo vero haberet, hoc idem responsurum esse, atque existimaturum; & tamen valdè miserum fore. Hinc quærendus est, & cogendus, ut dicat, cur saxum, & lutum verus Deus non sit: & eadem plus minus resumendo ostendendum est, Deum ipsius non esse verum Deum. Rursùs inferre Dei Nuncius potest: ergo si ego ostendero (quod facilè præstabit) Deum tuum non esse Deum verum, relinquere eum debes; sicut ille alius saxum, & lutum. Sin verò fuerit Dæmonum surdum, & mutū, in oratione, & jejunio ejicitur ab eo maximè, qui sequentibus signis sermonē confirmare non valet.

Omissis pluribus, pauca alia percurro. Da hominem sui insignis benefactoris inscium, qui alteri loco ejus gratias semper habeat; & inserviat: pupillum sui inscium tutoris, & pro alio commutantem: ægrotum, qui ignoret medicum, & n medicum pro medico accipiat; pauperem qui ignoret divites, & à pauperibus stipem, victū que quærat; ignorantem denique hominem, cui necesse sit discere, & doctos omnes ignoret, atque se ipso rudiores alios, magisque ineptos in Magistros suscipiat. Hæc omnia, & plus multo est, & omnia simul est homo ignorans Deum, & non Deum pro Deo colans: eas enim relationes sine proportione majores habet homo ad Deum sic creatorem, conservatorem, gubernatorē, & omnium bonorum datorem, ditissimum, & Magistrum.

Ex fine denique patet, quantum monstrum sit homo ignorans Deum, & cui non Deus est Deus. Ex *Ethicor.* 1. & ex 1. 2. & omnium experientia constat, in esse homini appetitum naturalem beatitudinis, quæ in consecutione sui finis consistit. Constat rursùs, & demonstrativè etiam ostenditur, hunc finem esse Deum gloriosum. Homo ergo ignorans Deum est homo naturaliter appetens, quin semper appetens Deum, & Deum ignorans, quo appetitu semper cruciatur, & nesciat, quod appetit: quod sane insanientium esse solet.

Sed voce nostra clariùs res percipitur. Eos, qui finem consequuti non sunt, sed in eum tendunt, viatores proprio vocabulo appellamus. Viator est ergo homo in hac vita, & viator ad finem suum, qui Deus est. Ergo homo ignorans Deum est, sicut homo iter faciens, & nesciens, quò vadit; & non Deum pro Deo habens est, sicut iter facere putans in Italiam, & reipsa navigans in Mexicum.

Hanc planè miseriam in sapientibus gentium intelligere possumus, qui erroneas Dei cognitiones commiscuerunt, & quorum insipiens cor obscuratum fuit; quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt &c. Mitto Atheistas: hi enim sunt, quemadmodum iter facientes, qui existimarent, se non incedere, sed quiescere; incedit enim, & movetur semper desiderio sui finis omnis homo; ergo etiam Atheista; ergo putans Deum non esse, id est, finem non esse, licet errando tendit semper ad finem, se non tendere arbitratur. Stoici in virtutibus fœlicitatem, ac finem collocarunt. Hi sunt sicut iter faciens existimans viam esse terminum, & motum esse quietem: nam virtutes non aliud sunt quam motus, gressus ad finem: ergo moveri putant esse quiescere, & viam confundunt cum termino. Epicurus porrò propter hanc finis ignorantiam quantum ineptiit non tam hominis, quam animalis finem constituens. Hoc est sicut qui satiari vellet, & arenas, quæ nihil satiant, comederet, aut deglutiret. Aristoteles multa vera, sed nesciens dixit: si enim rogatus fuisset, quæ esset, & à quo hominum consecuta unquam fuisset illa præstantissima operatio, in qua beatitudinem reposuit, nesciret planè, quid diceret. Evanuerunt profectò unà omnes, qui in hac vita, ubi non erat, finem quæsierunt, & posuerunt; Academici eo temporis desipuerunt minùs palam fatendo, se nescire. Viatores ergo erant, & nesciebant, quò tenderent:

rent: insito appetitu movebantur, & quò moverentur, ignorabant prodentiores, cæteri magis ineptiebant, & hoc quidem in summa rerum, & in hominis toto negotio. Jam ut hotum cognitionem excites, hominem pone semper iter facientem, quo vadat. Hoc est, plus multò est homo ignorans verum Deum, qui suus finis est: qui verò quantum monstrum hoc sit, nondum intelligit, valdè obtusæ mentis est;

Ex his, & alii plurimùm mihi displicet Theologia illa viri opiniosissimi, quæ Deum non inter bona hominis necessaria, sed delitiosa, & visionem ejus, sicut villam Aldobrandidam bonum delitiosum esse docet. Hoc indè natum est, quod nesciant, necessitatem Dei, & gratiæ ejus cum gratia conciliare: salvant quidem gratiam esse gratiam; at gratiam esse necessariam non utrique, quid indè homo sibi nimis sufficiens constituitur, & superbit, & evanescit. Sed hæc loco suo, & diei relinquamus: nobis omni circunscriptione opus est; accipio hominem non ot esse potuit (quod hic prætermitto) sed ut de facto est. Nullum bonum est magis necessarium homini quam Deus Auctor, Conservator, & Deus finis. De facto S. Thomas 1. *p. quæst.* 12. ex appetitu naturali hominis demonstrat, visionem Dei esse possibilem, id est, nobis consequibilem: non enim appetitus naturalis est possibilium in se, at non possibilium, nec consequibilium apperenti, ut patet. Eo autem loci omnes accipiunt S. Thomam, ejusque ratione otuntur. Ergo quidquid aliter, & sine hoc appetitu condi homo potuerit, de facto falsitem, & ex suppositione hujus appetitus nullum bonum tam necessarium est homini, quam Deus visus; hoc enim finis, & cætera propter hoc. Hinc proindè patet denuò, quã sit homini necessaria cognitio hujus finis, & quantũ malum ejus privatio.

Vix sanè sufferre possum, Deum, quo summè indiget homo, ut schola tota vera librorum spiritualium, ac Deo inservientium animarum, primùm docet, & constituit ullo sensu vel respectu viatorum, vel respectu non viatorum inter bona delitiosa, & minimè necessaria computari. Qu id enim est homo in via ignorans Deum, quid in termino non consecutus Deum nisi ipsa miseria, ut ostensum est? & alia desino cumulare, quibus libri illi abundant quid est homo non gratus Deo, quid non orans, non sperans, confidens? Hæc simul, ac multa alia est homo Ignorans Deum

§. III.

Quantum malum sint ignorantia, & error quoad proximum?

PRima quasi correlatio hominis ad hominem est societas, vel sociabilitas unius cum alio, & plurium inter se; nam ut 1. *Pol. c.* 1. ostenditur, homo naturaliter est animal sociabile. Quod porrò homo natura sit sociabile animal, & magis sociabile, quam apis, & quam omne animal gregarium, maximè probant: quia, ut ibi dicitur. *sermonem solus habet homo omnium animalium.* Vox quidè, qua molestum, vel jucundum significent, concessa est cæteris quoque animalibus: & sermo solùm homini datus est, & ad hoc datus est, ut præter jucundum, & molestum, *ostendamus utilitatem, & damnum atque justum: hoc enim præter cætera animalia hominibus est proprium, boni, & mali, justi, & injusti, & aliorum sensum habeant soli.* Hæc ibi.

Hujus ergo sociabilitatis, & societatis hominum ratio potissimum in sermone consistit. Quarè sicut Philosophi locutionem definiunt, esse manifestationem conceptus, ita illam Politicus, & civilis definit, esse actum socialem.

Statuitur prætereà ibi, excutionis quidem ordine prius esse hominem, mox domum; deindè pagum, & tandem civitatem, quam domum, & quam singulos nos: nam civitas est totum, & finis: quemadmodum homo, & totum prius est, quam pes, vel manus, & totum est finis: & sicut partes physicæ sibi singulæ non sufficiunt, sed ad totum ordinantur, quod sibi sufficiat; & in quò pars à parte juvetur; sic nec homo, nec domus, nec pagus; sed sola sibi sufficit civitas: & qui hac societate non indiget, aut ea non gaudet, aut Deus, aut bestia est, ut ibi dicitur: nos porrò excipimus, eos, qui cum Deo, & Angelis ejus in eremis societatem habuerunt.

Hoc ex multis hominibus compactum totum multò altiùs extulit Deus gloriosus, & vincolo fraternæ dilectionis in unum corpus, quod est Ecclesia, mirabiliter complicuit, aot veriùs compegit, in quo essemus alter alterius membra, & non homo, & homo sed frater; & frater cives sanctorum domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

Undè sicut primum fundamentum vitæ hominis cum Deo est fides divina, ita vitæ hominis cum homine, & fratris cum fratre est fides humana; sine qua nec civitas nec societas ulla superesse potest, ut latè Augustinus disserit *l. de utilitate credendi* & est satis per se manifestum. Fides autem humana sermonis veritati innititur; quo pro indè falsato, sicut falsatâ m onetâ, cessant, impediunturque commercia, cessat societas; nam dissociat magis, quam sociat, & unit sermo falsus: quarè corrupta vel sublata hac fide homine, bonum civitatis, & totius in malum vertitur; & vita solitaria melior erit, plusque sibi sufficiet homo solus, & pars separata sibi, quam totam societatis, & civitatis: quod denuò magis exprimetur. Qui ista intelligit, haud mirabitur tum cætera multa scripturæ, tum ea maximè, quæ Jacobus Apostolus cap. 3. adversùm malum linguam cumulat, quæ universitas etiam iniquitatis asseritur, & alia, quæ legi possunt. In verso scilicet linguæ, & sermonis usu præstaret homini esse non quidem ut animantia gregaria, quæ jucundum saltem, & molestum verè aliis significant, sed ferarum instar solitarium, & montanum animal.

Lingua, & sermo corrumpitur etiam excessu, & defectu, si quæ dicere d bemus, aut non debemus, loquimur, vel tacemus. Sermo verò directè falsatur aut mendacio, aut ignorantia, & errore. Hine naturæ studium tantum sermonis integri servandi, quo gentes omnes instituit tanti facere veritatem sermonis, ut cum luce mendacium culpa solum sit venialis & leve malum, magis tamen ignominiosum cuncti habeant, *mentiri*, quam *occidisti*, aut graviora alia; quia sermonis falsitas velut à radice convellit bonum omnee civitatis cujuslibet, ut magis etiam innotescet.

Interest quidem quoad malum morale scienter, aut ignoranter falsum loqui: quoad malum tamen socii, vel concivis, & civitatis perindè est, si à te decipiatur vel sciente, vel ignorante, & errante: malum quippe in concivem, & comparteni, & indè in ipsam civitatem, & totum resultans est

ignorantia, vel error qui error pariter resultat, sive sciens, sive errans falsum dixeris. Quin inevitabiliùs, & universaliùs, & permanentiùs malum resultare videtur per se loquendo ab errante, nam & audentiùs, & firmiùs affirmat errans, & omnibus, & semper quandiu ignorat, & errat, idem ipsum affirmat: mentiens autem scienter, potest, si vult, verum loqui; & si non huic, alteri, & si non nunc, posteà verum loqui, & dicere.

Tutum rursùs à natura intentu civitatis est quoddam per se sufficiens sibi, & partibus (humano modo & cum Aristotele loquor) nam singuli sumus alter ignorans, alter sapiens; pauper hic, dives ille: hic ægrotus, ille medicus, & sic varia genera artificum: politici item, & milites: litigantes, & Judices; Advocati, & clientes &c.

Pone jam in civitate medicos ignorantes, & errantes; melius esset ægroto non civitas, & non medicus, nam ab errore saltem medici non periclitaretur. Judices ignorantes constitue: sanè injuriam patienti melius esset eam pati, & sic nec civitatem, nec judicem quoad hoc habere. Idem in artibus conspicias; nam præstat non habere domum quam casuram habere, quæ casu te suo obruat; melius similiter est nihil dicere, quam ab ignorãte discere à quo nisi errores dicere nequeas.

Profectò artes necessariæ nunquam ex toto ignorantur. Fingamus verò ignorari; licet enim fingere aliquid ejusmodi, quo verùm facilius reperiamus: sanè nihil minùs sibi sufficeret, quam tunc civitas sibi, & partibus. Civitas quæque, vel domus magnæ confusionis Babylon dici solet, ubi scilicet confusum fuit: labium universæ terræ, & quia se se nec intelligere, nec juvare poterant, ab insana ædificatione destiterunt. Magis porrò esset confusa, ac minus sese juvare possent, si omnes ignorarent, & errarent: & alios etiam proinde fallerent, quia loco utilem noxia & pro justis injusta vicissim ministrarent. Miserior ergo, & sibi, ac civibus insufficientior foret civitas ex toto ignorantium, & errantium, quam civitas diversarum linguarum, & etiam mutorum: qui nempe nutibus saltem vera aliqua significare possent. Ex toto hoc malo malum singulorum ad se pertinentiâ ignorantium in artibus, in officiis intelligitur: quæ etiam ulterius exponi, ac promoveri facilè possunt.

Atque hæc quidem ita considerando solùm correlationem hominis ad hominem titulo societatis, & ex natura, & fine sermonis, & quasi in genere consideratis artibus, & officiis, quibus singuli singulos in toto civitatis, vel societatis cujusque juvant. Nam facilè erit alias correlationes, & nexus percurrere servi ad Dominum, & Domini ad servum; est quippè servitus aliqua secundum naturam saltem corruptam ut 1. *Polit.* 3. docetur, & totum fundatur in præstantia, vel defectu mentis, & scientiæ; & ad hoc principatus quoque resolvitur undè est correlatio Principis, & subditorum imperantium, & parentium; ut ex cap. 5. ostenditur. Quæ, & alia præ multitudine non prosequor, ut constet, quantum malum sint ignorantia, & error in correlationibus omnibus hominum, nec justum est, nec secundum ipsam naturam ipsum etiam imperium magis ignorantium, quam in quos imperatur, nisi ex Administris imperii suppleatur defectus, nec quod violentorum natura est, diuturna erit dominatio.

Jam de civitate illa sancta sibi utique sufficientiore quam Dominus, & Salvator noster extruxit, adhuc plura dicere occurrebat: sed decursu operis constabit quantum malum hujus civitatis, & singulorum civium sit ignorantia, & error. Hoc hic non omittam dicere, ministerio potissimùm sermonis, & prædicationis hanc quoque civitatem & fundatam fuisse, & propagatam à solis ortu usque ad occasum. Si ergo hoc ministerium, & sermonis ac mysteriorum Dei ministros, & nuncios ignorantia, & error occupaverit, si sal infatuatum fuerit, qui erunt homines per quod error auferatur cæterorum? Hinc porrò jam multum pati civitatem sanctam plurimorum sensus est, dolor est. Sed decursu plura.

§. IV.

Ignorantia & error sunt præterea malum magnum; quia sunt causa aliorum malorum maximorum?

T*Rigesima octava dist. capit. ignorantia ex 4. Concil. Tol.* jure ignorantia mater cunctorum errorũ compellatur: ignorantia quippè, ac error & virtutibus privat, & vitia cuncta inducit. De quo cum 1. *part.* operis multa data sint, pauca nunc dicentur.

Constat ex *lib. 2. Ethicor.* de ratione virtutum omnium esse rectam rationem; rectitudo autem rationis est veritas; quarè voluntatem rationi erranti concordantem bonam non esse, constitutum, declaratumque fuit cum D. Thoma. Ignorantia porrò, & error faciunt rationem errare. Privant ergo virtutibus, plus, vel minus, ut major, vel minor, & plurium, vel pauciorũ erit ignorantia, & error. Per ignorantiam rursùs boni mali, ac vice versa haberentur. Quid deterius.

Inducunt etiam mala vitiorum; nam si justum ignoratur, quin injustum habeatur, mendacium non malum, furtum bonum homicidium quoque vel semper, vel hic, & nunc justum; licitam fornicationem, & sic de aliis existimetur, mala omnia vitiorum omnium inducuntur, plura, vel pauciora, ut ignorantia, & error major, vel minor; plurium, vel pauciorum fuerit. Unde qui sensum habet cæterorum malorum, & cui ista honori sunt, ignorantiam quoque, & errorem dolori, & honori esse, necesse est.

Quod si minus mihi credis, Paulo saltem Apostolo fidem exibe, qui ad *Rom.* 1. ignorantiæ, & errori fructus commemorat. Vide ergo qualia obscurato corde insipiente ipsorum, & stulti facti sapientes illi perpetraverint. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum.* &c.

Rursùs *fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem masculi in masculos turpitudinẽ operantes* &c. Præterea *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* Sed tu cuncta ista non nisi scienter perpetrata dixeris; sed Paulus Apostolus non hoc dicit, sed cõtinenter ad ea tam horrenda tam multa, ac immediatè subdit; *qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Et Chrys. *hom.* 4. *Vide igitur mala hæc enta sap*

ta sunt ? à malitiis , à Dei ignoratione : de qua horum ignorantia rursum inferiùs.

Erunt tamen qui resistant, qui scilicet rationem nescio quam suam sectantes , ac vitæ hominum, morumque immemores velut abstractam quandam morum compingunt disciplinam. Constat porrò , sapientes illos, quos Paulus memorat, in universa morum, vitæque disciplina , ac de bono, & malo prorsùs contrarias dissentiesque scholas crexisse; est enim inter eos, ut Tullius Acad. *quæst. lib.* 4. de Stoicis. Academicisque effatur, est , inquam , *inter eos non de terminis , sed de tota possessione contentio ; nam omnis ratio vitæ definitione summi boni continetur , de qua qui dissident, de omni ratione vita dissident* : ex fine siquidem contraria bona , aut mala erunt. Dissenserunt verò de summo bono sapientes illi, quin etiam errarunt universi. Quid ergo bona quantacumque mala non haberent,& mala bona:quod præterea singularum scholarū fine,ac summo bono hic edito facilè erat comonstrare.

Sed enim quid in his immoremur?cum constet mendacia , furta, ebrietatem , vindictam, & hoc genus alia apud varias gentes haud æstimara fuisse vitia? quin eos, qui nobis hic obsistere possunt, inter nosmet etiam Christianos tantoperè instructos de facili admittant , & pollutionis , horrendi sanè sceleris , usurarum , simoniarum, iniquorum contractuum, injustorum bellorum cuncta strage complentium ignorantias invincibiles?De gentibus sanè quibus Dii etiam extiterunt meretrices , raptores , adulteri , & masculorum concubitores, Venus, Juno, Jupiter, Mavors, superflua est omnis oratio ; non ergo intelligebant, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Id est fortè dolendum magis , quod multa eorum , quæ Paulus brevi constringit, avaritiam, invidiam, detractionem, superbiam, elationem immisericordiam, fœderis fractionem, in compositionem, ac erga Parres inobedientiam; rarò etiam nunc in praxi videantur magna censeri : quibusdam quippe ratiunculis honestari alia,alia diminui,lenitique solent.

§. V.

Quantum malum sint ignorantia & error quoad communitatem , & totum.

PEr communitatem, & totum intelligo civitatem, regnum, Ecclesiam. Incredibile porrò dictu est,quantum regna, quantum Ecclesia passa sit, patiaturque ab ignorantiis, & erroribus, ubi cum omnibus percurri nequeant majora indicabo, dicamque magis de generibus singulorum, quam de singulis generum.

Illa primò mali ignorantiæ , & erroris pessima qualitas præmittenda est , quod cum tantum sint malum,sint tamen phrænesis instar malum ignotum , quin bonum existimatum. Multi certè purè ignorantiam se ignorantes norunt , & quærunt, nec nisi scienres operantur. Non de his tracto, sed de eis qui ignorantes, & errantes operantur;quin ignorantia , nisi in errorem abeat , operis causa esse nequit, ut aliàs exposui ; ideoque Theologi non duas conscientias, aliam ignorantem , erroneam aliam constituerunt , sed quæ utramque complecteretur, unam erroneam.

Primum totius generis nostri malum, & origo cæterorum extitit peccatum originale,quod morte, malis , doloribus, miseriis cunctum mundum implevit. Deceptione itaque, & errore primùm Dæmon aggressus est genus nostrum , & vincere cœpit. De muliere habemus testem expressum Paulum 1. *ad Timoth.* 2. *& Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit* : Ipsaque per ignorantiam sese excusavit dicendo , *serpens decepit me* , nec redarguta fuit de mendacio : de hac seductione , vel non seductione , tractant cum Magist. in 2. distinctione 22. & distinct. 23. & seductionem non tamen de culpa , vel non culpa, sed de eo, quod vera crederentur , quæ dæmon suggesserat , exponunt. De culpa vero etiam de Adamo Magister ex Augustino vulgatum illud usurpat , & tradit , eum quoque deceptum in hoc fuisse , *quod commissum veniale putaverit , quod peremptorium erat* : etsi S. Thomas 2. 2. *quæst.* 164. *art.* 4. *ad* 5. veniale , id est de facili remissibile interpretetur : certè etiam sic ignoravit magnitudinem gravitatis; & deindè S. Doctor *qu.*18. *de ver. art.* 6. *ad* 11. ignorantiam istam de veniali sine ulla prorsùs explicatione transmittit, & solum insistit, ad hanc falsam opinionem præcessisse elationem & culpam. Horrent ad ista aliqui , ut cohorrui etiam ipse harum inscius rerum ubi quondam textum Augustini perlegi: tantum quippe quantum existimatur, & nihil plus peccati, arbitrabat sed de his pleniùs infrà.

Certiora nunc adeo,& scelus illud commemoro omnium immanissimum quo Dei filius Deus crucifixus fuit, & quo nihil cogitare posse videtur atrocius , ac cœlum , & terra obstupuerunt. Videor sanè infandum adeò facinus in homines sui compotes cadere non posse, quod Deum suum notum , & creditum cruci affigant , sed ignorantia aliqua , eaque insana opus esse. Certè ipse Dei filius Deus per ignorantiam id sceleris admissum contestatur clamans de cruce : *Pater , ignosce illis, nesciunt enim, quod faciunt* : & Petrus Apostolus *act.* 3. *& nunc fratres , scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri* : Paulus cap. 13. *qui enim habitabant Jerusalem, & Principes ejus hunc ignorantes , & voces Prophetarum , quæ per omne Sabbathum leguntur,* &c. *&* 1. *ad Corinth.* 2. *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* : quæ ignorantia, & error patet præterea ex prædicta, & ex secuta , & pœnè visibili cæcitate Judæorum , & infrà rursus retractabitur. Qui ergo capit, quantum scelus fuerit crucifixio salvatoris , & universa illa insania Judæorum,capiet,quantum [illegible]lum sint ignorantia, & error , ex quo tot [illegible] uno scelere scelera promanarunt.

Deinde secuta est persecutio & furor Judæorum & Gentium in discipulos , & in Ecclesiam per annos trecentum ; quod modicum quidem videtur , cum dicitur ; cum verò agebatur, quam sanè tot inter mala , & mortes fuit immensum. Horum quoque origo ignorantia,& error, ille scilicet quo Christus Crucifixus Judæis quidem scandalum erat ; Gentibus autem stultitia 1. *ad Corinth.* 1. Indè Salvator quoque ipse *Joan.* 16. prædixerat, *venit hora , ut omnis , qui interficit , vos arbitretur, obsequium se præstare Deo* , zelo scilicet paternarum traditionum , & legis , & templi , ut Paulus de se ipso bonus utique testis commemorat *ad Galat.* 1. Haud sanè mirandus error maximè in gente temporali , ac mundanæ fœlicitati tota dedita, quod homo crucifixus non Deus sibi videretur, sed abjectus homo : est enim mysterium divina, eaque per magna indigens fide , qua etiam mens capti- vetur, ac silent.

Offendo semper in quosdam, qui de humanis rebus, ac de moribus rerum sanè humanarum immutabiles abstractione quadam disputant, & constituunt: quod perindè certè est, atque si de naturalibus, ac de Physica differentes à materia sensibili, ab experientiis abstrahentes de tota natura, ut sibi videretur, decernerent. In re itaque nostra non quid, & quomodo acciderit, sed quid sua ratione accidere debuerit, in mente firmum habent, atque etiam oppo unt.

Omittunt, quid Paulus quid Salvator ipse dixerit, quid rei ipsa ranta .oquatur; & tot Salvatoris, ac Discipulorum miracula usurpantes haud putant, ignorantiam illam fuisse, quæ fuit, sed primò par est credere scripturis & cedere. Deinde in viris martyrum, in quibus citra contentionem naturali sensu hominum res istæ traduntur, Christianos magos, & incantatores habitos, legem nostram superstitionè existimatam, & stultitiâ, ac similia legimus: nô de singulis pei secutorû loquor, sed de plerisq; & gente universa. Quid etiā nunc Judæi inter nos ipsos existiment, ac velamen cordis eorum planè conspicimus: scimus item, quæ sit opinio miraculorum Ecclesiæ inter sectarios. Nos ipsi templum aliquandò invisimus signis miraculorum coopertum totum, & plurimi vix unum corde credimus, sed ea, ad quem pertinet, censenda omittimus. Quis deindè ignorat, quam sit difficilis Provincia adjudicandi inter vera, fictaque miracula, inter quædam naturæ, Dæmonis, Deique opera? quanto sanè examine rea constet, testis est sacra Rituum Congregatio. Contra vim deindè miraculorum occurrebat ex adverso vis alia ingens, quod homo crucifixus habendus esset Deus; deferendi item, quin abjurandi, & comburendi Dii sui, quibus assueverant, ac diuturna consuetudo in naturam abierat. Sed quid in his immoror; quid multarum gentium insanos errores, & furorem producere paro? Non alio opus est, quam benè intelligere, quid est homo? & ut incredibilia opera Dei incredibilibus alia credibilia fiunt; sic incredibiles errores nostri incredibilibus aliis, quos etiam nunc, dum ista scribo manibus pœnè contrectamus, nimis credibiles redduntur rectè considerantibus. Hominem Logicus, & Philosophus definit animal rationale: unaquaque porrò facultas ex suo fine sua utitur definitione, ut Medicina. In disciplina morali hominem in natura lapsa definitem animal rationale semivivum relictum: seu animal rationale ignorantia, & concupiscentia vulneratum; & graviter infirmum: seu cujus vires intellectus, & voluntatis extinctæ non sunt, extenuatæ tamen sunt. Nihil miser non paritur, si gratia Salvator non liberetur: in nullum non scelus ruit: nullus non error, & insania est credibilis.

Devicta, extinctâque persecutione Judæorum, & Gentium succeffit horrenda persecutio errorum, & hæresum Arii, Macedonii. Nestorii, Eutychis, Pelagii, & aliorum sine numero, sine fine. Crevit inter mortes Ecclesia: decrevit inter hæreses adeò, ut vel in uno Arianismo Constantii Imperatoris tempore ingemuerit orbis videns se totum Arianum esse. Oriens deinde, totus schismathe sublatus est: quantam deindè partem unus Mahometi error abstulit? quæ demùm regna, quas gentes recenter hæreses? Jam videmur esse in rebus compertis, & conspicuis: hæreses errores esse, nemo, credo, nobis litem moverit. Ergo quoad Ecclesiam summum quasi malum sunt ignorantia, & error.

Quod tursùs indè ob oculos ponitur: non essent in mundo ignorantia, & error. Hoc jam uno totus mundus catholicus, & unius si non cordis, sensus saltem, ac mentis fieri: Omnis præterea scholarum, librorum, familiarumque cessaret dissensio: quæ bella religionis causâ mota sunt, atrocissima illa, ac plurima, nuspiam fuissent. Unus ferrot Mahometi, aut Calvini raderetur: quanta indè accessio bonorum & singuli & Ecclesiæ universæ?

His quoad malum Ecclesiæ perstrictis, quoad malum Regnorum, reliquarumque communitatum nonnihil addamus. Regna profectò bellis maximè lacerantur, ac pessum eunt: homicidia, furta, adulteria quasi singulorum, aut paucorum seorsim mala sunt; bella autem simul omnium, & regni una totius. Magnum certè dictu est, tamen verum, nisi fallor, nullum bellum futurum, si nulla foret ignorantia & error. Compertum est siquidem, quod sapientiores loco principii habuere, nullum esse bellum utrinque re ipsâ justum; jus enim simul esse nequit, utrique, de quo *alibi*.

Nihil sanè repugnat, Principum, vel Principes aliquos iniquos esse, ut scientes, & volentes bella in justa moveant. Exploratum est etiam, subditos, ac milites non teneri belli justitiam, & causas nosse, sed Principi suo & credere, & parere posse, atque etiam teneri. Sed verò si nota ipsis foret injustitia, neque possent, neque deberent; nam tunc ignorantia eos sua, quæ deesset, minimè excusaret, sed scientes, & volentes rei injustæ operam darent: peccarent proindè sicut in illicitis aliis Principi obediendo, ubi Deo contraria præciperet homo.

Videtur porrò vel moraliter impossibile prorsùs, vel valdè saltem difficile, quod plurimi, & diù constanterque ut ad bellum requiritur, scientes in idem scelus conspirent, illudque sibi incommodum, & periculosum, & in quo corpus simul & animam perdant. Fuerit sanè aliquod hujusmodi bellum: crebra esse potuisse non videtur.

Iis, quæ religionis causâ inita sunt, religio ipsa, & sic veritas, aut error vix maxima fuit; indeque pro aris, quam pro focis atrociùs certatum est. Quoties similiter in proprios Principes arma moventur, errore primùm latissimè imbuuntur populi aut inepti regiminis, aut tyrannidis, speque multa fœlicitatis fallacissimè inescantur; nec nisi ita decepri moventur, ut ex historiis defectionum, bellorumque civilium constat, & satis erit ad confirmationem nostræ ætatis perfricare memoriam. Mahometanos is error, quo in prælio cadentes rectâ in suum paradisum ire credunt, tam fortes facit, atque obstinatos. Universim verò ad bella quæque libelli, ac manifesta, ut vocant, præmitti solent, atque vulgari, quibus fucus fiat, & dubitantes saltem teneantur mox parere Principi.

Certe tum dubitantes de natura, & providentia Deorum Philosophi; tum etiam Atheisrissimi ipsi religionem tollere non sunt ausi, quid eam effictam saltem, ac simulatam necessariam arbitrati sunt, quasi aliter in officio contineri populi nequeant, ut vel ex ipso Machiavello, & religiosiùs ex Tullio *de nat Deor.* & aliis cernitur. Difficilius porrò est, contra religionem, & conscientiam,

tiam, quam præter continen populos, & multitudinem, cum in altero nihil juvet, terreat etiam in altero, & reluctetur pietas ipsa, atque conscientia. Quarè nulla, aut rara bella extitisse videntur in quibus vel omnes, vel plerique contra conscientiam decertarint. Hoc ergo ingens adeò malum regnorum, & gentium ex ignorantia, & errore plerumque saltem illatum est.

QUÆSTIO II.

Ergo necesse fuit, ignorantias, & errores à Deo prohiberi.

Generalis nunc est sermo, nec quas ignorantias, & errores necesse fuerit prohiberi, hic determinamus, quod *insequentibus* fiet.

Illico tamen reluctari quidam incipient propter illud, quod totam penè de ignorantiis, & erroribus doctrinam transvexit, & à nobis luculenter etiam exponendum; dicunt enim si non fignanter, modo saltem ipso philosophandi, nihil prohiberi à Deo, vel ab alio posse, quo non sit voluntarium, & liberum: at ignorantia non est voluntaria; minus autem error; nam omne voluntarium est præcognitum: error verò non est præcognitus, quin veritas esse existimatur, nec alioqui erraremus. Verum ut hoc difficile esse haud negamus, falsum tamen esse, omnes aut verbis, aut factis contestantur; cum omnes ignorantiæ supinæ, & affectatæ distinctionem ponant, omnes rursus ignorantiam aliam invincibilem, vincibilem aliam constituant, nec utramque confundant: & similiter etiam scientiam erroneam. Hoc ergo, quod omnibus est solvendum, nunc loco intactum relinquamus.

§. I.

Probatio conclusionis, & illationis.

Necesse fuit ad rectam gubernationem hominum aliqua à Dei prohiberi, puta furta, adulteria, homicidia, mendacia, usuras, simonias: ergo necesse fuit, ignorantias, & errores prohiberi. Hæc consecutio dupliciter ex *qu. præc.* elicitur.

Primò quidem a fortiori, qui ignorantiæ, & errores majus malum sunt hominis quod se, quoad Deum & proximum, & quoad Ecclesiam, & civitatem, & communitatem quamque, quam homicidia furta, adulteria, simoniæ, & usuræ, ut fuit ostensum. Sed ad rectum regimen hominum necesse fuit minora ista mala, & præjudicia prohibere, quibus impunè concessis nec singulorum, nec civitatis, aut regni salus constaret, & deterior esset societas hominum, quam ipsarum ferarum; quod quia omnes concessuri videntur, non prosequor. Ergo à fortiori ad rectum regimen hominum necesse fuit ignorantias, & errores prohibere. Nec verò est, cur hic eam quæstionem ingrediamur, quæ inter S. Thomam est, & Scotum *in 3. dist. 37.* & *1. 2. quæst. 100. art.* 8. an Deus dispensare queat, secùs in præceptis secundæ tabulæ: prævaluit enim veritas apud omnes, quod illa mala sint intrinsecè talia: & indispensabilia constituit, in quibus argumentatio nostra conficitur. Nec denique & si necessitatem neget, negat tamen congruentiam. Nobis porrò sufficit, sic fuisse vel necessarium, vel congruens ignorantias, & errores prohiberi, quemadmodùm ad rectum regimen hominum cætera illa prohibere, necesse, vel congruens fuit.

Secundò probatur illatio; quia prohibitio reliquorum vim, & effectum habere nequit non prohibita ignorantia; & errore; nam lex omnis, & prohibitio media sui cognitione effectum suum consequitur, & finem v. g. vitationem malorum prohibitorum: lex ergo prohibens mala illa, jubet sano, & præscribit sui cognitionem, & notitiam; prohibetque pro inde ignorantiam, qua finis, & effectus impeditur; magis autem errorem, quo mala illa tanquam non prohibita, quin tanquam bona, & præcepta perpetrarentur. Undè in debito faciendi. (ut rectè Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. num.* 15. concludit) intrinsecè includitur debitum sciendi.

Etenim universim sicut voluntas quæque finis est formalis, vel virtualis amor mediorum, & odium impedimentorum; ita voluntas præceptiva vel intentiva boni virtutis, vel remotiva mali est voluntas eorum, quæ sunt necessaria, & odium impedimentorum: & stulta esset omnis voluntas, & lex jubens bonum, & concedens, ac permittens impedimentum; esset enim secum pugnans, seque interimens voluntas, & lex: quo ex loco fidenter ubique & Philosophus & Theologus argumenta promit.

Quarè nemo advertenter dicere potest, præcepto audiendi sacrum obligari quem, ut domi non remaneat, sed templum vadat, ubi sacrum peragitur, sed licere sibi domi remanere: sic est in præcepto eleemosynæ, & in omnibus. Quia scilicet impossibile est, aliquid præcipi, aut prohiberi, & id simul concedi, & licere, quo posito aut res præcepta non fiet, aut prohibita non vitabitur. Sed sic se habent ignorantia, & error ad præcepta omnia affirmativa, & negativa. Ergo eorum ignorantia, & error licita esse nequeunt Alioquin unicum ad innocentiam secundam compendium omnium ignoratio foret, & in hoc esset enitendum, ut lex omnis ignoraretur, omnisque memoria raderetur à corde nostro.

Fieri quidem casu potest, ut malum prohibitum viteiur citra & præter providentiam legislatorum. Ostensum est siquidem, vel assumptum, pertinere ad rectum regimen Dei mala prædicta prohibere, ut vi, & directione Dei, & non casu viteniur; immineat etiam pœna non vitantibus: quarè legis est vi directiva pollere. Ergo ut mala illa tum tutius, & sæpiùs, tum ex directione legis, quoad legislator intendit, vitari possint, necesse est, ignorantiam, & errorem prohiberi, quemadmodùm cætera impedientia. Inde etiam est, quod magna quoque pericula violandi legem, ipsius extinctionem, ac similia sint per legem ipsam prohibita.

Illius hinc mirere inscitiam, qui fidentissimè ausus est quærere, quonam Decalogi præcepto opinionum probabilium usus prohibeatur? Obvium scilicet orat omnes falsas opiniones probabiles sive laxantes, sive restringentes in unaquaque materia esse prohibitas aut præcepto, præceptis in ea materia latis, tanquam impedientes, ac frustiantes finem eorum, ac effectum omnem. Dicat Theologus iste, quonam Decalogi præcepto sit prohibitum, ne quis in omnibus biblus, aut in quibus poterit, radat, aut comburat, quod scriptu est, *non mæchaberis*? hæc quippe lex dicit, non me deleas, aut comburas, aut extinguas, sed *non mæchaberis* dicit. At Leges, credo, non in eum finem latæ sunt, ut in libro scriptæ permaneant, sed ut adimpleantur.

Hoc

Hoc autem impeditur, & tollitur falſa opinione, & errore aliquandò in tota civitate, aliquando etiam in regno, quin ferè in omnes pervadunt, ac in mores etiam convertuntur maximè laxæ opiniones. Ex quo quantum malum tanta multitudo falſarum opinionum intulerit, infrà dicetur.

§. II.

Facti illationis comprobatio.

REprehendendus fortè videor, quod in rebus claris tam multus exiſtá; ſed qui ignorantias, & errores non magni fieri cerno falſas item, & veras opiniones, modò, ut vocant, ſint probabiles, in eodem quoad mores loco reponi, multas eſſe non poſſum in oſtendendo, vel prædicando, legibus omnibus ipſarum ignorantiam, magis autem errorem prohiberi.

Inde Dominus *Deuter.* 11. tantoperè legis ſcientiam, & memoriam commendavit: *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros ut illa meditentur, quandò ſederis in domo tua, & ambulaveris in via* &c. *Scribes ea ſuper poſtes, & januas domus tuæ*, &c. Hinc Phariſæorum mos ille jactantior verba legis ſcripta circumferentium. Eadem de cauſa *cap.* 4. præceptum eſt nihil addere, aut auferre verbis legis: ignorantiâ autem fit ablatio, errore verò additio: vel utrumque & *c.* 5. jubetur, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare, ſed viam ambulare, quam præcepit Dominus; quæ ab ignorante & errante ſervari nequeunt, & errore quolibet ad alterutram partem declinatur: & *Jobi* 21. iniquorum vox illa eſt: *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Pſalmi pleni ſunt laudibus eorum, qui memores ſunt mandatorum, quia ea norunt, & intelligunt, meditantur, quærunt, in medio cordis habent; & hæc uno verbo eſt ſcientia ſanctorum; hæc ſapientia populi, *hæc eſt enim ſapientia veſtra* (*Deut.* 4.) *& intellectus coram populis, ut audientes univerſi præcepta hæc dicant? en populus ſapiens, & intelligens, & gens magna*; cujus ſapientiæ neceſſitas, excellentia, & laudes *in libr. proverb. Eccleſiaſtes, & ſapien. & Eccl.* cumulatiſſimè referuntur, & nos decurſu permulta dabimus.

Horum & aliorum idem ſcopus eſt, atque legis ipſius, quæ niſi ſciatur aut oblivioni tradatur, obſervari planè nequit, adeò ſanè, ut Iſidorus legem legendo dictam exponat lib. 1. Etymol. cap. 10. quarè naturæ ſenſu legislatori cuique notum fuit, legem ſuam, ut prodeſſe poſſet, promulgari oportere; quia alioqui in notitiam hominum devenire nequit; ac pro indè neque prodeſſe. Sicut ergo, ſi quandò Legislator tenetur etiam promulgare; & niſi promulget, fruſtra condit ex 1. 2. *qu.* 70. eodem pacto qui lege jam promulgata ad aliquid tenetur, tenetur etiam ad ejus cognitionem: ignorantia ergo, & error ſunt ei prohibita.

Hinc inter Chriſtianos ſanctum eſt omnes, & ſingulos, cum ad uſum rationis evadunt, teneri aliqua ſcire, nec licere ignorare: indè Patrum obligatio filios, & filiam inſtituendi; major Parochorum, certè univerſalior: maxima Epiſcoporum, qui ſpeculatores etiam poſiti ſunt, & de manu ejus requiretur anima, quæ per ignorantiam perierit. Hoc ex loco tota obligatio doctos Parochos, & Paſtores providendi ſimiliter etiam in judicibus, medicis, ac cæteris officiis: indè indocti doctos conſulere tenentur. Quod ſi ignorantia, & error licerent, hæ unâ omnes contra ſenſum omnium obligationes ceſſarent, & caderent. Uni ignorantiæ, & errori depellendo in Eccleſia proviſi doctores; ipſa Eccleſia conſtituta firmamentum & columna veritatis; conceſſa infallibilitas in doctrina, atque poteſtas prævalendi adverſus inferi portas, & errores, & hæreſes. Univerſam uno verbo ſcripturam accipe, & quorſum ſcripta ſit, quære: & Paulus *ad Rom.* 15. reſpondet: *quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Ut ſcirentur ergo, & ſic opere compleri poſſent.

Nemo ita eſt inſanus, qui neſciat, ſcelus futurum graviſſimum, ſi ſcienter in lege Dei falleret proximum, & diceret vel abſolute, vel huic, & nunc licere aut mendacium, aut fornicationem ſimplicem. Video ſanè mendacii hujus ipſius turpitudinem permagnam: at poſt irreverentiam in Deum videtur, gravitatem præcipuè ſumi ex malo illato proximo, quod malum in eo ſitum eſt, quod mala credat bona, & erret: Undè & *væ* ſcriptum eſt dicentibus malum bonum, & bonum malum, hoc eſt ignorantibus, & errantibus in rebus præceptis, vel ſi activè eſt accipiendum, facientibus ignorare & errare. Quod idem *væ* denunciavit etiam Dominus Doctoribus legis Ducibus cæcis, & cæcorum. Ac denique quod inferiùs magis tractabitur, omnibus per Apoſtolum denunciat qui ignorat, ignorabitur.

Omnes illas quæſtiones percurre quæ de lege in comuni ſunt, & de diverſis legibus *in* 1. 2. *q.* 70. de earũ fine, de utilitate, neceſſitate, eſſẽtia, & munere.

Omnia varia fiunt, impunè liceat ignorare & errare. Nam quoad omnia illa lex in eorum ignorata eſt, in totum quaſi non eſſet; nihil obtinet, non regulat, non dirigit, nec inducit bona, nec impedit mala; & ignorata in parte, vel ab aliquo, quoad hunc, & in ea parte fruſtrantur omnia: & civitas, vel homo ignorans legem eſt, ſicut civitas, vel homo ſine lege. At legem caſſare fruſtrareque non licet, & bona legis omnia tollere. Ergo neque ignorare. Minus ergo errare; nam errore inverſè cuncta odrinantur, & fiunt: quemadmodum ſi ufficiis, & in emptione, & venditione, ac in aliis artibus aut nulla regula, quod ignorantium eſt, uteremur; aut uteremur in verſa, & in vendendo non is, qui emit, ſed venditor ipſe pretium quoque exolveret. Hinc nemo Theologorum eſt, qui ad diligentiam aliquam ſciendæ, cognoſcendæque legis non obliget? de cujus diligentiæ quantitate, & modo infrà tractabitur. Nunc quandoquidem res iſta ſatis videtur communita, omnibus item probata, ab ulteriori probatione ne deſiſto.

§. III.

Ignorantia ergo, & error aliquandò in ſe, & propter ſe, aliquando in alio, & propter aliud prohibetur.

INfertur itaque, ignorãtias aliquas, & errores in ſe, & propter ſe; alios, & alios non in ſe, nec propter ſe, ſed in alio, & propter aliud prohiberi. Hoc punctum tractant quidem Theologi ſub aliis terminis de peccato, vel non peccato, & an ignorantia, & id, quod per ignorantiam committimus, ſint unum, an duo peccata, noſque cum illis paulò inferiùs ſub iiſdem id terminis retractabimus, & quæ ad eos terminos pertinent de numero, & ſpecie peccati, exponemus.

Nunc ut res ab origine duceretur, ac doctrina

esset

esset magis perspicua, intulimus conclusionem jam positam. Etenim *§. ex qu. pr.* assumpsimus, ignorantias aliquas, & errores esse malum magnum hominis & quoad se, & quoad Deum, & quoad proximum, quod malum necesse fuerit prohiberi. Explicatum scilicet fuit *qu. prac.* quantum monstrum sit homo v. g. ignorans Deum suum, aut non Deum habens pro Deo. Hoc diximus majus malum esse in se, quam mala pertinentia ad exteriora, & ad salutem, & vitam. Quarè propter vitam servandam licet bona exteriora, & merces in mare projicere, item, manus, & membra per medicinam secare: at Deum suum negare, aut non Deum Deum concedere, nec propter vitam servandam licet, ut totus Martyrum fusus sanguis commonstrat, etiam si nullum indè malum aliud sequi deberet. Quarè ignorantia Dei, & error sunt malum cæteris illis majus in se, & seorsim ab omni alio malo consecuto; & pejor est civitas ignorantium Deum, quam latronum. Ergò à fortiori necesse fuit malum istud prohiberi in se, & propter se. In quam propter se, id est, non propter aliud consequens malum: de cætero omnia bona, & vitatio malorum in finem ultimum ordinantur, atque in alios intermedios.

Exponitur magis. Diximus hominis ipsius primum, & præcipuum ordinem esse ad Deum suum: ordinari proindè eum debere per suas etiam potentias, quas inter ordine primum locum, & dignitate etiam præstantissimum intellectus occupat. Hujus ordinis & totius reliqui fundamentum est vel vera fides, vel vera saltem aliqua cognitio veri Dei. Quamobrem sicut quia homo ordinandus rectè fuit ad hominem, necesse fuit, furta, & adulteria prohiberi tanquam contraria recto, & debito ordini hominis ad hominem, nec furtum prohiberur propter malum aliud, sed in se, & propter se: sic à fortiori necesse fuit, ignorantiam Dei, & errorem prohiberi in se, & propter se tanquam contrarium recto, & debito in primis ordini hominis ad Deum. Qui autem putaret, necesse fanè fuisse, hominem institui & rectè disponi ordinem debuisse per legem; non autem sic hominis ad Deum, hic quid sit Deus, & quid homo sine Deo, non satis capit, & miserendus magis est, quam in quæstionem admittendus.

Hinc verò de facili judicatur de aliis etiam ignorantiis, & erroribus vel circa Deum, vel circa nos ipsos, vel circa proximos. Seorsim enim à malo alio est suus rectus ordo intellectus ad Deū etiam in aliis præter solam cognitionem, & notitiam ejus; est quoque rectus ordo, vel quasi ordo ad nos ipsos, & ad proximos, & sicut oportet; voluntatem ipsam rectè ordinari quoad hæc omnia, sic etiam oportet intellectum esse rectè ordinatum. Hinc nimia existimatio nostri, ignorantia quoque; minor existimatio proximi, suspiciones non fundatæ, judicia temeraria, & alia sunt prohibita in se, & propter se tanquam contraria debito ordini nostri ad Deum, ad nos, & ad proximum.

Contra verò ignorantiæ aliquæ, & errores non in se, & propter se, sed in alio, & propter aliud prohibentur. Sicut enim est suus rectus ordo intellectus in se, cujus privatio est malum; sic etiam est suus rectus ordo in aliis, ut voluntatis, sensuum, & aliarum potentiarum; cujus debiti ordinis privatio sit malum vel privativum, vel positivum. Quoties ergo cognitio ordinatur ad rectum ordinem non intellectus in se, sed aliarum potentiarum, tunc ignorantia, & error non in se, nec propter se, sed in alio & propter aliud prohibentur. Sic ignorantia, vel error legis de debito solvendo, de restituendo, de non occidendo, mentiendo &c. prohibentur præcepto, & lege solvendi, restituendi, non occidendi non mentiendi &c.

Sic etiam est in voluntate; nam velle mentiri non est malum quasi propter se; sed quia mendacium est malum, ideò voluntas est mala, & non vice versa, ut loco suo sapientiores tenent, & declarant; & sic de voluntate occidendi, furandi &c. quarè per quod prohibetur mendacium, & in ipso mendacio prohibetur voluntas mendacii. Indè si ad aliquem pertinere nunquam posset restitutio, vel solutio, ignorantia in eo esset, tamquam ignorantia non pertinentium ad mores nostros, sed ad alios quia horum cognitio non est debita propter se, sed propter aliud. Quia tamen est suus prætereà ordo voluntatis ad Deum, ad nos, ad proximum; ideò non amor Dei, vel odium; non amor nostri, vel amor nimius; similiter etiam proximi sunt mala in se: & prohibita in se, & propter se: quia se ipsis sine respectu ad malum aliud privant voluntatem ordine recto, & debito. In hunc ergo eundem modum de ignorantiis quoque, & erroribus discurrendum est, & constituendum; & alia ex aliis facilè declarantur; & intelliguntur; & quæ hic desunt, *infrà* constabunt.

QUÆSTIO III.

Ergo ignorantia, & error aliquando sunt peccatum, aliquando solum causa peccati.

HÆc consequutio ex dictis est legitima. Prius tamen ad majorem perspicuitatem, & distinctionem aliquas ignorantiæ divisiones, quas omnes ponūt, & declarant, breviter indicabimus.

§. I.

Quid, vel quotuplex sit ignorantia quoad præsens?

DIvus Thomas 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. & cum eo communiter Theologi ignorantiam definiunt ex Dionys. privationem scientiæ eorum, quæ quis aptus natus est scire: atque hoc pacto ignorantiam à pura nescientia secernunt. Quoad præsens ibidem pressiùs definitur privatio scientiæ debitæ haberi. Plura namque apti nati sumus scire, quam teneamur, ut Geometriam, Musicam, Philosophiam scire singuli, vel plerique possunt; non tamen tenentur quarum proindè inscitia quoad præsens nescientia magis est, quam ignorantia. Quoniam verò privationi scientiæ debitæ error quoque sæpè accedit, quo positivè erratur, omnes ignorantias distinguunt in ignorantiam puræ privationis, quando scilicet adest sola privatio scientiæ debitæ, & in ignorantiam pravæ dispositionis, id est, erroris positivi. Ignorantia puræ privationis: censes, eas esse bonas: est pravæ dispositionis.

Dicitur *privatio scientia*, & non cognitionis cujusque: nam in non advertente, & in non considerante; in eo etiam, qui obliviscitur, datur privatio debitæ cognitionis; non tamen ignorantia. Puras te obligari ad attentionam in faciendo sacto, aut in recitando: & non attendisti: defuit cognitio debita: nec tamen id ignorasse dicere: & sic

sic etiam est, si oblivisceris id facere, quod benè no isti. An verò ignorantia quoad præsens sit privatio solum habitus, an solius actus, an utriusque simul, & quo ordine, inferius exponitur.

Hinc patet, eam ignorantiæ divisionem, qua in invincibilem & in vincibilem eam distribuunt, non esse divisionem ignorantiæ hoc modo, sed latiùs, & laxius acceptæ invincibilis, si quidem ignorantia est eorum, quæ scire vel non possumus, vel saltem non tenemur ad torum illud studium, quo adhibito sciri poterunt. Data ergo ignorantiæ definitio est ignorantiæ vincibilis: nam impossibilia non sumus apti nati scire: eorum rursùs, quæ sciri absolutè possunt, tanto tamen labore non tenemur, non est scientia debita: ergo nec ejus privatio est privatio scientiæ debitæ.

Jam ignorantiam comparant omnes, & ad voluntatem ipsam, atque ad actum ejus aliquem, vel omissionem quæ ignorantiæ causa fuerit: & ad actum voluntatis, cujus ipsa ignorantia causa fuerit, vel non fuerit. Primo sensu ignorantia adæquatè dividitur in antecedentem & consequentem. Antecedens est quam seorsim ab omni actu debito, vel omissione voluntaris incurrimus; & hæc coincidit cum ignorantia invincibili: non enim est privatio scientiæ debitæ: nam ad scientiam debitam possumus, & tenemur, ut ad debita omnia, cum præcepta non sint de impossibilibus nec seorsim à libera voluntate, vel omissione iis caremus; ad quæ tenemur, & obligamur.

Quarè definitio ignorantiæ pressè sumpta solum congruit ignorantiæ consequenti, & cujus voluntas ipsa aliquo suo actu, eoque libero, vel omissione causa extiterit. Cajetanus eo *art.* 2. nonnihil contradicere videtur. Sed in re ipsa intenta non est discrepantia: atque ideo ex D. Thoma, & aliis explicationem datam confirmare prætermitto, cum parùm nostra intersit ignorantiam etiam invincibilem, & prorsùs antecedentem sub definitione ignorantiæ debitæ explicata comprehendere.

Comparando verò ignorantiam ad actum alium voluntatis, cujus ipsa est, vel non causa, distinguunt eam in antecedentem, quæ est causa actus, ad quem comparatur, & in comitantem, quæ non est causa; & in consequentem; quæ potius est effectus actus illius. Unde potest eadem ignorantia esse antecedens & consequens quoad diversos actus voluntatis (omissiones etiam intellige) & ignorantia inducta per unum actum esse causa alterius. Est autem tunc ignorantia absolutè & simpliciter consequens; antecedens verò secundum quid, & quoad actum aliquem.

Ignorantiam istam consequentem dividunt in affectatam, quæ tunc datur quandò quis directè vult ignorare ea, ad quæ tenetur, ut in eis, qui ajunt, recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus; & in crassam, & supinam; quæ tunc datur, quando quis negligit ea scire, quæ debet: quod quia ex desidia oritur, & crassi desides esse solent, & pigri, crassa dicitur; item supini ex iis, qui supini jacent, vel dormiunt. Et hæc origo ingens plurimarum ignorantiarum: quia in rebus animæ plerique nimis existimus negligentes.

Denique ex rebus ipsis ignoratis ignorantia dividitur in ignorantiam juris, & facti. Et quoniam lex, & jus sunt universalium; facta autem particularia, & in singulari, antiqui Theologi ignorantiam juris vocabant universalem; facti autem particularium, seu singularium, & particularē.

§. II.

Indubitatum est aliquam ignorantiam esse vel peccatum, vel causam peccati.

VT Theologorum omnium mentem complecteter, conclusionem sub disjunctione posui; nam alii causam peccati, peccatum alii ignorantiam constituunt; Dum verò de ignorantia puræ privationis est sermo, norant causam peraccidens intelligendam, & tanquam removentem prohibens, scilicet scientiam, & cognitionem. Hæc conclusio patet *ex* 3. *Ethic.* 3. & ex Theol. *in* 2. *sent. dist.* 22. & 39. & *in* 3. *dist* 25. & 1. 2. *quæst.* 6. & 17. & 76. & ex summistis ver. *ignor. verbo hæresis, & aliàs.*

Valentia 1. 2. *disp.* 6. *quæst.* 1. ait: Et quidem quod ad ignorantiam attinet, ex fide certum est, eam aliquo tandem modo esse quandoque causa peccati: & probat *ex num.* 15. *Si anima nesciens peccaverit.* &c. & *Actor.* 3: & 1. *ad Corinth.* 2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* & ex 1. *ad Thimoth.* 1. *misericordiam à Domino consecutus sum, quoniam ignorans feci in incredulitate* &c.

Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 17. ait; Imò esse aliquam ignorantiam non prorsùs à culpa excusantem, sed illam minuentem, est de fide. Ratio est, inquit, quia quod ignorantia vincibili latet, est voluntarium, & si indirectè. Et addit, omnes fateri conclusionem istam non solùm de ignorantia vincibili consequente, sed etiam de comitante. Vasquez *disp.* 117. *cap.* 2. inquit, eam ignorantiam, quæ tollit scientiam, quæ aliàs prohiberet opus, causam esse per accidens peccati, omnibus compertum est.

Patet nunc hęc conclusio ex solis titulis quęstionum Theologorum v. g. 1. 2. *quæst.* 76. nam *art.* 1. quæritur, utrum ignorantia sit causa peccati? & de aliqua ignorantia affirmatur & nemo ibi repugnat: *art.* 2. quæritur, utrum ignorantia sit peccatum? & à S. Thoma asseritur, & qui dissentiunt, nequeunt dissentire de omni prorsus ignorantia, sed solùm de prohibita in alio, & propter aliud: *art.* 3. quæritur, utrum ignorantia diminuat peccarum; & de ignorantia crassa, & supina omnes cum D. Thoma affirmant. Quę vana sunt, si ignorantia nec peccatum est, nec causa peccati.

Rursùs quia si ignorantia nec peccatum esset, nec causa peccati, ideò sanè esset, quia vel omnis ignorantia foret involuntaria, & omnis item tolleret voluntatium ab actu per ignorantiam, & ex ignorantia facto. Sed hoc non ita est, ut nos infrà exponemus, & docent Theologi 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8, & simul tractant, an, & quę ignorantia minuat voluntarium, & nemo est, qui asserat, omnē prorsùs ignorantiam esse involuntariam, & reddere involuntarium actum ex ipsa causatum. Ergo ignorantia aliqua peccatum est, vel causa peccati.

Iterum Theologi omnes conscientiam distinguunt in rectam, & erroneam: & nemo ait, omnē conscientiam erroneam excusare à peccato: ergo sequi potest peccatum, & culpa ex aliqua conscientia erronea: at omnis conscientia erronea continet, & supponit etiam ignorantiam vel puræ privationis, vel pravę dispositionis, qui in illo conscientia est erronea: ergo ex aliqua ignorantia

tia sequitur peccatum, & culpa: aliqua ergo est causa peccati. Quod si conclusio posita vera non est, & tenenda firmiter, negent categoricè, & deleant hæc omnia, & alia, & aliam 1. 2. conficiant.

Similiter ex titulo 2. 2. tanquam ex locis publicis, & notoriis eadem conclusio comonstratur. Etenim qu. 10. art. 1. quæritur, utrum infidelitas sit peccatum? Et ajunt omnes, art. 3. quæritur, utrum sit maximum peccatorum? & à D. Thoma, & communiter tenetur, majus saltem esse peccatis omnibus, quæ virtutibus moralibus opponuntur. Quæ essent de subjecto non supponente, & prorsùs vana, infidelitas non esset peccatum. Idcirco & de hæresi; quæ infidelitatis species docetur quæst. 11. art. 1. supponunt omnes esse peccatum, quod pœnæ demonstrant. At infidelitas, & hæresis contrariantur fide, & consistunt vel in privatione fidei debitæ haberi, vel magis in errore contrario. Inde ea quæst. 10. quæst. art. 2. traditur infidelitatem, sicut & fidem, esse in intellectu tanquam in proprio subjecto: & 1. 2. qu. 74. art. 5. universim traditur, peccatum posse esse in ratione tanquam in subjecto: in quo enim esset actus præceptus, in eo est etiam privatio, vel actus contrarius. Sed evidens est, fidem esse in intellectu tanquam in subjecto. Ergo & infidelitas. & hæresis. Eodem modo ex communi sententia obligati sumus exercere demùm aliquandò actum fidei; cujus proindè privatio est peccatum. Ergo ignorantia, aut error est vel peccatum, vel causa peccati.

Sic sunt multi alii in 22. ex quibus liquet, ignorantiam, & errorem esse vel peccatum, vel causam peccati ut quæst. 46. art. 2. quæritur, utrum stultitia sit peccatum? & asseritur: & quæst 53. docetur, imprudentiam peccatum, & speciale peccatum esse; & similiter de inconsideratione. Hæc autem in ignorantia, vel errore consistunt, suntque similia multa per 2, 2. Ergo sicut prius.

§. III.

Ignorantia ergo, & error, ut illatum fuit aliquando peccatum sunt, aliquandò causa solùm peccati.

Ostensum fuit quæst. præc. ignorantiam & errorem aliquandò in se, & propter se prohiberi, aliquandò non in se nec propter se, sed in alio malo, & propter aliud. Unumquodque porrò sic est, vel non est peccatum, quomodo est prohibitum: Ergo ignorantia, & error sunt aliquandò peccata in se, & propter se: aliquandò non in se, sed in alio, & propter aliud. Inquam, aliquandò, id est, ignorantiæ aliquæ, & errores sunt peccata in se; aliæ ignorantiæ & errores in quo, & propter quod prohibentur juxta declarata quæst. præc. Primi generis sunt ignorantiæ, & errores privantes immediatè intellectum nostrum recto, & debito ordine in se: secundi generis sunt quando potentias alias, earumque actus eo ordine privant, vel ipsum intellectum mediatè.

Hinc nulli dubium esse potest, ignorantiam rerum fidei, quæ sunt de necessitate, esse peccatum; quemadmodum sunt peccata non honorare Parentes, non solvere, non restituere, sacrum non audire. Similiter esse peccata errores fidei, & articulis ejus contrarios, infidelitatem, hæresim, &c. quæ quippè, & similia intellectum debito ordine privant, immediatè, & seipsis, sunt mala, & prohibenda in se, & propter se, & non in alio, & propter aliud malum quod ex ignorantia, vel errore consequeretur.

E contra ignorantiæ aliæ, & errores non sunt mali in se, nec propter se, sed propter consequens malum, propter quod proindè vitandum, & in quo prohibentur. Sic est ignorantia, & error, quibus furtum, adulterium, homicidium, usuræ, simoniæ nesciuntur esse mala, quin existimarentur esse bona.

Ex quibus cernitur ratio, quare S. Thomas non unum, sed duos articulos fecerit qu. 76. & in 1. quæsierit, utrum ignorantia sit causa peccati, & affirmavit, & in 2. utrum sit peccatum? & etiam affirmaverit. Nam utrumque est verum.

Conciliari etiam posse videntur opiniones contrariæ Doctorum; nam ut habes apud Vasquez disp. 118. c. 1. & 2. Alexander, D. Bonaventura, ac multi alii tenent, ignorantiam ipsam in se esse peccatum, & intelligi possunt de primo genere ignorantiæ: Vasquez ipse cum Cajetano, Conrado, & aliis tradit, peccatum non in ipsa ignorantia, sed in negligentia, & omissione diligentiæ ipsios consistere. Et hi utique de secundo genere ignorantiarum loquuntur; & ignorantiam debitæ fidei infidelitatem, & errores in se ipsis peccata esse constituunt: & non solum in negligentia interiori, vel exteriori, ut patet in Vasquez disp. 117. cap. 3. & in omnibus in locis propriis eorum peccatorum. Azorius lib. 1. c. 12. §. Ergo tamen, existimat, ignorantiam aliquandò esse per se peccatum, qualis est ignorantia credendorum addic etiam agendorum, licet subdat ignorantiam istam non aliud, sed unum peccatum esse cum ipso actu, vel omissione consequente, ut est sententia S. Thomæ, & aliorum.

Ne itaque interturbem doctrinæ rectam seriem; hoc nunc omitto de uno, vel pluribus peccatis tractandum inferius: exactiorem item conclusionis positæ, & satis statutæ declarationem: infrà enim traditur, quomodò ignorantia & actus, vel omissio subsequens sint peccatum, ubi constabit, quomodò non semper peccemus, quandiù ignoramus: quomodò rursus possit, vel non possit tolli, remittique peccatum non ablata ignorantia, & alia huc pertinentia.

Sed in quamdam his, & ubique recentissimam sanè Theologiam ostendemus, quæ omnia fermè per libertatem explicat de subjectis, & causis peccatorum ordine non dissicit, sed uni libertati intenta, quidquid extra voluntatem est, peccatum esse vix intelligit. Inde homicidia, furta, & scelera ipsa solùm denominativè mala esse, & peccata, id est, non verè, ac propriè talia edocee laborat indè, cur ea confiteri teneamur, & dicit mirabilia & quod summum est hominem etiam ipsum solùm denominativè, hoc est in ipsorum sensu, impropriè, non propriè, ac verè peccatorem esse, & malum, & homicidam, & furem arbitrantur: tanta prætermissis principiis subnascuntur. Hinc istæ nostræ quæstiones, & Doctorum vix apud ipsos sensum habent, & locum; quia ignorantia, & error, cum non sint actus voluntatis, neque omissiones, peccata esse nequeunt, & ista tam explorata habent, nec dubitent quidè.

Nos tract. de merito ista explosimus, & docuimus, actus exteriores esse verissimè, ac propriissimè bonos, & malos, & peccata. Iterùm ordo doctrinæ nos coget infrà aliquid de hoc dicere. Nunc nobis satis, si cencedant, ignorantiam, & errorem esse aliquandò peccata, quemadmodum sunt peccata mendacia, furta, adulteria, non restitutio &c. & aliquandò causam peccati vere, ac

proprietalis. De voluntarietate porrò, ac libertate, per quam non ritè acceptam cuncta resolvunt, dicetur loco suo.

Doctrina ista tota illustratur ex iis, quæ S. Thomas 1. 2. *quæst. 74. art. 5.* exhibet, ut ostendat, peccatum posse esse in ratione tanquam in subjecto proximo. Habet enim ratio, ait, duplicem actum: Unum quidem secundum se in comparatione ad proprium objectum, quod est cognoscere aliquod verum. Alius actus rationis est, in quantum est directiva aliarum vitium. Utroque igitur modo contingit peccatum esse *in ratione*. Hæc ipse: primi generis peccatum est peccatum secundum se: secundi generis peccatum est unum peccatum cum actu, vel omissione actus aliarum virium, & ex S. Doctore dicemus.

At ratio non solùm est directiva aliarum virium, sed sui quoque, & aliquos suos actus dirigere debet per alios priores. Ponamus v. g. dari obligationem attendendi mentaliter ad officium, vel ad sacrum. Non attentio est privatio actus intellectus; & nasci potest ex privatione, & ignorantia alia, qua nescitur ea obligatio attendendi per omissionem voluntariam. Tunc de ista ignorantia obligationis attendendi eodem modo est tenendum, esse, vel non esse peccatum, distinctum, vel unum cum ipsa non attentione, atque de ignorantia rerum ad alias potentias pertinentium: nam ignorantia obligationis attendendi nō privat immediatè, & se ipso intellectum actu debito qui est attentio; sed per non attentionem causatam.

Quod porrò de ignorantia, & errore, hoc idem quoad præsens est habendum de oblivione, de non attentione, non consideratione, aliisque privationibus actuum debitorum intellectus, ut modo visum est de non attentione, & infrà rursùs dicitur, hæc enim omnia sunt voluntaria, *secundum quod voluntarium dicitur, quod est in potestate voluntatis, ut non agere, non velle; similiter autem & non considerare*, inquit S. Thomas 1. 2. *quæst. 6. art. 7.* *Nec mirum est*, ait *in 2. dist. 22. qu. 2. art. 1. si hoc ipsum, quod est scientia carere, est peccatum ei, qui potest, & tenetur habere; cum etiam carere aliquo corporali ad officium pertinente peccatum sit ut tonsura, &c. & quod quod ista in se peccata sunt, pœna ostendit* &c. Quarè non est, cur mireris, etsi ignorantia, error, inconsideratio, oblivio res voluntatis non sint.

Ex omnium itaque sensu constare videtur, ignorantias aliquas, & errores esse peccata; alias non excusare; sed causam potiùs esse peccati. Omnes enim in confessionibus quærunt, & examinant, sciantur credenda, an etiam operanda & alia: item an aliquid contra fidem crediderint, an somniis, superstitionibus, incantationibus fidem præstiterint. Hæc ergo, & alia, quæ ad ignorantiam, & errores pertinent, sunt peccata non minus, quam homicidia, &c. & nemo dicet, nos non teneri ad dicenda in confessione similia.

QUÆSTIO IV.

Ignorantiam, & errorem jam peccatum, jam causam peccati esse, omni genere autoritatis de novo stabilitur.

MUltus sum, fateor, & multus ero in ista de ignorantiis, & erroribus stabilienda doctrina; licet enim nullus sub his terminis audeat dicere, ignorantiam, & errorem nec peccatum esse, nec causam peccati, & omnem ignorantiam peccati excusare peccatum, quin contrarium de fide esse, viri sapientes contestati sint, & mea quidem sententia de fide sit expressissima; tamen vel usu, & praxi, vel per alias inconsequentes opiniones videtur abrogata, & deleta tota eade ignorantiis, & erroribus doctrina; & consimiliter de oblivione, in advertentia, & inconsideratione.

§. I.

Necessitas valdè stabiliendi, & divulgandi etiam veram de ignorantiis, & erroribus doctrinam.

VIdetur, inquam, tota illa abrogata, & deleta. Nam multitudinem primùm infidelium, & hæreticorum de facili à peccato excusant, & salvant etiam aliqui, si leges suas custodierint. Nihil rursùs interesse arbitrantur (de culpa loquor) si fideles rustici, ac simplices à Parochis suis accipiant, & credant, personas Trinitatis esse duas, vel quatuor, vel nullas; & siquidem Ario crederent, Filium esse minorem Patre, & inæqualem in essentia sua, & natura; aut Sabellio crederent, personas re esse unam, & tres solùm nomine, & munere mactabantur, & peribant animæ ita credentium, ut perpetuus sensus Ecclesiæ, quod infrà ostendemus, ex Prophetis, & ex Evangelio intemeratè servavit semper: si tamen hos ipsos errores, aut majores, vel plures alios credant Parocho rustici, nihil eis obest, nec nocet, ut existimant. Quod si circa hæreticos excommunicationem, ac pœnas alias producamus, quibus eos ostendamus peccare, pœnas has omnes de multitudine saltem indoctorum ajunt intelligendas in foro externo, non autem interno: indeque ipsi privata sua autoritate similes quosque admittunt in Ecclesiam, nec ab excommunicatione absolvunt, sed à peccatis aliis.

Similiter in doctrina morum, si quis inveniatur, qui se polluat, aut aliud scelus perpetret, quin norit, peccatum esse, quod fecit, eum non peccasse, non solùm existimant, sed indubitatum fermè habent: quin si nullus unquam pupugit scrupulus, mox ignorantiam invincibilem esse, concludunt. Si Parochus ignorans in fide essentialissima decipiat, nihil, ut ajunt, credendo delinquitur. Idem ergo à fortiori erit, si in moribus decipiat, & puellæ persuadeat, vel ob necessitatem gravissimam, vel ob tentationem urgentissimam, cui vix par est resistere, nihil esse, si rarò saltem, & aliquando labatur.

In confessione etiam consuetum est quærere, an quod fecit pœnitens, existimaverit esse peccatum; vel non esse mortale, sed veniale? Si respondeat, se non existimavisse esse peccatum, per hanc suam existimationem mox judicatur, & culpæ innoxius habetur: & similiter de veniali, si veniale esse putatum est. Hinc opiniones multæ *in tract. de pœnit.* pœnitentes in suis ignorantiis relinquendi. Inde si in die veneris carnes comedas immemor diei; fœlix etiam censeris. Inde exigua necessitas doctrinæ in Confessoribus; quia per scientiam ipsam, & existimationem pœnitentium res tota peragitur quoad culpam: circa obligationes verò in futurum ad alios doctiores remitti possunt, aut remittuntur; Suotque hoc genus alia per multa.

Horum origo opinio illa est jam latissimè propagata, quæ tradit, neminem peccare, nisi advertat actu, & cognoscat se peccare. Quare qui ignorat, esse peccatum, aut non advertit, esse peccatū, non peccat. Hoc porrò est dicere ignorantiā, & oblivio-

livionem, & inconfiderationem, & inadvertentiam nec peccatum esse, nec causam peccati: quæ sequela de novo sub his ipsis terminis paulò inferius ostendetur.

De errore autem, maximè verò si benè erretur, & omnis actualis advertentia peccati impediatur, ajunt, non solum non peccari, sed bonam etiam esse, atque meritoriam operationem, si arbitreris te obsequium præstare Deo. Hoc ergo est existimare errores nec peccata esse, nec causam peccati: de quo etiam iterum snb his terminis. Quinimò doctrinam istam adeò habent indubitatam, ut quidam gravissimus Magister, qui operis hujus ipsius censor extitit, in quo eam pro viribus disjicio, existimaverit quidem, me in opinionibus aliquibus fuisse erga ipsum minus reverentem: ad me tamen scribens me ab omni culpa liberum fidentissimè concludebat eo, quod arbitratus essem, me obsequium præstare Deo: quo tamen textu quater, aut pluries utitur S. Thomas ad contrarium, ut non ad scripturam, aut sanctos alios provocem, sed ad scholarum, & obvium, & huic ipsi Magistro percharum Doctorem; quam præstitam fidem solvam infra.

Ex his ego aut conjicio, aut timeo, plerosque eorum orthodoxorum, qui damnantur, sanè damnari per ignorantiam sæpè affectatam, sæpè supinam, & crassam. Communis doctrina Sanctorum, & præstantissimorum Theologorum est, eaq; mihi verissima, ex adultis Catholicis damnari plures, quam salvari. Sunt loca hoc fortissimè persuadentia, de quibus infra nonnihil. Nunc nolim tantum: certè damnantur plurimi: at plerique susceptis sacramentis obeunt; & licet accidat, quod posteà aliqui peccent, hoc frequens esse nullo fundamento persuadetur. Avarus itaque confitetur: si quod furtum commissit, fatetur: de avaritia parum curat, & obit; & avarus regnum Dei non possidebit: obiit similiter superbus, quales non pauci sunt: obiit usurarius, simoniacus: sunt verò tales ob ignorantiam sæpè voluntariam: amicus mundi moritur, & inimicus Crucis Christi. Quò isti eant, scriptura loquitur, nobis tacentibus. Defectu debiti doloris pereunt alii: at plurimi sanè sunt saltem provectioris ætatis, qui in iis, quæ in confesso est esse peccata mortalia, jam delinquere non solent, ut Prælati, ut Magistratus gravissimi, Mercatores plurimi conjugati, Medici, Advocati, Tabelliones, qui intereà corrodunt totam substantiam pauperum, non furto sub hoc termino, sed officio. Undè ergo tot pereunt? Omnium deindè persuasio est, nos non sicut hic, ita in alio mundo, sed strictiùs, & tremendè etiam judicandos. Sunt ergo, supersuntque multa, ob quæ damnari possimus, etiam damnantur, quæ nesciebantur. Ex quibus patet, quanta sit necessitas, rectam de ignorantiis, & erroribus doctrinam multùm stabiliendi, atque etiam divulgandi.

§. II.

Hieroymus, atque Bernardus probant scripturis, ignorantiam esse peccatum, vel causam peccati.

Error fuit Pelagianorum ignorantiam semper excusare, liberareque à peccato, nec sine scrupulo, & conscientia de peccato peccari posse. Ad istum eorum errorem alludit Augustinus *epist.* 105. ad Sixtum, dicens: *humana quippe superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrii excusatum se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat.*

Errorem istum, & alios Pelagianorum expugnat Hieronymus scripturarũ mole immensa tribus libris Dialogorum adversus ipsos. Inducit autem Critobulum sustinentem partem Pelagianam qui *lib.* 1. paulò ante finem sic proponit, & opponit; scilicet Critobolus: *rogo, quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? nescio me peccasse, & ejus rei quam nescio pœnas luo? Et quid plus faciam, si sponte peccavero?* Ecce errorem, non enim sponte, & voluntariè ea fieri, vel committi existimabant, quæ ignorantur, & nesciuntur: & hæc est origo, & radix omnium quoad præsens controversiarum, atque opinionum falsarum.

Hieronymum modò ista disjicientem accipiamus *Ante* (primò inquit) *sententiæ, & dispositionis Dei causas requiris? Respondet stultæ interrogationi tua liber sapientia.* Consultissima sanè, ac per necessaria interpretis legis Dei expostulatio, atque dispositio, quam prohibemus judicare, sed credere, propter quod & loqui; de quo *infrà*.

Errorem mox ipsum conterit (In Levitico (inquit) lex ponitur: anima si peccaverit in conspectu Domini, non sponte ex omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, feceritque, unum ex eis, sive Pontifex fuerit, sive omnis Synagoga, & reliquus populus, & posteà didicerit peccatum suum, quod peccavit per ignorantiam, offeret munus hircum de capris masculum immaculatum, &c. Statimque insequentibus: si tetigerit aliquid immundum, quod non liceat tangere, & fecerit per ignorantiam, & postea didicerit: suæ promiserit aliquid, & fuerit oblitus, pronuntiabit peccatum suum, in quo peccasse se perspicit, & offeret Domino pro iis, quæ peccavit, agnam, &c. & precabitur pro eo Sacerdos super peccato, & dimittetur ei peccatum, &c. Cæteraque his similia, quæ studio brevitatis omitto, ne fastidium stomacho tuo faciam.)

Excursis aliis deindè scripturis arguit ex 35. *ubi sex civitates eliguntur eorum &c. qui per ignorantiam aliquem occidunt:* Inferiùs ex 1. Reg. 11, sic (Jonatas favum mellis gustavit in sceptro, & illuminatis oculis periclitatur, quod nesciens fecerit. Hoc enim scriptura testatur, quod ignoraverit à Patre esse præceptum; ne quisquam gustaret, donec victoria Domini compleretur. In tantum autem iratus est Dominus, ut sors inveniret occultum, & ipse fateretur dicens, gustavi &c.)

Iterum ex 2. *Reg.* 6. *Oza levites cum arca Domini transferretur Hierusalem, lascivientes boves plaustrum in partem alteram declinassent, misit manum, ut sustentaret inclinatam arcam. Iratus est furor Domini in Ozam, & percussit eum Deus ibi pro ignorantia, & mortuus est juxta arcam Dei.* Quid erit de iis, ô Deus, qui omnem avaritiam, atque usuras plurimas sine scrupulo planè, & affectata, vel supina ignorantia exercent, tamen exercent; qui item sine scrupulo, ac remorsu justitia distributiva pro libito fermè, exiguo meritorum examine utuntur.

His tantis, atque aliis scripturis obrutus Critobulus Pelagianus *in Dialogo* respondet *lib.* 2. vetera illa transiisse, nihilque nos attinere. Hieronymus primò eum Manichæismi reum sistit, delentem quippe vetus testamentum. Ex novo deindè eum de novo reiicit, & convellit errorẽ perniciosum. *Si hoc* (inquit) *Pauli testimonio non moveris, audi aliud ejusdem, cui contradicere non potest: nihil mihi*

conscius sum, &c. Mirò, nec me ipsum judico: nihil mihi conscius sum, nec tamen in hoc justificatus sum. Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat: sed quia legerat: delicta quis intelligit &c. & sunt viæ, quæ videntur viro justa, novissima autem earum respiciunt in profundum inferni: & iterum, omnis vir videtur sibi justus; Deus autem corda hominum dirigit, advertò temperavit sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset. Quid hic Paulus, quid Hieronymus dixissent ad quosdam, qui nobis tanquam rem absurdam objiciunt, sequi ex nostra sententia, sanctorum aliquem admisisse, vel incurisse peccatum aliquod ignorantiæ, ut de B. Cypriano sancto planè satis percelebri, & magno, Doctoreque insigni putant, vel timent aliqui ex Augustino in illa sua nimia reprehensione Stephani Romani Pontificis: & Sanctorum utique nullus fuit qui ad se quoque pertinere non arbitraretur illa: delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, ac similia: de quo fortè *infrà*.

Postremo Hieronymus concludit ex Jacob. 4. *Si judicas legem, non es factor legis, sed Judex. Ille judicat legem, qui dicit, aliquid non juste præcipi, & ignorantiam non habere peccatum, & frustra offerri victimas pro errore, quod peccati non habuerit conscientiam. Neque enim in lege ratio quæritur, sed autoritas.* Evidens planè, & innegabilis sententia de lege Dei, qui potius legem tulit ad dirigendam rationem nostram.

Jam Bernardus *epist.* 77. fortiùs adhuc, & grandius videtur disserere adversus cujusdam ab Ugone de S. Victore sibi propositam assertionem tertiam; quæ erat ignorantiam, & errorem non esse peccatum. (Jam contra assertionem tertiam, inquit, non multum nobis arbitror laborandum; tum quòd manifestam nobis præferat falsitatem; tum quod ipse ejus inventor in superiori sua sententia ipsam per se satis impugnet.)

(Veritatis proindè testimoniis paucis & manifestis manifestum mendacium confutetur. Is forsitan, qui asserit, non posse peccari per ignorantiam, numquam pro suis ignorantiis deprecetur, sed potiùs Prophetam irrideat deprecantem, & dicentem; delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Forsitam & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem: loquitur enim in Levitico ad Moysem dicens, anima, si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quæ lege Domini prohibentur, & intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum &c. juxta mensuram æstimationemque peccati. Et rursus: qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia propter errorem diliquit in Domino.) Non est effugium, vides sanè, ad peccatum materiale.

(Si ignorantia (prosequitur) numquam peccatum est, cur dictum est in Epistola ad Hæbreos, quia in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret non sine sanguine, quem offeret pro sui populi ignorantia.)

Si peccatum ignorantiæ nullum est, non ergo peccavit Saulus, quòd persequutus est Ecclesiam Dei; quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quòd erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quòd erat spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, in hoc ipso quippè abundaret æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere misericordiam consecutus sum, sed mercedem recepi, quippè quem ignorantia à peccato reddebat immunem: insuper & æmulatio remunerabilem indicabat. An hoc, ut 1. *par.* diximus, & impugnavimus, de plano non dicunt, qui voluntatem conformem rationi erranti, qualis ex ignorantia erat ratio Sauli, esse bonam, rectam, & sanctam tuentur?

Si usquam ignorantia numquam peccatur quid ergo causamur adversus Judæos occisores Apostolorum? quoniam quidem non solum malum esse, nesciverunt interficere eos, sed insuper quoque in faciendo arbitrati sunt, se obsequium præstare Deo. Sed & frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. Neque enim fas est suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum apertè perhibentem, eos ignorare, quid facerent; & si forte de Apostolo dubitet quis, quod carnem suam æmulans, sicut homo mentiri potuerit ubi ait. si enim cognovissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Numquid ex his non satis apparet, in quantis jaceat ignorantia, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam? His planè quo modò resistatur nisi contemnendo scripturas, & sanctos simul Patres, non video, non est. Nobis porrò constitutum est, nihil cum similibus, si qui tam miserandi invenientur, disputare, sed eodem erga Patres, quo Bernardus, spiritu dici. *Ab his ergo*; ait in eadem epist. *duabus columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor.*

§. III.

S. Thomas, & Chrysostomus idem scripturis commonstrant.

NE quisquam causetur, quod stupor mentis, & grave utique peccatum fuerit, sanctos Patres rem scholasticam, & metaphysicam ignorasse, & sic in dogmate exorbitasse, ecce Doctorem Scholasticum, & Theologiæ Scholasticæ sanè Principem S. Thomam, à quo Scholastico prorsus more accipiamus unum solum textum, sed hac in re capitalem Pauli Apostoli ad Rom. 1. quem *suprà* generalius exhibui.

Quod notum est Dei, ait Paulus, *manifestum est in illis; Deus enim illis revelavit* (id est manifestavit.) *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, facta sunt intellecta conspiciuntur. sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, &c.*

Ex obscuratione ista insipientis cordis eorum orta scelera illa reliqua quod mulieres eorum immutareor naturalem usum; & masculi exarderent in desideriis suis in invicem, quod pleni avaritia, nequitia, contentione, dolo, detractione, superbia, *non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*, ut concludit Apostolus; erant tamen inexcusabiles, ut præmisit. Ne porrò intelligerent, *nebula errorum*, inquit Ambrosius, *texit cor eorum* ac rursùs: *consuetudine enim peccandi obruerunt legem naturæ oblitterando memoriam ejus.*

Plurimi nihilominùs Theologi censent multa horum, quæ Paulus commemorat, ignorari diù saltem non posse: faciunt scilicet eam distinctionem expressè prohibitorum in Decalogo & alio-

aliorum, quæ ex illis consequuntur: & horum de facili ignorantiam invincibilem admittunt: non vero primorum; atque videntur quamlibet mox ignorantiam existimare invicibilem. Hinc quod Eusebius *lib. 6. præparat. Evangel. c.* 8. & Bardesanes, aliique historici tradunt, apud gentes aliquas furta licuisse, apud alias adulteria, stupra, homicidia, verosimile non putant Azorius, & alii: quia per solam illam suam distinctionem cætera judicant, & accipiunt, vel improbant. Verùm nos infrà manifestissimè ostendemus, expresse prohibitorum in Decalogo fuisse, & esse ignorantias, & errores etiam diuturnos.

Nunc Paulus nobis sufficit, qui ignorantiam rerum earum, eamque non excusantem ponit: sufficit Ambrosius, qui ait, consuetudine peccandi obrutam legem ipsam naturæ oblitterata ejus memoria: & S. Thomas rem exponat, *lect.* 7.

Circa primum considerandum est, inquit, *quod tunc ignorantia aliquem excusat, quandò sic procedit, & causat culpam, quod non causatur à culpa &c. Si verò ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare. Unde si quis per ebrietatem &c.* In quo de ebrietate puncto facile, quod volunt, adversariis largimur cum ebrietas privet ipso usu rationis. Sed pergit S. Thomas.

Primò igitur proponit (id est Paulus) quod intendit dicens, ita quod est Dei notum est eis, ut sint inexcusabiles, id est, ut per ignorantiam excusari non possint. Probat, quod dixerat, & primo ostendit, quod prima eorum culpa ex ignorantia non processit: secundò quod ex hac culpa est ignorantia subsecuta, sed evanuerunt. Quod autem prima eorum culpa ex ignorantia nō processit, ostenditur per hoc, quod Dei cognitionem habentes eà non sunt usi ad bonum. Dupliciter autem Deum cognoverunt &c. Secundò cognoverunt eum ut bonorum omnium causam: unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur; quam tamen ipsi non impendebant, sed potius ingenio suo, & virtuti suæ bona omnia adscribebant. Undè subdit, gratias non egerunt, &c. O Deus quantum hinc timeri potest! sed dicito: strictum est: ergo falsum.

(Deinde cum dicit, sed evanuerunt, ostendit, quod eis ex culpa est ignorantia subsecuta. Et primò ponit inventum &c. Secundò ponit ignorantiam subsecutam dicens, & obscuratum est, factum est cor eorum insipiens, id est, lumine sapientię privatum, per quam homo verè Deum cognovit. Sicut enim, qui oculos corporales à sole materiali avertit, obscuritatem corporalem incurrit, ita ille, qui à Deo avertitur, de se ipso præsumens, & non de Deo, spiritualiter obscuratur: Prov. 11. ubi humilitas, ibi & sapientia, & de his habetur ad Ephes. 4. gentes ambulant in vanitate sensus sui obscuratum habentes intellectum suum.) Hactenus S. Doctor; Ambrosius verò nos commonet, & excitat dicens: *de anterioribus loquitur, ut præsentes*, & futuros corrigat. Neque verò hic locum habent consueræ probabilitates; nā si peccatur, peccatur.

Consequenter ad ista ipse S. Thomas 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 6. quærit utrum lex naturæ possit à corde hominis aboleri? Et respondet, quantum ad principia communia, nullo modo posse legem naturalem deleri, &c. Quantum verò ad alia præcepta secundaria potest deleri vel propter malas persuasiones eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias; vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia, peccata, vel etiam Apostolus ad Rom. 1. Sed mirandum est planè, quod viri alioqui docti hunc articulum, ubi furta, & peccata contra naturam continentur, & ubi Paulus citatur contestans gentes fuisse inexcusabiles, pro ignorantiis tamen invincibilibus, & prorsùs excusantibus afferant: sed verò S. Thomas est clarus, & perspicuus.

Chrysostomum jam adeamus. Dedi *superius* verba illa *ex hom. 4. in capit. 1. ad Rom. Undè indè igitur mala hæc enata sunt* (quæ scilicet Paulus memoraravit) *A deliciis, à Dei ignoratione.* Orationis in genti planè vi ac robore tota hac hom. invehitur in peccata illa contra naturam à gentibus perpetrata. Qualem porrò existimationem gentes haberent, satis profectò exprimit & increpat.

Legislator quidam (ait) *apud illos sanxit, ut servi neque in sicco sese ungerent, neque puerorum amoribus vacarent hanc scilicet prærogativam ingenuis solis concedens; seu ut veriùs dicam hanc turpitudinem quidem factū ejusmodi esse crederent, sed veluti venerandum, honestum, ac majus, quam quod personis servorum conveniret liberis ipsis permiserit tum sapientissimus Atheniensium populus, tum qui magnus apud illos habitus est, Solon, cum eo quoque multos Philosophorum libros hocce morbos referto invenias.* Hæc eorum existimatio, & error; & tamen peccabant: quod salvo Apostolo, salvis Chrysost. Thoma negari nequit, nec ullus sanctorum locum illum exponens vel dubitabit quidem; & patet etiam disertissimè ex cap. 13. 14. 15. & 16. Sapientiæ, & Hieremiæ cap. 7. Quod verò idem Chrysostomus hom. seq. ignorantiam videatur excludere, ut expositis modo sumitur, de ignorantia à principio, & excusante intelligitur; noverunt enim, sed hac cognitione abutentes non Deum glorificaverunt, sed evanuerunt: & hinc tota, quanta strages insipientiæ, & scelerū secuta est.

Iterum Chrysost. *in c. 2. Matth. hom. 6.* (Nec de his tantummodo puniendi sumus, quæ sciendo peccamus; verum etiam pro illis, quæ ignorando committimus. Nihil, inquit Apostolus, mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Et hoc dicit ille, qui conscientiam jugiter ponderabat, quique maxima scientiæ luce refulgebat. Testimonium, inquit, illis perhibeo, qui æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Veruntamen hoc eis ad purgationem non omninò sufficit. Sed & Corinthiis scribens: timeo, inquit, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidatis à simplicitate, quæ est in Christo Jesu. Pro tantis igitur peccatis pœnas daturus securus tui sedes, miserabili risu, &c. Occurrere porrò videntur, utinam sint pauci, qui modò conscientiam peccati non habeant sui, suæque salutis securi vivant, quin tamen diligentia, & scientia Pauli sint. Paulus porrò memor eorum quæ ipse ignorans quidem, quin æmulator existens, ac zelum habens perpetraverat, illis, & nobis testimonium perhibet, non sufficere ad excusationem zelum habere, nisi sit secundum scientiam; imò ignorantia zelo conjuncta est causa majorum malorum, ut dictum fuit, & dicetur.

Denuo Chrysost. *in c. 22. Matth. hom. 41. Nescitis scripturas, neque virtutem Dei. Sapienter primùm arguit stultitiam eorum, quia non legebant secundò ignorantiam, qui non cognoscebant Deum: quia en*

diligentia, lectionum nascitur scientia Dei: ignorantia autem negligentiæ filia est. Sed locum hunc plenius *infrà* dabimus. Nunc patet, ignorantiam filiam non satis excusati per negligentiam matrem; & Judæos à Salvatore reprehensos ex hoc fuisse, quod scripturas nescirent.

Rursùs hom. 38. in cap. 5. Joan. (His igitur rationibus, dilectissimi nolimus verba Christi temerè transigere, sed in omnibus scriptutis sedulàm inquirendi diligentiam, quarè dicta sint, adhibeamus. Neque existimemus satis nobis ad excusationem esse ignorantiam, & simplicitatem.) & *tom. 5. serm. ne cuiquam scandalum ponamus. Neque quoquam id pacto credere ignorantiam scilicet satis nobis ad excusationem valituram, pro qua & pœnas daturi sumus, enim ea nec veniam mereatur. Constat sanè & Judæos per justitiam* (sic habet meus liber, sed fortè per ignorantiam) *deliquisse, quamvis ea illorum ignoratio nulla sit venia dignanda. Gentes præterea novimus fuisse ignorantia captas; nec tamen propterea possunt excusari &c.*

§. IV.

Multiplex alia autoritas in idem.

AUgustinus agmen ducat: jam §. 2. dicebat *humana quippe superbia, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrii excusatiuu se putat, quando ignorantiæ non voluntatis est, quod peccat.* Ex libris Confession. S. Thomas in 2 *dist.* 22 *quæst.* 2. *art.* 2. & S. Bonoventura *art.* 2. *quæst.* 3. *ut in hac indubitatum afferunt illud, eo insanabiliùs peccabam, quo me peccare nesciebam.*

Consequens est ad hanc doctrinam quod idem Augustinus *serm.* 111 *de tempore ait; sæpius cæcus offendit, quam videns: sic ignorans legem Dei sæpius ignoranter peccat, quam ille, qui scit.* Intellige, cæteris paribus; nam alias tradit; sæpiùs per concupiscentiam peccari, quam per ignotantiam, id est, sine concupiscentia. Cæteris quippe patibus à scientia & conscientia peccati retrahitur quis aliquid à peccando: sæpiùs ergo peccat ignorans.

Lib. 4. *de Baptism. contra Donatistas cap.* 5. eam quæstionem versat: *quæro ergo, quis peccet gravius, qui nesciens in hæresim incurrit, an qui sciens ab avaritia, id est, ab idolatria non recesserit.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 3. inter alia multa: (*nam si pejor est conditio nescientium, quam scientium legem Dei, quomodò verum erit, quod Dominus in Evangelio ait Lucæ.* 12. *ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis. Ecce ubi ostenditur, gravius peccare scientem, quam nescientem; nec tamen confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eu quis requirat excusationem.*) Ubi, & alia.

Multa item *lib.* 6. *contra Julian. Pelag. cap.* 16. inter quæ: *ex hoc autem* (ait) *concupiscentia pejor est, quam ignorantia; quia ignorantia sine concupiscentia minus peccat. & epist.* 102. *si quis autem ignorat, ignorabitur, id est; improbabitur*, quod exponit per illud, *nescio vos.* Hoc loco Paulus, & Augustinus, & alii, quos dabimus, nimis duri in hoc sensu cuidam videntur; & aliam ejusdem Augustini expositionem artipit: tamen illa non est huic communi contraria, sed alia, & diversa, non adversa, ut verbis utar ejusdem Augustini: quod satis est frequens in sanctis Patribus utramque simul expositionem probantibus. Nefas porrò est per durum, aut blandum legem Dei judicare, & exponere: de quo 1. par. & infra rursùs.

Idem Augustinus *l.* 3. *de l. arb. c.* 19. ubi discere Augustinum possent Novatores, si vellent, & non se, sed Augustinum quærerent. *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras. Neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare, contemnis. Ista tua propria peccata sunt.* Jansenistæ, mox accipiant explicationem. *Nam illud.* (subdit) *quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non potest ideò dicuntur peccata; quia de peccato illo liberæ voluntatis* (hoc est, Adami) *originem ducunt.* Quod mox varia, & æquivoca significatione linguæ declarat; nam lingua ipsa, qua loquimur: item sermo causatus, ut linguam Latinam, Græcam, & alias passim dicimus: quod etiam docet *epist.* 55. & *l.* 2. *contra Jul. c.* 7. de peccatis solum in Adamo voluntariis, & non in nobis: *quam jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum.*

Postremò ut alia prætercream, universalissima est ea Augustini doctrina *l. de util. credendi c.* 11. *tria sunt alia genera hominum profectò improbanda, ac detestanda. Unum est opinantium, id est, eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt. Alterum eorum, qui sentiunt quidem se nescire, sed non ita quærunt, ut invenire possint. Tertium eorum, qui neque se scire existimant, nec quærere volunt.* Hi profectò omnes sunt vel errantes vel ignorantes: errantes ergo, & ignorãtes per hoc ipsum peccant: nam si non peccarent, non essent detestandi, sed miserandi, ut de ignorantia, malisque aliis puerorum Augustinus ipse *l.* 6. *contra Jul.* & aliàs declarar. Est enim locus alius ejusdem Augustini 37. *dist. Nõ omnis ignorans* &c. Item in enchyr. *c.* 80. *Hos nunc dicam quod quidem & in aliis opusculorum meorum locis sæpè jam dixi. Duobus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri, jam videmus. Quorum duorum illud ignorantia malum est hoc infirmitatis.* Quid plura? Vel apud aliquos in nihilo est sanctorum autoritas, & interprecabuntur dicendo per ignorantiam peccatur, id est, cum remorsu, & cognoscendo nos peccare per ignorantiam peccamus. ô viri egregii Putant alia Augustini in Decreto 15. *quæst.* 1. *in Prolog.*

Ex beato Ambrosio afferunt D. Thomas, & D. Bonaventura illud, *gravissime peccas, si ignoras*, ut arguant, exponit propter *insanabilitatem* ex Augustino: & S. Thomas respondet, *quod ignorans dicitur gravissimè peccare, non propter quantitatem peccati, sed propter periculum, quia dum morbum non cognoscit, medicinam non quærit.* Præterea §. 2. alia ex Ambrosio dedi mus.

Magni Gregorii tritus est in ipsa etiam Theologia textus ille *l.* 25. *c.* 16. Jobi *Sciendum quippe est, quod tribus modis admittitur peccatum; nam aut ignorantia, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia; sed multò gravius studio, quam infirmitate peccatur.* Intelligit autem de ignorantibus propter negligentiam; nam super illa verba *c.* 21. Jobi *recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus*, tradit, hos nõ paucis vapulaturos, sed multis.

Gregorius Theologus *orat.* 1. inter alia esse quosdam, ait, *qui prius omnia projecerint, quam opiniones eas, quas domo secum afferunt, & dogmatum, quibus, innutriti sunt, consuetudinem. Atque hic affectus, de quo adhuc loquor, moderatiorum hominum est, nec prorsus malorum, qui etiam si à veritate aberrent, tamen quia ob religionis studium, & quod zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam, hoc patiuntur, ex eorum fortassè numero erunt, qui non tam graviter condemnabuntur,*

tur, nec multis vapulabunt. Timenda sunt ista: zelus non sufficit, scientia etiam requiritur: ita Paulus testatur: contestatur Gregorius, Chrysostomus *suprà*, & Bernardus, ut inferiùs de novo aliī.

Gregorius IX. *tit. de sortil. c. ex tuarum*, Romanus Pontifex in morum doctrina non recusandus: *Ex tuarum tenore litterarum accepimus, quod V. presbyter cum quodam viro suo ad privatum locum accessit, non ea intentione, ut vocaret Dæmonium, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verùm licet hoc ex bono zelo, & simplicitate se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit.* Et infrà. *Mandamus, quatenùs talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum, & ampliùs, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere.* Hæ sunt tuæ ignorantiæ invincibiles: pœnitens ait, bono zelo feci, per simplicitatem feci; nihil adverti: tu innoxium, & culpæ immunem pronunicas: contrà verò Romanus Pontifex; contrà sancti Patres; & scripturæ: quid ergo resistitur?

Cœlestis Virgo Theresia *l. 7.* mansionum *c. 4.* supponit, eas quidem magnas animas, quæ in eam mansionem pervenere: advertenter, & scienter nullum jam grave peccatum admittere ignoranter tamen, ac inadvertenter incurrere posse. Neque verò Theologia ista leniri aut torqueri opus habet, ut quidam fecit. Sapienter proindè Valentia 1. 2. *disp. 6. q. 6. punct. 1.* ait, propter hoc sæpè illud usurpandum est, *ab occultis meis, munda me.*

Lucæ 12. est textus ille clarus, quem jam nuper Augustinus, & Gregorius Theologus pro peccatis ignorantiæ exponebant. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis.*

Theodoretus *in catena S. Thomæ: Hoc objiciunt aliqui* (ait; est enim antiqua, & prævisa difficultas) *meritò puniri, qui sciens voluntatem Domini non prosequitur. Sed cur punitur ignorans. Quia cùm ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit suæ ignorantiæ causa.*

S. Basilius *in regul. brevioribus* 58. *Sanè judicium Domini in iis etiam, qui ex ignorantia peccant, perspicuum est illis verbis, qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Rem fusè prosequitur *orat. 3. de peccato: tales igitur quam plurimas contra omnem inobedientiam sententias in veteri testamento latas reperimus. Nec leniorem etiam in ex novo testamento, imò longe graviorem judicii severitatem disco: unde illud: servus, qui voluntatem heri sui cognovit, nec ei satisfacit, multis flagris cæditur: ad quem prætererit; fuerit autem ea, quæ pœnà digna sunt, levius sanè vapulabit. Ac prorsùs Christum, qui ex ignorantia peccat, non omnino judicat liberum esse à pœna, sed graviorem multo comminationem extendit in eum, qui cognoscendo* &c. Atque alia valdè sanè urgentia prosequitur. Multa item S. Clemens, *epist. 3. de offic. Sacer. & Cleric.* quæ dabimus ex parte *l. seq. q. 8. §. 2.* Isidorus *l. 2. sent. c. 17. Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinent, nolle vero scire ad contumacem superbiam* &c. *Nemo igitur se de ignorantia excuset* &c. *Et synonimor. l. 2. ignorantia mater errorum est, ignorantia nutrix vitiorum. Peccatum magis per ignorantiam prævalet; ignorantia enim, quid sit, dignum culpa, non sentit,* &c. Quid plura.

Est etiam textus ille, quem jam Augustinus exposuit *1. ad Corinth.* 14. & quem inferiùs iterum resumemus: *Domini mandata sunt: si quis autem ignorat, ignorabitur.* Litteraliter S. Thomas *lec.* 7. *& ne aliquis dicat, non curamus scire ista, subdit, quod tenetur scire, quia omnis ignorans ignorabitur: Isai. 5. propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & Psal. 81. nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant.* Et certè mandata ibi commemorata non expressa Decalogi, sunt, sed minora, aut obscuriora.

Clemens 1. *epist. 3. grande enim malum est ignorantia: sed quia substantiam non habet, facilè ab his, qui studiosi sunt effugatur. Non enim aliud est ignorantia, quam non cognovisse, quod expedit. Et 38. dist. quæ ipsis habetur, quia periculosa sunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt:* Ubi Augustinus reflectit: *non dixit unus, sed ambo.* Ex qua *dist.* 38. & aliis plura adducemus, ubi sermo erit de Magistris, eorumque obligatione. Ibi etiam uberius constabit: Judæos per ignorantiam ex scelerata utique passione obortam Salvatorem mundi crucifixisse suos Doctores sequendo: & tamen utrique peccarunt, & in foveam ceciderunt. Leo magnus *epist. 70. ad Juvenal. Episc. Nulli sacerdotum licet nescire, quod prædicat; quoniam qui ignorat, ignorabitur.*

In oratione habita *in Concil. Basil.* contra necessitatem communionis sub utraque specie; inter alia arguitur, damnatos alioqui fuisse Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Gregorium, & omnes per multa sæcula Christianos, qui ea communione usi non sunt, sed in una duntaxat specie populos communicarunt.

Mox subditur: (Nec sufficit dicere, quod prædecessores salvati sunt per unam speciem, quia notitiam scripturarum non habuerunt: sed jam ex quo scripturæ apertè sunt, non sufficit &c. Quia nullus excusatur per ignorantiam alicujus, quod scire necessitate tenetur, &c. Ignorans ignorabitur. Et sequeretur, quod eadem de causa pagani, & infideles essent salvandi. Patet; quia ignorant, baptismum esse de necessitate salutis, mandata Dei, &c. Item omnes persequentes, & obsidentes Christianos propter nomen Christi putantes se obsequium præstare Deo, essent immunes à peccato; quia propter ignorantiam putant, se benè agere: de quorum numero fuisset Paulus Apostolus, &c. Similiter si Prælatus populum doceret, quod Christus non esset Deus, & populus crederet, sic non excusaretur à gravi peccato: sic etiam qui ignorat, fornicationem esse peccatum, &c. Ad confirmationem facit illud; si cæcus cæco ducatum præstet, &c.)

Profectò, ut magis ponderabo, ubi de deceptione agetur, sensus fidelium, & judiciorum est, ita credentes, & deceptas animas peccare; quid alioqui damnamus, quam quondam Marcion, quas Lutherus, & Calvinus, & inter Catholicissimos populus Constantinus, Casalla, & quidam frater Alphonsus, ac sceleste aliæ fœminæ sub specie sanctitatis fefellerunt? Sed de his plura.

Jam his tantis innegabiliter constitutum est, non omnem ignorantiam excusare à peccato: item peccari ex ignorantia, & ignoranter; item dari peccata ignorantiæ distincta à ceteris. Ideò concors est omnium veterum, & recentiorum Theologorum doctrina ita definiens, & rem de fide esse, plures expresè, & signanter observant, magno certè jure, ut ex dictis est perspicuum. Sub terminis itaque hujus quæstionis nemo, credo palàm, ac in publico orbis conspectu audebit dicere, aut ex ignorantia, & per ignorantiam, & ignoranter non peccari, aut nulla dari ignorantiæ peccata, aut ignorantiam nec peccatum esse,

neque causam peccati: quæ utique sine magno ignoranriæ pe caro dici nequeunt. Omitto ex jure canonico mulia *inferiùs* danda.

QUÆSTIO V.

Peccatur ergo, quin sciatur, nec advertatur peccari.

HÆc sanè conclusio, & præcedens una, eademque videtur; & mea quidem sententia voce differunt, re significata. Nihilominus sub hac voce, & rermino jam multos habemus adversarios, eosque obvios, qui ajunt, peccari non posse, quin tunc, quandò peccatur; sciatur, cognoscatur, & advertatur peccari: quo universa ignorantiæ peccata videntur à mundo sublata. Quantum ergo instituto nostro satis erit, Autorum opiniones referamus.

§. I.

Quid in hoc senserint Theologi?

COncors est Theologorum omnium sententia ad omne peccatum, & sic etiam ad peccatum ignorantiæ, & ex ignorantia prærequiri aliquam, aliquandò demùm cognitionem, & cogitationem actualem malitiæ vel in se, vel in alio; in particulari, vel in universali: quod satis disertè quęst. pręc. §. 2. S. Thomas declarabat. Raiio concludens ea est, quia omne peccatum est voluntarium; sed omne voluntarium est præcognitum &c. Non autem præcisè requirunt scientiam, aut cognitionem certam, aut assensum, sed saltem dubitationem, vel scropulum.

Occurrit mox dubium duplex: primùm, an cognitio hæc, & cogitatio actualis malitiæ debeat esse in particulari de malitia operis particularis, in quo per ignorantiam peccatur, an sufficiat cogitatio alterius malitiæ in alio, vel etiam in universali? Et in hoc divisi sunt Autores, quos utrinqoe refert Sanchez *lib. 1. in Decolog. cap.* 16. & referunt etiam alii, in quo proindè non immoror, & Suarez 12. *tract. 2. disp. 4. sect.* 3. egregiè, & concludenter partem negarivam probat, & tanquam certam statuit. Refert vir alioqui doctus multos antiquos pro necessitate cogitationis actualis malitiæ in particulari illius particularis operis: verùm nisi ego prosùs delyro, nihil tale Doctores illi reqoirunt, sed id solùm, quod ex concordi omnium Theologorum sententia præmisimus.

Hinc Autores, hanc cogitationem malitiæ in particulari requirentes, multos casus conscientiæ resolvunt, eorumque resolutione, quæ sibi vera videtur, senrentiam suam confirmare volunt. Si quis v.g. sciens pręceptum Ecclesię de jejunando tali die, posteà nihil de tali pręcepto considerans sumat prandium contra pręceprum vel in tempore, vel in cibis, &c. si tamen non occurrat consideratio pręcepti, nemo illum damnabit peccati mortalis, neque venialis: Quarè confessarium satis muneri suo facturum, ajunr, si pœnitentem quęrat, an mentem ejus subierit cogitatio aliqua, vel dubium de jejnoio. Similiter ajunt, neminem eum culpę damnaturum, qui lapidem per fenestram projecerit in plateam, in qua multi confluunt, si per oblivionem id prorsùs fecerit: ac similia multa resolvunt. Ecce qua de causa tam multi *quæst. præc.* extitimus in probando expressis Dei verbis oblivionem, ignorantiam, & nescientiam posse esse peccara, vel causas peccati: neque enim ostentandj eruditioni, sed saluti animarum id laboris datum est: nam si in hos erraretur, periculum esset ingens.

Hanc partem ulreriùs suadent ex divinæ legis suavitate. Sed de hoc satis mulra dicta sunt 1. *part. lib. 1. quæst.* 2. & aliàs. Rursùs qoia nisi adesser illa particularis cogiratio, ignorantiæ vel oblivio non esset volunraria; quia non esset in nostra potestate eam expellere. Sed de hoc plenè dicetur, quandò de voluntarietate peccatorum ignorantiæ tractabitur Et licet occurreret in eo magna aliqua difficultas, non ideò liceret à scripruræ, & sanctorum manifestis doctrinis ręcedere, sed credendum est, nec nisi crediderimus quam plura nostræ sanctæ legis, & fidei constitura.

Ex hoc aliud dubium ortum est, nam nisi principiis obstetur, mala crescunt, & modicus circa principia error fit progressu decies centena millia major, ut rectè notavit Aristoteles, quemadmodum lineæ huc, & illùc ductæ circa centrum vix distant, progressu verò in infinitum syncatbegorematicè; inquam, aliud dubium ortum est, an non solum prærequiratur cogiratio actualis maliiæ in pariculari, sed insuper necesse sit, eam actu adesse tunc, quando peccatur? Er sunt plures hoc requirentes.

Minus esset dolendum, qood hoc in scholis haberetur: sed in sacramento etiam pœnitenrię hac regula utuntur, non modò in peccaris ignorantię; sed in aliis etiam quę inter peccara ignoranrię connumeravit nemo, ut sunt peccara ex iracundia, ur maledictiones, juramenra, & perjuria, quęritur quippè à pœnitente, an advertisset se peccare? Quod si non advertit, uti in iracundia advertinon soler, eum à peccato immunem aliqui arbitrantur. Resumunt etiam probationem illam, an mox sui compotem factum facti pœnituerit? Et si affirmant, eos nihil existimant deliquisse. Ad quod aliqui adducunr Aristotelem 2. *Ethic. 3. ad quod ob ignorationem fit, non spontaneum quidem omne est, sed invitum, id est, quod vel dolorem, vel pœnitentiam affert*, &c. Ar si caput rotum legatur, & admitratur, nihil inde se se tuebuntur. Sed de hoc, ubi de voluntarietate ignoranrię.

Hanc doctrinam illi maximè hodiè accipiunt, qui in usu opinionum probabilium fundant evidentia dictamina conscientię de honestate, vel malitia operationis; & si rectè quis operatur habet evidentiam, & infallibilitatem de honestate: si malè, de malitia, & inhonestate. Er ô Deus Salvator meus ubi sunt peccata ignorantię? ubi iracundię, & furoris? Formant scilicet syllogismum ad suas istas evidentias: quoties & de quo non habeo cogitationem de peccato, non pecco: sed hic, & nunc cogitationem non habeo de peccato in hoc: ergo non pecco. Ecce quam majorem non opinabilem modo, sed evidentem etiam statuunt! Ecce iterum de peccaris ignorantię accuratè scribendi necessiras! In quo ergo Critobulus, aut Pelagianus in ea sua interrogarione delinquebat? *quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? nescio, me peccasse; & ejus rei, quam nescio pœnas luo?* Quorsùm tantus Hieronymus, seu in Hieronymo Deus, cujus verbis, non suis Critobulum conficit?

§. II.

§. II.

Qualia sequi videantur ex hac opinione de necessitate actualis cogitationis præsentis?

Sanct. Thomas 1. 2. *q.* 75. 76. *&* 77. tractat de causis interioribus peccati in communi, & in particulari, scilicet de ignorantia, & passione, ut peccati ex malitia causa prætermittam. Ut autem ex doctrina passionum eadem 1. 2. *à q.* 22. per sequentes constat, passiones ad partem concupiscibilem, irascibilemque spectant. Videtur porrò, totam istam Theologiam & de passionibus, & de causis peccatorum fieri, reddique de supponente, si prædicta ista actualis, & præsens cogitatio necessaria est ad peccandum. De peccatis, quorum causa est ignorantia, dicam §. seq. nunc percurramus, qualia videantur sequi de peccatis quorum causa passio esse constituitur, ex quo etiam diminuitur peccatum.

Dicamus primùm de ira & de iis, quæ ex hac passione fiunt, quam latiniores iracundiam vocant. Passim itaque homines per iracundiam & maledicunt, & jurant, & perjurant; nec tardò etiam blasphemant: & tunc quasi furore abripiuntur, & ex quinquaginta vix unus, aut veriùs nullus tunc actu advertit, se peccare, & eò minùs, quo quis magis est iracundus, majorique velut rabie abripitur. Ergo vix unus, vel nullus horum peccant: sciant ergo hoc semel homines, & inutiles scrupulos pro confessione, & conscienria, vanamque curam abjiciant. Sciant rursùs judices, talia non esse peccata. Ais, præsumunt in foro exteriori. Sed contra: nam præsumptio est pro non peccato; quia præsumptio est pro ignorantia invincibili, ut vocant judices, quam etiam admittunt in foro exteriori, nam iracundia probari potest per testes: in iracundia autem præsumptio est de advertentia peccati explerumque, vel semper contingentibus. At Theologi contrarii ajunt, quoties abest ea præsens cogitatio, dari ignorantiam, vel inadverrentiam invincibilem: quod autem nos ignorantiam invincibilem, hoc alli appellant probabilem, quam admittunt, & patet ex multis textibus.

Similiter est de homicidiis in rixa, & in ipso calore iracundiæ commissis, & de aliis injuriis verbo, vel facto illatis; tunc enim saltem plerunque deest illa præsens actualis cogitatio peccati, maximè verò in non timentibus valdè Deũ. Pleraque porrò homicidia hoc pacto contingunt: Quid ergo occisores tam severè mulctanrur, quin etiam laqueo suspenduntur? Ais, non debuerũne irasci. Benè, hoc ergo fuit eorum scelus, quod irati sint. Sed primo eos tunc saltem improvisa causa sæpè in iracundiam egit. Omnes deinde qui irascuntur, æque puniri debebunt. Ais, non adeò, irasci debuerant, ut etiam occiderent. Verùm, ut dictum est, eò minùs in occidendo peccavissent, & tutiùs homicidium expers esset peccati, quò major extitisset iracundia. Sed verò & leges, & sententiæ palam loquuntur, se non negligentiam non iracundiam morte punire, sed homicidium.

Potest quidem accidere, in quo utrumque forum discrepat, quod in foro interiori tantum peccet non occidens, quam occidens; quia scilicet occidere voluit, sed non potuit; & voluntas, ut dicit Bernardus reputatur pro facto, ubi factum impedit necessitas: nec tamen forum exterius morte mulctat voluntatem, nec ulla pæna, si in actum exteriorem non prodeat. Quia peccatá cordis ad hoc forum spectant.

De cætero nulli unquam Patrono causarum in mentem venit allegare, reum immunem esse à culpa, quia in rixa occidens, ac in ipso æstu iracundiæ. Certè ut 1. part. disserui, ratione nequit pugnare, neque ratio esse contra rationem, id est rectam. Ideò ubi ignorantia aliqua non intervenit, forum hoc utrumque non sibi contradicit, ut notant Theologi, & si lex humana plura, ut usuras, meretricium, & alia prætermittat, non aprobet, quæ lex divina prohibet. Idcircò, quod juxta rationem est, & ipsam nostram Theologiam, ut dè ira traditur 1. 2. *quæst.* 47. *art.* 2. & de passione generaliter *quæst.* 77. *art.* 6. allegatur quidem ad culpæ diminutionem, quod homicidium in rixa, & per iracundiam patratum sit; & graviùs illud Judices æstimant, ac puniunt severiùs, quod consilio & ut Hispani loquuntur *de caso pensado* perpetratur. Ergo non advertentia ex iracundiæ æstu resultans diminuit, non tollit culpam. Aliqui Judices non culpam pro culpa æstimantes, ac morte etiam mulctantes, quod dici nequit, gravissimè peccarent, iniqui scilicet æstimatores justi, & injusti. Ideò homicidium ab amante commissum culpæ quippe innoxium non puniunt, sed malo aliis viis occurrunt.

Hæc fortè, quæ percurri, ac similia tradentur non esse peccata. At ut video, nunquam id corde credunt Christiani, & iterum, atque iterum & semper ad forum confessionis sua maledictá juramenta, blasphemias afferunt, & afferent; & semper eos sua remordet conscientia. Aristoteles probat bonum, & malum in sua Ethica ex sensu naturali hominum: ex laude, & viruperio; ex præmio, & pœna: Ergo hæc, quæ scimus vituperari, & puniri etiam, mala, & peccata procul omni dubio habeamus.

De peccatis, quæ ex passione partis concupiscibilis fiunt, urgentior adhuc est ratio, puta ex amore, quem brevem amentiam Plato, aliique dixerunt, & extasim facere, seu extra se rapere amantem, ut 1. 2. *quæst.* 28. *art.* 3. nec plus re, quam pronuntiatione differre amantes & amentes. In peccatis porrò per hanc passionem causatis ob rei fortè manifestiorem turpitudinem non adeò, atq; in aliis ampliatum est, undè tutior erit disputatio.

Qui ergo aliquam deperit, quanta nocte, dieque volunt, norunt omnes: eam semper in mente, in corde, in consensu habet; domum circumit, nuncia, epistolia mittit, insanias loquitur; sollicitat, urget, promittit, & nihil non peragit. Hęc utique peccata sunt, ut persuasum habent Christiani, in quibus tamen perpetrandis hos ita fascinatos amatores rara, & rarò subdit Dei, legisque sanctę memoria: & cogitatio, eò autem rarior, quò quis sceleratior est, & magis prophanus & cæcus. Vel dicant, quod sanctissimorum virorum est, eos continuam legis Dei, ac proindè ipsius etiam Dei præsentiam habere contra experientiam omnem, atque rationem. Adeò, ut suprà est notatum, rectè de moribus scripturo necesse est, à moribus ipsis hominum, ac modo eorum non abstrahere, sed eos attentè undique circunspicere.

Hæc porrò tanta vis passionis, maximè autem amoris omnium sæculorum experimento tam est comperta, ut in Philosophia naturali est compertum,

tum, gravia deorsim ferri, & levia sursum; ideóque 1. 2. *quæst. 77. art. 2.* quæritur, utrum ratio possit superari à passione contra suam etiam scientiam, & certè traditur, rationem saltem ligari, ne scientiam universalem applicet, ad hoc particulare, quæ Aristotelis, S. Thomæ, multorumque aliorum sententia est de omni peccato universim.

Opera ipsa cursim percurrire; in oculis, & amplexibus, in coitu ipso, cum incipiunt, cum prosequuntur Dei memoriam præsentem actualem habent? sin minus non peccant, qui jam hoc ipso actus desinit esse voluntarius? Quis, quæso, de his dubitet? Peccatur ergo, quin tunc advertatur peccari: nam isti peccant, cum peccant: legis autem, & peccati plerique magis numquam, quam raro meminerunt, quando actu talia peragunt. Et alioqui, de quo fortè pœnitens rideat, quærant à pœnitente, ut in juramentis faciunt; an tunc peccati, & legis actualem præsentem cogitationem haberent? & ex quo oblivisci cæperunt, peccare etiam desierunt, cum ramen tunc turpissimè, & absorpta fermè per passionem misera ratione peccarent.

Jam itaque, ut nuper dicebam Aristotelis 7. *Ethicor. à cap. 2.* & S. Thomæ, ibi, ea *qu. 77. art. 2.* & aliàs passim, plurimorumq; sententia est, quam veram arbitror, non solum eos, qui ex passione, vel ex ignorantia, vel oblivione peccant, sed universim neminem peccare applicando actu universalem cognitionem mali ad particulare objectū, & actum per quem peccatur: & hic est sensus proprius illius dicti, quod omnes ex Dionysio usurpant, nemo intendens ad malum operatur: quin oculos quasi claudimus, ac mentem à lege, & regula divertendo, non actu in eam respiciendo peccamus: quod hujus loci non est stabilire. Legatur controversia Aristotelis cum sene Socrate. Cum ergo hi Doctores nullum prorsùs peccatum committi tradunt cum actuali præsenti cogitatione regulæ, & peccati, jam adeo mutata sunt omnia, ut dicatur peccato etiam illa, quæ ex passione, & insano etiam amore fiunt, quin ea, quæ ex ignorantia ipsa committuntur, ut peccata esse queant fieri debere cum actuali præsenti cognitione.

Atque hæc videntur sufficere quoad præsens de peccatis, quæ ex passione committuntur: quæ certè peccata esse; & scelera facilè est expressis Dei ipsius testimoniis, atque sanctorum commonstrare.

De peccatis ex consuetudine, & habitu, versa jam in naturam consuetudine, fieri solitis multa similiter adduci possent: patet enim habitu, & consuetudine peccandi sensim diminui, quoad aliqua etiam deleri legis memoriam, & mentis obcæcationem, & noctem ac tenebras incurri. Patet rursùs consuetudine, & habitu peccandi non tolli, quin nec diminui rationem culpæ: *quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Jobi 15.* Hi certè, qui in quandam quasi oblivionem Dei abierunt, non semper, nou frequenter legem cogitant, conscientiæ morsus habent, sed dormiunt, & obstupuerunt. Quæ omnia autoritate, ac ratione multiplici commonstrare, cuique promptum erit; sed hic non nisi ista libamus, ut ex his simul visis tantis ea opinio relinquatur, quæ ad peccandum præsentem actualem cogitationem ex quo nequiores quique minus, & rarò peccent, ob quandam difficultatem; sanè per antiquam de voluntarietate deposcunt.

Huc etiam faciunt peccata non materialia, sed spiritualia, quæ vix intelligimus, cum etiam facimus. In exemplum sufficiat superbia, quæ tot animas perdit: adeò autem est ignotum hoc peccatum ipsis illud habentibus, ut proverbium sit ex multis experientiis sumptum, Deum punire occultam superbiam manifesta luxuria, aliquando in bonum juxta illud; *bonum mihi, quia humiliasti me: priusquam humiliarer, ego deliqui*; aliquando in majorem etiam perditionem: traduntur quippe superbi quasi vilia mancipia libidini in contemptum; homo cum in honore esset, non intellexit &c. quod satis ob oculos ponit caput illud 1. ad Romanos, quod adduximus.

Discere possumus sanè, si volumus in Pharysæo illo Evangelii, qui typus, & forma est in se confidentium, & urique superbiam suam, hujusque malitiam haud agnoscentium; nec enim alioqui adeò confiderent, cum sua ipsos remorderet conscientia. Habemus *Apocal. 3.* Episcopum Laodiciæ cæcum sanè miserandum: *quia dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, &c. collyrio inunge oculos tuos.* Adeò superbiam maximè nostram non videmus, quin bonos nos existimamus. Concludat Joannes qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.

§. III.

Rectitudo illationis factæ ostenditur.

Intulimus itaque ex qq. præcedent. in titulo hujus istam consequutionem: peccatur ergo, quin sciatur, nec advertatur peccari. Dupliciter negari posse hanc conclusionem notarum est §. 1. scilicet quin nec tunc, quando peccatur, actu advertatur, vel ita, ut nec tunc adsit, nec præcesserit etiam ulla cognitio de eo peccato in particulari. Et utroque simul sensu consequentiam inferimus; quam modò jam lectoris dispositio, & emollito animo per ea, quæ nuper indigitavimus, apriùs sanè ostendemus.

Primò sic: peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia, sive ipsa ignorantia sit peccatum, sive causa solùm peccari: atque istam propositionem sub his, vel æquivalentibus terminis, ajunt, esse de fide: quod satis, videtur commonstratum *qu. præc.* per tot scripturas expressas, & sanctorum ipsorumque doctorum ecclesiæ doctrinas, nam solum ex Athanasio nihil dedimus: Resumamus iterum propositionem. Peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia: sed qui scit, cognoscit, & advertit, se peccare; non peccat per ignorantiam, & ex ignorantia: quod videtur notum ex terminis; ergo peccatur, quin sciatur, nec advertatur peccari.

Minorem notissimam declaramus: peccare per ignorantiam, & ex ignorantia est ignoranter, & nesciendo peccare: peccare verò cognoscendo, & advertendo peccatum est scienter, & advertenter peccare: at per se notum videtur peccare advertenter, & scienter sic opponi cum peccare ignoranter, & nesciendo; sicut scientia, & ignorancia, & advertentia, & inadvertentia opponuntur. Ergo peccare per ignorantiam, & ex ignorantia pugnat, & opponitur cum peccare cognoscendo,

ſcendo, & advertendo peccatum. Peccatur ergo, quin cognoſcatur, nec advertatur peccari.

Rursùs quia Ariſtotele, S. Thomæ Præceptoribus omnes ajunt, ignorantiam eſſe cauſam peccati ſolùm per accidens tanquam removentem prohibens, id eſt, cognitionem peccati, quæ ſi adeſſet, peccatum non committeretur, atque hinc ignorantiam antecedentem diſtinguunt ab ignorantia comitante. Ergo quando ignorantia eſt cauſa peccati, ſupponunt, non adeſſe cognitionem peccati: alioqui ignorantia nec eſſe, & minus cauſa eſſe poſſet: adeſſet quippè cognitio peccati.

Ignorantia porrò, ut ex ſenſu, & locutione naturali omnium conſtat, non eſt ſolùm defectus actualis conſiderationis, ſed privationem etiam ipſius ſcientiæ ſignificat, ut ſcitur ex Logica: quarè perfectus Mathematicus, aut Logicus, qui nunc nihil de his ſcientiis actu cogitat, non eſt ignorans. At peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia. Ergo peccatur, quin adſit nec habitus quidem, quo ſciatur, hoc eſſe peccatum. Quod dupliciter poteſt contingere: primò quod rarum eſt, ſi ſcientiam habuiſti, ſed amiſiſti: ſecundo, quod eſt conſuetum, ſi nunquam ſciviſti: habuiſſe porrò ſcientiam, quæ jam amiſſa ſit, nihil facit ad peccatum. Ergo peccare potes, etiam ſi nunquam ſciveris, hoc in particulari eſſe peccatum. Ergo quin ulla cogitatio de hoc malo in particulari eſſe peccatum. Ergo quin ulla cogitatio de hoc malo in particulari ſive in ſingulari in mentem venerit.

Dices debuiſſe præcedere ſaltem dubitationem, quæ componitur, & cohæret cum ignorantia. Sed verò hoc eſt eludere doctrinam ſacram; licet enim dubitatio cohæreat cum ignorantia, dubitatio tamen non eſt ignorantia, neque ignorantia eſt dubitatio. At doctrina illa ipſam ignorantiam docet eſſe cauſam, & peccari per ignorantiam, & ex ignorantia: tu autem vis, ex illa dubitatione, & per illam, propter illam peccari. Deindè qui dubitando operatur, ſcienter, & advertenter peccat: non ergo ignoranter, neque per ignorantiam. Denuò, ut mox magis dicetur; ex ignorantia reſultat conſcientia erronea: omnes autem duas conſcientias faciunt; non confundunt, atque in unam ſufficacinant conſcientiam erroneam, & dubiam. Dubitatio ergo hic ad rem non eſt.

Secundò ſic: peccatur etiam aliquandò per ipſam non advertentiam, & non attentionem, ut ſi ſub gravi, vel levi obligatus ſum attendere, quando officium recito, aut oro, aut ſacrum perago; aut conſecro. At non advertens, & non attendens tunc ſaltem actu non advertit ſe non advertere; alioqui adverteret, & non adverteret; attenderet ſimul, & non attenderet; cogitaret. Peccatur ergo ſaltem, quin actu tunc advertatur peccari.

Superiùs partem hujus textus S. Thomæ dedimus 1. 2. *quæſt. 6. art. 7.* ubi quæritur, utrum concupiſcentia cauſet involuntarium? Et ad 3. traditur per concupiſcentiam non auferri totaliter cognitionem, *quia non tollitur, inquit, poteſtas cognoſcendi, ſed ſolùm conſideratio actualis in particulari agibili, & tamen hoc ipſum eſt voluntarium &c. ut non agere, non velle. ſimiliter autem non conſiderare.* Ut ego *in 2. diſt. 22. q. 2. art. 1. ajebat, nec eſt mirum ſi hoc ipſum, quod eſt ſcientia carere eſt peccatum ei, qui poteſt, & tenetur habere*: ita nec eſt mirum, quod hoc ipſum, quod eſt non advertere, non attendere, non conſiderare, eſt peccatum ei, qui poteſt, & tenetur advertere, conſiderare, & attendere.

Nulla ſit ſanè obligatio attentionis in oratione, aut in faciendo ſacro, nec in ulla alia re: certè eſſe ſaltem potuit; nam Deus juvare poteſt aliquam attentionem: ergo peccari poſſet per non attentionem: ergo non advertendo tunc actu. De facto quoque datur ſaltem conſilium: ergo incurritur imperfectio moralis: ergo voluntaria eſt non attentio: at actu non conſideratur non attentio. Ergo ſicut prius.

Sed plus urget manifeſta, ut videtur, contradictio hujus opinionis cum dictis Dei, & Sanctorum. Tu itaque dicis: niſi actu advertas, & cognoſcas te peccare, non peccas: at Deus dicit: *Si anima neſciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo, & deprecabitur pro ea ſacerdos, quod inſcia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam & dimittetur ei. Num. 15.*

Tu dicis: ſi oblitus Dei (quomodolibet oblitus fueris) die veneris carne veſcaris, aut jejunium violes, aut officium omittas, aut quodlibet aliud tunc actu oblitus facias, non peccas. At Deus dicit. *Levit. 5. anima, quæ tetigerit aliquid immundum, &c. & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit.* Ac rursùs: *& ſi tetigerit &c. oblitaque cognoverit poſteà ſubjacebit delicto.* Et denuò: *anima, quæ juraverit, &c. oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum agat pœnitentiam.* &c. Non dicimus quod hæ leges omnes nunc durent, ſed quid Dominus judicet de iis, quæ contra leges ſuas per oblivionem quiſque facit.

Tu dicis, ſi prorsùs ignorando eſſe peccatum aliquid facis, non peccas. At Deus multa contrà dicit *Levit. 4.* & inter alia: *quod ſi omnis turba Iſrael ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini eſt; & poſtea intellexerit peccatum ſuum* (non ergo antea intelligebat:) *offeret pro peccato ſuo &c. & rogante pro eis ſacerdote propitius erit ei Dominus.* Iterum dicit: *ſi peccaverit Princeps & fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur & poſteà intellexerit peccatum ſuum, offeret &c. & dimittetur ei.* Atque alia in hunc modum. Deus autem non fallit: falleris ergo tu, & fallis. Ob iſta, & alia tam expreſſe Hieronymus adeò vehementer in errorem contrarium Pelagianorum invehitur.

Ob eas etiam Bernardus *manifeſtum mendacium* putat ignorantiam, & errorem non eſſe peccatum: & tot illa abſurdiſſima ex eo ſequi non ſolùm cenſuit, ſed etiam demonſtravit, & concluſit, ex eis ſatis apparere, *in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccare poſſe interdum per ignorantiam.*

S. Thomas, & S. Chryſoſtomus multa clara *quæſt. ſup.* in eundem ſcopum cum Paulo Apoſtolo, & aliis ſcripturis tradunt, & oſtendunt peccari etiam in eo, quod peccatum eſſe prorſus ignorabatur: leguntur illa, & admirantur, nec profanentur; & omnis planè ceſſat quæſtio. Tu dicis: ego non pecco, ſi non cognoſco, me peccare. Auguſtinus dicit, *eò inſanabilius peccabam, quòd me peccare neſciebam.* Cui ſtandum circa ſanctam legem Dei? Auguſtinus eam ignoravit, tu novus Theologus comprehendiſti? cum Auguſtino ſunt S. Thomas, & S. Bonaventura Doctores & ipſi Eccleſiæ, & divinæ legis amatores, qui eum textum, ut ſonat accipiunt. Tu negas, vel alteras;

Dedi-

Dedimus satis multa: argumentatione opus non est, sed debita fide, & subjectione. Eos testes protuli, quos certum est, viam salutis scivisse, & salvatos esse; eos, quos Ecclesia sua lumina vocat, & divinæ legis amatores. Contemnantur, vel omittantur in aliis: at ubi de lege est quæstio, stupor est, meliores testes quærere.

Paulus testimonium perhibebat etiam, iis qui zelum Dei in se habent, non tamen secundum scientiam. Contestabatur Gregorius Theologus Chrysostomus quoque, item alii: qui autem hoc zelo operantur, non putant, se peccare. *Ex bono zelo*, etiam *& simplicitate* Presbyter ille operatus fuit quem Gregorius IX. non modicam sanè labem peccati contraxisse asseverat. Quid ergo ultrò, citroque usurpatur contrarium? non advertisti, te peccare: ergo non peccatis? Et ubi, quæso, est evidentia illa syllogismi reflexi celebratissimi? qui non cognoscit, se peccare in hoc: ergo non pecco? Major est falsis falsior.

Ex his omnes Theologi ponunt conscientiam erroneam, & nullus, quem sciam, sub his terminis dixit, omnem conscientiam erroneam excusare à peccato, distinguunt. Conscientia autem erronea nunquam actu dictat, peccari juxta ipsam operando, ut tanquam rem notoriam observat S. Thomas *quæst. 17. de verit. art. 4.* tamen acta ratio naturalis non dictat contrarium; si enim dictaret contrarium; conscientia non erraret, inquit sapienter S. Doctor. Quando ergo ex conscientia erronea peccamus, vel non excusamur, conscientia non dictat actu, id facere esse malum, & peccatum.

QUÆSTIO VI.

Ergo peccatur etiam, non modò non advertendo nesciendo, sed etiam arbitrando obsequium præstari Deo.

§. I.

Rectitudo illationis.

HÆc conclusio sequitur ex dictis, quemadmodùm conclusio proximæ quæstionis in vi autoritatis, & rationis. Quod enim ad rationem attinet, sicut voluntariò alia ignoramus, alia oblivíscimur, alia non advertimus, neque considerarmus propter negligentiam, & torporem: sic etiam voluntario sæpè erramus multipliciter, ultrò malos libros legendo, & bonos prætermittendo, maximè autem scripturas divinas; item quærendo non vera, sed nostra, innumerique aliis sanè miserandis modis: quinimò ignorantes facilè quoque est errare & de rebus contrariè judicare. Ergo sicut non omnis ignorantia excusat, ita neque error omnis. Ergo sicut ex ignorantia, & per ignorantiam, ita etiam ex errore, & per errorem, quo malum existimatur bonum, peccari potest: ergo arbitando nos rectè facere, & obsequium præstare Deo.

Ostensum præstereà fuit, sicut homicidia, adulteria, mendacia; ita etiam oportuisse prohiberi ignorantiam, & à fortiori errorem, tum in se, & propter se, tum etiam in alio, & propter aliud: parùm quippe prodesset lex non occidendi, si liceret, & nihil prohiberetur eam ignorare: minus verò prodesse posset, si liceret præstereà, & nihil prohiberetur homicidium nō malum, sed bonum, sanctumque existimare. Ergo hic error saltem in alio est prohibitus: ergo transmisso nunc, quod aliquando esset invincibilis, tamen aliquandò vel in alio, & cum alio poterit esse peccatum, vel causa peccati: nam prohibile potest esse voluntarium, & peccatum, vel causa saltem peccati. Ergo sicut prius.

Constat præstereà ex multis autoritatibus adductis *quæst. 4.* maximè autem ex textu *cap. 1. ad Rom.* & ex commentario dato Chrysostomi de lege illa Solonis; *ne turpitudinem quidem factum ejusmodi esse crederent, sed venerandum, & honestum & majus, quam quod personis servorum conveniret.*

Bernardus item ajebat: si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, *quid ergo causamur adversus Judæos occisores Apostolorum; quoniam quidem non solum malum non esse, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo: Ubi ex Sauli etiam zelo rem istam demonstrabat.*

In oratione quoque illa habita in Concil. Basileensi arguebatur: *Item omnes persequentes, & obsidentes, Christianos propter nomen Christi putantes se obsequeum præstare Deo, essent immunes à peccato; quia propter ignorantiam putant, se bene agere; de quorum numero fuisset Paulus.*

Item qui zelum Dei in se habent, non tamen secundùm scientiam, arbitrantur, se rectè agere ex zelo illo; cujus generis sunt dissensiones, & æmulationes non paucæ. Et tamen peccant. Ergo peccatur arbitrando etiam obsequiū præstare Deo.

§. II.

Probatur item conclusio capitaliter ex dicto Salvatoris, venit hora, &c.

SAlvator itaque noster *Joan. 16.* sic discipulos suos alloquitur: *hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos arbitretur, obsequium se præstare Deo; & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Omnia comperta sunt: ad discipulos est sermo, & de Judæis maximè est sermo, qui arbitrabantur obsequium se præstare Deo in extinguendis discipulis; de gentibus quoque, quæ pariter Diis se placere putabant. Causam exhibet ipse noster Salvator; *& hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*

Ad aliquam nos digressionem, juvaturam tamen cogit pollicitatio superiùs facta. Diximus, gravissimum Magistrum me indè in rebus nescio quibus immunem culpæ decrevisse; quia ut ajebat, arbitratus fueram, me obsequium præstare Deo: & utinam his unus esset; multi sunt, qui & Censores, ac Judices doctrinæ salutis fiunt, ita existimantes, & culpæ omnis immunes eos habentes, qui arbitrantur, se benè agere, quin voluntatem, & operationem malum bonum existimantium, & illud prosequentium, bonam esse sanciunt, atque fidentissimè docent. Quod si hoc falsum esset, ut est utique, quot hinc animæ, precor, perirent.

Sed sapienter vir ille Apostolicus Joannes de Avila. (Nescio, ait, quid tibi dicere possim nisi hoc, quod quisquis huic operi manum adhibuerit, sicut facio ego eis contradicendi, solus tamē cum paucis aliis adversus tot millia, discrimen subeat, timeo, ne ita prudens, sanusque judicetur, atque

atque ad alios instituendos, necesse foret. Mea tamen interest, ut ita faciam (scilicet contradicam) quia Dei fretus auxilio hoc curę suscepi, ut deceptionis eos suę commonerem, qui cum prorsùs ambulent præter viam, tamen, se in ea ambulare, existimant.) Hactenus Avila, qui ibi sua hac de causa pericula contemnit. Docemur hic multa, si bonus certè Author consideretur.

Nunc ad dictum salvatoris, ex quo habetur, Judæos arbitratos esse, obsequium se præstare Deo in interficiendis Apostolis: & tamen peccavisse in eo Judæos, est utique indubitatum, Quater aut pluries S. Thomam hoc ex isto textu in ipsa Theologia supposuisse dictum fuit supra, & nunc præstitam fidem solvamus.

Primùm *in 2. qu. 19. art. 6.* quærit, utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona? Arguit, quod sic. At mox ait. *Sed contra voluntas occidentium Apostolos erat mala; sed tamen concordabat rationi erranti ipsorum secundum illud Ioan. 16. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo. Ergo voluntas concordans rationi erranti potest esse mala. & hanc doctrinam statuit in corpore articuli.*

Iterum *quæst. 17. de verit. art. Sed contra est, quod dicitur Ioan. 16. venit hora,* &c. Rursùs *in 2. dist. 39. qu. 3. art. 2.* ubi quærit, utrum conscientia aliquando erret. Et probat eam errare, ut patet, ait, *Ioan. 16. venit hora,* &c. Compertum autem est in D. Thoma, conscientiam erroneam non semper excusare. Denique in catena super hunc locum.

Chrysostomus *hom. 76. in Ioan. si vos interficient, rem piam, & Deo gratam facturos se, existimabunt, In catena S. Thomæ habemus nobile commentarium: ut illa metuentes, ne templum, quod erat apud eos, & omnia legis veteris sacramenta desérantur, sic interficient vos, ut Deo arbitrentur se obsequium præstare, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Hoc enim de Iudæis dictum accipere debemus, &c. Nam testes, id est, Martyres Christi, etiam si occisi sunt à gentilibus: non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed Diis suis falsis obsequium se præstare; Iudæorum autem omnis, qui occidit, prædicatores Christi, Deo se putavit præstare obsequium: credens quod desererent Deum Israël, quicumque converterentur ad Christum. Hinc ergo accensi, & zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, obsequium se Deo præstare credentes, occidebant eos.*

Origines *ad cap. 10. epist. ad Rom. non multum prodest habere zelum Dei, & non habere scientiam Dei. Denique Iudæi putantes zelum se Dei habere, sacrilegi extiterunt in Filium Dei; quoniam non secundum scientiam zelati sunt, &c.*

In Decreto etiam 15. *quæst. 1.* extant ea. *Tales illi erant, de quibus Christus ait Apostolis: extra synagogam facient vos; quia arbitrantur, obsequium se præstare Deo. De eisdem etiam Apostolus scribit ad Rom. Testimonium illis perhibeo, quia zelum. &c. Nullum tamen in sua perfidia perseverantem hæc ignorantia excusat.*

Cornelius à lapide *ex epist. Enegelica Martyrum Lugdunens. Refert: tunc videmus, inquiunt, compleri illud Christi, veniet, tempus, in quo qui occiderit vos, putat se obsequium offerre Deo.* Quia enim damnarunt eorum Thyestas cœnas, & Oedipia incesta, quod scilicet vorarent humanas carnes, & promiscuos haberent concubitus, omnes simul adversus Christianos fremere, & insatiabili odio furere cœperunt.

Sed verò in his non videretur immorandum: nam nullus, quem viderim, commentatorum hujus loci vel antiquus, vel recentior vel dubitat quidem, eos, de quibus loquitur Christus, sive solùm Judæos, sive etiam gentiles (in quo est dissentio aliqua) arbitratos fuisse, putavisse, existimavisse, se occidendo Christi discipulos, obsequium, & sacrificium (ut exponunt) offerre gratissimum Deo, vel Diis falsis, quos tamen veros esse credebant. Rem Toletus egregiè declarat exemplo Pauli, qui zelo, & æmulatione tot illa perpetravit. Nec item dubitant, eos nihilominùs peccavisse: ubi cumulate sanctos alios possumus. Quid ergo tam ultrò, quam falso assumitur, eos, qui se benè agere putant, ita existimando, & arbitrando non peccare? Anne, qui arbitratur obsequium se præstare Deo, & sacrificium, putat, & arbitratur se in eo peccare? At quod hic certò falsum est, nequit in Theologia verum fieri.

§. III.

Horum comprobatio, & major declaratio.

ERant verò causæ obviæ, quare Judæi, Gentilesque ita arbitrarentur, suis eos peccatis obcæcantibus: *super cecidit* enim *ignis, & non viderunt solem.* Illud verò primum, quod hominem eumque crucifixum Deum esse prædicarent, Judæis quidem scandalum gentibus autem stultitiam. Credendum est enim hoc Paulo Apostolo contestanti clausis oculis; hic videbatur, quod modò portentosam religionem inducerent, ut loquitur à lapide: superstitionem inde eam habeant, ac Christianos vix non fatuos, teste Porphirio, qui id crederent, magos prætereà, & scelestos arbitrantur; malorum item omnium belli, pestis, famis, & inundationum causam, ut ex Tertul. Justino Martyre, Augustino, & aliis obvium est, dæmone per idola, horumque Sacerdotibus errorem latissimè propagantibus. Absurdum prætereà id ipsis, & plenum scelere videbatur, quod Dii sui, quibus assueverant, quosque veros esse credebant, & ritus, & sacrificia, & avita omnis religio deleretur: & tantundem Judæi de lege Moysis existimabant. Ex his tantis atrox adeò, ac diuturna persecutio in Christianos invaluit. secuta miracula; conversi plurimi: obduruerunt reliqui, & superstitioni, magiæ, ac fraudibus omnia dabant. Eusebius Cæsar. *lib 6. hist. Eccles. c. 34.* ex Dionysio Alexandrino sic scribit; *nam vates (quisquis ille fuerit) malorum omnium, quæ huic civitati acciderunt, architectus infinitam gentium turbam contra nos concitaverat, &c. solam pietatem, & verum cultum dæmonum suorum istum censuerunt, ut Christianorum cæde, & sanguine suas crudeles manus respergerent.* Ecce itaque quia arbitrarentur, censerentque,

Hæc ita peracta esse plùs minùs, tenebris comprehensos Judæos, & gentiles ita deſæviſſe, & ut Salvator ipſe teſtatur, Tyrannos, ac populum neque patrem noviſſe, neque ipſum, quin rem Judæis ſcandalum viſum, & gentibus ſtultitiam, res ipſa loquitur; vitæ martyrum, Apologiæ Chriſtianorum, & omne genus teſtium conteſtatur. Peccarunt tamen Judæi, ut certò conſtat peccarunt Tyranni: nec enim peccarunt, vanus hic error obſtare potuit: ait in Judæis non obſtitit; ergo neque in gentibus: excuſa alioqui Neronem, Diocletianum, Maximianum, & hoc genus monſtra cætera contra clamorem ipſorum Martyrum, & ſuaſionem mundi. Indè *ſap.* 5. voces eorum: *& erunt gentes &c.. Hi ſunt quos habuimus aliquandò in deriſum &c. nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & reliqua.*

Sed verò teſtibus mortuis opus non eſt. Judæi nunc etiam ſunt nobis teſtimonium viſibile, quorum excitatum, ut ait Aguſtinus, reliqui vident, & ipſi non vident: inſana utique cæcitate, quæ per Prophetas, & ab ipſo quoque Salvatore prædicta fuit, periculi omnia ſcelera perpetrant in Chriſtum, ejuſque ſacras imagines. An in Deum notum ita fuerun? Ad eum Meſſiam credunt, & Meſſiam adhuc expectant, & ne Chriſtum admittant, quem nolunt tanta patiuntur? Nugæ ſunt. Et tamen peccant, ut Patres eorum peccarunt: ideoque etiam à Deo, & ab omnibus ponuntur.

Mahometani quoque profundiſſimè decepti, quidquid perſecutionis, cladis ac bellorum in Chriſtianos exercent, ſuo Mahometo percharum credunt, & honeſtum, & religionem putant. Nec aliud in multis etiam hæreticis cenimus. Tu eos excuſas, quia zelum Dei in ſe habent: at Paulus teſtimonium perhibet, quod zelum quidem habent, *ſed non ſecundum ſcientiam; ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti: finis enim legis Chriſtus:* & expertus ſanè loquitur.

Hinc & multiplici prætereà ſcriptura, Eccleſia, & Præſules, & Doctores ſpirituales animarum perſuaſum id ſemper habuerunt, peccari ſcilicet poſſe per deceptionem, & ſeductionem: nec per hoc excuſatum, & culpæ immunem quemque credunt, quod deceptus fuerit, quod ita exiſtimaverit, & bonum eſſe crediderit, quod fecit.

Indè ſuper revelationes, viſiones ac ſimilia ſancta Mater Eccleſia adeò invigilat, an Sathanas in Angelum lucis ſe transformaverit, examinat; ſpiritus probat; illuſiones à veritate diſcernit, & ne animæ deceptæ pereant diligentiſſimè cavet, Et nullus credo, eſt librorum, & Patrum ſpiritualium, qui in ipſa etiam vita ſpirituali, ſeu quæ videtur eſſe, pericula non timeat, non advertat, non præcaveat, ut Avila *§. præc.* dolebat, & dolet inferiùs temerariam, ut loquitur, quorumdam confidentiam, deceptorum tamen, qui certiſſimum habent paratas eſſe ſibi in regno ſedes.

Ideò tantus Paulus in hac re: *ad Coloſſ.* 2. *Hoc autem dico, ut nemo vos ſeducat in ſublimitate ſermonis.* Ac iterùm: *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Grandis ſanè, & plenus conclusionibus ſermo. Ad Epheſ.* 5. *nemo vos ſeducat inanibus verbis: & Matth.*24. & aliàs. Iterùm *Matt* 16. *cavete à fermento Phariſæorum*, id eſt à doctrina. & 1. *Ioan.* 4. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum.*

Si decipi nullum eſt malum animæ, ſi quæ decepti bona eſſe exiſtimando facimus, honeſta evadunt, quin tam, honeſta, atque bona ipſa, quorsùm tantòpere ſeductio, ac malæ doctrinæ caventur? Sed conſtabit clariùs *quæſt. ſeq.* quomodò animæ deceptæ pereant, perdantur, atque mactentur. Ex Ezechielis porrò 13. & alias liquet, quomodò perirent animæ deceptæ à falſis Prophetis; *ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Atque in Iſaïa, & Hieremia multa, quæ dabimus, ubi de Magiſtris agitur. Væ item ſcriptum eſt dicentibus malum bonum, & bonum malum. Væ item ducibus cæcis, & cæcorum: at cæci, credo cæcitatem ſuam non vident, nec in quo quis cæcus eſt, ſe cæcum eſſe cognoſcit, ſed inſtar cæci ſunt in foveam cadentis cum Doctore cæco; quæ ſimilitudo eſt Salvatoris.

Ex his, atque perſuaſio eſt fidelium omnium, judicium Dei futurum, eſſe ſtrictiſſimum, & tremendum: non ſicut hic, ita ibi judicandum: non ut nobis videtur, videndum quoque judici: de pluribus, ac multò aliter, quam exiſtimamus, nos diſcutiendos: atque hoc genus multa inconcuſſe credimus, & ſanctiſſimi quique timent. Non ergo noſtra actualis exiſtimatio erit menſura, & regula univerſa; nec dicendo, hoc exiſtimavi, ita putavi, abſolutum eſt negotium: quid alioqui timerent ſancti, quid plurimi qui actu advertendo ſe peccare, nullum ſanè peccatum grave, ac multi vix etiam leve deliberatè, & ſcienter admittunt? ſed edocti ſunt ab Apoſtolo: *nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt:* delicta enim quis intelligit?

§. IV.

Capitale fundamenta ſecùs docentium conteritur.

NOn loquor de voluntarietate, vel involuntarietate: hoc enim eſt adverſus omnia prorsùs peccata ignorantiæ, & ex ignorantia contra fidem ipſam. Nunc de ea opinione Specialiter eſt ſermo, deque illius capitali fundamento, quæ ait non peccari niſi actu advertatur peccari: quæ etiam, opinio, ut quæſt præc. fuit oſtenſum, omnia omninò ignorantiæ peccata videtur ſanè tollere.

Fundamentum eſt, quod bonum, vel malum apprehenſum ſolùm conſtituat menſuram totius bonitatis, & malitiæ. Aiunt ergo qui exiſtimans aliquid eſſe malum, illud operatur, peccat: ergo qui exiſtimans

existimans aliquid esse bonum illud prosequitur, bene, ac honestè agit: nec enim plus valet ad malum malitia apprehensa, quam ad bonum bonitas apprehensa. Rationem à priori eam dicant, quod actus voluntatis non specificantur à bono, & malo, in re, sed à bono, & malo apprehensio, & cognito. Aiunt itaque, qui agit contra suam actualem conscientiam rectè agit. Quid enim aliud agere potuit, vel debuit?

Hæc opinio paucis verbis contenta, quæcumque hactenus tanta authoritatis, ac rationis mole stavilibimus, cuncta subvertit, nec admitti ullo pacto potest. Hominua implere videtur vana confidentia suæ justitiæ, & salutia futuræ: nam ut paulò ante notabam, plurimi sunt, qui actu advertendo nullum grave peccatum admittunt. Et hoc ipsum rursùs dupliciter accidit; primò in sanctis, qui diligentissimè Deo inserviunt, & hi sanè eam confidentiam non habent, sed timent, & humiliantur, & fidunt potissimum in Dei misericordia, & in sanguine Salvatoris. Secundò in negligentibus quibusdam, qui ad pauca legem resolventes de quam plurimia scrupulum non faciunt: & credunt intereà, se nisi actu advertant, non peccare quidquid intereà re ipsa erit de lege in se ipsa.

Indè timor sanctus Dei, qui initium est sapientiæ; humilitas, sine qua non est salus; oratio, studium proficiendi, & aliæ virtutes periclitantur. Scit quippè quis se in iis, quæ pro peccatis habet, labi jam diu non solere; & sic etiam fore in futurum ex præterita experientia consilit. An plenus sit superbia, invidia, amore sui, si de his scrupulum non habet, non curat: quia tunc solum, & sic solum peccarur, ut putat quando, & sicut existimarur actu, & judicatur peccari: & ex hoc uno vitam suam dirigit.

Sed verò neque hi ipsi hujus opinionis assertores hactenus deleverunt ignorantiæ consequentis, & voluntariæ divisionem in ignorantiam affectam, & in supinam, ac crassam; quæ est ætatum sanè omnium, & librorum divisio; item neutram eorum à peccato excusare, nec hi quidem ipsi diffitentur, & priorem nec vel diminuere culpam, secùs posteriorem, velut elementa sunt Theologiæ.

At utroque modo ignorantes sæpè operantur, quin in particularibus agibilibus, & in singulis actibus scrupulum ullum faceant: tum quia de quam plurimis sic affectatè, vel supinè ignorant, ea esse mala: tum quia distracti ad alia, quibus immersi sunt toti, nihil de eo cogitant. Sic mundum multi guvernant, & de justitia distributiva uti de re sua disponunt pro libito, exiguo certè examine meritorum, alii negotiantur, & per ignoratas usuras, & omne genus industriæ thesaurizant super terram: alii multi, vel pauci Episcopatum sine scrupulo modis omnibus ambiunt. Quæro, an ne hic nequeunt habere ignorantiam vel affectatam, vel supinam, ex qua proveniat non scrupulus? At hæc ignorantia non excusat. Ostensum est præterea universim *quæst. præc.* implicationem esse in terminis, ex ignorantia, & per ignorantiam peccari; & peccari scienter, & advertentur. At peccatur ex ignorantia affectata, atque etiam ex supina, & crassa, ut indubitata est doctrina. Ergo peccatur, quin actu advertatur,

Nos itaque 1. *p. lib.* 3. tractavimus quæstionem istam cum D. Thoma sub iis terminis Doctoris, utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona? *l.* 2. *quæst.* 17. *art.* 6. quemadmodum *art. antec.* quæsierat, & ostenderat, voluntatem discordantem rationi erranti esse malam: & tenuimus cum S. Doctore, voluntatem concordantem rationi erranti posse esse malam, ut fuit voluntas occidentium Apostolos, quod tibi affert.

Neque verò Doctorem ita docentem effugit ista magna difficultaa, ob quam contrarium docetur: quin ab ea articulum incipi dicendo: *videtur, quod voluntas concordans rationi erranti sit bona. sicut enim voluntas discordans à ratione tendit in id, quod ratio judicat malum, ita voluntas concordans rationi, tendit in id, quod ratio judicat bonum. Sed voluntas discordans à ratione etiam errante est mala* (ut in art. antec.) *Ergo voluntas concordans rationi etiam erranti est bona.* Et solvit hoc in solutione ad primum: de quo mox. Hinc miror Theologi oscitantiam, qui ratione, & authoritate S. Thomæ ostendit, voluntatem discordantem à ratione errante esse malam; & subsumit mox, eadem authoritate constare, voluntatem, vel operationem conformem rationi erranti esse bonam. Mirarer minus, si alibi S. Doctor contrarium docuissat: docet autem ibi continenter. Et tamen, quod plus miror, & doleo, has opiniones ita tenent, ut nec ferre quidem velint contrariaa.

Sapienter S. Doctor in corpore articuli advertit, quæstionem istam, utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona; eandem esse cum illa, qua quæritur, *utrum conscientia erronea excuset?* At, nuper dicebamus, nemo est qui dicat, conscientiam erroneam semper excusare: sed eam omnes in invincibilem, & vincibilem dividuut, & istam mox in erroneam ex ignorantia affectata, vel supina, & crassa: & aliquam aliquando non excusare, aiebant esse de fide. Jam porrò S. Thomas notabat suprà, quod quando datur conscientia erronea, tunc ratio naturalis actu *non dictat contrarium, si enim dictaret contrarium conscientia non erraret*: dictaret quippe esse peccatum, quod est peccatum.

Hinc, ut S. Bonaventuram, aliosque magnos Theologos hic omittam, nihil tritius est in S. Thoma, quam peccari posse operando juxta conscientiam scilicet erroneam, quin operando juxta conscientiam adeò actualis cogitationis, & scrupuli peccati expertem, ut sit non modo conscientia erronea, ac pro inde actu non dictans contrarium, sed sit etiam conscientia erronea obligans ad operandum juxta ipsam quandiù non deponitur.

Istam postremam S. Thomæ doctrinam aiunt quidam, non esse suam; & probant; quia quod libeta, in quibus eam tradit, non sunt sua. Verum eam iisdem pœnè verbis docet in quinque saltem, quod sciam, locis *quod lib.* 8. *art.* 13. & *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 3. *art.* 2. & *quæst* 17. *de verit. art.* 4. & *in summa. l.* 2. *qu.* 17. *art.* 5. & *in cap.* 14. *epist. ad Rom. lect.* 2. An hæc omnia non sunt sua? Ponit vero in his locis omnibus conscientiam erroneam talem, ut juxta, vel contra eam agendo peccetur, quandiù non deponitur: nec in hoc cæteri tunc Theologi quidquam discordabant; & sumitur ex adductis authoritatibus.

Nunc difficultati initio §. propositæ occurra-

mus S. Thomas eâ *qu. 19. art 6.* respondet *ad primum dicendum, quod sicut Dionysius dicit in 4. de divinis nominibus; bonum causatur ex integra causa: malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam naturam sit bonum, sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.* Habes oculos transuersos: valet ergo malos. Non habes transversos: non valet: ergo bonos.

Sed ut fatear ingenuè, *in 1. par.* ubi de hac retractavi, non totam S. Doctoris profundam doctrinam comprehendi, sed de hac illius data solutione ad alia processi, nihil sanè dubitans de vanitate doctrinæ pernecessariæ.

Ergo S. Doctor in corpore articuli ex voluntarietate totam, atque doctrinam instituit. Hinc nos quoque modo ulterius difficultatem illam dissolvamus. Violatio ita legis, quam existimas dari, est tibi voluntaria, & libera: atque ideò peccas: peccat ergo omnis operans contra conscientiam.

At non valet: violas legem, quam existimas non dari: ergo violatio est involuntaria: ergo juxta conscientiam agendo non peccas. Est enim prima consequentia certò, & manifestè falsà, quia error ipse sæpè est voluntarius, voluntaria quoque ignorantia; vel quia est affectata, & nolentium *intelligere, ut benè agant*, quin dicentium; recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus: vel quia est ignorantia supina, & crassa, quæ peccatum diminuit, non tollit, ut in Paulo; *misericordiam consecutus; quia ignorans*: & item: *Pater, ignosce illis; nesciunt enim, quod faciunt.*

Ais: sicut est ignorare voluntariò legem, quæ est, & ideò ignorantia non recusat; ita etiam est voluntariò fingere legem, quæ non est: ergo tunc saltem non erit peccatum agere contra conscientiam erroneam: quemadmodùm est peccatum etiam agere, juxta, quando conscientia erronea est vincibilis, & voluntaria.

Fateor, errari posse voluntariò per aliquam negligentiam voluntariam etiam fingendo legem quæ non est: & sic faciebant, & peccabant, illi, quos objurgat Petrus Apostolus, & sæpè conterit Paulus, volentes circuncisionem, & legem totam conjungere cum Evangelio; & sic etiam peccabant hæretici tollentes nuptias, & tollentes secundas, ac reprobantes, & plures alii.

Tamen non valet paritas; quia voluntarietas illa antecedens ignorantiæ, & erroris non impedit, nec tollit voluntarium præsens directum, & actuale, quo agens contra conscientiam erroneam vult agere contra legem Dei, quam ipse actu existimat dari: & ex hoc voluntario actuali præsente incidit peccatum in operatione illa contrà conscientiam. Hoc tamen voluntarium actuale directum non pugnat cum voluntario antecedenti affectato, vel supino, & indirecto, unde provenit ignorantia, ac proindè neque operationis, cujus illa est causa.

Difficultas itaque solùm probat Theologiam omnium de ignorantia invincibili, quæ penitùs excusat à peccato. Nullatenus enim præcognitum nullatenùs est voluntarium; & hoc sensu est verum, quod usurpabant, scilicet actus voluntatis specificari quoad bonitatem, & malitiam non à lege in re, sed cognita. At quandò voluntario ignoratur, vel erratur, præcedit cognitio sufficiens ad voluntarium, ut exponetur: & hic velint, nolint, firmiter tenendum est; & supponendum quia alioqui omnis ignorantia excusaret, quod est hæresium, & sub his terminis contra omnes:

Sed largior ultrò te habere nihilominus aliquid, vel aliqua contra solutionem. Non sequitur: ergo docere possum contrarium; nec enim docemus, quod docemus, propter istam solutionem, sed propter tot alia quæ veritatem manifestè commonstrant. Non ergo visa aliqua difficultate. sed libratis cunctis est opinandum, atque etiam docendum,

At, inquis, doctrina ista metum incutit, Sed verò consideratio futuri judicii etiam sanctissimis metum incutit. Ergo potius doctrina metum excutiens hoc ipso falsa esse deprehenditur, Sed de his plura *infrà*.

§. V.

Quantas vires Novatorum errori tribuat opinio contraria?

HOc ex loco, in quem ipsi impingunt, impetere nos solent adversarii: quia dicimus peccare nos posse non advertendo actu, quin arbitrando obsequium, & sacrificium, nos præstare Deo. Opponunt quippe, si Deo placet, incidi in Novatorum errorem illi enim tenent, ignorantiam nobis in statu ipso lapso invincibilem, & solùm vincibilem in Adamo, non excusare à peccato. Subsumunt mox de suo adversarii: sed quoties non adest actualis cogitatio peccati, est ignorantia invincibilis; multò vero magis, si existimamus nos obsequium præstare Deo. Ergo si tunc nihilominùs peccamus, jam ignorantia invincibilis non excusabit.

Sed verò, ut sæpe noto; hæc ignorantia invincibilis nova explicatio omnia prorsùs ignorantiæ, & ex ignorantia peccata convellit. Pleraque rursùs & cætera peccata tollit: an qui cum muliere actu concubunt, cum rapiunt, cum fusissimè detrahunt, Deum, & legem ejus, & rationem peccati actu cogitant? sin minus invincibiliter ignorant. Certè nec orare vix tantillum possumus, quin distrahamur: quantò magis Deus, ejusque lex in mente actu continuò non est, quandò peccatur. Ergo ne ignorantia invincibilis excusabit?

Hæc rursùs explicatio, quæ actualem cogitationem requirit, ut ignorantia sit vincibilis, in eum finem eam requirit, ut simus tunc, cum ex ignorantia peccamus, actu potentes tollere ignorantiam. Hoc porrò est vanum; nam in ipso illo instanti, in quo jam urget operatio, ignorantia tolli nequit, sed antea potuit, & postea poterit, ut dicetur; non autem tunc in momento.

Verum, quod annotare per necessarium fuit, mirum est, quantas vires explicatio ista Novatorum errori ministret. Assument siquidem explicationem istam ignorantiæ invincibilis vel ad hominem,

hominem, vel etiam absoluti, eam ut sibi commodam approbando, & arguent: adest ignorantia invincibilis, quoties actu non advertitur peccari: at non quoties actu non advertitur peccari, excusamur à peccato. Ergo non quoties adest ignorantia invincibilis excusamur à peccato.

In disputatione sic instituta habebit pro se Novator. Thomam, Bonaventuram, ac plurimos magni nominis Theologos: babebit scripturas innumeras, & sanctos ad litteram, ut ex praecedentibus satis constat. Adversarius habebit, quanta volet, ut ostendat, omne peccatum esse voluntarium: at nihil authoritatis hactenùs attulerunt, nec afferre, credo poterunt, pro ista propagatione, qua aiunt, non peccari, nisi actu advertatur peccari. Inquis, ratione pugnabo. Sed enim in his saltem causis dogmaticis friget sola ratio expers authoritatis; cadit etiam, & vincitur, ubi est contra magnam vim authoritatis. Novator deindè non pugnat contra tuam rationem, eam admittit, & consentit, dari ignorantiam invincibilem, quoties non adest actualis cogitatio peccati in contrarium.

Hoc fermè pacto plurimæ hæreses ex hæresibus contrariis vel natæ vel confirmatæ sunt: Nestorius Christum dividebat, duasque ex unâ affinxit personas. Mox Eutychez, ne divideret, ex duabus unam in Christo naturam compinxit: Monotelitæ rursùs unam operationem, & sic alii, ut declinarent extrema lapsi sunt. Pugnarunt acriter Pelagiani, ac deinde semipelagiani contra concordiam libertatis, & necessitatis gratiæ: intulerunt, gratiam non esse necessariam saltem ad incipiendum. Hæc ipsa sumpserunt, non alia Lutherus, & Calvinus; intulerunt, non dari libertatem. Nihil magis pugnare cum Lutheranismo videtur, quam Pelagianismus. Et profectò ita est quoad conclusiones illatas: verum origo una, & principium. Atque ista non identitati rerum, sed explicationi in exemplum data accipe.

Novator durus ait, nec ignorantia quidem invincibilis excusat à peccato. Adversarius ait: quin omnis ignorantia excusat a peccato, quoties actu non advertitur peccari. Nihil discrepantius. At mox conceditur Novatorum errori ignorantia invincibilis, quoties deest actualis adverrentia: quo habiro nos obruit vel solo Levitico. Quemadmodum Pelagianus concedens & volens, liberum arbitrium esse, quod alieno auxilio non indiget, concedit Luthero, aut tribuit omnes scripturas, quibus ostendat nos indigere Dei auxilio; proinde non esse liberos. Sed hactenùs dicta ulteriùs adhuc stabiliamus.

QUÆSTIO VII.

Peccatur saltem aliquando per infidelitatem, & hæresim: & tamen non advertitur peccari, quod judicatur obsequium præstari Deo. Peccatur ergo nihil actu advertendo, quam arbitrando, &c.

A Deo in motibus invaluit existimatio ista de necessitate actualis cogitationis, & tot, nisi totus inprio, infert præjudicia, ut modis omnibus eam convellere, necessarium arbitratus sim; atque totius literatii laboris mei pretium futurum amplissimum, in hoc enim consequerer.

Nunc ad præcedentium omnium munimentum, ad syllogismum provocavi, cujus major constet authoritate innegabili; minor ratione evidenti: & consequentia sit legitima, syllogismus est; peccator saltem aliquandò per interiorem infidelitatem, & hæresim: & quandò sic peccatur, non actu advertitur, nec cognoscitur peccari, quin existimatur, præstari Deo, vel Diis falsis. Peccatur ergo, quin actu advertatur, & cognoscatur peccari, quin existimando, obsequium præstari Deo. Nunc primò propositionem majorem innegabili authoritate constituamus.

§. I.

Peccatur saltem aliquando per interiorem infidelitatem & hæresim etiam intra Ecclesiam.

HÆc propositio videtur innegabilis. Eam supponunt Theologi 22. *quæst.* 1. *& art.* 3. insuper quæritur, utrum infidelitas sit maximum peccatorum? Est ergo saltem aliquando, saltem peccatum. *Et qu.* 11. *art* 1. & summistæ omnes verbo *infidelitas*, & verbo *hæresis*. & nemo ut arbitror, eam sub his terminis negabit, nec palam, & cathegoricè pronunciabit, infidelitatem, & hæresim numquam esse peccatum: quod ex solo titulo inquisitorum hæreticæ pravitatis satis videbatur exploratum.

Constat res *ex Evangelio Matth.* 7. *attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis Ovium; intrinsecus autem sunt lupi*: mactanres utique oves, atque perdentes. Id ipsum quippe lupus est, & fur: Joan. 10. fur *non venit, nisi ut furetur mactet perdat*, & paulò anre omnes, *quot quot venerunt, fures sunt, & latrones*: omnes scilicet Prophetæ falsi, & Philosophi, ac sapientes sæculi. Perdebant ergo hic, atque mactabant: non utique ferro: ergo errore. *Et infra; mercenarius autem &c. videt lupum venientem. & dimittit, oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves.*

Paulus Apostolus art. *Attendite vobis, & universo gregi &c. Ego scio, quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Hi profectò lupi rapaces perdebant fanè quos rapiebant; Et hoc est non parentes gregi. Item multa in utraque ad Thimoth. epistola; inter quæ ep. 2. *cap. Mali autem homines, & seductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes. Tu autem. &c.*

Multus est Petrus quoque Apostolus epist. 2. cap. 2. per totum. *fuerunt verò, & Pseudoprophetæ in populo, sicut in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Deum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequuntur eorum luxurias, per quas via veritatis blasphematur.* Ex his proculdubio erant, Ebion, Nestorius, & quotquot eum, qui nos emit, Deum esse negabant. Hi ergo errores, & hæreses perdunt, quos capiunt. Undè, & *Pseudo-Apostoli, & Pseudochristi, & Antichristi* Hæresiarchæ vocantur ep. 1. Joan. 2. & Matth. 24. Marci 13. & 2. ad Corinth. 11. & 2. Joan. 19. nunc Antichristi multi facti sunt, &c. ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Quis dubitat, per

hos perdi animas? Inde, ut quæst. præc. dictum est tantopere nobis intimatur, ne quis nos seducat, ne decipiat, ut caveamus à fermento doctrinæ scribarum, & Pharisæorum; tenentium scilicet doctrinas hominum, & non Dei. Ubi omitto voces Prophetarum contra falsos Prophetas, ac Pseudoproph.

§. II.

Sancta Ecclesia indubitatam semper habuit hanc doctrinam.

AD hoc demonstrandum alia opus non est quam accipere, & percurrere tomos Conciliorum, & epistolas Romanorum Pontificum in eis contextas. Quin tota quanta sollicitudo, & cura Pastoralis in doctrina, & contra hæreses etiam purè speculativas in hoc uno fundatur, quod perirent utique animæ per hæreses, & errores.

Erubesco sanè de rebus tam manifestis vel cursim commonstrandis tractare. Sed certè quid faciam, si tenetur, si propagatur, peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscat ipsa actu, se peccare. si lupum rapacissimum non lupum putas, sed ovem quia investimento est ovis, & ei credis, nihil inde malinon peccas, non raperis, neque mactaris. si rediveria, nihil, item mali: nam ut evidenter mox constabit, nemo seducitur, decipitur nemo cognoscendo se seduci, vel decipi. Sed, inquis. quid misera anima faciat, si verum putat, quod credit? Sed S. Leo *in epis.* Synodia ad Davianum Constant. rectè, in errorem eos, ait, *qui non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas, nec ad Evangelicas autheritates, sed adsemetipsos recurrunt,* id est, ad sua ingenia, & rationem.

Jam ergo in re clara afferamus pauca clarissima, indubitabilem doctrinam memoriæ solum offerant. Celestinus Pontifex *in Epist.* ad Nestotium Patriarcham: *Quid hic acturus, qui Dominicum gregem pro lupis ipse discerpis? Atque jam grex sanctus septa confugiet, si intra ovilia Ecclesiæ sauciatur? Quis futurus est tuitione defensus, qui te patitur pro custode raptorem? & alias, inquit Dominus, habeo oves, quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere: Ille alias promittit adducere tibi pereunt, quas habebas.*

S. Leo agens de hæresi Euthychiana *in Epist.* 1. ad Pulcheriam August. *quia etiam ignorantia in graves nonnumquam incidit lapsus, & plerumque in Diaboli rutt foveas incauta simplicitas. Epist. 13. ad Ephes. 2. Synod. hoc est, ut pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui impudenter erravit restitutione tractetur.* Et Epist. 11. ad Theodosium Imp. *quia vero diabolica nequitia fallit subtiliter incautos*: Et in synodica ad Clavianum constant: *ut qui erraverat, damnata sensus sui pravitate salvetur. Et serm. 2. in Anniverss. Assumpt. suæ, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia.* Item alia Epist. 74. ad Anatolium Siricius Papa Epist. 2. *ô infelix audacia! ô desperata mentis astutia! iam incognitus sermo hæreticorum intra Ecclesiam cancrismere serpebat ut occupans pectus totum Hominem præcipitaret in mortem.*

Innocentius I. ad Patres Concil. Carthag. (si enim diù fuerint in hac impunitate versati, necesse est, multos in hanc pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potius imprudentem, qui fidem Catholicam non sequatur. Putabunt enim, eos rectè sentire, quos adhuc viderint in Ecclesia perdurare. Separetur ergo à sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientia afflatu, cautius, quæ sunt syncera, perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.)

Est certè frequens nimia hæc imprudentia, quâ toleratum cum approbato confunditur, & dicitur haa, aut illas opiniones esse in Ecclesia, neque damnari: unde eas tutas imprudentius inferunt. Et quippe medium inter probari, & damnari, scilicet tolerari, quandiu ipsa Ecclesia judicabit, ut patet per textum, multa per patientiam tolerantur, &c.

Idem Innocentius ad Patres Concil. Mileu. post damnatum Pelagium, & Cælestium: (absint atriis Domini: careant custodia pastorali, ne duarum ovium dira contagia serpant forsitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde lætetur intra ovile Dominicum tantas ovium fusas catervas, dum à custodibus dissimulanter habetur vulnus duarum. Respiciendum est ergo, ne permittendo lupos, mercenarii magis videamur esse, quam Pastores.) & sic alii percurri possunt: satis sane, superque esse viderentur vel solæ lectionis Breviarii feria 3. infra Octavam Pentecost. ex Augustino *tract. 55. in Ioan.*

Fortè verò antiquata sint ista, & alios jam sensus indui sancta Ecclesi. dedicitque, nisi actu cognoscendo, & advertendo haud peccari; quia misera alioquin anima nesciens perit, & ita, ut tu quidem tuo magno ingenio statutis, prorsus involuntario, ac sine libertate. Absit imperita existimatio: procul ab his periculis abest mater Ecclesia, quæ S. Spiritus assistentia dirigitur, atque ad Propheticas voces, ad Apostolicas litteras, ad Evangelicas authoritates tota convertitur, & Prædecessorum in doctrina sensus, quin & voces illibatè custodit ex perscripto Pauli, *depositum custodi*, & vel vocum novitates quam longissimè vitat. Sic proindè his in rebus modo loquuntur Romani, à fortiori etiam sentiunt, sicut ante mille quingentos annos.

Heri firmè, aut nudius tertius ex sensu Alexandri VII. sacra Congregatio Inquisitionis denuntiavit circa opiniones morales illa: (Quare ne ullo unquam tempore, viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti, contingeret, idem Sanctiss. Dominus noster, ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, &c.) Non autem ad eos sermo, qui scienter viam latam arripiunt, sed ad illos, qui per facta: ac malas opiniones abduci possunt, & seduci; ideoque ad pluris ejusmodi damnandas hoc velut universale præmium, ut scitut, præmissum fuit.

Sancta Synodus Trident. *sess.* 24. ante canones: *Non sine magna Christi fidelium jactura, quorum temeritati sancta, & universalis Synodus cupiens occurrere: insigniores prædictorum schismaticorum hæreses, & errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos dixit*, &c. Concilium Nizen 2. *act.* 7. *Notissimum est, quod hæresis etiam hominem ab Ecclesia separat, & Diabolo jungit.*

Omitto sanctos Patres, omitto sacra Concilia, anathemata in hæreticos, & pœnas, quibus utrumque jua abundat. Res est sanè publica, & notoria etiam simplicioribus, in qua proindè commonitio

monitio hæc brevis, atque animadversio videtur suffectura. Ubi, quod in part. notatum fuit, illud observare opus est, intra ipsam etiam Ecclesiam, intra septa ipsa, & ovile, peccari quoque posse per errores, & hæreses: (nou dico hæreticos fieri, aut esse ita peccantes, quin prius peccant, quam ejiciantur, aut prodeant ipsi; nullus quippe innoxius aut ab ipsa Ecclesia unquam ejectus est, aut ipse prodiit, ut præter dicta Hieronymus *lib. 3. Comment. in Epist. ad Galat. cap. 5.* signanter observat: quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

§. III.

Et tamen nullus putat, & cognoscit, se peccare per hæresim, quin arbitratur, se obsequium præstare Deo.

HÆc est minor propositio syllogismi propositi, quam evidentem esse, dixi. Certè nihil evidentius esse posse videtur ex primis principiis de intellectu, & ab experientia. Principium est, intellectum esse ad verum, & intellectum ferri sub ratione veri in omni suo assensu: atque hoc ex natura intellectus, atque ab experientia tam est manifestum; atque auditum esse ad sonum; odoratum ad odores visum ad colorata.

Infertur per immediatam consequentiam: ergo intellectus nulli rei assensum præstat, quam non existimet. & credat, esse veram: sed hæreticus, præstat assensum hæresi, quandò hæresis est positiva; negat assensum fidei, quandò est negativa, vel etiam dissentit. Ergo hæreticus existimat, & credit, veram esse hæresim, cui assensum denegat, quin etiam dissentit.

Sed nemo existimat, & putat actu, se peccare præstando assensum rei quam actu existimat, & credit, esse veram, & negando assensum rei, quam actu nescit esse veram, aut putat esse falsam: quin honestum, sanctumque credit, & putat vera falsis præhabere; Et quæ vera putat, acceptare, ac falsa respuere. Ergo nullus hæreticus actu putat, se peccare præstando assensum hæresi, aut dissentiendo fidei, quin honestum, sanctumque credit, & putat, ita facere; ac proindè arbitratur, se obsequium præstare Deo.

Voces signatæ nos sæpè fallunt, ac fallere in præsentia possunt. Qui interius, & corde est hæreticus, & hæresi assensum præbet, nullis terminis utitur minus, quam istis nostris *hæreticus*, aut *hæresis*, nec se hæreticum esse cognoscit, sed sapientem credit, nec hæresi ut hæresi assensum præstat, sed hæresim potius veritatem putat, & totus fallitur, & decipitur. Sic Calvinista contemnens sacras imagines, & contemnens venerabile Eucharistiæ Sacramentum, si corde Calvinista est, ut sunt plurimi, & sanè obstinatissimi, non se hæreticum, aut sacrilegum habet: nos potius sacrilegos: & idolatras, & impios existimat. Non ergo actu cognoscit, & advertit, se peccare, quin obsequium arbitratur: se præstare Deo; nos contra esse sceleratos sacrilegos decepta profundissimè errore misera anima credit. Eutichiani nihil firmius habebant, quam Catholicos esse Nestorianos divisores Christi; Pelagiani putabant, nos liberum arbitrium, quod de fide est, subvertere: Ariani item putabant, horrendam nos chimeram trium personarum, & unius naturæ compingere; ac præterea etiam blasphemare, dicendo Christum, qui Patre minorem confessus est, eidem æqualem, & ita, alii, & alii.

Quin adversa via, si his etiam ita propositis, quod minimè credo, resistere pergat; id absurdi prolabitur quod, augmento hæresis, & erroris diminuatur peccatum, & tunc demùm tollatur prorsùs, cum ad summam obstinationem, & cæcitatem exercuerit, nam tunc prorsùs arcetur omnis etiam umbra scrupuli, & Lutherus redditus fuisset in sua hæresim impeccabilis, ex quo, ut dixisse fertur, vermem conscientiæ omninò elicit, extinxitque. Quid verò absurdius, & ab omni sapientia alienum magis, quam augmento vitii, ut est hæresis, culpam diminui, ac demùm eo ad summum exercente?

Explicatur magis doctrina: omnis habens actum hæresis fallitur, & decipitur, non putat se falli, & decipi *multos expertus*, (ait Augustinus *lib. 10. Confes. cap. 13.*) *qui fallere vellent*; *qui autem falli, neminem*; sed potius, se non falli, & verum dicere putat: se ergo putat omnis hæreticus, Sin minùs falsis notis, aut existimatis assensus dare, contradictoria simul enunciare, & affirmare, & negare possemus: quæ sunt evidenter falsa. Omnis ergo hæreticus, qui fallitur, & decipitur, & ita etiam Paganus & Infidelis omnis, qui religionem suam corde colit, & credit, se honestè, rectèque facere, tum religionem, & fidem tuendo, & credendo; tum contrarias omnes, & nostram ut falsas repellendo.

Hæc argumentatio insolubilis mihi visa est. Ineptissimus fortè aliquis dixerit, nullos infideles, hæreticos nullos corde credidisse suos errores. Hoc sanè contra sensum communem. Jam hoc facto peccatum hæresis de subjecto, ut aiunt, non supponente: quod quam sit falsum, patet ex §. 1. & 2. & nullus perire potuisset credendo Nestorio, Pelagio, Eutychi, de quibus erroribus Cœlestinus, Innocentius, & Leo Magnus loquebantur. Et certè nos ipsi quotidie, & in rebus pœnè infinitis fallimur; nam omnes nostræ disputationes scholæ, & libri sibi vicissim, & fortissimè contradicunt, at in omnia contradictione falli, decipique alterutros, in comperto est omnibus. Quid ergo in obscuris, adeò fidei nostræ mysteriis non fallantur, quin pertinacissimè fallantur hæretici. O tamen peccant saltem aliqui aliquando. Ergo peccant credendo, quod sibi verum videtur, & respuendo, quod putant falsissimum: ergo existimando se benè agere: nam quam habent existimationem de vero, hanc ipsam habent de non peccato: sed existimant, se verum credere: ergo existimant, se non peccare.

Subjicienda sunt itaque ingeniosa nostra. Habemus obstinatissimos hæreticos vivos combustos paucos illos, tamen aliquos. Hieronymum de Praga, Cazalam, Veram quemdam Judæum, & alios. Hi quo obstinaciores, ac magis pertinaces, eò scelestiores judicantur, & id circo cremantur. Anne in pœnam vivi comburuntur, & tamen si corde decipiuntur, non peccant? quia error eos securus, propter quem comburuntur, à culpa reddit immunes? His tantis posthabenda est sanè omnes ratiuncula.

De hæreticis certè præsentibus, & si Calvini-

stas præsertim maximè deceptos, ac obstinatissimos experti simus, tamen quia carni, & libidini nimis indulgent, suspicari saltem de pluribus, quoquo modo possemus. Et tamen etiam ex eis plerique decipiuntur, & veras eas religiones habent, in quibus nati sunt, ex quibus consueverunt: nam ut 1. *part. lib.* 1. quæst. 1. expositum fuit ex Aristotele, plerique judicamus, quemadmodum consuevimus, & ut ex Tullio usurpat Augustinus, magnorum ingeniorum est, ac proindè paucorum consuetudine non duci.

At de hæresibus purè speculativis omnis videtur cessare suspicio. Quid enim in aliorum specimen de miseris illis circuncellionibus reponamus, qui Salvatoris eas sententias, *qui amat animam suam perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, nimis grossè intelligendo, & non ex regula Ecclesiæ, *amore martyrii*, ut ait Isidorus, occidebant sese, atque præcipitabant? *Genus hominum*, inquit Augustinus *libr. de hæres. num* 69. *agrestè, & famosissima audacia, non solùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo; nam per mortes varias maximè præcipitiorum, & aquarum, ignium se ipsos necare consueverunt.* Hæc aliam solutionem non habent, nisi *quid est homo?* nullum enim scelus est, quod non admittat; nulla insania, quam non credat homo, si desit ille, qui factus est homo, ut Augustinum in simili resumam. Nunc, quando, & ubi ista scribo, factione gens ducitur, & alii alios vicissim insanos fermè habent, ac proditores. Hoc sumus homines.

Iam syllogismum resumamus: peccatur saltem aliquandò per infidelitatem, & hæresim, ut fuit ostensum. Et tamen nunc actu non advertitur peccari, quando qui peccat, credit, obsequium se Deo præstare: ut fuit etiam. Ergo peccatur, quin actu advertatur peccari, & arbitrando obsequium Deo præstari.

§. IV.

Hinc de credente hæresim suo Parochio, & aliis.

CReditur, & fidenter dicitur, nihil esse mali, nihil culpæ, si fidelis rusticus, aut simplex Parocho suo credat, personas Trinitatis esse duas, aut quatuor, aut unam earum esse Virginem sanctissimam. Probatio illa; quod is ignorans sit, nec plus sciat, nec aliud facere valet, quam Pastori suo credere: nec in quo peccet, ipse cognoscit. Verùm hoc uno verbo est per ignorantiam, & nesciendo peccari non posse.

Meritò sanè Scotus *in* 3. *dist*. 25. resoluit contrarium dicendo: quilibet simplex tenetur cavere non solum omnem errorem contrarium articulis numeratis, sed etiam omne, quod est contrarium scripturæ, & canonis Bibliæ. Probat, qui non posset aliquis pertinaciter adhærere contrario alicujus veritatis in Biblia, quin judicaretur hæreticus: & soluit argumentum contrarium, & Scotus utique habuit ingenium. Atque de hoc iterùm lib. 3.

Sed omittendo nunc universalem de omnibus in scriptura contentis sermonem, sententia communissima antiquorum, ut habes apud Vasquez *disp*. 121. indubitata mihi est, rusticos etiam, & simplices vel peccare credendo contraria articulis fidei suis Parochis. Primò quia via contraria tollit omnia peccata ignorantiæ, & ex ignorantia. Deindè quia Nestorius plusquam Parochus erat, & Episcopus, & Patriarcha Constantinopolitanus; Et tamen oves suæ ipsi credentes, in Christo esse duas personas peccabant, & peribant: *quid his tu Pastor acturus es, qui Dominum gregem pro lupis ipse discerpis?* &c. clamabat Celestinus Pontifex: *ille promittit alias adducere: tibi pereunt, quas habebas.* Nec alia de causa congregata fuit synodus Ephesina, nisi ut lupus rapax, & mactans arceretur, ejiceretur; & oves illæsæ servarentur. Jam oves illæ quid, precor, facerent saltem ante damnatum illum, quam Pastorem suum sequi, & credere tanto Patriarchæ? Et tamen peribant, & subdenda sunt colla pedibus Petri. Idem est de hæresi Eutychis, quæ assertorem, Patronumque habebat, Dioscorum & ipsum Episcopum, & magnum Patriarcham: & secundam synodum Ephesinam jure postea improbatam. Quare tu modo, quid oves facerent; nesciebant, non intelligebant, an aun, an duæ essent in Christo naturæ? Tu quidem ita. At Leo Magnus de hoc ipso agens: *& plerumque in Diaboli ruit caveas incauta simplicitas*, & rursùs: *ut qui erraverat damnata sensus sui pravitate salvetur.* Id circò ne perirent oves, coacta synodus Calcedonensis; abstentus, & ejectus Dioscorus.

Videntur certè existimare, nos per hoc ipsum tutos esse, quod decipiamur & malum non agnoscamus. Enimvero Evangelium contra attendere nos jubet à falsis Prophetis, qui in vestimentis quidem veniunt ovium, & ideò fallere possunt incautos. Hoc Dominus jussit: Sancti Apostoli commendarunt; Petri sedes tenuit. Peccare possumus, & perire per deceptionem, & quemadmodum simplex rusticus ille fallitur, & decipitur.

Nec est excusatio, quod intra Ecclesiam ipsam, ubi quippe magis est obvia, & invenibilior veritas, & intra ovile decipiamur, ut clarè etiam constat ex Celestino, Innocentio, Leone, Hieronymo, & ex sensu Conciliorum; & nisi adducta sufficerent, plura cumularemus. Et Paulus, ait, *ex vobis ipsis exurgent*, & Joannes supponit, dum, ait, *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*: prius enim quam prodeant peccant errando; quin error eos suus producere facit.

Quid verò de rusticis, ac simplicioribus eloquuntur: omnis ille, qui errat, & decipitur, & si alioqui ingeniosissimus, rusticus est, & simplex in quo fallitur; ignorat enim & verum habet, quod credit; quin eo fortiùs, quò sibi plus tribuit, plus portò sibi tribuunt non simplices. Minùs ergo isti peccabunt.

Audivi aliquando aliquem promptè dicentem, & ridentem etiam quasi nihilo ageretur, nihil interesse, quod illiterati ignorarent res fidei: quid aiebat, scire ipsi possunt, & capere, an in Christo una sit, an duæ naturæ, qui quid natura sit, non intelligunt? & dicti Authorem afferebat percelebrem Theologum, à quo audierat, nec tamen edere ausus fuerat. Sed ô Leo Magne, cui commissus fuit grex Christi, quod tibi visum? Ait in epist. 1. ad Pulcheriam Augustam de hæresi Eutychis de una natura: *non enim portiuncula aliqua nostræ fides, quæ minùs lucidè sit clara, pulsatur, sed hoc imperita resultatio audet incessere. quod Dominus in Ecclesia sua neminem velint ignorare*: & in aliis epist. *quod*

Dominus

Dominus in Ecclesia sua neminem utriusque sexus voluit ... Illud tu hoc Leo cujus regulæ sexcentum mox, & triginta Episcopi subscripserunt: tantus ille fuit ex Sede Petri.

Profectò similes discursus & sensus deplorandi magis ridentur, quam impugandi. Simplices, quid si natura, non intelligunt; essentiam, substantiam, transubstantiationem, & hoc genus multa nihil, aiunt, capiunt, assequuntur. Jam ergo totius fidei Catholicæ, sine qua salvi esse non possumus, & quæ profectò argumentum est non apparentium; Trinitatis, Incarnationis, necessitatem tollant. Quorsùm prætereà in his laboravit sancta Ecclesia? laborarunt sacra Concilia? illiterati primum, & rustici omnes prætermitti potuerant, qui ut aiunt, quid sit natura, quid persona, quid substantia, & essentia, nihil intelligunt, literati similiter, si benè fallerentur. Quid Ecclesia ergo universa quatitur Arianismo, Macedonismo, Nestorianismo, Eutychismo, & ingemuit orbis terrarum conspiciens se totum Arianum esse? Frustrà sanè tantopere pugnatum fuisset, super vocula *homousion*. In Symbolo certè Semiarianorum, cui quando orbis terrarum ingemuit, plerique Episcoporum, & cum Athanasio loqui liceat, ipse Pater Episcoporum, & Princeps Synodorum Osius coacti subscripserunt, aliud novi videbatur, defuisse, quam verbulum *consubstantialem*. Dicent, hoc parum interesse, plerosque fidelium quid sit substantia, vel substantiale, vel consubstantiale, id est, rusticos omnes nihil intelligere, de necessitate fidei universalis non esse, ad quod plerique non tenentur. Imperatorem repugnare, Ecclesiam turbari, Episcopos, quin Ecclesiæ caput ipsum Liberium exilio, fame, & omni sævitie vexari: hæc sanè, & similia Ursacius, & valens fraudis Co iphei perurgebant. Abhorruit porrò Sancta Ecclesia, mala omnia posthabuit, & de necessitate fidei fidelibus omnibus in Symbolo intimavit, vocem, & significatum *consubstantialem Patri:* quod quicumque vult salvus esse, credat, necesse est.

Hæc de fide citra mores cursim dicenti satis. De Doctrina morum, quæ & ipsa de fide sit, aliqui similiter videntur Philosophati, & non contra tenendum indubitare arbitramur. Decipitur quis sophismate, aliquo, & pollutionem putat non esse malum; quin Dæmon, ut rebus aliis accidit, se transformat in Angelum lucis, & contestatur; homo autem, aut fœmina, quod in aliis crebro accidit, se putat habere revelationem Dei confirmantem. Parochus, vel Doctor ut Personas Trinitatis quatuor esse mentitus, est, vel per ignorantiam, vel per fraudem dicat, & sophismate decipiat, in tali casu, vel circunstantiis licere fornicationem simplicem v. g. pro tuenda vita, vel honore, vel pro arcenda gravi, aut extrema necessitate, & tunc esse quasi defensionem aut honoris, aut vitę. Vel universalius error ille resumatur, omnia esse munda mundis, vel ille alius, abutendum potius esse corpore: tractandum illud tanquam objectum, vileque mancipium, rebusque fœdis, ac vilibus instar bruti committendum, in quibus nihil spiritus commisceatur, quin hoc pacto contemnat, decipiatque vile, sed rebelle mancipium: in quem ferme modum Judæi aiunt, se adorare Salvatoris imagines non incultum, sed in contemptum.

Non hæc à nobis nunc primùm finguntur; sed fuerunt ita errantes, qui ut Cyprianus de simplicitate Prælatorum loquitur; *ambulantes in tenebris habere se lumen existimarent, blandiente adversario, atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfigurat se in Angelum lucis, & ministros justitiæ asserentes noctem pro die, interitum pro salute desperationem sub obtentu spei; per fidem sub prætextu fidei: Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur veritatem subtilitate frustrentur* Pseudoapostolus Lutherus plures Deo sacratas virgines fefellit dicendo, *melius esse nubere, quam uri,* & in magno periculo vivere cadendi: & de prædicando amplissimum illud, *crescite, & multiplicamini & replete terram.*

Hi profectò & similes in ipsa adhuc cæcitate gentium erant inexcusabiles, ut Paulus testabatur, & commentabatur egregiè S. Thomas suprà quæst. 4. §. 3. Quanto ergo magis sint inexcusabiles Christiani nominis homines: magis ergo intra ipsam Ecclesiam, in qua est magis obvia, & inventu facilior veritas: inexcusabilior igitur error. Quoties proindè hi casus occiderunt in Ecclesia, nihil dubitatum est de culpa, sed punita sunt scelera; ut sciuur. Gens sanè tota Epicureorum quam longissimè aberat à damnanda libidine, qui potius beatitudinem, & finem hominis in voluptate collocabunt. Secta sua hæc erat, & maximè fallebantur. An ergo si quis benè Epicureus fiat, non peccat, sed laudandus etiam est, qui juxta suam erroneam conscientiam agit, & sine scrupulo Epicureus totus agit? vel an Epicurei quidem cæci gentiles peccabant: Christiani verò, si similia credant, non peccabant? Non videretur de his dubitandum: quoties certè S. Thomas incidit in conscientiam erroneam similem nihil de peccato ambigit, ut 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. *& qu.* 17. *de ver art.* 4. & super epistolas Pauli, & alios.

Ex his ad alia, quæ nunc prætereo, de injustitiis, de usuris, de simoniis, ac similibus fit gradus, Non sufficit, non existimavi, sed inspiciendum est, an sit ignorantia voluntaria: de qua voluntarietate dicitur.

Similiter non sufficit, Pastor, vel Doctor dixit: Nam ecce Hæresiarchæ omnes vel Pastores, & Episcopi vel Præsbyteri, & Religiosi, ac literati erant, & in vestimentis certè ovium, & qui Doctoris munere fungerentur publico, aut privato. Et tamen erroribus suis occidebant, & mactabant, quos fallebant.

Non proindè sufficit probabile, aut certum purè existimatum, & sophisticum, Nam, ut fuit commonstratum, nemo hæresim unquam ullam credidit, quam veram non existimaret: ergo vel certè quoad ipsos veram, vel saltem probabiliter, sin minùs assentire non potuissent. Et tamen plurimi saltem peccarunt, per hæresim; & hæresi assensum dando. Ergo non excusat probabile, aut certum existimatum: & sophisticum. De his satis 1. *part.* Profectò hæreses, ut Arianismus, maximas difficultates movebant contra veritatem; sic & aliæ: quod nihilominus errantes à mortè haud liberabat. Ubi plurima adjici possunt, & vel locus nuper ex Cypriano datus attendatur.

Hinc momenti non est argumentatio illa Laureæ Salmanrie, quod sufficit ad obligandum, sufficit ad obligandum, sufficit ad excusandum: sed conscientia erronea opinativa sufficit ad excusandum;

cusandum;

cusandum. Major tota quanta falsa est, & inanis.

Sequitur etiam, quod horum omnium confirmatio est, & *infrà* fusius tractabitur, nullum esse in Ecclesia statum immunem à peccato ignorantiæ, & erroris, sed in quolibet peccari posse per ignorantiam, & errorem. Rem demonstrat factum ipsum notorium, & innegabile Hæresiarcharum, qui ex omni præeminenti etiam statu prodierunt. Non loquor seorsum de Episcopatu Romano, in quo nullus fuit hæreticus: sed conjunctim de statu Episcopali, & de aliis. Undè rursùs patet, non sufficere, hic dixit, vel ille. Quin integra etiam concilia, scilicet reprobata omnia erarunt sæpè in fide, ut scitur. Ergo non sufficiebat: hi omnes dixerunt: Quot certè Arimini defecerunt? quot contra Papam Stephanum pugnarunt pro rebaptizatione? Errarunt tamen omnes sive eatenùs res esset, vel non esset de fide: quod sub lite est. Quid ergo sufficiat: hic, vel ille dixit? Verissime enim Hieronymus *lib* 2. *ad cap.* 5. *Oseæ*, *& est in decreto* 24. *qu.*3. *transferunt. Veteres scrutans historias* (inquit) *invenire non possum scidisse Eccl.siam. & de domo Domini populos seduxisse præter eos, qui sacerdotes à Deo positi fuerant, & Propheta, id est, speculatores. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum.* Non ergo populis suffecerat *isti* dixerunt.

Sed verò manifestum est, quod aliàs urgemus, nullum majus privilegium cuiquam in Ecclesia concessum esse pro doctrina morum, quam fidei. Atquilibet in Ecclesia quantuscumque (uno excepto Romano Pontifice) peccare potest in doctrina per ignorantiam utique. Ergo & in doctrina morum. Nullus proinde quantuscumque (excepto Romano Pontifice) est in Ecclesia regula certa non peccandi.

Multa alia ex dictis consequuntur, quæ prætermitto: & nunc ad dictorum confirmationem Nicolaum Diaconum Hierosolymitanum cum Stephano Protomartyre & cæteris à Petro ipso Apostolo constitutum, & hæresis Nicolaitarum erectorem produco. Hic Nicolaus, ut habetur ex Isidoro *lib* 8. *Etymolog. cap.* 5. & aliis habebat uxorem perpulchram, *qui propter pulchritudinem relinquens illam dixerat*, (verba sunt Isidori) *ut qui vellet, eà uteretur: & versa fuit in stuprum consuetudo, ut invicem conjugia mutarentur.* Causas erroris Isidorus non prodit: illæ, credo, fuerunt, tum ut sicut in aliis rebus tunc in more erat, ita neq; in hac quisquam haberet suum, sed essent omnia omnium; tum ut omnia relinquerentur; tum nequisquam nimium amaret uxorem, aut plusquam Christum propter pulchritudinem; ac postremò ut habentes essent tamquam non habentes. Violenta adeò res, quale sanè fuit factum Nicolai, ut *propter pulchritudinem* aliis uxorem traderet, causam ingentem requirit, & errorem fortissimum.

Et tamen quantoperè non solùm hæresim ipsam damnat, sed Angelo Pergami irascitur Joannes Apostolus Apocal. 2. quia tolletabat Nicolaitas? *Sed habeo adversus te pauca; quia habes illi tenentes doctrinam Balaal, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age; si quo minus, &c.* Et inferà, *habitas, ubi est sedes Sathan.* Certissimè ergo, & ipsi errantes peccabant.

QUÆSTIO VIII.

Non ergo qualibet ignorantia excusat ab hæresi, & à pœnis ejus.

INstituti nostri solum est culpæ, ac æternæ pœnæ, quæ in peccante quoque pessima sunt, tractatio, & consideratio; ac ideò aliis pœnis hic nonnihil solum incidenter notamus magis, quam disputamus, præsertim vero de excommunicatione, ad aliquorum repellendam obiter inconsiderationem.

§. I.

Aliquorum sensus, & opinio.

SUnt nimirùm qui ea sua regula *de scivisti, & existimasti* de excommunicatione quoque, qua hæretici omnes innodantur, decernunt, & ab excommunicatione liberos eos omnes habent, qui se excommunicatos esse ignorarunt: eos proindè privata sua authoritate Ecclesiæ reconciliant, seu a peccatis citra reconciliationem absolvunt. Hæc existimatio consequens est ad suam de ignorantia invincibili explicationem qua aiunt, ignorantiam invincibilem dari, quoties actu non advertitur peccari: at omnis invincibilis ignorantia excusat, ac liberat ab omni culpa, & pœna in foro interno, & etiam in externo, si constet, & satis probetur, licet Covarruvias, & alii repugnent quoad pœnam. Ergo omnis hæreticus non advertens se actu peccare, immunis est ab omni culpa, & pœna, & sic etiam ab excommunicatione. Et mox de excommunicatione specialiter alia addemus, quæ proponunt.

Et certè viri etiam graves, quos non refero, excusant à peccato hæresis, & ab hæresi propriè, ac proindè ab omni hæreticorum pœna primùm omnes ignorantes ignorantia saltem non affectata. Rursùs affectatè ignorantes tædio addiscendi, & sciendi tantum. At si ignorantia affectata proveniat ex falsa opinione contra Ecclesiam quia putatur parvi momenti esse, quæ in ipsa creduntur, tunc aiunt, incurri propriè hæresim. Allegatur S. Thomas cum aliis; à quo tamen procul abest S. Doctor.

In hac opinione omnia præter postremam partē consequentia sunt ad eam invincibilitatis explicationem, & non solùm ab hæresi, sed ab omni prorsùs culpa ignorantia non affectata, ut superiùs dictum est, & dicetur. Postrema pars inconsequens sanè videtur; quin hæretici falsa sua opinione non parvi momenti, quod similiter sufficere, sed falsa etiam, & scelerata esse putant, quæ in Ecclesia creduntur; nec ipsam Ecclesiam existimant esse veram, & Christi, sed malignantium, Babyloniam, Papam Antichristum, & hoc genus alia delyria. Ergo putant, se sanctè non audire Ecclesiam, pœnas ejus, & comminationes, & anathemata irridere. Ergo si universim ab ipsa lege Dei liberat omnis similis existimatio, & error, profectò, & a culpa contemptus Ecclesiæ liberavit: non ergo erit culpabile non audire, & contemnere: quin si quemadmodum qui contra conscientiam agit, peccat, ita, ut aiunt, te-

ctè operatur, qui agit sine scrupulo, omnis contemptus erit rectus, quia juxta conscientiam: non ergo ex hoc culpa, & peccatum hæresis resultabit.

Loquamur de rebus ut sunt, de Calvinistis, de Lotheranis, qui nunc existunt; & non de hæreticis in mente nostra, & omnis corde hæreticus falsam credit Ecclesiam: quid de Pontificatu, quid de Eucharistia, de cultu imaginum de intercessione Sanctorum, de Reliquiis, de Purgatorio, de Missa arbitrentur, scimus: cuncta pessima, & erronea arbitrantur. Omnia ex eo puncto pendent, an agere juxta conscientiam sit bonum, vel non malum; sicut est malum agere contra? an qui non putat se peccare, imò arbitratur, obsequium se præstare Deo, peccare nihilominùs possit? si negatur: ergo contemptus Ecclesiæ nulla ergo ex hoc resultabit aut culpa hæresis, aut dignitas pænarum. Si affirmetur: ergo ulla ignorantia nec supina, nec affectata, excusabit ab hæresi, si accedat contumacia, vel pertinacia.

Specialiter verò de excommunicatione, quæ hæreticis omnis pœna est, addunt, illam non incurri citra contumaciam: at ad contumaciam necessaria est cognitio, & qui excommunicationem contumax esse nequit ignorat ergo excommunicationis cognitionem non habens, illam non incurrit. Denuò ad excommunicationem requiritur contemptus: contemptui porrò locus non est in ignorante, saltem si ex contemptu non negligit scire. Ergo saltem ignorantia non affectata excusat. Iterum quia excommunicatio pœna est medicinalis: præcognoscenda est ergo: sin minùs haud ligabit.

Universalissima tandem & ab hæresi, & ab excommunicatione atque à culpa omni liberare solent simplices, ac rudes populos integros hæreticorum propter ignorantiam invincibilem. Hanc autem probant ex illorum ignorantia, & ineptitudine magna, ob quam veritatem scire vel non possunt, vel non tenentur. Quod si Ecclesiæ nostræ Magistræ morem opponas, quæ eos numquam in suum præmium admittit, quin ab excommunicatione primùm absolvat; & sibi ac suis Delegatis hæreticæ paritatis Inquisitoribus reservatam habet hos populos absolvendi potestatem: vix non contemnunt, & promptè dicunt, quod memoriter habent de foro interno, & externo, eoque motissimo. Quid tamen ad bullam fel. recor. Alexandi 7. contra hoc etiam dictum sint, nescimus; nisi iterum ad forum externum totum rejiciant, & se non teneri autument quia ignorant, Undæ bullæ omnes, & constitutiones facilem expeditionem habent, scilicet ignorantiam; modò absit contemptus, nec eas quidquam cures, non tamen hoc agas, quia contemnis, sed quia negligis.

§. II.

Ostensio & comprobatio illationis in quæstione proposita.

Dicat tamen Azorius *Instit. mor. lib. cap. 15. §. quintò quæritur*, rem esse planam, ad excommunicationem sufficere, si peccatum sit ex ignorantia mala fide contracta, videlicet affectata, vel crassa contra jus Canonicum: in quo tam obvio authores allegare opus non est.

Tum ipse, tum alii ab eo relati maximè utuntur textu *ex cap. at animarum de Constitutionibus in 6.* ubi habetur *ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinarium prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Quod scilicet Theologi affectatam, hoc crassum jus sæpè vocat; & à supina distinguit. Ligantur ergo; & si supinà extiterit.

Est etiam textus expressus *tit de Clerico excom. cap. Apostolicæ*, ubi dicitur: *Apostolicæ sedis*, &c. *Verum quia tempore suspensionis ignari celebratis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos* (scilicet ab irregularitate) *Cæterum si fortè ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apostolica indulgemus.* Notatum fuit supra, ignorantiam probabilem, quæ scilicet, & cujus causæ legitimæ probari possunt, esse in jure, quod apud nos est ignorantia invincibilis. Non ergo excusat à culpa; nec à pœna ignorantia crassa &, supina.

Res itaque plana ex præcedentibus omnibus quæstionibus primum in genere est, non quamlibet ignorantiam excusare, nec à propria hæresi, nec ab excommunicatione annexa. Patet hoc: quia omnis hæresis est propter ignorantiam & ipsa etiam hæresis est ignorantia, pravæ dispositionis sed hac ignorantia quæ est, & propter quam est omnis hæresis, haud excusat illam ab hæresi: est enim, ac proindè nec ab excommunicatione annexa. Non ergo qualibet ignorantia excusat à propria hæresi, nec ab excommunicatione. Major demonstrata fuit in superioribus; & minor est indubitata.

Confirmatur; quia alioqui nullus esset hæreticus; item excommunicatus propter hæresim; quia, ut fuit ostensum, omnis hæreticus fallitur, & decipitur, & verum putat; quod credit, & & falsum, vel incertum, quod non credit; quin arbitratur obsequiumse præstare Deo. At sunt, & fuerunt hæretici, propter hæresim excommunicati. Non ergo omnis, & qualibet ignorantia aut ab hæresi propria, aut ab excommunicatione liberat.

Unde, ut *suprà* satis est probatum illa excusatio, *nihil cogitavi, nescivi, non existimavi, scrupulum non feci*, inanis prorsùs est, & vana; cum sit communis omnibus corde hæreticis, & etiam paganis, ac infidelibus, & ipsis etiam interfectoribus Sanctorum Apostolorum, ac martyrum. Videndum est proindè ulterius, an ignorantia fuerit supina, vel saltem affectata; nam aliqua demum est, quæ non excusat. Quæ omnia constant omni authoritate, & ratione ex superioribus.

Jam deindè ex illis satis intellectis sequitur, ad hæresim, & ad excommunicationem annexam non esse necessariam ignorantiam affectatam; & directè voluntariam, sed sufficere crassam, & supinam, & solum indirectè voluntariam. Quod primò constat satis ex juribus nuper propositis. Deindè si rectè attendatur facinus in primis, scelusque Judæorum hi, uti Paulus de se memorat, & zelo potius paternarum traditionum, & legis, & templi, Ecclesiam persecuti sunt, hec directè; & affectatè videntur voluisse ignorare. Similis autem culpa in Christiano sufficeret utique ad hæresim, & excommunicationem: quemadmodum in Judæis sufficit ad alias pœnas. Rursus

Rursùs Herefiarchaa ſaltem ipſos nunc omittendo, Aſianorum, Neſtorianorum, & cæterorum hæreticorum populi non decipiebantur, directè, ignorare volentes, ſed fallebantur, quemadmodum nos in rebus aliis fallimur, & decipimur. Et tamen primò, ut fuit oſtenſum, peccabant, & mactabantur ſine dubio: inſuper etiam tamquam hæretici ab Eccleſia ejiciebantur, & tractabantur, nec Eccleſia errat. Non ergo eſt neceſſaria ignorantia affectata, & directè voluntaria, ſed ſufficit ſupina & craſſa. Quid deinde Nicolaus, & Nicolaitæ uxorea ſuaa aliis traderent propter pulchritudinem errare iu hoc directè volendo?

Univerſim porrò etiam ipſos Hereſiarchas comprehendendo, qui in rebus ſaltem purè ſpeculativis erraverunt, plerique ſaltem in directo ſolum voluntario decepti ſunt. Etenim ut S. Thomas 1. 2. *qu.* 6. *art.* 8. ſapienter declarat, tunc datur ignorantia directè voluntaria, & affectata: *quandò actus voluntatis fertur in ipſam ignorantiam, ut quando quis ignorare vult, vel ut excuſationem habeat in peccato, vel ut non retrahatur à peccando*, ſed peccet liberius, & ſine remorſu, ac dolore. Hoc sutem quod in Luthero totum habuit ceſſat in hæreſibus ſpeculativis: quid quippe ipſorum intereat, in Chriſto eſſe duas naturas, vel unam. Certè qui delyrum ſenem Archimandritam Eutychem legit tam enormiter deceptum, qui cellam ſibi ſuam pro ſepulchro eſſe, & alia ſimilia ad Conſtantinopolitanum Synodum reſpondebat, profunditatem magis erroris hominis à Deo derelicti inveniet, quam voluntarium directum. & cui bono ſuo directè errare volens Dioſcorus amplo Patriarchatu Alexandriuo privari vult, & in exilium mitti? Quotquot vivi combuſti ſunt; hæretici Circuncellionea ſeſe præcipitantea, & alii rem videntur demonſtrare, tauta eos pati noluiſſe, & damnari directè errare volendo.

Prætereà ſi ignorantia affectata eſſet neceſſaria, hæc Eccleſiæ conſtare non poſſet: nam Eccleſia ſolum ſcire poteſt; aliquem in fide errare, & etiam eſſe in errore pertinacem: ſcire autem non poteſt, an ille directè, an indirectè errare voluerit. Ergo neminem damnare poſſet tamquam hæreticum, At hoc dicere foret hæreticum. Ergo ad hæreſim propriam, & anathemata non eſt neceſſaria ignorantia affectata, & directè volita.

Explicatur: in omni ſacro Coucilio examinata eſt qualitas doctrinæ: viſum item, an errantes converti vellent: an porrò voluntario directo, an ſolum indirectè errare voluerint, nullum unquam verbum motum video, aut lego. Supponit ergo Eccleſia ad hæreſim ſufficere errorem in fide cum contumacia: & peccatum in doctrina fidei fieri hæreſim acccidente contumacia. At ad peccatum non requiritur ignorantia affectata, ſed ſufficit ſupina juxta omnes ſub his terminis. Ergo & ad hæreſim: nam ad contumaciam etiam ſatis eſt ſimilis ignorantia, & error.

Confirmatur: nam hæreſea non quaſi à ſemetipſis ſic immediatè naſcuntur, ut ultro errare quis velit, & volendo: nam omnis homo naturalirer verum ſcire deſiderat, ut 1. Metaph. dicitur, & intellectus naturaliter eſt ad verum, ut experientia conſtat, & Auguſtinus dicebat: *multos expertus ſum, qui fallere velint: qui autem falli, neminem.* Ignorare proindè volunt, nou errare, qui ignorantiam directè amant; quin nec eam amare poſſent niſi propter alia magis amata, & exprava diſpoſitione ſibi appetibiliora. Ex quibus, quæ in longum poſtrahi poſſent, & illuſtrari, hæreſis, ut dicebam, non quaſi à ſe ipſa exoritur. Ejua proindè cauſaa ex libris veritatis infrà trademus ſuperbiam, avaritiam, luxuriam, propter quas & mens hominis obſcuratur, & à Deo etiam in pœnam derelinquitur, errare vel in ipſa, vel in diſtantiſſima materia.

Pone nunc hujuſmodi aliquem, qui non amaverit, quin abhorruerit eſſe hæreticus, aut errare in fide, ut abhorrent utique Eccleſiæ filii. Tameu ſuperbua totus eſt, & elatua; & in re fidei purè ſpeculativa vel malos libros legendo, vel bonos malè intelligendo decipiatur profundiſſimè. Niſi valdè ſuper nos reflectamus, unicuique, videtur, in iis, in quibua ipſe non errat, errare poſſe neminem: & hic eſt magnus error; nam & tu erraa, in quibus alteri videtur errari non poſſe. Thomiſtæ videtur errari non poſſe pro ſcienria media: Jeſuitæ videtur errari non poſſe, pro prędeterminatione; & intereà falluntur utique alteruteri: non certè directè errare volendo: & ita ferè in omnibus quæſtionibus librorum, & ſcholarum ſunt ſemper, qui fallantur. Ergo elatiſſimus ille decipi profundiſſimè poteſt. Monetur ab Eccleſia: excõmunicatio etiam comminatur. Error valdè radicatus omnis, mox iuvertit: aſſumit ergo, Eccleſiam contra veritatem non poſſe: nam adverſus veritatem nihil poſſumus, aiebat Paulus: ergo vel Eccleſiam ipſam tamquam errantem contemnit; vel ſi de Eccleſia indefectibili veritate ritè perſuaſus eſt, aliaa illi error ſuua ſolutiones, & effugia miniſtrat Eccleſism non fuiſſe rectè informatam, excommunicationem fuiſſe ſubreptitiam, dolo, & fraude, & potentia adverſariorum extortam. Non ante ſęcula: modò hęc nos docent Novatores. Ac ſancta Eccleſia, quę nou admittit, ſed niſi error deponatur, hęreticum dicet illum noſtrum ſuperbum inflatum. Non ergo eſt neceſſaria ignorantia directè volita, & affectata.

§. III.

De contemptu, & contumacia, ac pertinacia nonnihil.

Iſta non hìc, ubì in genere, non in ſpecie de ignorantia, & errore ſermo eſt, directè pertinebant: cogimur tamen non ſanè omnia, ſed quę ſuffectura videntur, ad revellendos obices, atque ad majorem doctrinæ conſpicuitatem ducere.

Veriſſima itaque ſunt, ſed nihil jam impugnatam opinionem confirmantia, quę S. Thomas 22. *queſt.* 11. *art.* 2. *ad* 3. affert ex Auguſt. *epiſt.* 162. & habentur *in Decreto* 24. *qu.* 3. *Dixit Apoſtolus.* ſi qui, ait, *ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt; quarunt autem tota ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi: quia ſcilicet non habent electionem contradicentem Eccleſia doctrina. Sic ergo aliqui Doctores videntur diſſenſiſſe vel circa ea, quorum nihil intereſt ad fidem, utrum ſic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, qua nondum erant per Eccleſiam determinata. Poſtquam autem eſſent authoritate univerſalis Eccleſia determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter reſiſteret,*

ret, hæreticus censeretur. Quæ quidem authoritas principaliter residet in summo Pontifice & alia de quibus *infrà*.

Hic credo, mirabere, quod propter textum istum Autor cæteroquin gravis, & diligens, S. Thomam suæ opinionis esse referat, quæ opinio ait, nullum errorem contra fidem ex ignorantia etiam culpabili, modo non sit affectata, esse hæresim. Et, ut vides, S. Augustinus, & S. Tho. conceptis verbis de iis loquuntur, qui *tota sollicitudine veritatem* quærunt; neque tractant de determinatis jam ab universali Ecclesia. Ergo si Aug. & Th. valent, primò quidem salvo illi ab hæresi liberantur, qui veritatem quærere negligunt, & habent non modo ignorantiam affectatam, sed supinam tantum, & crassam: ergo rursùs perperam ad omnia prorsùs doctrina extenditur, & etiam ad determinata jam ab Ecclesia.

Inhæreamus ergo nos toti sensui, & vestigiis, ac praxi universalis Ecclesiæ, omni nostro cōtempto, & aliorum posthabito ratiocinio, ut ab errore tuti evadamus; ut quippe ibidem ex Decreto subdit S. Tho. agens de autoritate summi Pontificis: *Contra cujus autoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.*

Est porrò in comperto, S. Ecclesiæ Genevæ, Daniæ, Suetiæ, Saxoniæ, & aliorum Lutheranorum, Calvinistarumq; populos haberi, censeriq; hæreticos: quod si Dei misertente gratia gentes istæ converterentur, eas ipsa, & ab excommunicatione absolveret, ac nonnisi abjurato errore sibi reconciliaret; quod moris, & praxis observat, quoties aliquis cōverti: ur, de jure communi potestate eos absolvēdi, ac admittendi, sibi reservās, atq; specialibus delegatis.

Jam itaque de contemptu, & contumacia ponamus conclusionem huic S. Ecclesiæ sensui, ac judicio consentaneam, & judicamus, ad contemptum, & contumaciam non requiri ignorātiam affectatam, & directè volitam, sed sufficere supinam, & solum indirectè volitam: quemadmodum eam ad culpam sufficere tradunt omnes sub his terminis, & nemo ait ignorantiam indirectè volitam, & supinam excusare à peccato: vel latas quippè perturbari potest, annihilari nō potest; & manet sub aliquibus demū terminis, quod sub alijs, vel latet, vel etiā respuitur.

Conclusio ista probatur primùm: quia quod sufficit, ne peccatum desinat esse peccatū in sua specie, sufficit, ne contemptus, & pertinacia, aut contumacia desinant esse malæ in sua specie, & habeant specificam rationem culpæ contemptus, & pertinaciæ. Sed ne peccatum desinat esse peccatum in sua specie, ut homicidium, furtum, luxuria, sufficit ignorantia indirectè voluntaria, & supina negligentium, & oscitantium; quæ est universalis sententia Theologorū, necessaria ignorantia affectata, Ergo etiam sufficiet, ut contemptus, & pertinacia, habeant suam specificam rationem culpæ contemptus, & contumaciæ, aut pertinaciæ. Hæc non est parvitas sed argumentatio reverà ab unversali sd particularem; nam universim traditur, ignorantiam supinam non excusare: item universim traditur, peccari eo eadem specie. Ergo valet de contemptu, & non contumacia, aut pertinacia.

Hoc cum adeò videatur perspicuum, magis tamen me movet rerum ipsarum in se, & non solum intra animā, & quasi in aere consideratio. Genevæ v.g. quæ Italiæ ipsi adjacet, & velut in conspectu sede Petri habet, nascuntur pueri, sicut in ipsa Italia, & in Hispania nascuntur: educantur mox, sicut nos, cum lacte ipso ebibunt Calvinum, & pessimas de Roma, deq; Ecclesia persuasiones, sicut nos veritatem. Alii deindè sartores, sutores alii, mercatores, Ministri alii, & alii fiunt, uxores ducunt, pecuniam quærunt, & cumulant; honores curant, & sua diligenter; colont etiam in primis religionem, & virtutes morales, justitiam temperantiam: edunt, bibunt, dormiunt. Nullus quidem eorum primùm quærit regnum Dei, & justitiam ejus, sed sæculum magis amant, & sequuntur: & si etiā aliquis, inveniet proculdubio veritatem de cætero tamē nō ita sciētes ac volentes veritatē oderint, ut religionem suam falsam notint, & directè nolint scire veritatem, quin propter dicta errores suos arbitrantur verissimos, ut etiam superiùs dictum est, Et sunt nihilominus hæretici, ipso jure excommunicati omnes universim. An enim existimes, ad singulos Genevenses cum singuli ad usum rationis perveniūt, Romā mittendos esse cursores, intimandum excōmonicationem, denunciandū semel; iterùm, tertiò, sin minus immunes esse? Nugæ sunt istæ, & impossibilis. Sufficit ergo, quod jure ipso excōmunicati sint ōnes & singuli, sin verò jus istud ignorāt, sicut ignorantia affectata, & etiam supina aliarū legū, & juriumā culpa nō excusat, ita neq; ignorantia affectata. vel supina juris hujus liberat ab excommunicatione. Si verò jus sciunt, & sua seducti hæresi illud despiciunt, & pertinaces esse pergunt, cum hæresis ipsa, & error sit saltem supinus non tollit culpam specificam contemptus & pertinaciæ.

De his maximè est textus ille quem suprà ex D. Tho. exhibuimus, & nunc *ex Decreto ipso 34. quæst. 3. Dixit Apostolus*, transferemus. *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est hujusmodi, & peccat &c.*

Sed qui sententiam suam, quamvis falsam, atq; perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererūt, sed à seductis, atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.

Si quem ergo hujusmodi Genevensem offenderis, is utiqhaud deputetur hæreticus. At rarus, vel nullus occurrit hurum, quin vix non Diabolos arbitrantur nos, & audire obstinatissimè nolunt. Mitiores sanè sunt plerumq; Lutherani, qui etiam facilius de sua religione dubitant; neq; tamen corrigi parati sunt, sed ne alia perdant, instar nostrorum peccatorum habitualium, ad Dei misericordiam & in futurorum appellant, non odio veritatis, sed amore terrenorum. Minus est his, plus in illis pertinaciæ: utri sint pejores, ille judicabit, cujus est utrique tamen sint hæretici.

§. IV.

De ineptitudine populorum; & iterum de contemptu, & pertinacia.

Vana porrò est illa excusatio ab omni etiam culpa liberans per ignorantiam, & ineptitudinem; quā certè via omnes à principio populi hæreticorum excusantur, quod quā sit falsum, quam omni authoritati, & juri repugnans, & sensui Ecclesiæ, & universæ Curæ Pastorali in materia doctrinæ contradicens, jam satis in superioribus innotuit.

Nunc de ratione ipsius in cōsideratione nonnihil addamus. Ajunt ergo, rusticos, & simpliciores, & uno verbo integros populos invinc. biliter ignorare veritatē. Hanc invincibilitatē suadere solent, tū quia nunquā scrupulū habuerūt, qui tā laqueus satis tritus, cōtritusq; est: tum quia valdè simplices sunt, inepti, & ignorātes. Cōtra hoc opponere consuevi, quòd nihilhominus S. Ecclesia hæreticos excōmunicatos eos habeat, cēseat judicet. Respōdēt verò propter hoc in foro externo, nō iterno it. I. gi,

Hęc nisi prorsùs fallor, inconsideratio magna est. Jus nunc civile omittamus, quod circa adulteros, usuras, & alia. prętermittit magis, quam approbat vel multa vel aliqua. Jus canonicũ & jura Ecclesiæ in nullo discordát, concordát in õnibus cũ juribus conscientiæ, & Dei, & fori interni: & concors est Theologorum omnium sententia, quoad aliquem absolvendum, vel damnandum solum discordare possunt, & debent ex ignorantia aliqua, vel falsa pręsumptione, ut si quis innocés falsis testibus reus convincatur, damnãdus est in foro externo, tamen absolvendus in interno, ut constat de innocentia. At hîc nulla est ignorãtia, aut falsa pręsumptio, tã concordat forum utrumq; atq; concordant ratio, & ratio; atq; veritas, & veritas: de quo nonnihil dictũ fuit *in part.* & nullo sanè negotio res demonstratur.

Jam in casu nostro non in foro interno constat, in externo autem non constat ignorãtia, & simplicitas, ac ineptitudo populorum, aut tu Theologus in confessione novisti populos hoscè esse ineptos valde, & rusticos, & ideò culpæ, & excommunicationis immunes; Ecclesia verò eos pręsumit intelligentissimos, aut ingeniosissimos. Non ita est, eadem ineptitudo, & simplicitas Ecclesię cõstat, & tibi: tu ignorantiã invincibilẽ dicis, & culpam negas: Ecclesia & culpã & hęresim, & excõmunicationẽ supponit. Tu nũc ipse sẽtẽtiã dicito, an illa erret, an tu.

Quin si ineptitudines istę sufficerent. quę publicę sunt, & notorię ęqualiter in utroq; foro, pręsumptio deberet esse pro ignorantia invincibili; quia pleriq; plerumq; inepti sunt & ignorantes, in primis mulieres omnes: mox rustici, & artifices, & ita pars maxima hęreticorum. Undè sicut nunquam in foro externo pręsumptio est eorum, quę raròq; & in paucioribus contingunt; sed eorum contrà quæ plerumq; eveniunt, & raro contingentia non præsumeda sunt, sed probanda; profectò S. Ecclesia, & forũ exterius neminem. præsumere debere hęreticum, sed potiùs plerosq; plerumq; ignorare invincibiliter; ut porrò damnaret aliquem, positiva probatio opus foret. Hæc autem falsa sunt, & perabsurda, nec subtilitas contra Ecclesiam est subtilitas, sed ineptia. & error culpandus. Ineptitudines ergo istæ non sufficiunt ad innocentiam.

Dixi, alias: & dicam etiam iterùm de ineptitudine ista, & idiotissimo; qua certè via leges: & jura fidei, & credendi ad Theologos fermè restringuntur, nec Dominus dicere debuisset, prædicare omni creaturæ, sed doctis: nec item, quicumq; vult salvus esse, sed quicumq; Theologus vult salvus esse, dici debuisset, nam cęteros excusat ignorantia & ineptitudo, atque in primis Mahometani, qui indocti sunt omnes, & barbari & gentiles Indi in tuto. Mox hęretici docti aut doctrinam professi magis fortè venirent excusandi; nam ineptiorem quem constituit, & à veritate magis remotum error, quã sola ignorantia: hęc quippe privatio sola est cognitionis veræ; in errante & privatio eadem inest, & insuper impedimentum resistens, & ignorans, & errans fermè differunt velut lignum siccum, & viride quoad actionem caloris: ideòque omnis experientia commonstrat, faciliùs viginti reliquorũ, quã unũ Doctorũ, vel Pseudodoctorũ ex hęretico aut Pagano, aut Judæo reddi Catholicum. Sint ergo omnes culpæ innoxii, nullus hæreticus; hoc quippe mitius erit, atq; misericordius. Quod si hęc dici non possunt, concordet, quæso forum interius cum sua regula, scilicet cum Ecclesiæ judicio, quod in ejus foro exercetur, & ex quo jus dicitur.

Ego, ait, non intelligo, quomodo isti peccent, quin nec difficultates expedire scio.

Nihil interest, crede mihi, quod neq; tu intelligas, neq; ego; nam credere, non intelligere jubemur: & dat parvulis suis Deus, ubi oportebit, undè, & quomodo etiam intelligant. Neq; rursùs intelligentia nostra cõstitura est regula boni & mali: imò quia illa fallit maximè, indiguimus Deo legislatore, qui neq; falleretur, neque falleret Non itaq; est existimandum, ut supra etiam notabam, quod ad omnes, & singulos hęreticos nuncii mittendi sint, qui singulis eorum domibus excommunicationẽ præfigant. Dictum fuit jus adversus hæreticos à magna Synodo Tridentina, & pronuciatum anathema. Si ignorent, est ignorantia saltem crassa, & supina. Si sciunt tamen contemnunt, quia hæresi, sua persuasi sunt, se non audire, sed contemnere potius debere, nec sic excusati sunt. Eutychiani adeò errore suo excęcati erant, ut Catholicos non aliud, quam Nestorianos arbitrati sint, & in audito anteà scelere ipsum etiam summum Pontificem Leonem Magnum excommunicaverit Dioscorus: adeò eis non audiendus, sed Nestorianus totus visus est. Neq; tamen ob istum eos errorem obcæcantem ab hęresi liberos Ecclesia S. censuit. Nihil proindè interest, quod Calvinistæ profundissimè decepti nos Antichristos, idolatras, gentiles arbitrentur; atque indè Ecclesiæ anathemata aut scire contemnant, aut scita conculcent, seq; sanctè agere existiment. Hoc non excusat, sed scelera sceleribus coacervat.

Quare ad ea, quę §.1. in contrarium adducta sunt, sapienter Azorius citatus §.2. respõdet dicendo: & hoc ipsum ratio demonstrat; quia ignorantia affectata, & crassa in jure est lata culpa, & negligentia: sed lata culpa cum dolo æquatur in jure: dolus autem aut est expressus, & specialis, qui dicitur verus; aut est tacitus, & implicitus, qui juris fictione dolus habetur, qualis est in eo, qui peccat ex ignorantia affectata, vel crassa. Item contumacia alicujus, vel legis contemptio aut est expressa, & hæc continet certam legis, aut præcepti notitiam: aut est tacita, & implicita, & hæc est in eo, qui ex ignorantia affectata, vel crassa præceptum infringit, aut legem. Excommunicationis autem pœna quæ delictis jure ipso irrogatur, expressum, & specialem legis contemptum, aut hominis contumaciam non postulat, sed tacitam tantummodò, & implicitam requirit. Et hactenus pro me Azorius.

Pertinacia itaq; hęreticorum non à parvitate, & tenuitate, sed à magnitudine nascitur erroris, & quemadmodum à D. Th. certitudo definitur adhęsio firma mentis circa verum; ita pertinacia deffiniri potest adhæsio firma mentis circa falsum, & pertinacia hæretici adhęsio firma mentis circa falsum: & pertinacia hæretici adhæsio firma contrarium fidei: atq; ex hac adhęsione nascitur mox contẽptus verę fidei, quę tãquã falsa existimatur & cõtẽnitur.

· Vndé ubi plus est pertinaciæ, plus est etiam erroris, & minus scientiæ: minus ergo & de voluntario directo; nam cum, ut dictum est, nemo sciens, & volens fallit directè velit, minimè omnium illi se falli putant, & volunt, qui quam maximè falluntur, & errant. Tam longè abest à verò. quod ad hæresim formalem, atq; ad ejus pertinaciam, & consequentem contemptum necessaria sit ignorantia affectata, & directè volita, ut ubi plus sit hæresis, minus sit de voluntario directo: nam plus ibi cæcitatis & erroris. Quæ sanè quisq; ex semetipso, atq; ex iis, in quibus valdè aliquando deceptus fuit, satis intelligere. quod si quis erit, qui se nunquam ita deceptum putet, is de lege communi plus, aut minus est homine.

Hinc non per hocà Bullis Pontificiis ac juribus. & excommunicationibus liberi existimus, quod illas non curemus. sed negligamus & alios magis libros evolvamus. Nam erit ignorantia vel negligẽtiũ, & supinè jacentiũ, vel etiam aliquando

ex quadam vana præsumptione, quod supra ipsas existat scientia nostra, in contemptum transit magis quam implicitum, & tacitum; nam palam loqui posset saltem in corde arrogantia, & fastus. Rectè Hieronymus monet: memento quod in medio laqueorum ambulas: diligentissimi etiam ipsi de quam plurimis quærentur in judicio, negligentes, & oscitantes quid, quæso facturi sumus, sola itaque ignorantia non est defensio.

In hac maximè quæstione consuetudini, & praxi Ecclesiæ, velut probationis cardini institimus. Quare è re mea existimavi iterùm hic dare S. Thomam, Tractat. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12. de re sanè maxima, utrum pueri Judæorum, & aliorum infidelium, sint in vitis Parentibus baptizādi? Punctū est, in quo ratio, & misericordia, & zelus salutis puerorū plurima ministrat pro parte affirmativa, sed quā verus Theologus doctrinā tradat audiamus.

Respondeo dicendum, inquit, *quod maximam authoritatem habet consuetudo Ecclesiæ, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia autoritatem habet unde magis standum est autoritati Ecclesiæ, quam autoritati Augustini, aut Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris*, submisit mox Doctor sapiens. *Hoc autem Ecclesia usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis Parentibus baptizarentur.* Hæc probatio, atque huic consuetudini rationes omnes subjicit. scimus ais, Doctrinam istam tristitiam, & quantopere in omnibus æmulanda consuetudo Ecclesiæ: & summos etiam posthabendos esse Doctores.

Credo equidem, sed non verbo tantū, sed opere; & veritate credatur, velim, & observetur. Haud pauca sanè hic referre possem: quæ in hoc ipso loco contra consuetudinem Ecclesię passim inducuntur prætextu perfectionis. In re nostra consuetudo Ecclesiæ notoria est populos ipsos & artifices, & fœminas à se abscindit, & foras ejicit propter hęresim redeuntes hæreticos, & excommunicatos habet, eos absolvendi, & admittendi potestatem non omnibus communē vult, sed certis personis reservat, & deputat. Subjiciamus ergo nosmet, & ratiunculas nostras Ecclesiæ sensui, & judicio; nam si Augustinus etiam, & Hÿeronymus posthabendi essent, nos quid sumus? Erit forte dies alius scribendi ex Augustino maximè de vi, ac pondere consuetudinum Ecclesiæ.

His consonant, ac robur etiam ingens adjiciunt orationes publicę, quas Mater Ecclesia à Spiritu S. recta, & directa fundit feria 6. in Parascève. Primò Deum omnipotentem precatur, *ut cunctis mundum purget erroribus*: indè ad hęreticos, & schismaticos in specie transit & orat, *ut Deus, & Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, & ad Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam & Apostolicam revocare dignetur*; & respiciat *ad animas Diabolica fraude deceptas, & omni hæretica pravitate deposita errantium corda resipiscant, & ad veritatis redeant unitatem.*

Pro errantibus hic orat, & pro deceptis: non ergo pro scientibus, aut dubitantibus, se errare, & ita agnoscentibus, se peccare: nemo enim aut sciēs, aut dubitans fallitur, decipitur & errat: & omnis error & assensus excludit assensum contrarium, & etiam dubium ut scitur: supponit autem, hos, pro quibus orat, perire, & extra Ecclesiam esse, & ejus unitatē contra quam nimis inconsideratè quidem mihi lector respondit: quin ideò pro eis orat, ut patet; & expressè etiam dicit: *omnipotens & sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, & respice ad animas diabolica fraude deceptas.* &c. diaboli sanè fiunt ipsa deceptione diabolica, & hæretica.

Mox pientissima Mater ad Judæos venit, & ad Judaicam perfidiam, ac pro populi hujus *obcæcatione* preces defert, utque *auferat velamen à cordibus eorū. & cognoscant Iesum Christum Dominū nostrum.* Supponit hoc velamine contectam esse mentem eorum, & non scientia, sed obcæcatione perfidiam existere; precaturq; proindè cognitionem. Non ergo eà viā incedit Mater S. nesciunt, quid faciunt: ergo non peccant: non agnoscunt, non dubitant, neque advertunt, quin velamen habeant ne videant, ergo aut insontes sunt, aut perfidi non sunt.

Tandem orat, pro Paganis, *ut Deus omnipotens auferat iniquitatem à cordibus eorum, ut relictis Idolis suis convertantur ad Deum vivum, & verum.* At plerique saltem Paganorum Religionem suam veram habent, neque aut de illa dubitant, aut nostram veram esse noverunt, quinimò cultum idolorum Religionem esse arbitrantur, & hæc est sua Religio, atque pro ea tuendo innumeros veritatis nuncios, & ministros occiderunt, atq; etiam occidunt. Tu eos ob ignorantiam invincibilem ab iniquitate excusas: at S. Ecclesia hunc ipsum idolorum cultum iniquitatem esse supponit. Tu eos Cœlo etiam donas, si se ritè gerant in sua Religione, nec contra erroneas suas conscientias grave aliquid admittunt. At eo Cęlo donabuntur quod non Deus vivus: & verus ad quem conversi nō sunt, sed idola, quæ manus habent, & non palpant, donare valebunt. Idcircò eos perire supponens sempiternum Deum pro ipsis orat, *qui non mortē* peccatorum, sed vitam semper inquirit. Hęc sunt sēsa S. Matris Ecclesię, quæ columna est, & firmamentum veritatis, & contra cujus authoritatem nec Augustinus valeret, neque Hieronymus, neque alius ullus Doctorum, neque ulla opinio.

§. V.

Hinc objectiones aliqua repelluntur.

DE voluntarietate, & libertate peccarorum horum dicetur deinceps; nunc ad alias speciales objectiones, quæ hic occurrunt, & moventur, est dicendum. Illæ porrò eum universalem defectum habent, ac inde etiam vim faciunt, nisi advertatur, quod supponunt, solum peccari per scientiam, & scienter, & advertenter; non autem per errorem: atq; per ignorantiam, & ignoranter, & nesciendo; atque per solam actualem conscientiam sive rectū, sive etiam erroneam bonum, & malum, & peccatū, vel non peccatum determinēt: quod est falsissimū.

Tractant ergo Theologi aliqui, quos nō refero, quādo demùm sive hęretico, sive infideli cuicumq; dicatur, & intelligatur fides sufficienter proposita, ut peccato infidelitatis, vel hæresis obnoxius existat non credendo. Et supponunt, eum non teneri credere. cùm primum ipsi vera fides promulgatur.

Hoc probant primò; quia prudentis non est, statim auditis fidem dare, maximè in pertinentibus in æternam salutem; quin temerarium esset non fide digno credere seu ei, qui nondum constaret, esse fide dignus. Hæreticus autem & infidelis ignorat, quis, aut qualis ille sit, qui veram fidem proponit. Secundò, quia docet. S. Th. 22. quæst. 1. 4. quod licet non videantur mysteria fidei in se, tamen videntur in ratione credibilium; *non enim crederet* (ait) *nisi videret, ea credenda esse vel propter signorum evidentiam* (quam tamen evidentiam tantopere quidam abhorrent) *vel propter aliquid hujusmodi.* Et ideò S. Doctor admittit infidelitatem negativam.

Tertio quia infidelis, vel hæreticus non tenetur credere falsam sectam aliam sic propositam, ergo neque veram. Consequentia probatur; quia

ex modo propositionis, nequit infidelis divinare, utra si vera. Undè Dominns Joan. 15. tradit, Judęos peccatum non habituros, si signa non fecisset, quæ nemo alius fecit. Et confirmatur; quia Catholicus etiam indoctus non tenetur audire hęreticū dicente, se verā fidē prędicare: ergo nec vice versa.

Hinc accipiunt, ad peccatum, ac ad sufficientem propositionē fidei respectu alicujus opus esse in primis ut ipsi vera fides credibilis fiat. Disputāt an satis, ut ęquè credibilis fiat? Alii quidem aiunt, sufficere, si vera fides saltē credibilior, & probabiliot infideli appareat. Alii aiunt, nec; hoc sufficere nisi ut summū in articulo mortis; sed ad peccandum, atq; ad sufficientem propositionem opus esse, si sua secta saltem minùs credibilis, & probabilia, tamen credibilis ei videatur. Hæ sunt objectiones, atque ex eis elicitæ conclusiones.

Quæ certè si omnia benè perpendas, & superius notatū meminetis, illud demùm consequi de plano videtur, nullum esse, nec fuisse in mundo hæreticum nullum Judæum perfidum; nullum infidelitatis peccatū. Nemo enim credit, quod sibi credibile non videtur; quin etiā magis credibile, quā contrariū, ut ex vera, & communissima sentētia demōstravimus, credo; *prima part.* Ergo quicūq; credit hęresim, aut Judaismum, aut falsam aliquā paganorum, eam putat credibilē, ut est indubitatum; quin etiā credibiliorē, ut est vera, & communis opinio. Ergo nullum fuit, aut est peccatū hęresis proprię, & interioris, nec Judaismi, nec Paganismi: & nulli in sua falsa secta permanēti hactenus satis unquā proposita fuit fides: vanæ proindè erunt, & de subjecto non supponente orationes S. Matris Ecclesiæ: vanum etiam, atque nullum omne genus authoritatis hactenùs adductæ.

Itaq; difficultates istæ ex falsissimo, ut notavi supposito, & per actualem hęretici, & Pagani, & cujuscumq; etiam erroneam, & hęreticā existimationē de bono, & malo ac de peccato, vel non peccato universa regulando vim faciunt. Teneatur ergo vera doctrina, peccari etiam per ignorantiā, & ignoranter, & nesciendo: teneatur etiā consequens toties à D. Th. atq; aliis inculcatū, peccari juxta cōscientiā erroneā affectatam, vel supinam operando cōtra legē Dei: id est quod omnes sub his terminis indubitatum habent, non omnem ignorantiam, non omnem conscientiam erroneam excusare, sed ad totalem excusationem esse necessariam ignorantiam invincibilem.

His servatis difficultates adductæ nec proponi quidem posse videntur. Ad primam respondetur, infidelem peccaturum, si fidem ei præbeat, qui nōdum sibi fide dignus videtur; quia agit temere contra conscientiam: & tamē peccat etiam juxta conscientiam non credendo; quia ut semper S. Th. inculcat, tenetur, conscientiam non credendo; quia ut semper S. Th. inculcat, tenetur conscientiā erroneā deponere, ut *infrà* exponetur. Hoc cessat in casu tertię objectionis, & in casu Catholici nolētis audire hęreticū: quia hic agit juxta conscientiā rectā: & ille juxta erroneam, non tamen contra legē Dei. Dominus autem dixit, Judæos peccatum non habituros, nisi ipse signa fecisset, quæ nemo eatenùs fecit, non autem adjunxit, & nisi Judæi ipsi id ita esse cognoverint: & primum verum utique adjunctum falsum est; quia culpa & odio obcęcati non id multi cognoverunt, nec posteri cognoscunt velamen habentes in cordibus suis: & peccarunt tamen, & peccant nesciendo, quid facerent.

Id secunda difficultate ex D. Th. arguebatur: & libentissimè S. D. ad litteram admittimus, & cōtra alios tenuimus, & tenemus, omnem & quemlibet Catholicum credentem videre, non certè mysteria, sed *ea esse* credenda vel propter signorum evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi, scilicet, ut intelligo, æquivalens illi evidentię signorum. At ut modò dicebam de Domino, sapiens Doct. non adjunxit: & quicumq; hęreticus, aut Judęus, aut infidelis hanc evidentiam non assequitur, excusatus hoc ipso est; & non peccat contra fidem per hęresim, Judaismum, aut Paganismum. Hoc adjunctū non S. Doctoris, sed contra ejus velut prima. & trita principia est, & falsissimum, ut constitit satis, atq; constabit. Jam si durum, aut blandum opponatur hoc sæpè contritum est, & nos non eas, sed verum, vel falsum bonæ, vel malæ doctrinæ conditiones esse arbitramur: & quidem pro non duro commodiùs ad alias religiones iri posset.

QUÆSTIO. IX.

Verum, & quantum differat dicere, non peccari juxta conscientiam operando & dicere unumquemque salvari in sua Religione.

ALiud est opinionem aliquam hæreticam dicere, aut quoque modo notare: aliud illam ad impossibile, vel ad hæresim etiam deducere, aut intendere: quemadmodùm aliud est absurdam, dicere; aliud deducere ad absurdum, & inconveniēs. Primum contra opiniones toleratas nobis haud licet: secundum in scholis, & libris ita est visitatum ut nihil occurrat frequentius, nec obvia exempla opus est memorare. Quin ut 1. part. notavimus, & cavimus, tutius opponuntur summa absurda, quam minora: nam hebetiores absurda minora non videntes, ea mox admittunt, & in opiniones etiam novas, & in usum convertunt: quod periculi, & mali cessat, quoties ea opponuntur, quę admittere possit nemo. Hoc ergo notato, & cauto: ea nunc duo dicta conferamus.

§. I.

Sensus quæstionis, & intentio declaratur.

SEctę pręsentes, & hęreses sub idem fermè tēpus exortę & coætaneę, cum inter se vicissim quam maximè pugnent, eadem tamen pro se allegantes; omnium quippè caput pręcipuum est Ecclesię Catholicæ, & Romanę oppugnatio, & S. Patribus, ac etiā sacris conculcatis Conciliis ad unam scripturā uniuscujusq; cerebro intelligendū absq; alia regula appellatio aliū certè exitium habere non poterāt, quā vel Atheismū, seu religionis omnis desertionē: vel errorem illum, quo scilicet dicerent, unūquemque, si se ritè in ea gereret, in sua Religione salvari.

Etenim horum hæreticorum *opiniones* (ut Tullium *lib. 1. de nat. Deor.* usurpem) *cum tam variæ sint, tamq; inter se dissidentes, alterum fieri profectò potest ut earum nulla: alterum certè non potest ut earum nulla: alterum certè non potest, ut plus una vera sit.* Corruptam, inquis, & prophanatam Romanam Ecclesiam, Hoc non plus Calvino favet, quam Luthero, quam Zuinglio, & aliis. Errarunt, inquis, Concilia; excesserūt S. Patres: S. Scriptura per se ipsum est dilucida. Omnibus ista, & reliqua omnia communia sunt: alterum proindè sine dubio factum est, ut nulla sectarum, alterum certè fieri non potuit, ut plus vna vera existeret: Caluinus Lutheri, & Lutherus Calvini oppugnatio est fortissima.

Hinc ergo quam plurimi exteriùs quidem Religionis aliquam profitentur, & maximè eam: quæ è re sua erit; corde tamē puri Politici aut Atheistæ toti sūt. aut Epicurei. Universaliùs alii veterē errorē, & ex Donatistis, & ex Alcorano resūserūt, unū-

quemque ſalvari in ſua Religione ſaltem Christiana: nam Confeſſio Anglicana errorem arctare videtur ad Religiones Chriſtiani tantummodò nominis dicens *art. 8. ſunt & illi anathematizandi, qui dicere audent, quemque in lege, aut ſecta, quam profitetur, eſſe ſervandum, modo juxta illam, & lumen naturæ accuratè vixerit, cum ſacræ Litteræ tantùm Ieſu Chriſti nomen prædicent, in quo ſalvos fieri homines oporteat.* Chriſtum ſcilicet admittendum reſtrictiores iſti arbitrantur: quo facto, in quo ſubſtantia, & velut eſſentia tota ſalva ſit fidei reliquas de Religione diſſentiones parvi intereſſe, ac velut ſcholarum differentias eſſe, vaniſſimè effutiunt. Et iſta quaſi reflexa defenſio hæreſum omnium, indulget omnibus, ſalvat multos, Dei miſericordiam deprędicat, negligentię hominum conſentit, lites tollit, & à curis multis, atque ſollicitudine liberat. Sed eſt tota quanta vaniſſima vanitas, contra quam pugnatum eſt aliàs, & univerſa prima pars hujus operis eam à fortiori convellit.

Hæc eſt itaque hæreſis omnium pernicioſiſſima, quam quidam de Dominis, & alii latiſſimè propagarunt. Fruſtrà eſt quod eam ad Chriſtiani ſolum nominis ſectas cogant, nam conſecutio ducit ad omnes. Haud porrò docent ſalvari quem, aut non peccari contra propriam Religionem aut contra lumen naturæ operando: quin, hoc circumpectè cavent: undè neque dicunt, non peccari contra propriam conſcientiam operando, aut eum non peccare, qui putat, ſe peccare, eſt enim hoc contra lumen ipſum naturæ, nec hoc genus erroris hæreſis iſta complectitur, ſed hoc dicit, ſalvari quemque juxta ſuam Religionem ſaltem Chriſtianam, ac lumen naturæ accuratè vivendo.

Modò de opinionibus dicamus, vel quæ ſunt vel quæ eſſe poſſent; nihil enim litigo, an ſint; quin Deo glorioſo ingentes gratias habebo, ſi nullæ ſint, & quam longiſſimè omnes abſint à memorato errore. Dictum eſt ſatis ſuprà de ignorantiis invincibilibus, quibus integri paganorum, ac hæreticorum populi, & per conſequentiam etiam litterati à peccato hæreſis, & infidelitatis excuſari ſolent. Hi ergo in hoc non peccant: neque item in vivendo accuratè juxta ſuam Religionem, quam quippe ex ignorantia invincibili veram putant, & juxta lumen naturæ: ergo hæretici, quibus per Baptiſmum peccatum originale ſublatum eſt, ſalvantur; infideles verò ſaltem non condemnantur.

Sed non hoc potiſſimum dicere inſtitui, ſed de opinione, quæ dicit, vel diceret non peccari juxta actualem conſcientiã ſine ſcrupulo operando, quin operationem evadere rectam, & honeſtam: quemadmodum omnes dicimus, & de fide eſt peccati contra actualem conſcientiam, & cum ſcrupulo (ut hic ſcrupulus accipitur) operando, & operatio turpis eſt ac prorsùs inhoneſta.

Inquam *ſine ſcrupulo*, vel *cum ſcrupulo*. Haud intelligimus ſcrupuloſos eorum, quos ſcrupuloſos compellamus, & ſcrupulos contemnere contra etiam agere conſulimus. Omnem deindè ſcrupulum hic omittimus aut excludimus, qui ſolis apprehenſionibus conſtant: apprehenſiones quippe, & ſæpè vehementes inſurgunt etiam contra fidem, & fidei myſteria, & coagitatur mens, ut acutè S. Thomas ex Aug. declarat: tunc tamen contra hos vel ſcrupulos, vel apprehenſiones credere, & fortiſſimè credere, non gravum, ſed tantum, imò remedium eſt. Poſtremò ſcrupulum non vocamus formidinẽ propriam opinionis: nam hac non obſtante veras opiniones regulam etiam eſſe conſcientiæ, oſtenſum eſt. 1. *part.* & qui contradicere nobis in præſentia poſſent, nil in hoc, ut ſcitur, repugnabunt, qui ſcilicet dictamina etiam evidentia mox ex opinionibus veris, & falſis, modo ſint probabiles, elicere, & formare ſciunt, per novam Logicam.

Cum ergo opinio aliqua dicit, vel diceret, non peccari, quin rectè, & honeſtè agi juxta actualem præſentem conſcientiam ſine ſcrupulo operando non puras apprehenſiones contrarias, aut ſcrupulos ſcrupuloſorum, aut formidinem opinionis propriam ab operante excludit, ſed dubietatem, & aliquod genus judicii, ambigitur, vel poſitivè neſcitur, an quod agendum eſt, ſit, vel non ſit peccatum. Volens prætereà multi, ab ultimo dictamine conſcientiæ abigendam eſſe etiam formidinem opinionis; & ſi antecedentia judicia dumtaxat opinativa fuerint.

His præmiſſis, & notatis, intentio, quæſtionis eſt oſtendere, & in praxi, & in doctrina iſtam, quam propoſuimus, opinionem, quæ vel eſt, vel eſſet, nimium declinare in ſuperiorem hæreſim.

§. II.

Collatio utriuſque dicti: quoad praxim, & quoad doctrinam.

QUoniam de doctrina, & circa doctrinam dici poteſt, eam inter dictum utrumq; eſſe differentiam, quod alterum quidem ſtatuat per ſe alterum verò ſolùm per accidens, id eſt quod hæretici dicant, ſolam ut ſummum fidem in Chriſtum eſſe neceſſariam & cætera eſſe parvi momenti, ſive ſic, ſive aliter teneantur, aut etiam omittantur: ſecundum autem dictum ſolùm ſtatuat ex accidenti, & ex ignorantia rem ita eſſe poſſe non verò per ſe, & ſecundum veritatem, & ſcientiam, quoniam, inquam, hoc diſcriminis obtendi poteſt, de quo paulò poſt erit ſermo, nunc de praxi. & de effectu primùm dicamus.

Quod praxim itaq; & effectum ſalvandi unumquemq; in ſua ſecta, & lege, ſi juxta eam, ac lumen naturæ accuratè vixerit, multum ſanè concordare utrumque dictum. Hæreſis quippe propoſita non hoc dicit, ſervari quemq; in ſua ſecta, vel lege, vel Religione, quam aut falſam putat, aut quam veram eſſe ſubdubitat: nihil hujus additionis, aut hęreſis ipſa meminit, aut illius oppugnatores. Orthodoxi de additione diſputant, ſed de hæreſi ipſa in ſe. Eſt ſcilicet contra lumen ipſum conſpicuum naturæ, ſervari quẽ in ſua ſecta, vel lege, quam aut falſam habet, aut veram eſſe dubitat. Deindè hæreſis eſſe, credo non delineret, etiam ſi caveret, & diceret, unumquemque ſalvari in ſua ſecta. & lege modò eam veram arbitretur, ſi juxta eam, ac lumen naturæ accuratè vixerit: nec vel ipſa Anglicana confeſſio toleraret, ſed anathematizaret, ſi dictum ad Religiones Chriſtiani nominis non contingantur *cum ſacræ Litteræ* (aiebat) tantum Jeſu Chriſti nomen prædicent, in quo ſalvos fieri homines oporteat. Non eſt enim datum ſub Cœlo nomen aliud, in quo ſalvos fieri oporteat homines.

Hæreſis ergo ea nefanda, tam ſpeculationem, quæ ſua parùm intereſſet ſecuta eſt, quam hominum mores, facta, & inſtitutionem. Sunt ſcilicet plerique omnes educatione & conſueſuetudo de ſectæ ſuæ Religioniſque veritate perſuaſi, ac decepti, quos proindè omnes ſalvare; Religionis lites, ac diſſentiones amputare, curas tollere, & anxietate, magnum uti-

que negotium, & cunctis per gratum foret, & paci una, negligentiæque valde consentaneum. An per se, an per accidens, an per scientiam, an per ignorantiam ita instituti essent populi, curavi patum: modò haberetur intentum, quod, decepri quaqua versum omnes in tuto essent, & si legem unicuique suam, ac lumen rationis accuratè sequerentur, salvi fierent universi. Atque ita fieret, inaudito absurdi genere, quòd plures multò hæresis, & error salvent, quam fides ipsa vera & Religiò: cœlorumque ipsæ sedes non tam fidei Jesu Christi, quam stultiis Mahometi, & Paganorum aliorum, ac hæresibus debeant, quod impletæ sint.

Huic errori vanissimo illud dictum aliud consentire in eo videtur, quod deceptos hos omnes juxta errores, atque ex eis depromptam formatamque conscientiam operantes liberet primùm à culpa, & peccato: ac rursùs si dicatur, ita bonum, honestumque esse juxta conscientiam operari, sicut turpe est ac inhonestum agere contra: jam operationes infidelium, hæreticorumque omnes erroribus suis consentientes, & concordantes evadent honestæ, bonæque. Cum denuò ex vera Theologia, gratia supernaturalis, & auxilium sufficiens nulli desit hominum ad suas honestas operationes, ut ordinis supernaturalis fieri possint, fiet has omnes operariones infidelium, hæreticorumq; suis sectis, & conscientiis erroneis consentaneas esse meritorias saltem de congruo vitæ æternæ; quin etiam de condigno in hæreticis baptizatis; qui grave aliquid contra lumen naturæ, & suam sectam admittendo gratiam n Baptismo suceptam non amiserunt, imò non omnibus, si Dei dilectionem, quæ sine fide possibilis à quibusdam ponitur exercebunt. Habebitur ergo, salvari quemque in secta sua, & lege, modò juxta eam, ac naturę lumen accuraté vixerit.

Sed verò non tanta deposcamus: usurpatur hoc unum, non peccari juxta conscientiam operando sine scrupulo, & remorsu, ut explicatum fuit. Ergo unusquique in sua secta, & lege saltem. Christiana salvatur, si juxta eam vivat, ac lumen naturæ; nam hi baptizati sunt, & gratiam Baptismi non deperdunt nisi peccando; at non peccant, ut ponimus, si juxta sectam suam, & legem naturæque lumen vivunt: salvantur ergo. Cæteri verò si eo dilectionis Dei remedio provisum non fuerit, salvari quidem nequibunt: minimè verò damnabuntur, sed ad Lymbum mittentur puerorum sine Baptismo decedentium, vel ad receptaculum aliquod aliud, ubi pænas luant culpatum leviorum.

At peccant, inquis, etiam contra sectas suas, & leges, atque contra lumen naturæ. Verum non forte omnes scienter: deindè non fortè plures. Sed hæc facta contingentia sunt, quæ nescimus. Quod instituti præsentis est, ea hæresis non hoc ponebat, quod servarentur singuli in sectis suis contra eas, sed juxta operando, Ergo sub his solùm terminis vera erit insolentissima fortè hæresum.

Quoad peccantes autem contra sectas suas, & lumen naturæ, singulæ sectæ ut suas effictas Religiones, ita etiam remissiones, ac justificationes suas comminiscuntur, sectarii per fidem Mahometani per confessionem soli Deo effectam, Judæi per purificationes varias, & ita alii, & alii, His cunctis, quoniam creduntur veræ Religionis prorsùs involuntariò ignari, suæ Religiones, & sectæ confictæ dicuntur sufficere, si in eas, ac lumen naturæ non offenderint. At autem eodem sanè modo ignorant verum medium remissionis peccatorum, ac justificationis impii. Quidni ergo Dei misericordia, quod deest supplente, & eorum miserente ignorantiæ invictæ, ne tot gentes pereant, non ipsis sufficiant sui modi, quos veros arbitrantur, remissionis peccatorum. Et si enim satis sit in comperto extra Ecclesiam nullam esse potestatem remittendi peccata; at primum quidem haud minùs est compertum, extra Ecclesiam salvari neminem: hoc porrò alteratur, & salvi esse dicuntur, qui omninò juxta suas conscientias vivunt in quibusque sectis. Cur ergo & illud aliud non alteretur saltem per accidens & ex ignorantia invincibili, quæ inesse creditur? Deindè non potestativa, sed alterius generis remissio contingitur. Arque denuò possibilis sine fide, ac extra Ecclesiam adstruirur Dei dilectio: ab hac ergo peccatorum remissio obveniet sive dispositivè solum, siue etiam formaliter, ut alii & alii Theogi decernunt.

Eccur rursùs, ut de Religionibus ipsis, quæ horum omnium fundamentum sunt, ampliatur, non etiam per accidens ampliemus, & tendadamus potestatem remissivam Ecclesiæ ad omnes hos invincibiliter ignorantes? Qua propter siquidem suæ illis ignorantię nihil officiunt, & juxta sectas suas agendo servantur, Missionarii Apostolici, ac Ministri Evangelii haud populos, & regna perturbunt nova Religione, sed suas eos sectas servare primùm hortentur, & deindè siquid contra commiserunt, paccatè non ad novam, & arduam Religionem, sed ad Sacramentum solùm pœnitenrię: Quid quod cum de his disputarem, non defuit aliquis, & si superis placet, Lector Theologiæ, qui respondit, hos omnes Luheranos, & Caluinistas, ut sibi quidem videbatur invincibiliter ignorantes esse re ipsa, & in foro conscientię Catholicos, ac filios Ecclesię.

Omnia profectò periclitantur pręter missis principiis, aut detortis. Est porrò principium omni authoritate inconcussè firmum, exrra Ecclesiam, & sine vera Fide Christi servari neminem. Cuicumque certè etiam non multum religioso, & cordato, homini, ut infinita hoc circa omittam alia, suffecturus esse videretur vel unus Gregorius *tit. de hæreticis cap. firmissimè*, ubi supremus, & in fidei, ac morum doctrina indefectibilis Judex publico decreto sic sanxit: *firmissimè tene, & nullatenùs dubites omnem hæreticum, vel schismathicum cum Diabolo, & Angelis ejus æterni ignis incendio participandum, nisi ante finem vitæ Catholicæ fuerit incorporatus, & redintegratus Ecclesiæ.* Et post. *Omni homini, qui Catholicæ Ecclesiæ non tenet unitatem: neque Baptismus: neque eleemosina quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta poterit proficere ad salutem.* Est tota sententia Evangelii, & Pauli Apostoli, quam Sancti Patres uno calculo tradiderunt, ac Cyprianus maximè, & Augustinus prosecuti sunt, ut videre etiam *est in Decret. 24. qu. 1.* per totam.

Conscientia ergo quęque falsis sectis, heresibus consentanea regula non est nec honestatis, nec non peccati universim, sed solùm si quandò invicibilis erit, à peccato excusabit: quod in aliquando contingat *infrà* tractaturi sumus. Sin verò quod hujus

hujus loci est, omnis universim conscientia scrupuli, & ambiguitatis expers, sive ex veritate, sive etiam ex hæresi, & Paganismo depromatur, jam nec solo, quod scrupulo careat, à culpa eximit, quin etiam operatio recta evadit, ego quidem non assequor, in quo dictum quoad praxim, & effectum salvandi omnes in suis sectis discrepet ab errore ponente servari quemque in sua secta, & lege saltem Christiana, si juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit. Omnes siquidem Christiani, qui peccato personali gravi haud delinquunt; procul omni dubio salvi fiunt.

Quod ad doctrinam attinet differre video utrumque dictum: nam hæresis memorata per se, & citra ignorantem statuit: alterum dictum ex ignorantia; & propter ignorantiam decernit: de quo certè, ut notavi, parum hæresis curavi, modò haberet, omnes suos populos, & quotquot sectas suas veras aorumant, in tuto existere beneficio saltem erroris tò tutioris, quo profundioris.

Sed deindè hæresim ipsam istam inducentes, modò eam veram putent, rectè sanè, & citra peccatum, imò honestè eam docuerint, & propagaverint, si quidquid actuali conscientiæ experti scrupuli consentaneum fuerit, jam hoc uno & culpa immune est, & honestum. Non ergo ei obsistendum veniet; sed id fortassè desiderandum, ut si qui de errore non nihil ambigent, fortiùs decipiantur, & ineptiant, quo in tuto ponantur, & quo cæcior eò quis securior erit.

Ille sæpè obiter revellendus obex venit, quod quidam videntur existimare, alios in eis rebus haud decipi, in quibus ipsi non decipiuntur: & si de salvandis quidem multis occurrat sermo, facilè omnes, aut plerosque deceptos, quos salvent, sanè admittunt: sin verò opponamus inferri monstra Judæos, Neronem, Diocletianum, Hæresiarchas excusatos fore, & sic fortè beneficio errorum etiam in tuto locatos; tunc tergiversantur, & nolunt ignorantias admittere, & scientes, ac volentes illos aut ineptiisse, aut in Christianos desævisse, respondent, vel indicant. Quod si historiam aut authoritatem deposcas, nullam reddunt: sin verò rationem, eam proferunt, quod in rebus adeò perspicois errare possit nemo: quæ probatio in hanc absurdam propositionem tota resolvitur, quod homo errare nequeat in rebus perspicuis. Sciatur, quid est homo, & non hoc dicetur. Deindè superiùs hæc inconsiderata existima repulsa est.

Nunc in reliquorum deceptorum specimen ex 13. Esther, Epistolam Artaxerxis Persarum Regis Potentissimi pro extinguenda Judæorum gente, quæ sola natio eo temporis verum Deum colebat, ad omnes imperii ejus Provincias missam audiamus: *cum plurimis gentibus imperarem, & universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentia magnitudine, sed clementia, & lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. Quærente autem me à Consiliariis meis, quomodo posset hoc, impleri, unus, qui sapientia, & fide cæteros præcellebat, & erat post Regem secundus. Aman nomine indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium gentium consuetudinem faciens, Regum jussa contemneret, & universarum concordiam gentium sua dissentione violaret. Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, & turbare subjectarum nobis Provinciarum pacem atque concordiam jussimus.* &c ut omnes scilicet interficerentur. Ex uno facile disces omnes, & ex Artaxerxe Judæos interfectores salvatoris, Neronem; Dioclecianum Jaicosamam, atque sub Christiano nomine Constantium, & non pridem Elisabetam; & cæteros, intelliges, qui similibus ex causis decepti Christianos alii, alii Orthodoxos atrocissimè insecuti sunt.

Aiunt scioli, quidam, quo pacto, cum Salvatoris, cum Discipulorum miracula existerent adeò conspicua, errare, & decipi potuere? O pinor Deum eesse, & unum esse, quod & demonstrabile Trologi jure ponunt saxa, simulachra gentium argentum; & aurum; Deos non esse haud mins existere conspicuum. Et tamen fallebatur non una natio, sed mundus uniuersus. Sciatur, oto, rursùs, quid, & quantus sit homo in hoc lapso naturæ statu, quid insuper; homo sit sibi fidens, elatus, arrogans, passionum sectator, sui, mundique amator, & ineptiam esse arbitrabere quantumcumque ineptiam, ac stultitiam homines credere non posse, existimare: omnis sanè hoc circa superfluit oratio, ubi facta totius mundi delyrantis, tam clarè èloquuntur, vel surdi ipsi audiant.

QUÆSTIO X.

Utrum ergo teneamur expedire difficultates contra voluntarietatam peccatorum ignorantiæ ex defectu cognitionis? & qualiter?

IAm pro salute veritatis montem hic conscendere cogimur, & difficultatem arduam superare: adeò iter facientium instar, non quæ via facilis sit, & expedita, sed quo eatur, cogitandum est, nec Romam contendens, ne Alpium transcendat juga, planum iter capessit, quò Bruxellas, non Romam eat. Occurit ergo superanda difficultas, quæ plurimos conterruit, & terga fortè vertere fecit, de voluntarietate peccatorum ignorantiæ ex defectu cognitionis. Nam omne voluntarium est præcognitum: & quæ ignorantur, non sunt præcognita: omnis erga ratio voluntarii videtur tolli sane de medio.

Ne verò videret contra aliquos hic Theologos certare, sed potiùs cum Theologis contra falsitatem pugnare, consulto quæsivi, utrum omnes teneremur has quantascumque difficultates expedire, ac evincere.

§. I.

Omnes sanè tenemur.

OMnes enim, ut est commonstratum, peccata ignorantiæ sub his terminis admittunt; quin rem esse de fide, multi signanter contestantur; & meritò: peccata autem ignorantiæ haud sunt peccata scienter, & advertenter admissa. Omnes rursùs ponunt, ignorantiam aliam invincibilem, & non saltem semper excusantem. Nemo item negat, nec negare salva fide potest, dari peccata hæresis, infidelitatis etiam interioris; & tamen qui peccat, veram putat vel hæresim, vel infi-

delitatem, quam credit, & aliqui quidem obstinatissimè, quo error major est, & profundior; ac proinde in ea cedenda non præcognoscunt peccatum. In quorum ita deceptorum specimen Artaxerxem Persarum Regem, & ex eo intelligendos obcæcatos Judæos, stultos factos, Romanorum Imperatores nuper indicavimus. Quo circa tot, ac tanta hactenùs adducta sunt ut ullus disputationi locus superesse videatur. At omne peccatum est voluntarium, ut omnes indubitatè tenent, & usurpant. Omnes ergo tenemur expedire, quomodò cum ignoranter peccatur, cum hæresim credendo delinquitur, cum per ignorantiam vincibilem non ex toto excusamur, ratio nihilominùs voluntarii supersit.

Deindè admissis ipsis velut primis documentis de ignorantia ex 3. Ethicor. Præsertim cap. 3. & 1. 2. quæst. 6. art. 8. inter quoquo modo Philosophos, aut Theologos ambigi vix posse videtur, Ignorantiam non semper causate involuntarium, ut satis dilucidè S. Th. & Commentatores declarāt, ac multiplicem ignorantiam distinguunt, quarum aliæ causent aliæ non causent involuntarium. Non ergo ista tam communia, tam vera deserenda sunt: quia ratiuncula, vel ratio etiam per magna in adversum cogit, aut urget. Conciliianda est itaque omnibus ignorantia cum voluntarietate. Quemadmodum etiam de concupiscentia, quæ & rationem perturbat, & considerationem peccati sæpè saltem adimit, voluntarium tamen non tollere, eisdem in locis traditur: & de iracundia similiter, ut superius habitum est: sin minùs peccata ferè cuncta tolli possunt.

Nemo est præterea Theologorum, qui diligentiam pro addiscenda veritate vel majorem vel minorem, tamen aliquam non expostulet. Eam ergo si Mercator prætermittens quoscumque occurrentes contractus ultrò ineas, & erres, haud quaquam per ignorantiam, excusaberis; vel si confessor natura rudis, ac fermè ineptus nihil studendo aut quærendo & consulendo liberaliùs, quam per esset, Sacramenta administrabis, erit prava administratio nimis sanè voluntaria, & si versa in naturam consuetudine nullis scrupulis fatigeris. Judicia omnia, gentes ubique omnes naturæ lumine non omnes ignorantias in excusationem admittunt, sed ignoradi causas inquirunt, & si Rex oscitans, distractùsve ad alia Regni curam negligat pravus Rex, audit, ac mali regiminis reus habetur. In his itaque tam nobis & inconcusse stabilitis non esset hærendum; cum adeò à vero omnis hic dubiratio absit, ut Aristoteles, S. Thomas, & sapientiores quique actualem, ac præsentem nunc cogitationem peccari in ipsis etiam scienter admissis peccatis planè denegent.

§. II.

Omnes hic difficultates prævisæ sunt olim, & proposita; atque solutæ.

NOviores opiniones, quæ novo ac catenùs non viso fundamento connittuntur, laudem indè habere solent, & condemnationem; nam Doctores antiquiores per ignorantiam magis contrà arbitratos fuisse, existimandum videtur. In præsentia, porrò omnis hoc genus prætextus abest; & quandoquidem omnes, vel plures transcribere futurum esset prolixum, in uno, & ex uno D. Thoma commonstrabimus, nullas hic de novo inventas, sed antiquas ipsas, & solutas sine solutionibus tamen inductas esse, & suscitatas difficultates.

Earum scilicet summa est, quod voluntarium est à principio intrinseco cognoscente singula, &c. hæc enim est definitio omnium: at quod est ab ignorante, non est à cognoscente; item nec quod est à non advertente, aut oblito: non ergo voluntarium: non ergo peccatum.

Hanc itaque totius difficultatis summam multipliciter olim à D. Thoma propositam, & discussam in 2. dist. 22. qu. 2. & 1. 2. quæst. 76. quibus in locis quærit, an ignorantia sit causa peccati, an item peccarum, audiamus.

Arguit: *Omne peccatum in voluntate consistit, ut suprà habitum est.* Scilicet *qu. 74. art. 1. sed voluntas non fertur nisi in aliquod cognitum; quia bonum apprehensum est objectum voluntatis. Ergo ignorantia non potest esse causa peccati.*

Iterum sic: *Augustinus dicit, quod omne peccatum est voluntarium: ignorantia autem non voluntaria, cum ab hominibus scientia naturaliter desideretur secundum Philosophum: ergo ignorantia non est peccatum.*

Tertiò. *Id, quod facit aliquis præter intentionem, peraccidens agit; sed intentio non potest esse de eo, quod est ignotum. Ergo id, quod per ignorantiam agit homo, peraccidens se habet in actibus humanis. Sed quod est peraccidens, non dat speciem. Nihil ergo, quod est per ignorantiam factum debet judicari peccatum, vel virtuosum in humanis actibus.*

Quartò arguitur. *Ignorans in ignorantia sua continuè manet. Si ergo ipsum ignorare peccatum esset, videtur, quod continuè peccaret; non enim apparet ratio quarè magis nunc sit peccatum, quam prius. Sed hoc videtur. grave dicere: (seu ut dicit alibi) quod patet esse falsum. Ergo videtur quod ignorantia non sit peccatum.* Aliam difficultatem movet, an, & quomodò permanente ignorantia tolli tamen queat peccatum per pœnitentiā: de quo sanè per necessario dubio seorsim à nobis eric dicendum. Arque eadem fermè S. Bonaventura: & alii proposuerunt, non tam ut dubitarent, & secus operandi ansam omnem præciperent.

Quintò sic. *Homo est subjectum virtutis & peccati, in quantum est particeps rationis. Sed ignorantia excludit scientiam*; adde & exercitium rationis circa rem ignoratam in quantum ignoratam. *Ergo ignorantia totaliter excusat à peccato.* Omitto alia, nec video, & si hoc parum probet, quid momenti superfit contra voluntarietatem peccatorum ignorantiæ, quod his sublatis non ultrò cadat.

Animus est nunc ipsas S. Doctoris solutiones reddere, atque tueri, eo iterùm animadverso, in quo Novitius aliquis ineptire posset, neque S. Doctorem, neque nos, aut cæteros tueri peccata ignorantiæ, & ex ignorantia propter solutiones adhibendas, sed propter adductas plurimas, ac indubitas causas. Solent quippe inconsiderationes aliqui reliquum materiæ totius prætermittere, & si in argumento suo aliquo pares sint. Assertores veritatis, aut non prorsùs videantur, atque perfringantur, quasi de uno eo argumento res esset, sibi liceret putant contra opinari, qui certè processus in istam, nisi fallor, stolidam propositionem resolvitur, quod veritas, ejusque defensor teneatur cuncta adversantia & in se, & quod impossibilis, etiam ad hominem, eùmque sæpè indisciplinarum manifestè conterere, & ut ita loquar, anhilare, quasi ve-

rè

ro Sophiſtarum tota natio ſilere cogi poſſit, atque obmuteſcere.

§. III.

Quæ, & quanta cognitio ad peccata ignorantiæ requiratur?

EO certè in momento cognitionem peccati haud adeſſe, in quo per ignorantiam, & ignoranter peccatur, ſatis, ſuperque conſtitutum eſt, & ipſæ voces peccati ignorantiæ, & ignoranter, & neſciendo peccari, nobis etiam tacentibus eloquuntur. Sin minùs ignorantia non cauſat peccatum ſcilicet tamquam removens prohibens, id eſt, cognitionem peccati, quæ ſi adeſſet, impediret, nam adeſſet: atque tituli librorum radi poterunt, in quibus quæritur, an ignorantia peccatum ſit, an item cauſa peccati? utque latè oſtenſum eſt, nullum ſupereſſet peccatum hæreſis, ut infidelitatis; ac titulo ſimiliter de hæreticis ex jure tollere, conſequens erit. Sed ne actum agamus, indubitatum ſuponimus, tunc quando ex ignorantia, & ignoranter, & neſciendo peccatur quos nobis terminos ſacer ipſe textus miniſtrat, non adeſſe cognitionem peccati. Quod autem de libertate hic opponere poſſunt, *quæſt. ſeqq.* diſcutietur.

Cavendum, nunc eſt extremom aliud, & dicendum, aliquam demùm cognitionem præcedere debere: nam nullo modo præcognitum nullo modo eſt voluntarium: at omne peccatum eſt voluntarium: ergo præcedat, neceſſe eſt, cognitio demùm aliqua.

Dicas fortè, ſatis eſſe à S. Thoma indicari indoctior aliquis exiſtimare poteſt, ſatis, inquam, eſſe ſi præcedat, aut etiam adſit rei ipſius, in qua peccatur, cognitio, nulla vero malitiæ, & peccati, nec adſit; nec adfuerit. Siquidem Doctor 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1. *ad* 3. inquit voluntatem ferri non poſſe in aliquid quoad omnia ignotum; secùs ad notum quoad aliquid, & ignotum quoad aliud: *ſicut cum aliquis ſcit, hunc, quem occidit, eſſe hominem, ſed neſcit, eum eſſe Patrem vel cùm aliquis ſcit aliquem actum eſſe delectabilem, neſcit tamen, eum eſſe peccatum.* At S. Thomas hæc docet, ubi tractat, & docet ignorantiam eſſe cauſam peccati. Sufficiet ergo actus ipſius haberi cognitionem: & ſi nulla præfuerit cognitio peccati.

Verùm S. Doctor non omnia uno loco tradit, & ejus doctrina perpetua eſt, ipſam ignorantiam, quæ eſt peccatum vel cauſam eſſe voluntariam, & ipſum etiam qua peccatum eſſe voluntarium eo modoquo malum voluntarium eſſe poteſt. Ergo non actus modo, ſed ipſa quoque malitia eſt voluntaria; non imputabilis; ergo voluntaria: ergo præcognita aliquo demùm modo.

Hinc Magiſtralis eſt illa S. Doctoris propoſitio, quam *ſuprà ex lect. 7. in c. ad Romanos*, circa peccata ignorantiæ gentilium exhibuimus. *& primò oſtendit* (ſcilicet Apoſtolus) *quod prima eorum culpa ex ignorantia non proceſſit &c. Quod autem prima eorum culpa ex ignorantia non proceſſit, oſtenditur per hoc, quod Dei cognitionem habentes, eâ non ſunt uſi ad bonum.* Nequit ſcilicet prima culpa ex ignorantia procedere, nequit enim non eſſe volita in ſe, vel in alio ignorantia ſequens, quæ eſt cauſa peccati, vel peccatum per prius igitur per cauſam ipſam, quâ ignorantia inducitur delinquimus: & tum cognitio aliqua præcedit, vi cujus, & ignorantia ipſa, & propter eàm admiſſa culpa nobis imputentur, reddanturque voluntariæ. & confirmatur; quia in conſulendo non proceditur in infinitum, ut patet 2. 2. *q.* 14. *art.* 6.

Indè rursùs concors Theologorum omnium ſententia eſt, ignorantia prorsùs, & omninò antecedentem, non ad hunc aut illum actum voluntatis, ſed ad omnem vel actum, vel etiam omiſſionem eſſe ignorantiam invincibilem; ac proindè Orthodoxorum omnium indubitato ſuffragio excuſantem à peccato totaliter, & pleniſſimè. Omnis etenim ignorantia vincibilis aliquo actu, vel omiſſione voluntatis vinci poteſt; inde ſcilicet ita compellatur, Quæ ergo omne voluntatis arbitrium antevertit, invicta eſt, ac ita etiam involuntaria prorsùs. Ergo ſi qua culpa ex ea proveniret, imputari nobis non poſſet; atque ita culpa foret, & non culpa, id eſt, hircocervus, & chimæra. Neceſſaria eſt ergo aliqua præcognitio tum ignorantiæ, tum culpæ propter ignorantiam ſequentis.

Hæc omnia, quæ Catholici omnes libenter admittunt, haud proſequor: neque enim cum Novatoribus, qui jam judicati ſunt, nobis res eſt, ſed credentium mores, & pietatem juvare præſentis eſt inſtituti: nam vel ex ſolo Auguſtino, ad cujus Tribunal, Eccleſiam etiam ipſam vocarunt, eorum vanitatem demonſtrare, res ſanè erat perfacilis, & expedita. Difficiliora nunc aggredimur.

§. IV.

Non eſt neceſſe, peccata ignorantiæ neque in individuo, neque in ſpecie præcognoſci.

NOn de rerum ipſarum cognitione, per quam ignorantiam peccatur, ut an qui nunquam de fide Christi quidquam audivit peccet tamen ſed de cognitione malitiæ, & culpæ nunc ſermo eſt; & aſſerimus, neceſſe haud eſſe ad peccatum ignorantiæ, ut præcognita fuerit in individuo, vel in ſpecie malitia actus illius, vel omiſſionis, in quo actu, aut omiſſione ignorantia peccatur.

Plurimi certè contradicunt: quorum tamen fundamenta, & doctrinæ ſeries hactenus everſa eſt. At plurimi etiam ejus cognitionis neceſſitatem negant, quos refert Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 16. nec enim relatos referendo, & libro in librum eoſdem centies Authores tranſcribendo paginas implere conſilium eſt. Nobiliſſimus eſt hoc circa §. *quintò ſequitur*, Valentiæ *diſput.* 6. 9. 6. *punct.* 1. ubi ſuum illud, & noſtrum denuò recantat, ſæpè illud uſurpandum eſſe, *ab occultis meis munda me Domine:* quia ſcilicet quo de tractabo infrà, vix ſciri poteſt, an ignorantia invincibilis ſit, an vincibilis. Cajetanus 22. qu. 150. art. 3. agens de peccatis ſe inebriantium, ſatis eſſe ait, ſi peccatum ſit præviſum in communi, quia ſat ſe ebrium in aliquo peccare, licet neſciat, in quo genere tunc peccabit. Et iterum: reputatur rursùs præviſum, non ſolum, ſi ſit præcogitatum, ſed ſi debuit eſſe præviſum præcogitando. Hæc ille, quæ tam communia ſunt, ut apud Doctores principii loco habitum fuerit, perindè eſſe ſcire, & ſcire debuiſſe, & ſunt textus *cap. ſi culpa* de injuriis, atque alii. Quin nec vel ipſe Vaſquez *diſput.* 123. *cap.* 2. *n.* 6. verbo eo *in univerſum*

&

delitatem, quam credit, & aliqui quidem obstinatissimè, quo error major est, & profundior; ac proindè in ea credenda non praecognoscunt peccatum. In quorum ita deceptorum specimen Artaxerxem Persarum Regem, & ex eo intelligendos obcæcatos Judæos, stultos factos, Romanorum Imperatores nuper indicavimus. Quo circa tot, ac tanta hactenùs adducta sunt ut ullus disputationi locus superesse videatur. At omne peccatum est voluntarium, ut omnes indubitatè tenent, & usurpant. Omnes ergo tenemur expedire, quomodò cum ignoranter peccatur, cum hæresim credendo delinquitur, cum per ignorantiam vincibilem non ex toto excusamur, ratio nihilominùs voluntarii superfit.

Deindè admissis ipsis velut primis documentis de ignorantia ex 3. Ethicor. Præsertim cap. 3. & 1. 2. quæst. 6. art. 8. inter quoquo modo Philosophos, aut Theologos ambigi vix posse videtur, ignorantiam non semper causare involuntarium, ut satis dilucidè S. Th. & Commentatores declarat, ac multiplicem ignorantiam distinguunt, quarum aliæ causent aliæ non causent involuntarium. Non ergo ista tam communia, tam vera deserenda sunt: quia ratiuncula, vel ratio etiam per magna in adversum cogit, aut urget. Concilianda est itaque omnibus ignorantia cum voluntarietate. Quemadmodum etiam de concupiscentia, quæ & rationem perturbat, & considerationem peccati sæpè saltem adimit, voluntarium tamen non tollere, eisdem in locis traditur: & de iracundia similiter, ut superius habitum est: sin minùs peccata ferè cuncta tolli possunt.

Nemo est præterea Theologorum, qui diligentiam pro addiscenda veritate vel majorem vel minorem, tamen aliquam non expostulet. Eam ergo si Mercator prætermittens quoscumque occurrentes contractus ultrò ineas, & etres, haud quaquam per ignorantiam, excusaberis; vel si confessor natura rudis, ac fermè ineptus nihil studendo aut quærendo & consulendo liberaliùs, quam per esset, Sacramenta administrabis, erit prava administratio nimis sanè voluntaria, & si versa in naturam consuetudine nullis scrupulis fatigeris. Judicia omnia, gentes ubique omnes naturæ lumine non omnes ignorantias in excusationem admittunt, sed ignorādi causas inquirunt, & si Rex oscitans, distractúsve ad alia Regni curam negligat pravus Rex, audit, ac mali regiminis reus habetur. In his itaque tam nobis & inconcusse stabilitis non esset hærendum; cum adeò à vero omnis hic dubitatio absit, ut Aristoteles, S. Thomas, & sapientiores quique actualem, ac præsentem tunc cogitationem peccati in ipsis etiam scienter admissis peccatis planè denegent.

§. II.

Omnes hic difficultates prævisæ sunt olim, & propositæ; atque solutæ.

NOviores opiniones, quæ novo ac eatenùs non viso fundamento connituntur, laudem indè habere solent, & condemnationem; nam Doctores antiquiores per ignorantiam magis contrà arbitratos fuisse, existimandum videtur. In præsentia, porrò omnis hoc genus prætextus abest; & quandoquidem omnes, vel plures transcribere futurum esset prolixum, in uno, & ex uno D. Thoma commonstrabimus, nullas hic de novo inventas, sed antiquas ipsas, & solutas sine solutionibus tamen inductas esse, & suscitatas difficultates.

Earum scilicet summa est, quod voluntarium est à principio intrinseco cognoscente singula, &c. hæc enim est definitio omnium: at quod est ab ignorante, non est à cognoscente; item nec quod est à non advertente, aut oblito: non ergo voluntarium: non ergo peccatum.

Hanc itaque totius difficultatis summam multiplicitet olim à D. Thoma propositam, & discussam in 2. dist. 22. qu. 2. & 1. 2. quæst. 76. quibus in locis quærit, an ignorantia sit causa peccati, an item peccatum, audiamus.

Arguit: *Omne peccatum in voluntate consistit, ut supra habitum est.* Scilicet *qu. 74. art. 1. sed voluntas non fertur nisi in aliquod cognitum; quia bonum apprehensum est objectum voluntatis. Ergo ignorantia non potest esse causa peccati.*

Iterum sic: *Augustinus dicit, quod omne peccatum est voluntarium: ignorantia autem non voluntaria, cum ab hominibus scientia naturaliter desideretur secundum Philosophum: ergo ignorantia non est peccatum.*

Tertiò. *Id, quod facit aliquis præter intentionem, per accidens agit; sed intentio non potest esse de eo, quod est ignotum. Ergo id, quod per ignorantiam agit homo, per accidens se habet in actibus humanis. Sed quod est per accidens, non dat speciem. Nihil ergo, quod est per ignorantiam factum debet judicari peccatum, vel virtuosum in humanis actibus.*

Quartò arguitur. *Ignorans in ignorantia sua continuè manet. Si ergo ipsum ignorare peccatum esset, videtur, quod continuè peccaret; non enim apparet ratio quarè magis nunc sit peccatum, quam prius. Sed hoc videtur grave dicere: (sen ut dicit alibi) quod patet esse falsum. Ergo videtur quod ignorantia non sit peccatum.* Aliam difficultatem movet, an, & quomodò permanente ignorantia tolli tamen queat peccatum per pœnitentiā: de quo sanè per necessario dubio seorsim à nobis erit dicendum. Atque eadem fermè S. Bonaventura: & alii proposuerunt, non tam ut dubitarent, & secus operandi ansam omnem præciperent.

Quintò sic. *Homo est subjectum virtutis & peccati, in quantum est particeps rationis. Sed ignorantia excludit scientiam*; adde & exercitium rationis circa rem ignoratam in quantum ignoratam. *Ergo ignorantia totaliter excusat à peccato.* Omitto alia, nec video, & si hoc parum probet, quid momenti superfit contra voluntarietatem peccatorum ignorantiæ, quod his sublatis non ultrò cadat.

Animus est nunc ipsas S. Doctoris solutiones reddere, atque tueri, eo iterùm animadverso, in quo Novitius aliquis ineptire posset, neque S. Doctorem, neque nos, aut cæteros tueri peccata ignorantiæ, & ex ignorantia propter solutiones adhibendas, sed propter adductas plurimas, ac indubitas causas. Solent quippe inconsiderationes aliqui reliquum materiæ totius prætermittere, & si in argumento suo aliquo pares sint. Assertores veritatis, aut non prorsùs videantur, atque perfringantur, quasi de uno eo argumento res esset, sibi licere putant contra opinari, qui certè processus in istam, nisi fallor, stolidam propositionem resolvitur, quod veritas, ejusque defensor teneatur cuncta adversantia & in se, & quod impossibilis, etiam ad hominem, eúmque sæpè indisciplinatum manifestè conterere, & ut ita loquar, anhilare, quasi ve-

rà

ro Sophiſtarum tota natio ſilere cogi poſſit, atque obmuteſcere.

§. III.

Qua, & quanta cognitio ad peccata ignorantiæ requiratur?

EO certè in momento cognitionem peccati haud adeſſe, in quo per ignorantiam, & ignoranter peccatur, ſatis, ſuperque conſtitutum eſt, & ipſæ voces peccati ignorantiæ, & ignoranter, & neſciendo peccari, nobis etiam tacentibus eloquuntur. Sin minùs ignorantia non cauſat peccatum ſcilicet tamquam removens prohibens, id eſt, cognitionem peccati, quæ ſi adeſſet, impediret, nam adeſſet: atque tituli librorum radi poterunt, in quibus quæritur, an ignorantia peccatum ſit, ac item cauſa peccati? utque latè oſtenſum eſt, nullum ſupereſſet peccatum hæreſis, ut infidelitatis; ac titulo ſimiliter de hæreticis ex jure tollere, conſequens erit. Sed ne actum agamus, indubitatum ſupponimus, tunc quando ex ignorantia, & ignoranter, & neſciendo peccatur quos nobis terminos ſacer ipſe textus miniſtrat, non adeſſe cognitionem peccati. Quod autem de libertate hic opponere poſſunt, *quæſt. ſeqq.* diſcutietur.

Cavendum, nunc eſt extremum aliud, & dicendum, aliquam demùm cognitionem præcedere debere: nam nullo modo præcognitum nullo modo eſt voluntarium: at omne peccatum eſt voluntarium: ergo præcedat, neceſſe eſt, cognitio demùm aliqua.

Dicas fortè, ſatis eſſe à S. Thoma indicati indoctior aliquis exiſtimare poteſt, ſatis, inquam, eſſe ſi præcedat, aut etiam adſit rei ipſius, in qua peccatur, cognitio, nulla vero malitiæ, & peccati, nec adſit; nec adfuerit. Siquidem Doctor 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1. *ad* 3. inquit voluntatem ferri non poſſe in aliquid quoad omnia ignotum; ſecùs ad notum quoad aliquid, & ignotum quoad aliud: *ſicut cum aliquis ſcit, hunc, quem occidit, eſſe hominem, ſed neſcit, eum eſſe Patrem vel cum aliquis ſcit aliquem actum eſſe delectabilem, neſcit tamen, eum eſſe peccatum.* At S. Thomas hæc docet, ubi tractat, & docet ignorantiam eſſe cauſam peccati. Sufficiet ergo actus ipſius haberi cognitionem: & ſi nulla præfuerit cognitio peccati.

Verùm S. Doctor non omnia uno loco tradit, & ejus doctrina perpetua eſt, ipſam igoorantiam, quæ eſt peccatum vel cauſam eſſe voluntariam, & ipſum etiam qua peccatum eſſe voluntarium eo modoquo malum voluntarium eſſe poteſt. Ergo non actus modo, ſed ipſa quoque malitia eſt voluntaria; non imputabilis; ergo voluntaria: ergo præcognita aliquo demùm modo.

Hinc Magiſtralis eſt illa S. Doctoris propoſitio, quam *ſuprà ex lect. 7. in c. ad Romanos*, circa peccata ignorantiæ gentilium exhibuimus. *& primò oſtendit* (ſcilicet Apoſtolus) *quod prima eorum culpa ex ignorantia non proceſſit &c. Quod autem prima eorum culpa ex ignorantia non proceſſit, oſtenditur per hoc, quod Dei cognitionem habentes, eâ non ſunt uſi ad bonum.* Nequit ſcilicet prima culpa ex ignorantia procedere, nequit enim non eſſe volita in ſe, vel in alio ignorantia ſequens, quæ eſt cauſa peccati, vel peccatum per prius igitur per cauſam ipſam, quâ ignorantia inducitur delinquimus: & tum cognitio aliqua præcedit, vi cujus, & ignorantia ipſa, & propter eam admiſſa culpa nobis imputentur, reddanturque voluntariæ. & confirmatur; quia in conſulendo non proceditur in infinitum, ut patet 2. 2. *q.* 14. *art.* 6.

Indè rurſùs concors Theologorum omnium ſententia eſt, ignorantia prorsùs, & omninò antecedentem, non ad hunc aut illum actum voluntatis, ſed ad omnem vel actum, vel etiam omiſſionem eſſe ignorantiam invincibilem; ac proindè Orthodoxorum omnium indubitato ſuffragio excuſantem à peccato totaliter, & pleniſſimè. Omnis etenim ignorantia vincibilis aliquo actu, vel omiſſione voluntatis vinci poteſt; inde ſcilicet ita compellatur, Quæ ergo omne voluntatis arbitrium antevertit, invicta eſt, ac ita etiam involuntaria prorsùs. Ergo ſi qua culpa ex ea proveniret, imputari nobis non poſſet; atque ita culpa foret, & non culpa, id eſt, hircocervus, & chimæra. Neceſſaria eſt ergo aliqua præcognitio tum ignorantiæ, tum culpæ propter ignorantiam ſequentis.

Hæc omnia, quæ Catholici omnes libenter admittunt, haud proſequor: neque enim cum Novatoribus, qui jam judicati ſunt, nobis res eſt, ſed credentium mores, & pietatem juvare præſentis eſt inſtituti: nam vel ex ſolo Auguſtino, ad cujus Tribunal, Eccleſiam etiam ipſam vocarunt, eorum vanitatem demonſtrare, res ſanè erat perfacilis, & expedita. Difficiliora nunc aggredimur.

§. IV.

Non eſt neceſſe, peccata ignorantiæ neque in individuo, neque in ſpecie præcognoſci.

NOn de rerum ipſarum cognitione, per quam ignorantiam peccatur, ut an qui nunquam de fide Chriſti quidquam audivit peccet tamen; ſed de cognitione malitiæ, & culpæ nunc ſermo eſt; & aſſerimus, neceſſe haud eſſe ad peccatum ignorantiæ, ut præcognita fuerit in individuo, vel in ſpecie malitia actus illius, vel omiſſionis, in quo actu, aut omiſſione ignorantia peccatur.

Plurimi certè contradicunt: quorum tamen fundamenta, & doctrinæ ſeries hactenus everſa eſt. At plurimi etiam ejus cognitionis neceſſitatem negant, quos refert Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 16. nec enim relatos referendo, & libro in librum eoſdem centies Authores tranſcribendo paginas implere conſilium eſt. Nobiliſſimus eſt hoc circa §. *quintò ſequitur*, Valentiæ *diſput.* 6. *q.* 6. *punct.* 1. ubi ſuum illud, & noſtrum denuò recantat, ſæpè illud uſurpandum eſſe, *ab occultis meis munda me Domine:* quia ſcilicet quo de tractabo infrà, vix ſciri poteſt, an ignorantia invincibilis ſit, an vincibilis. Cajetanus 22. qu. 150. art. 3. agens de peccatis ſe inebriantium, ſatis eſſe ait, ſi peccatum ſit prævisum in communi, quia ſat ſe ebrium in aliquo peccare, licet neſciat, in quo genere tunc peccabit. Et iterum: reputatur rurſùs prævisum, non ſolum, ſi ſit præcogitatum, ſed ſi debuit eſſe prævisum præcogitando. Hæc ille, quæ tam communia ſunt, ut apud Doctores principii loco habitum fuerit, periudè eſſe ſcire, & ſcire debuiſſe, & ſunt textus *cap. ſi culpa* de injuriis, atque alii. Quin nec vel ipſe Vaſquez *diſput.* 123. *cap.* 2. *n.* 6. verbo eo *in univerſum*

&

& declarans dissentire videtur. Est hæc sententia in D. Thoma perpetua, ut videbimus: nunc solum memoro, quæ 1. 2. 6. *art.* 3. *exhibet*, quæ conclusionem simul probant.

Opposuerat. *Ad voluntarium requiritur cognitio: sed concupiscentia corrupit cognitionem: dicit enim Philosophus*, &c. Respondet per alis: *sed quandoque in his, qua per concupiscentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulare agibili: & tamen hoc ipsum est voluntarium. secundum quod voluntarium dicitur quod est in potestate voluntatis, ut non agere, non velle: similiter autem, & non considerare.* Similiter ergo & nescire, aut nolendo, aut negligendo vel in re particulari, vel universim inpertinentibus ad vitam Christianam, vel ad officium: quia, quod ad voluntarium sufficit, potestas adfuerat sciendi, & cognoscendi.

Ecce quippè aliquis, ut rem primùm declarem, religionem ingreditur, cujus institutum, ac regulas ex toto penè ignorat; aut Christianus efficitur, aut Episcopus deligitur, aut Judex constituitur, vel etiam Rex, & de quam plurimis ipse in specie nescit, an sint, aut quorum se habeant: scit tamen in communi, & universim, permulta à se ignorari, etsi nesciat, quæ, quor, & qualia. Ipse verò, aut pigritans, & negligens supinus jacet, aut Poetarum amantior totus est cum Marone, aut Lucretio; aut Sectator libertatis, & passionum, ut liberiùs agat, aut ne à peccando retrahatur, consultò vult ignorare. An ignorantiæ sibi suæ vel omnes, vel saltem permultæ, quæ dormitanti nec in individuo, neque in specie in mentem quidem venerunt, non erunt voluntariæ Naturæ certè sensus, & omnium judicium, non quidem sese, at cæteros in officiis suis oscitantes, & ignorantes accusantium, nec per hoc excusantium, quod nihil curantes ignorent firmat.

Sic scimus omnes, esse multas constitutiones summorum Pontificum, esse excommunicationes, esse libros Sanctorum, quos Ecclesia in Doctores suos delegit: esse denique librum librorum, librum divinum, totum verum, cælestem totum, summi Dei ad nos homines datam doctrinam continentem. Quis dubitat? Ergo potentes nolumus. Ergo voluntariæ erunt ignorantiæ, *secundum quod*, ut S. Thomas loquebatur, *voluntarium dicitur, quod est in potestate voluntatis, ut non agere, non velle. Similiter autem & non cogitare.* Similiter ergo & non legere; aut librum totum verum commutare pro alio, cui cum alter æqualis ferè semper contradicat, & planè nescitur, an vel decem vera tradat. Nec tamem vanè exurgit, & loquitur Chrysostomus. *hom.* 2. *in epist.* ad Colos. *Hoc demùm malorum omnium causa est, quod scriptura ignorentur.* Haud irrisorium extitit cum Hieronimo factum judicium: in eam formam omnes utique judicabimus; & qui ignorat, ignorabitur.

Hac explicatione præmissa, clara modò est, ac expedita doctrina S. Thomæ 1. 2. qu. 6. art. 8. quo loci omnes conveniunt, & quo scito omnis hic cessat difficultas. Quærit ergo, utrum ignorantia causet involuntarium? Omitto hùc non pertinentia. Præmittit ex art. 3. ad 1. duos modos voluntarii, & alterum voluntarium esse à voluntate tamquam ab agente, & directè; alterum indirectè, & à voluntate tamquam à non agente. Sic ergo & ignorantia alterutro horum modorum est voluntaria.

Uno modo, inquit, *quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur à peccando secundum illud Iob. 21. scientiam viarum tuarum nolumus: & hac dicitur ignorantia affectata. Alio modo ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest scire, & debet: sic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur, ut suprà dictum est &c. Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum: non potest causare simpliciter involuntarium.* ignorantiam primo modo voluntariam, quia voluntas non agit, nec directè fertur in ipsam ignorantiam.

Jam Theologi, sic hic, & sub his terminis quærantur, an ignorantia directè voluntaris excuset à peccato. aiunt, si rursùs quærantur, an saltem indirectè voluntaria excuset? aiunt etiam, non: si iterum rogentur, an saltem diminuat peccatum, de prima denuò aiunt, non: at diminuere secundam. Si postremò universim quærantur, an voluntarium solùm indirectum, quod alii etiam interpretativum & virtuale appellant, satis sit ad peccatum? Theologi, quod sciam, omnes respondent sufficere. Quæ. Et 3. Ethic. 3. traduntur.

At malitia actus & in individuo, & etiam in specje utroque modo voluntariè ignorari potest, & nolendo, & oscitando, ut in præmissa explicatione conspicuè cernitur. Hujusmodi erant, & erunt illi *qui coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*: Qui peccabant tamen, & peribant. Ad munus nunc ego aliquod destinor à summo Pontifice: liber, vel instructio offertur muneris, aut negotii rectè administrandi: ego autem non accipio, aut non lego, & omnia erro, & perturbo: multa certè & in individuo, & in specie ignorabam. Audiarne, & in specie ignorabam. Audiarne, & excusabor? Nugæ sunt, & totius negotii perversè gesti reus habebor. Quidem ad manum semper habent eam fori interni, & externi distinctionem; quasi verò forum exterius cuncta ex cerebro, & contra rectam rationem ultro, citròque decerneret. Eversum est hoc, ut supra & quoties eadem constant, & probantur, forum exterius Ecclesiæ, & internum conscientiæ concordant, non quidem in pœnis, aut aliis, sed in approbando, aut damnando.

Eo itaque res ista tota devolvitur, scirene potueris, & debueris, tamen nolueris, aut omiseris? sive in individuo, aut in specie, sive non nisi in genere, & in confuso secuturæ ignorantiæ occurrerint, potuisti scire, & ignorasti: quod unum ad voluntarietatem exigitur: & huc uno, quandiu id per pœnitentiam retractum non fuerit, manet voluntarium interpretativum, & ignorantia, & ex ea sequens actus erit voluntarius. Quæ omnia à fortiori ex dicendis liquescent; nam altiùs rem denuò adorsuri sumus.

Ais, jam hic, & nunc, & supposita ignorantia in hoc instanti, in quo actum elicitus sum ignorare me, nec scire jam posse, an malus sit: jam ergo invincibiliter ignoro; & peccaverim quidem scire nolens, aut omittens: jam tamen non pecco. Atque si placet connecte; hæreticus, aut infidelis, quando jam hic, & nunc hæresim credit, aut plures Deos, hoc sin minùs verum, saltem putat credibile; nec aliter

aliter credere sanè posset; ergo peccaverint quidem in aliis: jam tamen hic, & tunc hoc sibi verum sæpè, Semper verò credibile saltem videtur, nec in hoc momento, in quo actum elicituri sunt, deponere valent: jam ergo invincibiliter ignorant: jam ergo hæresis ipsa, aut infidelitas nunquam peccatum erit, quod, opinor, hæresis est. Hæc ergo, ac alia perabsurda consequuntur ex instantia ista ad peccandum necessariò postulata facultate; de qua nos, quia multarum falsarum opinionum origo est, seorsim infra dicemus.

§. V.

Datæ doctrinæ veritas ex præcedentibus stabilitur.

Rectè Aristoteles olim advertit, ad pauca respicientem facilè pronunciare. Si Theologiæ solùm quasi municipalis, vel domus memor, ac reliquorum immemor ad istam tantum de voluntario difficultatem respiciens opinari voles, opinaberis certè, sed indoctè. Ad ea omnia quæ in superioribus quæstionibus persecuti sumus, quæ vix à nobis in unum conspectum offerri possunt, ut uno ita intuitu complectamur, convertendi tamen quoquomodo sunt oculi.

Visum est itaque, ut nuper quoque dicebatur, quidquid hæresis aliquandò aliqua, aut infidelitas purè negativa, ac materialis esse queat (ut quo inferius erit sermo, populos tamen hæreticorum plerosque saltem plerumq, Judæos item, ac Mahometanos peccare; Quid ex Ecclesiæ, & summorum Pontificum, atque Sacrorum Conciliorum sensu, ex ipso nec non Evangelio commonstratum est.

Enimverò de iis certè qui priùs Christiani, aut inter Christianos Catholici existere, quidlibet quoquomodo divinare liceat, & eos jam priùs eos errores, in quos prolapsi sunt, pravos esse agnovisse. At autem omnis abest verisimilitudo, & præsumptio de eis, qui in erroribus ipsis nati, & educati sunt, qui veras habent, habueruntque à principio sectas suas, & leges adinstar nostrorum Catholicorum: quod experientia, & usu ipso tam est notum ipsas has existere sectas, & leges. Hi ergo nunquam illam sectarum suarum, & legum pravitatem, aut malitiam prænoverunt. Et tamen saltem plerique, ut fuit ostensum; & alioquin in errorem illum aut declinatur, aut etiam ruitur, qui unumquemque in secta sua, & lege servat, & salvat.

Iterùm dictum est hæreticis pertinacibus quo immobilioribus, eò sanè scelestioribus, ideòque etiam vivis combustis; pertinacia quippe aliud non est, quam immobilitas in falso. Hi sæpè nec anteà quidem errores suos errores esse noverunt: finnimus, quod in auditum absurdum est, nemo hæreticus pertinax esse potest aut in ipsa hæresi natus, & innutritus; aut non antea Orthodoxus, qui vera fide errores illos deprehendisset, aut saltem addubitasset.

Sed verò noverint anteà aut dubitaverint. Jam ipsi sibi sapientiores esse videntur, & quem errorem habuere, veritatem esse decepti omnes existimant. Si ergo ad antecedentem eam distinctam cogitationem erroris, ac turpitudinis voluntarietas unice revocetur, per consequentem cognitionem, & voluntatem totum retractari videtur. Nulla ergo hæresis, aut infidelitas peccatum erit. Universim verò Augustinus *lib. de utilit. cap.* 1. & affertur etiam *in Decret* 25. *quæst.* 3. *Hæreticus* ignorantes seductos ab hæreticis tam longè ex scrupulo, & cogitatione mali ponit, ut dicat: *ille autem, qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis, ac pietatis illusus* Hæreticus tamen & ipse jam erit, si pertinax esse pergat, ut suprà ex eodem Augustino & Thoma declaratum est. Et certè si fides aliqua Patribus nostris, sola præfatio venerandi Patris Irenæi Lugdunensis rem demonstrat, quomodò rudiores *quasi oves à lupis* rapiantur *ignorantes eos propter exterius ovilis pellis superindumentum*, & alia.

Quid deinde de agentibus, de Nerone, Diocletiano, atque de universis Christianorum persecutoribus reponimus. An noverunt, an dubitans de veritate Christiana. Ingens stultitia visa est ipsis Deus crucifixus, & abjecta vana, superstitiosa, magica tota quanta Religio nostra, Non cerebro, aut contentione decernamus. Ex Apologeticis Christianorum res constat; & suprà authoritativè ostensum est, tam longè eos à dubitatione, & scrupulo absuisse, ut quemadmodum prædixit veritas, potius arbitrarentur obsequium se præstare Judæos quidem Deo, gentes vero Diis suis. Expertus sanè sum Theogos aliquos ad miracula totos intentos; quasi verò de eorum veritate, de qua ipsi non dubitant, nec gentes quidem ambigere potuissent. ipsi interea vident, se politioris sanè ingenii homines, atque instructiores esse; & aliquid uni evidens, alteri absurdum existimari, & se vicissim in permultis vel contemnere, vel etiam ridere. Scit mundus: Gentes Venerem turpem sanè fœminam, ac Deam habuisse, marmora, quadrupedia ipsa, atque serpentes Deos existimasse. Et hoc unum erat, in quo falli minimè possent, veritas quippe miraculorum. Quin hic ipsi Theologi hic quidem miraculorum veritatem evidentissimam nolunt, & evidentiam amplificant: cum verò de evidentia veritatis Religionis est sermo, vix vel sufferre eandem evidentiam possunt. Evidentia utique illa fuere: at cæca natio & pravè consueta solem non vidit; nam superceccidit ignis, & Judæi Beelzebub Principi Dæmoniorum, gentes magicis artibus cuncta tribuere: & si interea plurimi, & permoti fuerint, atque ad fidem etiam converti.

Jonatas Patris præceptum ignoravit; nunquam ergo malum esse novit favum mellis delibare: & tamen peccavit ex Hyeronimo quæst. 4. §. 2. & ora similiter. De Paulo in in incredulitate sua ac paternarum traditionum æmulatione Ecclesiam persequente eadem est ratio, ut ibidem disserit Bernardus: eum quidem ignorasse scimus; dubitasse non legimus: quin ut dicemus, si dubitans ignorare voluisset, jam ignorantia fuisset directè voluntaria: non ergo diminuisset peccatum: non ergo ideò misericordiam consecutus fuisset, quia ignorans fecit

Spurcitas

Spurcitias item illas omnes quas Paulus de motibus gentium indicat, ignorantes exercebant, nec noverant, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, ut Paulus ipse testatur: quin Chrisostomus eadem quæst. 4. §. 3. Solonis legem memorabat, qua puerorum amores liberis solùm hominibus non autem servis permittebantur, *nec turpitudinem saltum ejusmodi esse crediderunt sed veluti venerandum, honestum, ac majus, quam quod personis servorum conveniret.* Et erant tamen inexcusabiles. In quod argumentum multa alia confert Chrisost. *hom. 1. in cap. 1. Matth.*

Nolim esse hoc circa prolixior dicta omnia ad unum hic cogendo, & indicando. Ex quibus certè accipitur, & vel ex sola quæst. 9. absque ulla prævia cognitione peccati vel individuo, vel etiam specie peccati per ignorantiam. Quin scitur, Religiones etiam ipsas, & sectas, in quibus & gentes, & hæretici multi innutriebantur, & decipiebantur, ac nunc etiam decipiuntur, de peccatis asse, & peccata ipsa non in dubitationes, aut opiniones, sed ipsam etiam Religionem convertisse. Talis in primis omnis idolatria extitit, ac multa fabula, & obscæna in cultum obscœnia Diis adhiberi solita. Nicolaitæ communes coitus Religionem existimarunt: Circoncelliones insanum sui odium, & præcipicia martyrium arbitrati sunt: Priscillianistæ Religionis causa mentiri Religionem autumarunt sacras imagines, ac venerandum Eucharistiæ Sacramentum conculcatè equis etiam commedendum tribuere Religio est Calvinistia, & Religio est sectariis omnibus virginitatem damnare, Ecclesiam contemnere in sedem Petri insanè furere, Sacramenta fermè omnia evertere. In hisce jam à pueris enutriuntur, ac misere decipiuntur. Jam si placet, hos tu omnes, quia maxime errant, excusa; nos eos in ipsis suis Religionibus sanè perversos Habeamus, & indubitatè concludamus, per suos errores eos delinquere & si nunquam de eorum falsitate dubitaverint, sed profundissimè decepti vivant. Atque Aristoteles ipse Gentilis lumine 3. *Ethicor.* 3. dicat *unusquisque* igitur pravus, quid agendum, à quibus abstinendum sit, ignorant, obque hujusmodi errorem injusti, & omninò mali homines efficiuntur.

Quemadmodùm enim aliæ potentiæ, ita etiam intellectus movetur à voluntate, atque illius subditur vel imperio, vel motui. Sicut ergo aliarum potentiarum actus, & omissiones peccata sunt ex imperio, vel omissione voluntaris; ita omissiones, & actus intellectus; & quasi omissiones sunt ignorantiæ, actus autem errores. Hæc porrò mala intellectus majora esse quam aliarum potentiarum, quam furta, adulteria, homicidia; atque adeò prohiberi debuisset; quin eia non prohibitia cuncta alia frustrà prohiberi, *quæst.* 1. & 2. sancitum est. Tu arguis; ignorantia, & error voluntaria non sunt; ergo peccata non sunt, ergo prohiberi non debuerunt. Nos contra arguimus: prohiberi debuerunt: ergo voluntaria sunt: ergo peccata sunt.

Hoc porrò discriminis est intellectum inter, atque alias potentias, quod hæc quidem subdantur voluntati etiam in iis, quæ mala esse sciuntur; intellectus verò quoad actus saltem suos, & assensus, scilicet errores, per quos peccatur, moveri, minimè queat, ubi eos malos esse scitur: nam eos malos esse scire perindè est, atque scire eos aut falsos, aut saltem incertos, & dubios esse: falsis autem scitis, & notis, aut incertis, ac dubiis intellectus assensum præstare nequit ullo voluntatis arbitrio, Quare deceptio intercedat, necesse est, ut intellectus aliquo assensu, vel dissensu suo peccare valeat. Hæc deceptio aliquandò certè prævisa fuerit: sæpè non prævidetur; & quandò etiam prævisa fuerit, novo judicio id totum retractabitur. Tam itaque est conspicuum nullo actu positivo intellectus scienter peccari, quam est conspicuum scienter falli neminem, aut etiam dubitanter.

Hæc ut altius peterentur, illud prætereà nosse oporteret, an peccari per ignorantiam possit, non modò, quod hactenus constitutum est, neque in individuo, neque in specie, sed in confuso solum, & in universali ignorantia prævidendo, sed sufficiat ad voluntarietatem peccatorum ignorantiæ ut peccato aliquo inducta ignorantia fuerit; quò nos & hæreticorum, ac infidelium peccata nuper attacta, & alia ducere videntur. Sed ne quæstio hæc, & disputatio longiùs tendatur, quam par est, *seq. quæst.* hoc discuriendum relinquamus: & ad argumenta §. 2. S. Thomas respondeat.

§. VI.

Ad argumenta §. 2.

AD illud quod primo loco proposuimus 1, 2. *quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 3. *quod in illud, quod est quantum ad omnia ignotum non potest ferri voluntas sed si aliquid est secundum aliquid notum, & secundum aliquid ignotum, potest voluntas illud velle, & hoc modo ignorantia est causa peccati*: & exemplificat, *cum aliquis scit aliquem actum esse delectabilem: nescit tamen eum esse peccatum.* Quod si urgeas: ergo actua quoad ignotum sui non erit voluntarius, neque imputabilis. Respondetur ex doctrina Doctoris negando; quia directè, vel indirectè, saltem voluntario ignoratur: secundum quod voluntarium dicitur; quod est in potestate voluntatis, ut non agere, non velle: similium autem & non cogitare. Similiter ergo & non legere, non addiscere, Dei scripturam negligere, &c. Nobis valdè placet doctrina parvulorum: docamut à pueritia, Christianum hominem, cum ad usum rationis emergit, teneti scire, quæ petere, agere, recipere oporteat. Negligit quis omnia, & liberè vivit: negligunt etiam Parentes. Voluntariæ planè sunt ignorantiæ; atque hæc est rudis, & indocta docta doctina Christianorum citra sublimitatem sermonis: quin quod ipsa quoque fundata Philosophis concinit.

Ad 2. argumentum in quo omne peccatum voluntarium esse ex Augustino opponebatur respondet *art.* 3. *ad* 2. *quod non omnis ignorantia causat involuntarium, sicut suprà dictum est*, id est, *qu.* 6. *art.* & explicuimus §. 4.

Sed replicant hic per ignorantiam nisi certè fallor ex 3. Ethicor. 3. ubi tradit Aristoteles: at quod ob ignorantiam fit non spontaneum quidem omne est, sed invitum, id est, quod dolorem, vel pœnitentiam affert? Atque ista via omnis

omnia prorsùs peccata ignorantiæ; quam plura etiam concupiscentiæ, & iraeundiæ tollit. Legatur itaque torum caput Aristotelis, *& lect. 3.* S. Thomæ, & res constat: *involuntarium autem vult dici, non si quis ignorat, quod confert: non enim quæ in electione ignorantia causa involuntarii, sed malitia. Neque quæ universalis: vituperantur enim propter hanc* &c. Ignorantia ergo, quæ est causa peccati, facit involuntarium secundum quid, non simpliciter, ut est doctrina trita Doctorum: Undè regula ea, quà aliquando pœnitentes vel ignoranter operantes, vel ex iracundia in maledictinnes, atque etiam blasphemias furentes examinantur; an in se reversos mox facti pœnituerit, quasi hoc solo probetur involuntarium, & non peccatum ex ignorantia, opinor principiorum suopta est, quin scienter etiam peccantes, & occidentes, & mœchantes sæpè facti pœnitere mox solet, atque tristantur.

Ad 3. respondet *art. 3. ad 2. quod in quantum remanet in ignorante de voluntario, in tantum remanet de intentione peccati: & secundum hoc non erit per accidens peccatum.* Ad hanc quippe voluntarietatem. *& quæst. 6. art. 8. & quæst. 76. art 1. 2. & 3.* & in sententiariis lococitato, perspicuè expositam cuncta revocantur.

Ad 4. in quo opponebatur. quod ignorans continuè peccaret, respondet *art. 2. ad 5. quod sicut in aliis peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat; pro quo præceptum affirmativum obligat: ita est etiam de peccato ignorantiæ. Non enim continuo ignorans actu peccat* &c. Atque hoc quidem, quando per omissionem peccatur: & similiter quandò præceptum negativum infringitur; tunc, & toties peccatur, quoties actus contrarius elicitur; & peccant hæretici omittendo nunc de irruptione actuum dicere, quæ ad distinctionem peccatorum universaliter deponitur. An porrò negligentia sciendi, & ipse per ignorantiam sequens actus, aut omissio sint unum, an duo peccata, connexaq; alia inferius tradentur.

Ad 5. in quo opponebatur, hominem quatenùs participem rationis esse subjectum aut. virtutis, aut vitii, respondet *art. 3. ad 3. quod si esset talis ignorantia, quæ totaliter usum rationis excluderet, omninò à peccato excusaret; sicut patet in furiosis: non autem semper ignorantia causans peccatum est talis, & ideò non semper excusat.* Etenim usum rationis hie in actu primo accipimus, & ipse non ejus usus in actu secundo, ubi voluntas uti potuit, & debuit, est peccatum: & si ut dictum est, aliquis actus secundus rationis prærequiratur, unde voluntarietas ignorantiæ ducat originem.

Dices: ergo etiam peccabunt ebrii, cum malè agunt, quia voluntario se inebriarunt. Et certè eos peccare, & duplices etiam pœnas demereri sapientium multorum sententia est: Ego tamen præscindere volo, non enim eadem est ratio ignorantium, & ebriorum: ignorantes scilicet deliberatè, & sic actum humanum, ac prioris voluntarietatis capacem exercent: actus porrò ebriorum jam tunc non videntur esse actus humani, sed sicut aut pueroiú aut furiosorũ, ac rationis: & consilii expertiũ.

Sed tu ad tuam semper respiciens difficultatem jam hic, & nunc (ait) ignorans non habet, undè nunc in momento ignorantiam deponat, necessario ergo peccar: ponenda est ergo aliqua actualis cogitatio, & dubitatio malitiæ incurrendæ. Hoc est, ut sæpè observo, nemo nisi scienter peccat: nemo ergo ignoranter, & nesciendo; quod dici nequit. Hoc rursùs est confundere conscientiam du-biam; & conscientiam erroneam vincibilem contra librorum omnium titulos, & quæstiones. Promisi itaque me dicturum contra istam instantaneam libertatem non peccandi. Quin qui ignoranter peccat, & si in malitiam tunc non advertat, potest tamen saltem sæpè actum omittere. Quod si tamen Atriano, falso utique, evidenter impossibilis videatur Trinitas, & ex suppositione necessitetur ad negandum non ideò nō peccat: de quo post.

QUÆSTIO XI.

Discutitur ulterius, qua, & qualis sit cognitio necessaria ad voluntarietatem peccatorum utriusque ignorantiæ.

INquam, utriusque ignorantiæ, id est, privationis, & pravæ dispositionis, & positivi erroris. Quoniam verò quæ absolutè dicuntur, sæpè & si clarissima non intelliguntur: ac proindè nec movent: quæ verò ad hominem sunt, saltem capiuntur: ac sic movere possunt, hoc secundo genere potissimum hac quæst. Utemur.

§. 2. Ergo recentiores, qui adhuc antiquam, & omnium Theologiam retinent, quod scilicet conscientia erronea etiam vincibilis obliget, vel liget, & aliundè actualem, & expressam malitiæ cognitionem ad peccata etiam ignorantiæ requirunt, implicant manifestissimè in hoc progressu.

Hispani proverbio dicimus, veritatem extenuari quidem posse, frangi omnino non posse; superest enim semper, & vivit sub aliquibus terminis, & si sub aliis confundatur, oppugnetur, & negetur. Atque hoc maximè contingit in hac universa causa de peccatis ignorantiæ, deque cognitione necessaria ad illa committenda. Ut porrò argumentatio hoc nostra fit magis invicta, iis utar Auctoribus qui expressam, actualem, ac præsentem illam cognitionem malitiæ, vel dubitationem saltē requirunt; nec iis sanè omnibus, nec proximiori evadamus, sed quasi præcipuis: ac eodem modo à quolibet cæteri expendi possunt, & examinari.

Itaque Vazquez hanc cognitionis actualis saltem dubitativæ, & scrupulosæ necessitatem operosiùs statuisse videtur, quod proindè aliquibus Complecti viris doctis, primo aspectu difficile visum fuit, & si eamdem ipsi postea sententiam secuti sint, ut idem Vazquez disp. 128. cap. 2. prodit, sed ut superius annotavit, suam in hoc explicationem Vazquez habere posset. Jacobus Granadus. Contr. 6. de peccatis. tract. 5. disp. 3. eandem cognitionis malitiæ necessitatem adstruit, & si pro nostra sententia referat Henricum, Zumelem, Valentiam, Adrianum, Habartum, Gersonem, Cordubum, & Majorem, quod satis superque fururum esset, novissimi quidam eam carperent: Neque verò, quos pro se refert, Aothores; concedimus, nihilque est Divo Thomæ; quem etiam, pro se allegat hac necessitate cognitionis repugnantius; quin ut sapientius Suarez observat disp. sæpius allegata, & inferius denuò alleganda in via Aristotelica D. Thomæ nec in peccatis quidem scienter commissis actualis præsens cogitatio malitiæ adest, & defectum rationis ad omne peccatum prærequiri sententia est; ut scitur, scholæ Thomistarum. Omitto alios hujus necessitatis cognitionis Assertores nā cōtestes sūt:

Jam de conscientia erronea invincibili, & vincibili, erranteque, sive in materia Indifferenti sive in materia intrinsecè mala, quid firmissimè teneant, videamus, Vazquez, disp. 59. quærit, utrum,

operari contra conscientiam erroneam sit peccatum? præmittit cap. 3. aliquorum id negantium opinionem. Sed subdit: verum opposita sententia adeò communis est, & certa, ut prior, quam proximè memoravimus, hæretica jure ab omnibus censeatur.

Disp. seq. 60. quærit, an conscientia erronea propriè dicatur obligare? Et cap. 2. referat Durandi distinctionem, qui inter legandum, & obligandum distinguens, eam docuit non obligare, sed ligare. Distinguit mox ipse inter conscientiam erroneam invincibilem, & vincibilem; atque de ista dicendum esse, ait, eam ligare, & obligare, non quidem ad hoc, quod ipsam quis positivè sequatur, sed ad hoc, ut contra illam non faciat, & ponit casum, ut si quis conscientia erronea ex ignorantia culpabili proponat tamquam necessarium, & in præcepto facere aliquid malum, ut mentiri ad tuendam vitam. Tunc autem, inquit. Talis conscientia primum quidem obligat, ne aliquid fiat contra illam; quia si existente ea conscientia, non velit quis mentiri, peccaret, eo quod conscientia tunc dictaret peccatum esse & de hoc nullus dubitat. Hæc Vazquez ad verbum; & similiter Suarez, Sanchez, & reliqui communiter rem esse de fide asserunt.

Granadus, sicut etiam cæteri, eamdem catholicam doctrinam tuetur contr. 2. de actib. hum. tract. 12. disp. 7. & sect. 3. titulus est: quod etiam sit intrinsecè malum non obedire conscientiæ vincibiliter erranti, nec Deus, aut Prælatus in hoc possit dispensare. Deindè dico primo, inquit, quamdiu perseverat dictamen conscientiæ vincibiliter errantis, tenetur quis facere, quod illa dictat. Hæc Granadus, quæ ex scripturis Dei desumpta, & ab exordio Theologiæ incunctanter ab omnibus tenenta veritas extingui planè non potuit. Ex quo nunc punito certissimo arguendum est, & Syllogizandum.

Primùm sic: Ergo datur, vel dabilis est conscientia erronea vincibilis dictans aliquid esse obligatorium, cum revera malum sit, cui non obedire, & contra quam agere, sit peccatum. Quæ est ipsa Authorum positio. Sed hujusmodi conscientia non habet secum conjunctam cognitionem nec certam, nec probabilem, nec dubitativam ullam, qua ullo modo cognoscatur, malum esse, quod dictat. Ergo datur, vel dabilis est conscientia erronea vincibilis non habens cognitionem nec certam, nec probabilem, nec dubitativam ullam, quæ ullo modo cognoscatur, malum esse, quod dictat. Cætera perspicua sunt. Minor, de qua disputari posset, evidentissima videtur; nam si cum hae erronea conscientia vincibili concurreret cognitio, qua aliquo dictorum modorum, vel alio ad peccandum sufficienti cognosceretur, malum esse, quod ea conscientia dictat, ei non obedire, non esset peccatum, nec ea existente, non velle mentiri esset peccatum; & potius adjuncta talis cognitio obligaret ad non obediendum conscientiæ, siquidem cognosceretur, vel saltem dubitaretur, malum esse, quod illa dictat. Et tamen omnes peccamus conscientiam erroneam vincibilem sequendo, & ei obediendo in materia alioqui mala, ut est mentiri: nam omnium veterum, ac posteriorum Theologorum vox una est, & confessio, conscientiam erroneam vincibilem non excusare à peccato, quandò ipsam sequendo, malum, aliquod facimus. Ergo peccari potest sine ulla cognitione nec certa, nec dubitativa, nec alia, qua cognoscamus, malum esse, quod facimus, & operamur.

Exponitur conscientia erronea vincibilis procedens ex ignorantia culpabili erat, quæ dictabat, obligatorium esse mentiri ad vitam tuendam; qua existente conscientia peccatur non mentiendo, eique non obediendo; & in hoc sensu ligare dicitur, & obligare. Ponamus modo conscientiam istam in Petro. Ut quæro: vel Petrus aliquo ex prædictis modis, vel simili quovis alio directo, aut reflexo cognoscit malum esse mentiri; vel nullo modo hoc cognoscit? interrogatio est de contradictoriis quorum alterum verum sit, necesse est. Si nullo modo cognoscit, habemus intentum quæstionis, quod Petrus mentiendo peccaverit, esse malum mentiri: nam ut subsumpsimus, conscientia erronea venabilis si excusat à peccato, atque per hoc differt ab invincibili. Sin vero aliquo dictorum modorum cognoscit Petrus, aut sentit percipitque, vel olet malitiam mendacii, sua eum conscientia sub peccato obligare non potest ad mentiendum, ut videtur patentissimum. Ergo de ratione conscientiæ erroneæ vincibilis obligantis est, quod eam habent nullo modo cognoscat, & sentiat, & vel olfaciat quidem, id, quod ipsa dictat, esse peccatum, & malum.

Explicatur, & confirmatur denuò: nam vel Petro sua hæc conscientia, & ratio dixit, teneris sub peccato mentiri, nec addit aliud? & tunc obligat, quidem, sequitur Petrum peccare mentiendo sine ulla prorsus cognitione, & sensu malitiæ mendacii; siquidem frangit legem Dei ex conscientia erronea vincibili, quæ non excusat. Vel sua hæc conscientia Petrus dicit, teneris sub peccato mentiri, sed sua simul ratio ci dicit aliquo demùm modo, esse malum mentiri? sed hæc rationis, & conscientiæ contrarietas est stultitia. Vel postremò sua hæc conscientia, & ratio dicit Petro, teneris mentiri, & tamen mentiri est malum, vel dubito, an sit malum, vel teneris ulterius inquirere? Quodcumque horum, vel simile conscientia intimet, evidentissimum est, Petrum non obligari ad mentiendum, nec esse peccatum agere contra conscientiam in suo principali dictato de mendacio dicendo, & in quo est erronea; nam de hoc tractatur. Sed ponunt omnes conscientiam erroneam obligantem, & contra quam & cujus erroneam agere, sit peccatum. Ergo ponunt conscientiam erroneam: quæ sinè nullo ex prædictis modis, nec alio imaginabili dicat: malum esse, quod ipsa dictat, & ad quod obligat. Sapienter scilicet, & evidenter S. Thomas, ut superius diximus, affirmavit, conscientiam non fore erroneam, si dictaret contrarium; nec etiam si dubitaret; nam qui dubitat, non dum in eo, de quo dubitat errat ut dicemus.

Hinceriam patet ad populares illas voces de remorsu, & scrupulo. Etenim hi remorsus, & scrupuli conscientiæ cognitiones aliquæ sunt, quæ pugnent, & mordeant. In primis illæ partis apprehensivæ non sunt; nam agere contra apprehensiones seorsim ab omni judicio rationis peccatum non est, ut scitur. Sunt igitur cognitiones aliquæ, vel cognitio aliqua judicativa. Judicant ergo aliquid de malitia mendacii: nam de hoc ponuntur remorsus, & scrupuli. Ergo judicant vel certò, vel probabiliter de malitia mendacii, vel saltem dubitare faciunt, vel saltem suspicari,

ri, vel saltèm proponit, rem esse melius videndam, & explorandam. Quodcumque horum, simile ponatur, hæc ipsa judicia remordentia eximunt quem ab omni obligatione obediendi conscientiæ; in eo, quo errat, ut patet, & daclaravimus. Ergò hi termini conscientia erronea obligans, & conscientia modo dicto remordens implicant manifestissimè inter se. Sed ponitur conscientia erronea etiam vincibilis obligans, ne saltèm fiat contra istam, in quo errat, & qua extante peccatum sit, non obedire, & non agere, quod dictat. Ergo ponitur conscientia erronea etiam vincibilis sine his remorsibus; quam tamen sequendo, si quidem vincibilis est, haud dubiè peccetur.

Confirmatur iterùm; quia nemo obligari potest sub peccato ad agendum contra remorsum conscientiæ, qui ad peccandum sufficiat in eo, quod agendum dicitur; nam hoc ipso remorsu cognosceret se non teneti ad agendum, & ad obediendum, nisi saltem depositro remorsu. At ponunt conscientiam erroneam obligantem, ne saltèm contra ipsam fiat, &c. ut dictum est, ergo ponunt conscientiam errantem invincibilem, quæ excusat, & vincibilem, quæ non excusat sine remorsu. Ergo peccari potest sine remorsu. Et talis erat conscientia Judæorum interficientium Apostolos, & Christianos, quod est exemplum famosum in Ecclesia Dei, quo, ut vidimus, semper S. Thomas usus, ut explicaret conscientiam erroneam vincibilem non excusare nec esse bonam voluntatem rationi erranti conformem, sed posse esse malam, scilicet quando ratio vincibiliter errat.

Itaque non aliud est conscientia erronea, & aliud quidpiam extra ipsam positum, sunt hi remorsus, & dictamina, & cognitiones: sed ex his simul omnibus conscientia una totalis conflatur illius, qui conscientia erronea vincibili ex ignorantia culpabili, putat mentiendum esse ad vitam tuendam. Hæc ergo sic simul ex omni suo dictamine inregrè conflata conscientia est, quam erroneam, vel non erroneam compellamus; & si quidem dictat tandem, & concludit, aliquid re vera malum esse sub peccaro faciendum, illa tunc erronea sanè est, & obligat modo dicto. Sin autem sumpta tota, & integre non id demùm dictat, & concludit, sed vel fluctuat, vel amplius inquirendum, vel quid simile intimat, nec erronea simpliciter est, nec ad quidquam malum faciendum ligat, aut obligat.

Præterea arguitur; quia conscientia quid rationis est, & dictamen conscientiæ erroneæ aliquod est in dictum, seu propius loquendo est enuntiatio quædam dictativa, & intimativa. Ergo involuit necessario affirmationē, vel negationem; hanc; scilicet, quandò dictat non esse faciendum; affirmationem vero, quandò dictat, esse faciendum. v. g. mentiendum, vel Christianos Moysis, & Dei hostes esse persequendos. Ergo conscientia erronea etiam vincibilis de faciendo, vel est affirmatio, vel involuit affirmationem de bonitate rei, quam ipsa intimat, & dictat esse faciendam; nec nisi hoc dicendo, & affirmando obligare posset, nec erronea esset. Ergo conscientia erronea etiam vincibilis excludit omne judicium de malitia ejusdem illius rei: item excludit omnem dubitationem, & ambiguitatem, atque fluctuationem. Quæ posthuma consequentia patet ex Logica; quia affirmatio unius excludit negationem vel contrariā vel contradictoriam ejusdem; atq; etiā dubitationem. Ergo affirmatio bonitatis mendacii, & non bonitatis etiam necessariæ; & obligatotiæ excludit negationem vel contrariam vel contradictoriam ejusdem bonitatis: & similiter dubitationem; sed judicium de malitia mendacii est negatio saltèm contraria bonitatis. Istam ergo excludit; cum rursùs de quo affirmamus; dubitare simul non possimus, affirmatio bonitatis mendacii excludit omnem dubitationem, & fluctuationem, tergiversationemque de ea bonitate; & mens omni sua affirmatione firmatur in uno: Ergo conscientia erronea etiam vincibilis expers est earum cognitionum malitiæ, & remorsuum; quos comminiscuntur. Et tamen peccatur conscientiam erroneam vinclbilem sequendo. Peccatur ergo sine ulla actuali cognitiona malitiæ, & remorsu.

Confirmatur; nam conscientia omnis erronea est conscientia errans; & sic jam erroneam, jam errantem eam vocant, præerequiritque rationem errantem. Sed errare est aliquid judicare. Ratio ergo hic errans, & conscientia, erronea judicant: & siquidem in casu posito in hoc errant, planè judicant, & mendacium esse bonum, necessarium; & tunc obligatorium. Ergo judicare non possunt, illud non esse bonum, neque item dubitare, ut diximus, & facile demonstratur. Ergo nec ullo genere judicii, judicant, mendacium esse malum; neque item dubitant. Et alioqui sanè dicerent, quæ in fatuo etiam homina cohęrere non possunt: nunc mentiri est bonum necessarium, & obligatorium; & tamen putamus mentiri esse malum, vel utrum bonum sit, vel malum, nescimus; & dubitamus, ulterius inquirendum esset. Fictitiæ ergo sunt, & cum errore conscientiæ incompossibiles omnes hæ tunc præsentes cogitationes, cognitiones, & remorsus de malitia ejus, rei, ad quam conscientia erronea dicitur obligare, & contra agere peccatum esse, fidei dogma censetur. Atque in textu Domini, *venit hora* &c. nisi Dominus fallatur, arbitraturos, inquit obsequium se Deo præstare in interficiendis discipulis. Arbitrari verò, nisi delyramus omnes, judicare, & putare, opinor, est. Infirmus porrò gradus judicandi est opinativus. At hic etiam excludit omne judicium de contrario, & etiam dubitationem, ut scitur ex Logica. Ergo Judæi arbitrantes se obsequium præstare Deo, non solum, non arbitrantur ullo judicii genere, se contra Deum agere, sed nec dubitant. Ergo vel Dominus corrigendus est, vel Judæi sine ullo genere judicii de malitia persecutionis, nec item dubitatione peccabant in persequendis discipulis; nam Judæos in hoc peccavisse indubitatum dogma est. omitto in re evidentissima.

Dicis, eos, qui ponunt conscientiam erroneam vincibilem obligantem, eam ponere deponibilem; & per hoc eam differre ab invincibili. Sed non esse depouibilis, nisi tunc præsens adesset actualis aliqua cognitio malitię. Ergo adest, & hoc uno argumento cuncta volunt invertere. Verum hoc non est facta argumenta solvere, sed arguere; & argumentum per argumentum non solvitur. Deindè demonstratum est, nullam talem cognitionem adesse, & concurrere: non ergo ex illa, & propter illam deponibilis est conscientia erronea vincibilis, sed aliunde. Rursùs quia si ea talis cognitio adesset, & concurreret, per ipsam tunc conscientia erronea non esset deponibilis, sed actu deposita,

& sic non erronea contra suppositum; quia cognitio tunc illa satis actu indicaret malitiam rei, de qua supponebatur, conscientiam, errare; actu ergo esset depositus error. Sed de ratione conscientiæ erroneæ vincibilis est, quod non sit actu deposita, sed solum deponibilis: ergo de ratione conscientiæ erroneæ etiam vincibilis est, quod nulla talis cognitio malitiæ actu adsit, & concurrat. Unde argumentum in terminis ipsis implicat; & quod conscientia erronea vincibilis deponi possit, probat adesse posse, non autem actu adesse sufficientem cognitionem malitiæ. Concurrunt itaque in conscientia erronea vincibili, seu deponibili error, & deponibilitas; & error est in actu; deponibilitas in potentia. Adversarii ergo in terminis implicant, & sua actuali cognitione non deponibilitatem, sed depositionem actualem invehentes errorem tollunt, cum à contrario res, & veritas habeat. An vero conscientia erronea vincibilis in instanti deponi possit; infrà tractabitur.

Itaque S. Thomas in citato art. 1. 2. de ratione errante & alii nulla hujusmodi cognitionum pugnantium involucra in conscientiam invexerunt, sed supposuerunt, eum, qui ex erronea qualibet operatur, juxta conscientiam planè agere; nec indè explicarunt eum peccare, qui conscientiam erroneam vincibilem sequitur, quia contra conscientiam, vel aliquid ejus, & contra ipsius scrupulos, & remorsus operatur, sed planè, & clarè dixerunt, eum peccare, quia agit contra Legem Dei, quam scire tenebatur; & scire, debuisse pro eodem reputantur quantum ad substantiam culpæ. Contrarietatem igitur non in ipsa conscientia contra se ipsam posuerunt, quod chimericum est, & conscientiam erroneam tollit, sed inter conscientiam ex una parte, & inter legem ipsam ex alia posuerunt. Clarus est S Thomas, clarus S. Bonaventura; clari cæteri, qui ante hanc novitatem de conscientia erronea pertractarunt; & alii etiam posteriores.

§. II.

Ex titulis etiam librorum omnium constat, nullas ejusmodi cognitiones, & remorsus adesse, quando ex conscientia erronea vincibili peccatur.

HÆc omnia probandi loca in superioribus cursim deliberavi, nec consilium erat ea amplius prosequendi; arbitrabar enim sufficturum, si res tam claras solùm insimularemus. Sed expertus posteà sum nihilùd significationis movisse quosdam, & oportere movere omnem lapidem, ut sin minus omnes homines, saltem causam vincamus.

Omnes atque Theologi morales, & etiam puri Moralistæ, & citra Theologiam Casuistæ, & gregarii quique, ut videre est in Diana, Tamburino, Bonacina, Baßæo, Escobar, Joanne Sanchez, & similibus, vel titulis ad hanc rem positis, vel sub titulo de conscientia distinguunt, conscientiam aliam esse rectam, aliam erroneam, aliam dubiam; aliam scrupulosam, ut probabilem; aliam novissimè additam prætercam: nam pari demonstratum est, probabilem veram, & legi re ipsa conformem constituere conscientiam non aliam tertiam, sed rectam, sin verò falsa sit, & falsum dictet, constituere conscientiam erroneam: & quemadmodum stultitia, opinor, foret dicere, enunciationes alias esse veras, & alias falsas, & prætera alias tertias probabiles; quia scilicet probabiles etiam sub veris, & falsis clauduntur, ita nescio planè quid sit illa conscientiæ probabilis additio ad rectam, & erroneam; nisi dicamus prædictum esse futuros volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 1. ad Timoth. 1.

Jam ergo conscientia alia est recta, alia erronea? alia dubia, alia scrupulosa: Ergo conscientia erronea non est erronea dubia, nec scrupulosa. Ergo in conscientia erronea non subest cognitio ulla dubitativa de malitia pollutionis, quam conscientia erronea tamquam bonam dictat, alioqui dubiè eam dictat, & dubitando, an bona esset, vel mala. Ergo conscientia non esset erronea, sed dubia. Ergo re non opinativè, sed demonstrativè sequitur, in conscientia erronea nullam subesse dubitationem de malitia ejus rei, quam tamquam bonam conscientia erronea dictat. Atq; ipsi etiam Casuistæ hoc modo conscientiam erroneam declarant.

Similiter sequitur: ergo conscientia erronea non est conscientia scrupulosa. Ergo in conscientia erronea nulli sunt scrupuli de malitia rei, quæ per errorem bona existimatur, aut etiam obligatoria. Deindè hi ipsi etiam Casuistæ scrupulos prout à probabili, & à dubio differunt, declarant dicendo, eas niti levi fundamento, quarè contemnondi sunt. Dicunt igitur, sed nunquam planè satis dicere potuerunt, quæ sint illæ cognitiones actuales, & remorsus, & scrupuli, quos in operante ex conscientia erronea vincibili, & sic peccante confingunt? si dubitationes sint, & tergiversationes aliquæ, confundunt contra suos, & omnium titulos conscientiam erroneam cum dubia; quin tollunt erroneam; nam qui dubitat, non judicat & qui non judicat, non errat. Si verò leves aliqui scrupuli fuerint, tunc si nihilominus conscientia dictamen facit de contrario, propter hos scrupulos non peccat: deindè confundunt conscientiam erroneam cum scrupulosa, ac postremo hi scrupuli nequeunt esse aliquid partis judicativæ; ut §. præc. demonstratum est; quia conscientia erronea habet judicium de contrario.

Explicatur magis, & demonstratur ex proprietatibus contrariis conscientiæ erroneæ, & dubiæ etiam secundum Casuistas: nam conscientia erroris in sensu composito sui, & ipsa extante, obligat, & contra ipsam agere est peccatum, & hoc est de fide, ut benè dicunt: & conscientia dubia in sensu composito sui, & ipsa extante non solùm non obligat, sed potius obligat, ad non operandum id, de quo dubitat, esse malum. Ergo in conscientia erronea nulla est dubitatio, sed ipsa sine dubitatione judicat, & dictat, aliquod reipsa malum esse bonum, & aliquando etiam obligatorium; & ex hoc est erronea, & ex hoc habet vires obligandi, & ex hoc contra ipsam atq; est peccatum: atque hæc sunt manifestissima.

Ut itaque omnes lumine naturæ norunt, in intellectu nostro & est error, & est dubitatio; nec dubitatio est error, nec error dubitatio; & in aliquibus erramus, & de aliis dubitamus, & hoc ignorat nemo. Sic ergo cum conscientia ex ratione sit formanda, ad errorem rationis sequitur conscientia erronea; & ad dubitationem rationis sequitur conscientia dubia; & ista neutram partem determinat; illa determinat, & enunciat partem falsam. Jam sunt ergo hæ conscientiæ diversæ

diversæ, quam sunt diversa errare, & dubitare; & enunciare alterutram partem, & neutram enunciare. Palmariter ergo patet in nulla conscientia erronea superesse dubitationem, neque quidpiam partis judicativæ de malitia rei, quam conscientia erronea judicat, determinat, & dictat esse bonam non obligatoriam, vel obligatoriam. Nesciunt ergo, quod loquuntur, quandò in operante ex conscientia erronea invincibili, & sic peccante cognitiones actuales, & remorsus de malitia contra ipsum formalem conceptum conscientię erroneæ confingunt. sin verò ad cogitationes aliquas apprehensivas cum judicio contrario compossibiles confugiant istæ ad rem non sunt, neque propter ipsas peccatur: nam sciunt omnes, nos etiam quandò mysteria fidei credimus, habere posse, ac etiam sæpè habere apprehensiones contrarias de falsitate mysteriorum: neque tamen propterea peccare; eo quòd adversus illas credamus.

Ex quibus patet, quam ipsis primis omnium terminis de conscientia contraria sint, quæ docent; nosque, cum eos in pugnantibus rebus sequi non possimus, rectè agere, si ipsos in ipsorum, & omnium retro statum certissimis sententiis sequamur, & novas inconsequentias aversemur: qualis est, eos qui ex ignorantia, & ex conscientia erronea vincibili peccant, conscios esse peccati sui, quando peccant.

Omitto alias inconsequentias, ut quod omnem verè erroneam conscientiam mox cum conscientia erronea invincibili confundant contra omnem à principio Theologiam; quæ semper tenuit, conscientiam erroneam, quæ judicat bonum malum, & malum bonum, aliam esse vincibilem, quæ non excusat à culpa: invincibilem aliam, quæ excusat. Recentiores verò quandò inveniunt, aliquem benè errasse, & malum bonum benè judicasse, ut sunt plerique falsarum sectarum Professores, eos per ignorantiam invincibilem ab omni culpa liberant, & utinam coram Deo liberarent, & non se magis involverent.

Omitto etiam illam terminorum contradictionem, qua conscientiam erroneam invincibilem rectam regulam effingunt, quæ scilicet rectè regulet nostros mores, & voluntas, & operatio ei conformis sit tam recta, & bona, atque, quæ concordat rectæ conscientiæ. Cum enim erronea omnis conscientia contra rectam sic distinguatur, sicut irrationale contra rationale, & conscientiam erroneam invincibilem rectam, & mensuras distortas rectè regulare, & horologia a motu solis aberrantia rectè mensurare, vel absolutè, vel ex suppositione, ut placebit ineptire. Atque hæc intereà, quod minus esset dolendum, non modo opinantur, sed tanquam indubitata principia habent, eisque animas, & conscientias gubernant.

§. III.

Rectè ergo suarez valdè suspectum, & moraliter incredibilem habuit prædictum modum dicendi.

VIx hæc opinio de necessitate cognitionis actualis ad peccandum prodiit, quandò sapientissimè, fortissimèque ei suarez obstitit: sed apud vulgus Casuistarum laxiora, mundoque placentiora videmus plerumque prævalere; quia non tam vera, quam, faciliora placentioraque sæpè sequuntur quæ mox sectatorum multitudo probabilia, ut putant, tutaque faciat. Undè suarez apud Recentiores fermè relictus est solus.

Proponit ergo t. 2. tract. 2. disp. 4. n. 21. alterum extremum (scilicet vitandum) esse, si dicamus, tunc solùm inconsiderationem esse voluntariam, quandò supra illam aliquomodo reflectit intellectus actu formali, expressè advertendo, se non satis considerasse hanc rem, & teneri ad exactius considerandum; vel saltem dubitet de sufficienti cogitatione, & de obligatione amplius cogitandi. Et eadem ratione hunc modum dicendi, ut res actu non considerata sit voluntaria, oportebit, ut aliquo modo cadat in actualem apprehensionem intellectus, vel directè, ut si prævideat ex tali causa consequendum talem effectum, vel saltem de hoc dubitare incipiat, vel saltèm reflexè, si incipiat dubitare, utrum oporteat inquirere, sit ne periculum, consequatur talis effectus. Qui quidem modus, si esset verus, inquit, facilè expediret difficultates positas, & declararet, quando oblivio alicujus rei censenda sit naturalis. &c Hæc suarez.

Sed tamen hoc ipsum subdat num 22. apud me reddit valdè istum modum, & moraliter incredibilem; quia juxta illum sequuntur omnia incommoda, quæ num. 14. illata sunt. Hæc ille: et tamen apud aliquos pænè blasphemare, censemur, dum tradimus indubitatam sanè nobis doctrinam, & tot modis hoc lib. demonstratum, nos scilicet peccare posse, nihil tunc advertendo; neque cognoscendo nos peccare. Videantur etiam si placet, quæ idem Doctor à num. 12. ad 17. adducit. Et item quæ à num. 22. usque ad 25. addicit certè si levioribus etiam causis laxjusculum aliquid docuisset, ut ex aliis conjicere possumus, plures Casuistas Sectatores habuisset.

§. II.

Neque necessaria est cognitio obligationis considerandi,

HÆc est etiam assertio ejusdem suarez num 31. & aliorum. Probat, quia alioquin procederetur in infinitum, quia hanc ipsam reflexam cognitionem obligationis considerandi potest quis ex sua negligentia, & culpa omittere: unde necessaria esset alia reflexior cognitio obligatione prima considerandi, & sic in infinitum, ut patet.

Atque hoc loquendo de eo tempore, in quo peccatum ex ignorantia, vel ex errore vincibili committetur, ostensum jam est, nullam tunc incertè, & adesse ejusmodi cognitionem: in quo proinde nihil est tunc addendum, neque immorandum.

Sed dubium est, num necesse sit, aliquo saltem priori tempore habuisse cognitionem obligationis magis studendi legi Dei sciendę, vel in particulari circa eam rem, in qua per ignorantiam peccatur; vel saltem in universali, ut v.g. si Regi mihi administrationem Regni curanti occurrat, multa obligatoria se ignoraturum, nisi magis attendat, & invigilet: & Christiano similiter occurrat, nisi magis Deo inserviat, aut animæ suæ incumbat ignoraturum se multa, quę scire tenetur, Num, inquam, hoc formali-

ter, & expresse aliquando novisse necesse sit, ut sequentes ignorantiæ, & errores non excusent? an sufficiat novisse, vel dubitavisse, remissius se, atque negligentius, quam deberet, cum Deo agere, tractareque causam animæ suæ in quo cognito virtualiter, & implicitè primum illud continetur.

Respondetur in primis, Gentiles, aliosque nunc omittendo saltem Christianis remissius viventibus sæpè, ut existimamus, occurrere ejusmodi cogitationes, & remorsus conscientiæ de incurrendis multis ignorantiis. Quo circa lib. 4. tractabimus de testimonio animæ, quo evincamus, eos omnes, qui via spatiosa incedunt, ipso suo testimonio conscientiæ saltem in universali convinci, convincendosque esse à Deo, quos ita universalis remorsus, & cogitationes de facto dari, dicto loco probabimus.

Loquendo verò per se de voluntarietate ignorantiarum, & errorum sequentium nihil nobis occurrit, unde statuatur necessitas debitæ cognitionis formalis, & expresse de ipsis ignorantiis incurrendis sed sufficere videtur cognitio, qua innotuerit, vel dubitatum saltem sit, nos non quo pax esset, studio vacare Deo salvationique nostræ; in quo ; ut dixit, virtualiter, & implicitè clauditur cognitio de ipsis ignorantiis, nam si hæremus, nec ad alia precipitanter iremus, facile ex uno aliud inferremus, cum lumine naturæ notum sit, eum, qui ut debet causæ alicui magnæ non attendit, sed negligit, ignoraturum aliqua, vel multa, vel pauca ad eam pertinentia.

Atque hoc brevissimè probatur primo; quia ea virtualis, & implicita cognitio videtur sufficere. Deinde quia, ut arguebat Suarez, sequeretur processus in infinitum. Rursus quia ea expressa, formalisque cognitio ignorantiarum futurarum eas redderet non indirectè solùm, sed directè etiam voluntarias, & omninò quærendi ad eos expresse propositas ferretur; quemadmodum ferri omissiones possunt. At juxta omnes Theologos, ut ignorantiæ, erroresque sequentes non excusent, non requiritur voluntarium directum, sed sufficit indirectum. Ergo non requiritur, quod ignorantiæ ipsæ in se expresse voluntati propositæ fuerint. Satis ergo est, quòd in alio præcognoscantur, de quo Suarez num. 27. cum aliis. Et confirmatur, quia explicari nequit differentia ignorantiæ directæ, & indirectæ voluntariæ.

Sed maximè ad hoc nos movet authoritas: nam Apostolus in illo suo loco Magistrali ad Rom. 1. nobis proposuit causam, & originem, seriem, & progressum peccatorum ignorantiæ, & errorum dicendo, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt.* &c. uti tractatum est. Non Paulus, non Patres, non Scolasticissimi etiam, ut Ancelmus, & Tho. illius expressæ cognitionis ignorantiarum emersurarum meminerunt, ut sequentibus erroribus essent gentes inexcusabiles. At nimis temerarium dixisset Paulum, & Sanctos Patres causam non sufficientem pro sufficienti habuisse, & aliam juxta quosdam modernos necessariissimam & ignorasse, & præteriisse. Nobis itaque sufficit cum S. Patribus sapere, & ignorare, qui nec inventores esse volumus, neque videri, illi dixerunt cum Paulo, gentes fuisse inexcusabiles per suas ignorantias, & errores, quia cum cognovissent Deum, &c. Hoc ergo idem sine aliis adjunctis glosis dicimus, suffecturum, ne Christiani nunc, vel alii per suas ignorantias, & errores excusari valeant; quia cum magis Deum, Christumq; Redemptorem nostrum, veritatem, & vitam agnoscamus, non eum sicut Deum glorificamus, nec sequimur, aut gratias agimus, sed evanescimus. &c. mundoq; magis militamus. Ubi omitto alia ex dictis in toto hoc libro.

§. V.

Neque tamen sufficit sola cognitio rei, cujus malitia ignoratur.

Dixi de hoc modo quæst. 10. §. 4. & 6. est itaque sententia satis etiam hodie inter Theologos communis, quam tradunt Suarez à num. 28. & alii apud Sanchez. lib. 1. in Decal. cap. 16. num. 20. Docet illa ad voluntarium inductum sufficere cognitionem, & advertentiam solùm virtualem, & interpretativam: ad hoc autem sufficere, si cui occurrat objectum ipsum, & res ipsa cum sufficienti reflexione, & ponderatione, & collatione necessitatis, commodi, nocumentique illius, id est, qualiter eam occurrere necesse est ad ipsam prosequendam, & eligendam. Censent enim, hoc judicio satis animum applicari posse ad magis in ipsa reflectendum, cujus malitia in rebus præsertim per se malis statim comparuisset quod si electurus non hæreat, sed se præcipitet, imprudenter agit; & malitiam non cognovit, non quia non potuit, sed quia noluit & quia res hasce non tam maturè liberat, expenditque quam solet pecunias, & res mundi.

Profectò sententiam istam ex præsenti etiam Theologia morali nemo carpere, taxareve potest. Mirandum porrò est, quòd nos totam istam horum Authorum cognitionem requiramus, nec arbitremur eam sufficere, sed quidpiam præterea aliunde desideremus, & ponamus, nos tamen vel carpant, vel etiam notent. Sed relinquendo sunt, & causa ipsa agenda.

Arbitramur itaque, virtualem istam, & interpretativam cognitionem, qualem declarant, requiri quidem, sed non semper sufficere, ut ignorantiæ, errores, obliviones, & inadvertentiæ sint indirectè voluntariæ, universaliter, & de omnibus illis loquendo, ac determinando.

Sufficit quidem illa aliquando, neque rarò quoties scilicet quadam præcipitatione, quæ pars est imprudentiæ, & nimis sanè celeriter consilia capimus, & operamur, cum à contrario in rebus mundi, quas diligimus, simus valdè maturi, & consultativi, & prius sedentes sumptus necessarios computamus hærendo, minutatimque cuncta liberando, nec cuilibet facilè credendo etiam eorum, qui de similibus tantum scire posse videntur, quantum multi Casuistæ de lege Dei Mercatores hoc loco in exemplum adducere possemus, qui tam exactè mercium qualitatem, valorem, pericula, proventuraque lucra discutiunt: sic etiam qui matrimonia, qui alia pertractant Cum igitur In omni humana, rationali, deliberataque electione hoc primum esse oporteat, ut lumen naturale dictat, utrum scilicet ea sit bona, vel mala, an turpis, vel honesta, vitium voluntarium &, præcipitatio, imprudentiaque magna est, & quòd hæc circunstantia, vel qualitas bonitatis, vel malitiæ non magis inquiratur, & omnium primum maturè discutiatur. Quarè sæpè ea propositio objecti sufficit, ut ignorantia, inadvertentia, oblivio sint sal-

tem

tem indirectè voluntaria, nec excusent.

Absolutè verò ad causam universam non sufficit. Primùm quia sufficere non potest ad ignorantiam, & inadvertentiam malitiæ rerum, quæ non per se, sed ex prohibitione malæ sunt. Quod patet primo; quia ipsarum cognitio quandò sunt prohibitæ, est qualis foret, si prohibitæ non essent. At si non essent prohibitæ ipsarum cognitio nullam vim habuisset ad excitandam, vel inducendam cognitionem malitiæ, quæ nulla esset. Ergo neque quandò sunt prohibitæ. Rursus à priori, quia similium rerum per se indifferentium cognitio est, quales sunt ipsæ: ac ipsæ de suo sunt indifferentes ad bonitatem, & malitiam; ergo & ipsarum cognitio, ergo nequit ducere in cognitionem malitiæ. Nemo porrò hactenùs ausus est dicere etiam in talibus non posse dari, ignorantiam voluntariam; & non excusantem. Aliud verò est in oblivione, & inadvertentia; ea enim, quorum oblivisci dicimus, vel non advertisse, supponitur, nos jam scivisse. Quare ipsa propositio objecti simul cum hac cognitione habituali sæpè sufficeret ad excitandam cognitionem malitiæ, si qua par est, maturitate, & mora consilia caperemus, ut dictum est.

Secundo probatur authoritate; quia ut hoc toto libro visum est, & nuper præc. §. dicebatur, & denuò quæst. seq. constabat, Apostolus, ac Patres peccatorum ignorantiæ culpabilitatem, ac imputabilitatem, non referunt ad præsentem objectorum secundum se ipsorum cognitionem, sed hanc supponunt quidem adesse, si quidem objecta hæc malà prosequimur; inexcusabilitatem verò referunt ad præcedentes culpas, *quia cum cognovissent Deum*, & sic etiam Theologi à principio præcedentem saltem negligentiam posuerunt; atque ex ea voluntarietatem, & imputabilitatem ad sequentes ignorantias derivarunt, ut apertis libris posterorum etiam Theologorum conspicitur.

Præterea in peccatis ignorantiæ pravæ, ut aiunt, dispositionis, sicut in hæresi, cognitio rei, circa quam erratur, nullam vim habet, quæ ducat in cognitionen falsitatis: ergo neque in cognitionem malitiæ hæresis. Cernitur hoc practicè; nam proponitur Ariano mysterium Trinitatis, & chimera videtur; item transsubstantiatio panis in Corpus Christi calvinistæ, vel concordia libertatis cum gratia, vel Papatus; & monstra, ac falsis ipsis falsiora esse viderentur. Ee tamen indubitatè peccant, in quo Recentiores quidam negantes compescendi videntur. Ecce cognitio istorum Mysteriorum est cognitio neutra, ut loquuntur Theologi, sicut ipsa Mysteria, neque ex vi ejus magis constant esse vera, quam falsa. Quio tota præsens dispositio, & cognitio horum cordè hæreticorum, ex sua utique cæcitate, & culpa; est de falsitate. Non ergo vi præsentis illius cognitionis solius dici possunt in cognitionem malitiæ hæresum suarum. Quare & in hoc Apostolus, & Sancti Patres concordes sunt, ut vidimus; quia superbiam, ad avaritiam, & luxuriam eorum referunt ipsorum, hæresumque suarum inexcusabilitatem, ut visum est, & iterum quæst. seq. dicetur.

Postremò modus ille explicandi peccat in eo, quod ex nobis reliquos mundi homines dimetitur, & quæ à nobis non ignorantur, aut faciliè deprehenduntur, supponit, à nullo ignoranda, vel facilè dignoscenda. Hunc defectum observavimus supra in eo tam vulgato modo dicendo, quod expressorum in Decalogo nostro nullæ sint ignorantiæ invincibiles saltem diuturnæ; de cæteris sint: Hoc dixi, esse ex nobis Christianis, nostraque cognitione cæteros mundi omnes dijudicare: sicut si Hispani diceremus, Matritum, Hispalim, Vallisoletum à nullo, vel tarò ignorari; quia de Hispania ita est: de Tartaris stultitia foret. Dixit itaque multa in Decalogo non expressa esse Christiania scitu faciliora, quam ipsa expressa plurimis Gentilium; quorum non modò opiniones, sed religiones ipsæ de contrario erant, ut per Jovem, pacemque esse jurandum, colenda numina; sporcitiis in Decalogo nostro prohibiria festa sua celebranda; ipsis Platonis, Socratisque lege conjugia etant communia; Solonis lege usus masculorum licebat. Non ergo in angulo nostro, & nosmer solùm considerando, sed ad omnium mores, ignorantias, & turpitudines, & Apostolus fecit, oculos conjiciendo, de his determinandum est.

§. VI.

Voluit ergo Deus, nos humiles esse, neque has, qua ad peccandum ex ignorantia necessaria sunt, cognitiones exactè, & distinctè determinare nos posse.

HÆc conclusio, & ingenua ignorantiæ nostræ confessio non solùm scripturis, & sanctis; sed etiam cordatioribus Theologis conformis est, atque in aliorum specimen Suarez dicta disp. 4. sect. 3. num. 27. inquirens eam cognitionem, quæ ignorantiam consequentem indirectè voluntariam facit; & hic modus, inquit, difficilior est ad explicandum, & in particulari sæpè excedit, ut existimo, facultatem humanam posse exactè discernere, utrum inadvertentia fuerit voluntaria, necessè; & ob id fortasse dictum est, *pravum est cor hominis, & inscrutabile*, &c. item: *ab occultis meis munda me.* Nihilominus difficultas hæc non est sufficiens, subdit, ut negetur hic modus; quem sine dubio supponit D. Thomas, &c. Hæc Suarez. idem contestatur, ut diximus, Valentia. disp. 6. quæst 6. punctò 1. ac ideò sæpè usurpandum illud, *ab occultis meis* &c. virtuales etiam idem dicunt alii Theologi apud Sanchez eo cap. 16. nam aiunt requiri cognitionem rei alicujus connexæ, vel similis: determinate autem, & in particulari eam non signant, ut utique fecissent, si scivissent.

Probatur primùm ex 1. ad Corinth. 4. *mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed sed neque me ipsum; nihil enim mihi conscius sum; & non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Hic, alii textus probant, quod in Concilio Tridentino determinatum est, neminem circa particularem Dei revelationem certum esse posse de sua gratia, & justitia; nescimus enim utrum amore digni simus, vel odio.

Hic defectus certitudinis ex duobus potissimùm provenit; primo quia nescimus, an remissa sint nobis peccata, quæ scimus, jam nos commisisse; secundò, quia nescimus, an vel nimio amore nostro, aut falso aliquo zelo, qui secundum scientiam non sit, vel simili peccemus; *nam deli-*

Ita quis intelligit. Hæ duæ causæ potissimæ sunt incertitudinis, timoris, ac profundissimæ humilitatis.

Sed verò ex his duabus causis incertitudinis prima non ita universalis est, neque sufficit sine secunda. Etenim aliqui saltem pauci in nullum unquam morale scienter lapsi sunt; hi ergo timere non deberent, ne ipsis similia remissa sint. At de peccatis etiam ignorantiæ certi esse possent, an ea admiserint, necne, si benè, & prorsùs determinatè cognoscent, quæ qualesque cognitionis ad ea committenda necessariæ sint, examinando scilicet, num eas habuerint. Ergo nihil soperesset, quò certi esse non possent de sua justitia, vel innocentia. Prætereà quia licet multi plura advertentes commissa mortalia in Deum conversi sint, vix esset, cur de præteritis soliciti essent, si de præsenti sua vita certi esse possent, se nihil saltem grave nec scientes, nec ignotantes committere; qoales essent permulri; scirent enim hoc ipso, se esse verè, & egtegiè in Deum conversos, nec quidquam grave integro quinquennio, vel etiam decennio perpetrasse; & hac cordis dispositione Sactamentum pœnitentiæ sæpissimè excepisse. Ergo magna quadam certitudine tuti esse possent de sua justificatione.

Rutsùs quia textum Pauli, quem proposuimus de peccaris ignorantiæ communiter interpretatur. At si exactè, distinctèque, scire, & determinare nos possemus, quæ & quales cognitiones necessariæ sint, præcedereque debeant, scivisset utique illas Paulus Apostolus: atque per eas habitas, vel non habitas judicare se, & alios potuisset. Item scivissent etiam illas Sancti Doctores. v. g. Augustinus post suam insignem adeò conversionem deprehendere potuisset, utrum eas cognitiones necessarias habuisset: & ita se, & alios indubitate judicare. At Paulus pro minimo habet judicari ab omni humano die, sed nec se audet judicare, & Paulum Sancti quique imitati sunt. Absurdum ergo est, quod nos humunciones existimemus, scire nos exactè, & distinctè, quæ cognitiones necessariæ fuerint, atque ex his habitis, vel non habitis infetamus ullo certo judicio, nos vel alios non peccasse; & ignotantiam, vel advertentiam, aut oblivionem fuisse omnino naturalem, & involunrariam. Et confirmatut: quia alioquin non minimum, sed maximum esset judicari ab humano die scilieet cognitione exactè, & distinctè terminante, quid, & quantum tequitatur ad peccandum etiam pet ignorantiam. Sed Paulus pro minimo habet. Ergo exactas has, & distinctas regulas, & cognitiones non habemus. Et timendum potius erit, ne contingat, quod Augustinus. Serm. 49. de tempore. cap. 7. inquit: quisquis *autem putat, se modo implere posse justitiam, & cum vixerit bene, atque innocenter secundum probabilitatem existimationis humanæ, in via remansit*, &c. Augustinus porrò non de laxis illis ptobabilitatibus, quibus nihil directè existimamus, loquitur, sed quæ nobis videantur, & tamen nec hoc sufficit ad judicandum, nos nec per ignorantiam peccavisse.

Secundo probatur: quia absurdum est nos melius scire, deprehendere posse peccata ignotantiæ nostra, vel aliena, quam deprehendere, dijudicare quæ sciamus peccara, quæ ex genere suo pertinent ad peccata scienter commissa. At de his sæpè nescimus, quid, & qualiter contingerent dubiique manemus, utrum delectatio morosa satis deliberata, voluntariaque fuerit, utrum tentatio, qualiter tenebamur, repulsa sit? & hæc, & similia in dubio confitentur timoratè quique. Similiter nescimus, num sufficienti dolore, & proposito Sacramentum pænitentiæ suspeximus, an in Eucharistia judicium magis mandaverimus; an item qui per hotam pro diligendo Deo rotus institit, te vera dilexerit, sciret alioquin se esse in gratia. Cum igitut, quod nomen ipsum præsefert, occultiora, latentioraque sint ex suo ipso genete, peccata ignorantiæ, absurdum est existimare, nos scire, & determinare posse, hæ, & hæ cognitiones requituntur ad voluntarietatem ignorantiarum; atque ex illis habitis, vel non habitis resolvamus, nos, aut alios nec ignoranter quidem peccavisse.

Ratio potrò incertitudinis similium pendet ex eodem principio. Namista scire ut plurimùm possumus judicio probabili desumpto ex his, quæ plerumque contingunt. Hoc porrò judicium pender ex studio vitę uniuscusque quali, & quantum sit erga Deum, & legem suam; erga res ęternas, solutionemque animę suę. si enim quis in hoc deficit: nec debitam mensuram expler, potest in delectatione motosa luxurię deditus animus nihil advertere se peccare, & tamen peccare: & similiter universim poterit multas suas obligationes ignorare, neque has, aut illas cognitiones, quę determinari possent habere, & ramen peccare. Quia juxta omnes ignorantia, vel inadvertenria, quę ex negligentia nascitur. non excusat, & est saltem indirectè voluntaria. Ergo causa hęc resolvi non potest ad has, vel illas cognitiones determinaras habitas vel non habitas, & ipsę illę quę habendę videbantur, possunt ex negligentia prętetiri.

Hinc causa ducenda videtur ad punctum universalius, utrum únusquisque expleat debitam mensuram in studio, & diligentia sciendarum, obligationum suarum. Hanc vero quęstionem nos seorsim tractabimus, & dicimus, neque istam quanritatem debitæ, & obligationis diligentię taxari dererminatè, & exactè à nobis posse, ut ubi magis exponemus. Ergo via solum cognitionum habitarum, vel non habitarum nequit res ita determinari. Et certè ut videbimus ea quęst. & magis lib. 4. constabit, de vitę communis hominibus, & de multitudine pręsumptio potius est pro negligenria, ac ptoinde pro voluntarietate, ut multipliciter ostendemus.

Probata pręterea quasi ostensivè, quia visum est, & denuò dicitur, ignorantias, & errores, ut hęresis, fieri voluntarias indirectè per peccata alia, per superbiam maximè, & avaritiam, luxutiam, ut ex Apostolo iterarò constat. Atque hoc quidem sic in genere scimus, & novimus. Sed verò aliundè videtur non cuilibet peccato superbię, cuilibet avaritiæ, & luxurię correspondere hanc vel cęcitaris, vel ignorantiarum pœnam, quæ simul peccatum sunt, vel causæ peccati. Prorsùs igitur determinare nos non possumus tantę superbię has illas ignorantias correspondere, tantę non correspondere, sed relinquenda ista sunt verò peccatorum, pœnarumque taxatori Deo judici. Quod certè minùs multò dignosci, determinarique à nobis potest, quam quantum

Purgatorium

Purgatorium levi furto, mendaciove correspondeat. Nolimus ergo plus sapere, quam oportet, sapere: satiùsque erit Augustinum epist. 100. de alio loquentem usurpare: *ego autem tantò minùs hoc audeo, quantò minùs id quoque in nobis vita continua vigilantes, dormientesque experimur, quo pacto fiat, explicare non sufficio.*

Et confirmatur; quia superbiam ipsam, quæ mater est hæresum, & errorum, vix satis agnoscimus, & quandò maxima est, nullam aut levem arbitramur; ex quo sumptum est proverbium Theologicum, Deum scilicet punire occultam superbiam manifesta luxuria. Ipsa ergo superbia occulta erat; & latebat ipsum etiam superbum. Minùs ergo ipse, vel alii necesse possent, jam cum dignum esse, qui manifesta luxuria puniatur. Similiter ergo neque noscere, & determinare possumus, quandò hic ipse superbus dignus sit, qui ignorantiis non excusantibus puniatur, quantavè superbiæ magnitudo, continuatis, & modus eas reddat satis voluntarias. Scire itaque possumus, quod ab ipso peccatorum taxatore Deo revelatum est, superbos scilicet, & avaros, luxuriososque hoc modo mulctari solere; sicut si sciremus fortes equos idoneos esse ad vehenda magna onera; at si vel cæci essemus, aut in dignoscendis equis imperiti, determinare in particulari non possemus, hos equos esse fortes, illos non esse. Imperitissimi porrò sumus in mensurandis, taxandisque peccatis, nisi de quo revelationem habemus. Jure ergo existimabat Suarez, rem hanc in particulari sæpè excedere humanam facultatem; & prorsùs ableganda ea opinio videretur quæ per advertentiam, vel inadvertentiam statim, confidentissimèque determinat, has, & illas ignorantias esse voluntarias, ac mundum vana confidentia implet, & hæreticos, & errantes omnes revera excusat, & cuncta invertit.

Sed dicent, quod est principium philosophandi, hoc est, consolandi aliquorum, hac via affligendas teneras conscientias, omnesque scrupulis, & anxietate implendos. O sanè quanto simili excessu anxietatis, & timoris homines videmus afflictos, & ut hoc extremum tantoperè caveatur: 1 sum pro uno, qui verè Deum timent, tot dissoluti occurrunt. Sic si æger febre magna periclitatur, si grassetur pestis in urbe, silendum erit Medicis, ne affligant. Silendum item fuisset Domino, neque dicendum: *arcta est via*, &c. *& pauci ambulant per eam contendite intrare per angustam portam*, & totum fermè Evangelium mundo, carni, & sanguini contrarium; Sanctorum quorumque, planè consolativum; reliquorum, si credatur, afflictivum præteriri debuisset. Quid ergo similia obtrudunt? nam, ut, inquit Tertulianus, *ubi Deus non timetur, ubi nemo est*; & in omni Theologia morali, quæ Dei sit timor Domini, qui initium est sapientiæ, ingerendus in primis est, & contrarium est Marcioniticum; & attritio, quæ ab atterendo; & contritio, quæ à conterendo corde dicuntur, amandæ alioquin à mundo essent, ne corda, & conscientias affligerent.

Scitur itaque, quod Bernardus in sua morali Theologia, id est, in tractatu de modo vivendi hoc quippè (uno clauditur, opinor Theologia moralis) sex 3. & 4. latè declarat, spe, & metu dirigi vitam Christianam; *omnis quippè*, inquit; *spe & formidine vivitur*, &c. sex. 2. & sex. 4. *ubi verò timor non est, ubi perditio animæ est; ubi timor non est, ibi dissoluta vita est; ubi timor non est, ibi est abundantia peccatorum*: quem porrò timorem charitatis foras mittat, &c. scitur, & ibi declaratur. Timor autem, ut credo, animam affligit: quo tamen carnes suas configi, Propheta optabat. Tollant illum, & afflictionem omnem, si placeat; nosque relinquat.

Quibus verò signis non quidem certò scire, conjectare tamen, & ex plerumque verò colligere quis possit, se esse justum, & explicabo ad verbum ex D. Thoma. lib. 4. quæst. 1. ex quibus ad evidentiam innotescet, quam procul plurimi absint, ut jure credant, se esse in justitia, ad præsumendumvè, suas ignorantias, & inadvertentias esse involontarias esse & se facere, quantum tenentur.

§. VII.

Illustratur doctrina data ex natura propria peccatorum ignorantiæ.

MEmorandum hic illud principium Sanctorum, & Theologorum bonorum, est de quo satis multa superiùs dicta sunt, quod, ut inquit Isidorus lib. 2. sentent. cap. 27. *tribus modis peccatum geritur, hoc est, ignorantia infirmitate, & industria*: atque ex tribus modis *gravis est, infirmitate, quam ignorantia quemquam delinquere*, ut inquit ipse, *graviusque industria, quam infirmitate peccare.* Quæ sanè Theologia, & hi tres modi peccandi illibatè retinebantur, quousque illi venerunt, qui actuales advertentias necessarias esse, innovarunt; & sic ex tribus modis unum de medio sustulerunt.

Uno itaque sensu omne peccatum ignorantia quadam committitur, & sic omnis peccans dicitur esse ignorans: quo circa disputant Theologi, verum ad omne peccatum etiam ex industria, maliriavè, & ex infirmitate commissum error aliquis rationis prærequiratur, an saltem quasi clausio quædam oculorum, & aversio mentis à regula; & inconsideratio in particulari? & affirmant, & negant alii, & alii: quod instituti hujus haud est; nam non de peccatis universim, sed ignorantiæ tractamus.

Patet verò, cum illi tres modi peccandi distinguntur, non de hac ad omnia peccata communi, sed de quadam ignorantia particulari tractari; quæ ignorantia non intersit, quandò ex infirmitate, & ex industria peccamus; neque enim ignoratur, luxuriam, homicidium, perjuriumque esse peccata.

Modus ergo peccandi ex ignorantia est quidam modus à duobus reliquis distinctus. Sed forsitam, qui parùm nostræ, Reipublicævè intersit. Loquere, tu benè sanè Doctor Isidore: *nihil*, inquit lib. 2. Synonim. *Ignorantia turpius; ignorantia mater errorum est; ignorantia nutrix vitiorum, Peccatum, magis per ignorantiam prævalet.* Eccur verò ita sanctè Doctor? num quia remorsus secum affert? Non hoc dicit, sed contrarium: *ignorantia enim, ait, quod sit dignum culpa non sentit; ignorantia nec quando delinquit cognoscit.* Secundum vos si non sentit, non peccat, si non agnoscit, non delinquit. Sed secundum meliores Doctores ideò peccatum magis per ignoran-

tiam

tiam prævalet, quia ignorantia, quid sit dignum culpa, non sentit, nec quando delinquit, agnoscit: hoc etiam Augustinus dicebat, & ex Augustino D. Thomas, & D. Bonaventura usurpabant, *eò insanabilius peccabam; quo me peccare, nesciebam.* Hæc enim incognita mala sunt, quæ animam quidem occidunt, & ignorantur: hæc, quibus occisio Salvatoris, Ecclesiæ persecutio, hæreses, sectæ, constant; hæc, quibus civiles seditiones, factiones, & bella constare plerumque solent, & religiones etiam relaxari vix enim multi nescienter in idem malum conspirant, & deceptio, & error in plerisque saltem intervenit; undè meritò ignorantia nutrix vitiorum dicitur.

Sua proindè species propria, qua hic modus peccandi à cæteris duobus interest, & distinguitur, ignorantia est: quare advertentiam in eo ponere, vel requirere est hanc differentiam modi peccandi tollere, uti re vera fecerunt: quemadmodum si reliquos illos duos modos in unum confundendo alterum negarent.

At inquiunt, & clamant: omne peccatum voluntarium est, & liberum: ergo advertentia illa requiritur; & inferre possunt: ergo peccata ignorantiæ, & inadvertentiæ nulla sunt; nam ut superius demonstratum est, & ex terminis patet, qui advertendo peccat, ignorando, & per inadvertentiam non peccat. Consequens vero est error Pelagianorum eodem fundamento confictus, ut ostendimus. Sed verò num ipsi nunc hoc primum invenerũt, & sciverunt, & Theologi anteà omnes, Sanctique Patres ignorarunt, omne peccatum esse voluntarium, & liberum? & si haud nesciam S. Augustinum contraponendo peccata ignorantiæ cæteris peccatis, dixisse illa nos invitos, & non voluntate, sed ignorantia committere; quia scilicet tam voluntaria non sunt, & habent aliquid involuntarii, ut ex Aristotele, & D. Thoma in Ethicis, & 1. 2. constat, & de Augustino dicemus.

Similiter etiam eorumdem Pelagianorum filum, consequentiamque sequendo tollere possunt, & dicere, nullum esse peccatum originale, seu propriè peccatum non esse in nobis; quia de ratione propria peccati est, quod sit voluntarium, & liberum; minùs autem multò nobis voluntaria, liberaque existit comestio illa noxialis pomi, quam sint nobis voluntaria, & libera peccata ignorantiæ, etiam ablato omni actuali remorsu, & advertentia, quam Recentiores addiderunt. Tollatur ergo post peccata ignorantiæ etiam peccatum originale; quod utinam relicto nomine aliqui re, & facto non sustulerint, sed de hoc agam latiùs, ubi de libertate peccatorum ignorantiæ disputabitur.

Dicimus itaq; voluntarium esse quid transcendens, & commune ad omne peccatum. Hæc verò ratio communis peccati, utique voluntarii dividitur in illos tres modos, & quasi species, vel genera peccatorum ignorantiæ, infirmitatis & industriæ, seu malitiæ, in qua divisione ratio formalis divisiva, & constitutiva propria peccatorum ignorantiæ est, quod per ignorantiam fiant: quo etiam peccata inadvertentiæ, & oblivionis revocantur, ergo talis quærenda est voluntarietas, quæ hanc differentiam propriam non tollat. At tollitur per cognitiones, & advertentias, ac remorsus contrariorum. Ergo tollunt, & destruunt id ipsum, quod quærebatur. Et confirmatur; quia sic requiritur voluntarium ad rationem peccati, sicut ignorantia ad rationem ignorantiæ: ergo sicut ablato voluntario tollitur peccatum, ita ablata ignorantia peccata ignorantiæ tolluntur. At nisi sensus nobis eripere velint, qui ignorat aliquid esse peccatum, & peccat per ignorantiam tamquam per causam per accidens, & non peccaturus, nisi ignoraret, non peccat sentiendo se peccare: ac minùs multò qui per ignorantiam pravæ dispositionis, & errando delinquunt. Ergo in his peccatis salua, & integra est ignorantia citra remorsus, illos, & cognitiones.

Quæ planè tam, certa exploratique magnus Augustinus habuit, ut propè negaverit, omne peccatum esse voluntarium, ne peccata ignorantiæ diffiteretur: & si demùm utrumque tantus Doctor consiliaverit lib. 1. Retract. cap. 13. quod est de libro de vera Religione, inquit; *& alibi usque adeò inquam peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodò peccatum est; non quod est etiam pœna peccati; sicut superius ostendit, cum quædam commemorarem ex lib. 3. de liber. arbitr.*

Ecce ut peccata ignorantiæ retineret, inclinare videbatur, & ut ea tantùm voluntaria diceret, quæ solum peccata sunt non quæ peccata simul, & pœnè peccatorum. Tamen continenter subdit: *quamvis est illa, quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò non possunt sine voluntate committi; quoniam & ille, qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod faciendum non sit putat esse faciendum. Et ille, qui concupiscente adversus spiritum carne* (hos coactos vocavit) *non ea, quæ vult, facit*, &c. *concupiscentiæ volens consentit.* Et legi etiam possunt, quæ eodem lib. 1. Retract. cap. 9. de peccatis ignorantiæ commemoravit.

Si itaque peccata ignorantiæ cæteris illis conferantur sic respectivè & collativè non immeritò non voluntaria dici possent. Absolutè tamen voluntaria dicenda sunt; tum quia ipsa illa, quorum malitiam ignoramus voluntariè agimus: tum quia participant voluntarietatem peccatorum, quorum pœnæ sunt.

Confirmemus demum hæc omnia ex scholasticissimo P. Anselmo, si quo modo terrea quædam ingenia, & vel ad dubitandum saltem, & hærendum permovere possimus. Itaque super cap. 1. ad Rom. *propter quod tradidit illos*, &c. inquit.

Qui igitur cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato, & causa peccati ad hoc quoque perducti sunt, ut ad cultum serpentium, & volucrum raperentur. Sed quia per hanc cæcitatem usque ad immunditiam carnis, & contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedentis intellectus & peccatum est, & pœna peccati; prioris namque peccati merito subsequentium peccatorum fovea legitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in aliis nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpis culpæ serviantur, quatenùs supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum.

Et

Et inferius *& ficut ex sua culpa hoc putaverunt, sic ex eadem culpa factum est, quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut putarent, omnia reprobanda esse facienda, & cum tam turpia operarentur, nescirent, se malum operari.*

Postremò ut omittam cætera, concludit, & dicit; & omnia hæc mala fuerunt in gentilibus, cum justitiam Dei cognovissent, &c. & licet hanc cognovissent *non tamen intellexerunt, qui talia faciunt, dignos esse perpetua morte*; quoniam si intellexissent, timuissent. Amiserunt enim lumen intelligentiæ, ex quo deseruerunt fontem cælestis sapientiæ; & ideò, quamvis non intellexissent, non possunt excusari; quia præcedentibus culpis meruerunt sic excæcari, &c. Hæc Anselmus: quem tamen, & me quoque, si sua id interesset, explicabunt; & si verbis omnibus ipsorum mali compacto dogmati resistat. Plura etiam adjicit Chrisostomus hom. de Adam, & Eva. subdit verò Anselmus: *ubi, inquit, cum magno timore notandum est; quia nonnulla, quæ putantur levia, posuit (scilicet Paulus) inter ista, pro quibus æterna mors acquiritur sicut sunt ea susurrones, detractores, incompositi, vel contentiosi*, &c. Hæc Anselmus.

Sic ergo & à fortiori in Christianis culpæ culpis ferire possunt, & quòd prorsùs merito subsequentium peccatorum fovea tegatur, ut qui scientes malum perpetrent, Deumque tantò ampliùs gentilibus cognoscentes, non sicut Deum glorificant, & amant, sed evanescunt, insolescuntque more gentilium, deinceps justè in aliis, in usuris, in simoniis, in malis contractibus multis, in contentionibus, detractionibus, factionibus, in prophanitatibus, similibusque nescientes cadant, ac se putent salvari, & tamen pereant.

§. VIII.

Nisi hac via pænè ridiculum esset verissimum inter Christianos asse tum de paucitate salvandorum.

HOc assertum est in Evangelio sane, & Sanctorum omnium unanimi consensu a plerisque melioribus Theologis desumptum, & adhuc etiam propugnatum à nobis lib. 4. prosequendum est, ubi apertè innotescet, ex Catholicis etiam adultis plures damnari, quam salvari: quin ipsi quoque illi, qui pro salute probabilium, laxarumque opinionum decertant, quoties de animarum; peccatorumque conversione seriò pertractant, hanc inter alia paucitatem salvandorum urgent, & inculcant. Quod si re vera ista esse existimant, sed multò plures cerne t salvari, nefas esset, falsis terroribus, minisque populos commovere.

Jam ergo si illi omnes rectè vivunt, Sacramentaque rectè suscipiunt, quitam sibi, quam conscientiarum suarum Rectoribus vel rectè vivere, vel rectè Sacramenta saltem suscipere; atque rectè tandem obire videntur, non solum assertura illud pænè ridiculum esset, sed ipsa etiam quæstio, utrum scilicet plures, vel pauciores salvarentur, redderetur indigna. Etenim est falsum notorium, & innegabile, non pauciores, sed multò plures. Et plerosque susceptis Sacramentis obire: solent autem ista in hora mortis aliquantò accuratius, quam in vita tractari, & alia etiam addi pro eis rectè disponendis; quæ non tantopere in vita urgentur, ut scitur. His ergo, suisque directoribus videtur, ipsos rectè obire, satisfecisseque obligationibus suis, & raró scientes, & volentes aliquid, quod si graviter obligare videatur, prætereunt. Et tamen plurimi ita existimantes, & obeuntes pereunt; siquidem assertum illud verissimum est, neque indigna potest dici quæstio. Ergo arbitrari benè possumus, nos rectè vivere, & etiam mori; & tamen nec rectè mori neque rectè vivere. Neque existimandum est plerosque catholicorum cum gravibus scrupulis, remorsibusque conscientiæ decedere. Habent quidem remorsum illum, ut de omnibus diximus, generalem, quod non quantum deberent, divino servitio, salvationique suæ intenderint; quo generali remorsu sæpè conscientias Christianorum pulsare jam diximus. De cætero, de hoc etiam ipso excusare se solent; quibus falsis, sine actuali gravi remorsu decedunt; alioqui aliter juvandi, disponendique forent. Stat ergo existimatio nostra de bona morte, & de bona vita cum mala morte, & vita.

Hæc itaque duo à Theologis moralibus laxioribus, conscientiarumque Rectoribus, & Sacramentorum administratoribus essent in primis corcordanda, quomodò quippè cohæreat & veritas, vel quæstio de paucitate salvendorum, & veritas suarum opinionum, & administrationum, maximè cum ad salvandum, plures ita ipsi opinentur? Alterutrum enim delendum videretur, & non utrumque implicandum; nec in confessione uno modo, aliter, & contrarie in concione resolvendum.

Hinc exceptio illa, qua nostram, vel aliorum doctrinam quidam carpunt, pessima sanè est. Aiunt enim; si doctrinæ istæ retinendæ essent, Sacramenta hoc modo sæpè administrari non possent, & multi sine absolutione dimittendi essent, multi redire jubendi; alii magis multi stringendi, & obligandi; quare concludunt, similiter doctrinas esse impracticabiles; & pergunt. Profectò si hoc nobis quoquo modo probarent, vel omnes, vel saltem plerosque rectè sacramenta suscipere, conclamatum de nobis esset. At si hoc non ita esset, sed contrarium, ex praxi, & ex impracticabili juxta morem nihil sequitur. Hos porrò à contrario arguimus; non omnes, non plerique rectè Sacramenta in morte suscipiunt; alioqui vel omnes, non plerique salvarentur: ergo neque in vita. De quo, ut dixi, lib. 4. fusè tractabitur.

Quare omnis serius, verusque tractator, rectorque animarum causam inquirere debet, cur tam pauci salventur. Haud planè in sola luxuria, quæ tamen plurimos perdir invenier. Plurimi enim conjugati, nec ex meliori certè genere hominum negotiatores, sedentesque in telonio; avari, superbi, detractores multi occurrunt, quia à luxuria cavent. Neque item facilè opinor, causam eam inveniet in libris aliquorum

aliquorum Casuistarum, juxta quorum opiniones vix non omnes salventur. At si Evangelium placeat perlegere, & vel unam eam dilectionem in mundo quærat, ora qui non diligit fratrem, manet in morte, quodque dicit, se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare: si hæc, inquam, & similia, quibus Evangelium confectum est, ac Sancti Apostoli palam, & apertè denunciarunt, quærat, audiat, & excedat facilè causam illam inveniet. Ecquis, oro te, viduæ alioquin castæ, quæ tamen in deliciis sit, absolutionem denegaret, nam inquit: *vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est*: ergo nisi emendari velit, absolvenda non est. Sed aliud, inquis, libri alii dicunt.

Patet ergo ex his, multos esse, quibus se justè vivere videtur, ac etiam mori, quorum tamen mala est vita, & mala mors. Hoc, & nihil aliud Dominus docuit in suo sermone ad quosdam, qui in se, id est, in sua justitia confidebant, & cæteros aspernabantur: quorum scilicet materialia, ac valde nota erant peccata. Talis in reliquorum specimen introductus ille Pharisæus erat, qui sibi justissimus videbatur. Talis Angelus ille, & Episcopus Laodice siquidem; *quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & cæcus, & nudus*. Nesciebat itaque, sed erat, & tam malus erat. Contentiones ergo, & humanas opiniones relinquamus, & collyrio Scripturarum sanctarum inungamus oculos nostros, ut videamus.

§. IX.

Vel ex solo festo conversionis S. Pauli videtur publicè constare omnibus tradita doctrina.

Hoc planè ex loco constare cunctis videtur non solùm veritas, sed notorietas etiam doctrinæ traditæ, quod per ignorantiam citrà scrupulos omnes, & remorsus, quin positivè arbitrando, & existimando obsequium Deo præstari, & peccari posse, & gravissimè quidem peccari; atque ita Paulum peccasse, quod non modò ex ipsius, Sanctorumque testimoniis compertum est, sed libri quique vulgares sermonis de hoc festo scribentes naturaliter, & liquido citra contentiones declarant. Cum porrò hoc argumentum aliquibus contrariæ opinionis propositum fuerit, mirum est, quid homines litterarum alioqui Professores responderint, nam alii audientes, ex libris quibusque, Paulum maximè deceptum in ea persuasione extetisse, ut Christum legis, & Moysis, & Dei contrarium, & hostem existimaret, cum qua persuasione remorsus illi, cogitationesque malitiæ non cohærerent, dixerunt, Paulum ex peccatis materialiter solum talibus fuisse conversum; alii, cum viderent, dictu non tam absurdum, quam ridiculum dixerunt per disjunctionem, vel Paulum scrupulos, remorsus habuisse, vel non peccasse; priùs enim negaturi videntur Pauli indubitatam conversionem, quam relicturi opinionem suam.

Citrà hæresim itaque negari non potest, Paulum ex peccatore fuisse conversum in iustum, Apostolum & ut ex actis Apostolorum, ex ipsius item Pauli Epistolis: atque ex hac ipsa conversionis ejus festiuitate in Ecclesia Dei publicum est, at scitur, nec nisi stupidus aliquis ambigere potest, ex peccatis solum materialiter talibus, quæ quippe nec peccata, nec culpæ sunt, nec quem peccatorum efficiunt, quin juxta tecentissimas opiniones talia etiam bona, & honesta simpliciter sunt, scitur inquam, ex iis nullam esse propriam conversionem, neque hominem transire ab statu peccati ad justitiam, neque locum esse justificationi. Ergo quasi res fidei statuenda est, & tenenda Paulum, non ex peccatis solum materialiter talibus, sed ex peccatis proprè talibus, Deoque odibilibus, ac verissimè ex peccatore fuisse conversum; atque de hoc esse hoc festum.

Jam ad scrupulos, remorsus, & cognitionem malitiæ veniamus; res enim nobis est eum quibusdam hominibus intra se ipsos clausis, & inclusis, quos jure Ambrosius consiliis comparat, qui alios non putant in illis falli omninò posse, quæ ipsis certissima sunt, ac ex se ipsis omnes mensurant; cum si homines quoquo modo considerarivi essent, videre nunc etiam possent, propter solas educationes contrarias similibus alinqui hominibus in una schola hæc esse his exploratissima, & contraria falsissima sine remorsu, & dubitatione; & in contraria: schola omnia contraria judicare, certissimaque haberi. Putant ne ergo propter amorem, educationemque Sinagogæ; propter Zelum item legis, & templum sic Judæos, atque inter eos Paulum profundissimè decipi non potuisse? quemadmodum nos similibus de causis passim altissimè decipimur, & aliis scientia media evidentissima est, & Physica Prædeterminatio falsissima; aliis hæc evidentissima, & illa falsissima; & hoc non in una hac re, sed vix non in omnibus, & toto anno, & in universa scientia.

Certè ubi authoritas valet nihil est manifestius, quam Judæos, vel omnes, vel plurimos atque inter eos Paulum eo pacto deceptum persecutum fuisse Christum, ut lib. seq. pleniùs tractabo. Testatur id Dominus in cruce: Pater, ignosce, illis; non enim sciunt, quod faciunt. Testatur idem Dominus dicens, venit hora, ut omnis, qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo, ut superius tractatum est testatur Apostolus dicens; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Testatur idem Apostolus dicens. Christum crucifixum esse Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Testatur Petrus Apostolus dicens; & nunc, fratres, scio, quod per ignorantiam fecistis; sicut & principes vestri. Testantur Prophetæ, qui hanc eorum cæcitatem

cæcitatem futuram prædixerunt. Testantur etiam modò visibiliter ipsorum filii Judæi, qui in pœnam peccatorum suorum profundissimè excæcati Christum Dominum non aliud, quam impostorem quemdam, Moysisque, & legis hostem arbitrantur; atque hac de causa carceres, exilia, ignominiam, aliquando etiam mortem subeunt.

De se autem Apostolus idem contestatur sæpè est, misericordiam consequutus, quia ignorans feci: item paternarum traditionum abundantior æmulator existens. Sui etiam similibus post conversionem contestatus est: testimonium autem ipsis perhibeo, quod zelum Dei in se habent, sed non secundùm scientiam. Et certè illud genus tot scelerum, flagitiorum, quæ Paulus perpetravit, tale est, ut scienter, & nisi quadam falsi zeli ingenti deceptione committi ab omnibus ea vix possint, & Dæmoniorum esse possunt, *Saulus autem*, inquit Lucas, *adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini accessit ad Principem Sacerdotum, &c. ut siquos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem.* Credite vos, si vultis, propter quamdam opiniunculam vestram, Paulum adeò extitisse aliquando à Diabolo ipso arreptum, qui vel cognoscendo malitiam, vel dubitando, num Messiam, ac Dei filium ipsum persequeretur; furiis actum hæc tam nefanda fecerit, nobis consultius est, non tam infandum eum existimare, sed ut ipse dicit, hoc ipsum per ignorantiam, & paternarum traditionum, & legis, & Moysis falso quidem; sed maximo zelo actum commisisse existimare. Effectibus enim maximis etiam ex Philosophia maximæ causæ quærendæ sunt: cum verò tantis sceleribus par malitia vix in homines cadat, nos maximam ignorantiam, atque ex hac natum maximum zelum falsum causam tot scelerum, & cædis, stragis quæ extitisse arbitramur. Rectè scilicet Isidorus asserebat. *Ignorantia mater errorum est; ignorantia nutrix vitiorum: peccatum magis per ignorantiã enim, quid sit dignum culpa, non sentit, ignorantia, nec quando delinquit, agnoscit.* Hinc tantæ Paulo ad malum vires; hinc tam prompta ejus conversio, cum primum malum agnovit.

Atque hæc quidem, ubi contentio abest, ita libri quique declarant, & quicumque legere sciunt, vel legentes audiunt, nosse possunt. Petrus de Ribadeneira, qui in præcipuas Europæ nostræ linguas versus est, sic nemine runc contradicente Paulum, vel Saulum describit, ubi ejusdem conversionem enarrat ait enim de illo: qui cum inuenis esset, & Hebræus, & Pharisæus Gamalielis auditor, ac in cæremoniis, & ritibus cunctis legis à puero educarus, & doctus, velletque zelo maximo eam ad litteram servari, & Deum, Moysemque honorari: crederet autem, ei contrarium esse Dominum, & non verum Messiam, sed deceptorem quemdam, legisque eversorem esse, vigori ætatis hunc falsum zelum conjungens decrevi, &c. Hic erat Saulus juxta cordatissimum virum Ribadeneiram; non, qualem vos confingitis remorsibus actum, advertenterque peccantem. Et inferiùs: hoc falso zelo deceptus grave adeò peccatum mortale committebat.

Venerabilis Pater Ludovicus de la Puente in meditatione conversionis Pauli, pro fundamento hujus meditationis considerandum esse, inquit, quam magnus peccator Saulus extiterit; qui à juventute invisceratũ in corde odium Christi habuit, & legis ejus; cum ex ignorantia, falsoque zelo putaret, se in eo placere Deo & inferiùs: quem priùs eversorem legis arbitrabatur, hunc postea credit legis esse autorem. Hæc Venerab. Pater. & sic omnes, qui citra istam quorundam contentionem agunt, & loquunrur. Dicitis: hi Theologi non sunt. Vobis non sunt; nobis planè sunt. illos itaque, & nos unà damnate: fieri enim nunquam potest, ut quæ in libris aliis vera sunt; in Theologia falsa fiant.

Jam verò §. 1. & 2. demonstratum est, affirmationem unius partis esse incompossibilem cum dubitatione de contraria, & cum omni genere judicii, & remorsu ad peccandum adverrenter necessariò. At nisi denum cum sensibus grammaticam etiam eripere velint, existimare, arbitrari, putare, censere, & similia enuntiationes, & affirmationes sunt: formido illa judicii opinativi propria ad peccandum sufficit, maximè secundum vos.

Quid ergo dicitis? num Judæi, ac inter eos Paulus agnoscebant, an saltem ambigebant, se peccare. At vobis melior Doctor Dominus, eos, inquit, arbitrari se obsequium præstare Deo: at obsequium præstare vel est, vel claudit, non peccare: arbitrabantur ergo, & judicabant, se non modò; non peccare, sed etiam benè agere: atque sic multipliciter argui potest, ubi evangelium ex opinionibus non corrigetur: & implicatoria hæc simul duo judicia sunt; ego puro, me in hoc placere Deo, & tamen utrum peccem, ambigo, & remorsu etiam conscientiæ; me peccare sentio, ut §. 1. dictum est.

Hinc si Paulus ad horum tribunal ad confitenda peccata sua venisset, hoc in primis ab illo quæsivissent, num existimavisset, se peccare in persecutione discipulorum. Quod si ille ipsis Dominicis verbis respondisset, se potiùs arbitratum, obsequium se Deo in eis interficiendis præstare, illicò eum innocentem pronunciassent; ut in pollutionibus, usuris, aliisque sceleribus pronuotiant. At erravissent ergo etiam errant, quandò hac sola regula, & judicio absolvunt, ut ex toto hoc libro, & ex unaque quæstione constat.

§. X.

Ex his cernitur, syllogismus reflexus Probabilistarum apud intelligentes vix proponi posse.

De his reflexis syllogismis, quibus Theologia, scientiaque omnis evertitur, pertractavi part. 1. eosque multipliciter confutavi ex locis ad eam partem pertinentibus; sed ea quæ ex vera de peccatis ignorantiæ doctrina sumuntur, de quibus scilicet illic nondum disserueram, eo loci prætermisi: & nunc conferenda, vel insinuanda sunt.

Ajunt itaque: licet sequi quamlibet opinionem probabilem: sed hæc v. g. quæ docet, duas horas in die festo laborari posse est probabilis. Ergo licet eam sequi, ac juxta eam operari, Et hoc uno, quod uno quadrante à juvene quoque addiscitur, conscientias gubernant: censeo verò, nihil unquam tam falsum,

scientiis omnibus, & autoritati magis contrarium excogitatum fuisse, quodque tam universale longè cuncta evertat.

Ad majorem itaque propositionem nunc aliquid in genere dicamus. Licet, inquiunt, sequi quamcumq; opinionem probabilem, id est, sive veram, sive falsam; id est, sive Dei, sive Dæmonis, & mundi, & carnis; cum parentissimè nulla falsa Dei sit, sed omnis falsa Dæmonis Autoris sit, vel mundi, vel carnis. Licet, inquiunt, sequi quamcumque, & omnes opiniones probabiles, id est, sive veras, sive falsas, id est, sive Deo contrarias; nam evidentissimè Deo, & legi ejus contrariæ sunt falsæ omnes: id est rursùs, sive sanas, sive non sanas; nam evidens est, doctrinæ sanitatem esse veritatem; & si nuper, quod nunquam ab homine suæ mentis dicendum timueram, quidam litterales effutierit, falsa aliqua probabilia esse bonum intellectus, & magis quam vera: delete itaque Philosophi omnes, quod dixistis, intellectum esse ad verum, sicut voluntatem ad bonum: sed de hoc liber. sequent. Licet, inquiunt, & sequi quamcumque opinionem probabilem & hæc est regula; id est, regulæ sunt veræ, & falsæ, id est, quæ nostræ supremæ regulę, & legi Dei concordant, & quæ repugnant: id est iterum: Licet vivere, vel ex scientia, vel ex seupdoscientia, & sophistica, cum vel pueri sciant, falsas omnes conclusiones, & opiniones non ad scientiam, sed ad sophisticam pertinere; id est rursùs, ex æquo boni Doctores sunt vel Theologi, vel pseudotheologi, & sophistæ: cumque universæ viæ Domini sint misericordia, & veritas, hi omnes audent dicere, viam esse & vera, & falsa. His, & aliis monstris, quæ ex singulis nostris quæstionibus deteguntur, plena est illa major propositio, quam tamen, si superis placet, evidentem dicunt, & ex qua evidens conscientiæ dictamen colligatur.

Denuò ad eamdem majorem redeundo dicitis licere sequi quamcumque opinionem probabilem. Dicite nunc, & distinguite, num probabilem in se, re vera, & absolutè probabilem loquamini: num probabilem respectivè, probabilem unicuique? Atque hoc postremum quidem Fibar respondet. Si namque primum teneant, quod in ea etiam via retinendum omnino esset, in suas ipsi tricas incidunt. Undè nimirum indocti, unde confessores quique, & Parrochi, ut loquuntur; montanorum; undè superficiale casuitæ dignoscent, discernentque, quæ sint re ipsa, & in se. & absolutè probabilia magis, quam vera? Ille ergo Recentior sine aurote, sive duce contra manifestissima asserta, & cautiones Probabilistarum etiam ipsorum de probabili respectivo, de probabili uniuscujusque intelligendum censet.

Jam hoc posito, sua in primis existimatio unicuique regula erit, & *part.* 1. *lib.* 1. prosecutus sum. Patet; nam sua unicuique existimatio vera videtur, ut patet ex Logica, & patet ex sensu communi; nam omnibus id verum est, quod existimant ita esse. Ergo omnes existimationes suas censent, putantque probabiles, & contrario etiam probabiliores: alioquin eas veras existimare non possent nisi forsitam; Recentior iste ita à natura comparatus sit, ut vera quidem censeat, quæ de rebus omnibus obloquitur; minimè tamen probabilia. Non ergo nos probabilibus morentur, quæ longa nimis vox est, sed dicant, licet omnibus sequi existimationes suas.

Jam tursus siquidem non quid absolutè, & in se sit probabile, quærendum est, sed quid unicuique tale sit, & quid his, & illis; ecce Saulo, ut paulò antè dicebamus, & Judæis non probabile modò, sed verum etiam visum est, Christum, Moysi, legi, & Deo esse contrarium. Ergo bonam regulam secuti sunt. Ecce iterum Genevæ sibi probabilia sua sunt. Ergo bonam regulam sequuntur. Ecce hæretici omnes corde tales, & ex Salviano fidenrissimè usurpamus, nobis hæretici sunt, sibi non sunt; nam sua vera putant, & nostra falsa; nec alioqui sua probare, nostra reprobare intellectu possent. Sua ergo sunt ipsis probabilia. Ergo rectè agunt, & bonam regulam sequuntur. Ecce illi, qui coacervabunt sibi Magistros, habent suum sibi probabile respectivem, & sibi tale: ergo bonam regulam: malè ergo à Thimotheo arguentur, & increpabuntur. Ecce Neothetico, qui librum eriam edir, opiniones suæ visæ sunt probabiles; & tamen scandalosa ut minimùm propositio est, ejus quamlibet opinionem ita esse probabilem, ut recta regula morum sit. Sed enim quid moramur: sectis omnibus, infidelibus, Mahometanis; atque olim gentilibus dogmata sua, religiones, & leges suæ visæ sunt probabiles: peccanr tamen, & peccarunt. Ecce ribi opiniones tuæ probabiles censentur; & tamen scandalosum saltem est, te, & alios eas sequendo peccate non posse. Decepris deindè nullo excepto omnibus probabilia ea visa sunt, quibus decipiuntur: nec alioqui decipi possent. Jam ergo hic Recentior pro Doctore mundi constituendus erit; & delendi Apostoli dicentes, nemo vos seducat; probate spiritus, an ex Deo sint, & similia. Judices doctrinarum viderint. Postremò conscientiam erroneam vincibilem sectantibus probabilia, & vera ea videntur, ex quibus conscientiam ita judicantem, & errantem formant; & tamen peccant juxta omnes Theologos. Ex quibus patet majorem syllogismi propositionem saltem benè evolutam, & explicatam esse falsis omnibus falsiorem.

Ad syllogismum iterum redeundo, & similes quocumque artificio efformentur, prætérquam quod saltatorii ex reflexis ad directas semper sint, & quatuor, vel quinque terminis constantes, in eo gravissimè peccant, quod peccata omnia ignorantię prætermittant.

Quarè transmissa nunc majore, quicumq; minorem illam usurpat, & dicit, *hoc opinio est probabilis*, sive Doctor sit, sive operaturus ipse, falli in hoc ipso potest ex ignorantia sibi voluntaria, & vincibili, ut in exemplis nuper conglobatis, & in omnibus per ignorantiam peccantibus cernitur. Quemadmodum apud nos, quibus sola veritas est regula, siquis syllogismum formet dicendo, licet verum sequi, & ex vero vivere; sed hoc est verū ergo licet sequi; in minori falli culpabiliter potest; & ipse quidē existimavit, se rectā conscientiā habere; & tamen habebit erroneam vincibilem; & putabit, se rectè agere, & tamen peccabit, ut in con-

conſcientia Judæorum, & hæreticorum omnium & ſeductorum conſpicitur: & omni habente conſcientiam erroneam ſanè videtur, ſe tectam habere, alioqui non eſſet erronea, ſi conſcientia agnoſceret, ſe erroneam eſſe, & non rectam, ut eſt demonſtratum, niſi totam logicam rumpant, ſemper demonſtrabitur. Unde conſcientiæ illæ evidentes, ac infallibiles ex his præmiſſis formatæ miſerandæ magis ſunt, quam nunc iteratò repellendæ, & conſcientia etiam vincibilis Ariani tanquam rem ſibi evidentem dictare poteſt, æqualitatem, conſubſtantialitatemque Filii cum Patre eſſe deteſtandam; & tamen erronea eſt, nec excuſat: & ſic etiam eſt de conſcientia ſectariorum, cum Papæ ſicut Antichriſto reſiſtunt. Hæreſes enim, ut ſuperiùs diximus, evidentes eſſe non poſſunt, videri falsò, putarique evidentes poſſunt, idque errore etiam vincibili, & culpabili. Ergo ex evidentia exiſtimata conſcientiæ nulla infallibilitas ſequitur non peccati. Nec valent, ſi per imperitiam opponant, ſe non de conſcientia evidenti exiſtimata loqui ſed de conſcientia verè evidenti. Nam ut dictum eſt, omni habenti evidentiam exiſtimatam videtur, ſe non exiſtimatam, ſed veram habere; niſi enim hoc exiſtimaret, nec evidentiam quidem exiſtimatam haberet; & exiſtimatam habere aliud non eſt, quam exiſtimare, ſe veram habere, & tamen non habere. Sed falli eluſique.

Quod itaque modis intellectum contingit errare, tot ſanè modis contingit conſcientiam eo modo errare, cum conſcientia ex præjudicatis ab intellectu formetur, ut patet. Contingit autem intellectum errare circa verum exiſtimando probabile quod probabile non eſt; iterum exiſtimando verum certum, quod certum & verum non eſt; ſic ergo contingit omnibus his tribus modis conſcientiam errare. In omnibus porrò his tribus modis eſt denuò duplex ille modus, ſcilicet vincibiliter, vel invincibiliter errare, & ſi invincibiliter erramus, excuſamur; ſin minùs peccamus. Patet ergo ex ſyllogiſmis illis nullam infallibilem conſcientiam depromi poſſe; & eos, qui dicunt conſcientiam in ſimilibus errare non poſſe; vix, quid loquantur, intelligere: & S. Thom. harum rerum ritè conſcius non magis dubitavit, conſcientiam errare poſſe, quam intellectum, ex quo illa formatur, errare poſſe quia unum ex alio ſequitur. Ne verò nobis obtrudant ſuum illud materialiter errare, ſiquidem invincibiliter errat, materialiter ſolùm errar; ſed errat ſæpè etiam vincibiliter; ergo formaliter, & culpabiliter.

Ex quibus ſic concludimus: omnis conſcientia erronea formatur ſimilibus ſyllogiſmis vel de vero, vel de probabili (ut hoc omittamus) ſive formalibus, ſive virtualibus: & tamen non omnia conſcientia erronea ſic formata eſt immunis à culpa; nam conſcientia erronea vincibilis eſt conſcientia erronea: quæ tamen ex omnium libris non eſt immunis à culpa; nec excuſat, ergo non omnis conſcientia ſimilibus ſyllogiſmis formata eſt immunis à culpa, nec excuſat. Ergo ſyllogiſmi illi vi ſua inferre, non poſſunt evidens, ac infallibile dictamen de non culpa; alioqui ſemper inferrent.

Patet verò etiam eum ſyllogiſmum aliorum proponi vix poſſe. Aſſumunt ſcilicet, eos non peccare, qui ſecundum eas, quas habent, ac in ſe experiuntur, cognitiones & cogitationes non ſe ſentiunt obligaros ad contrarium: ſed ego v.g ſecundum eas, quas habeo, ac in me experior, cognitiones & cogitationes non me ſentio obligatū ad reſtitutionem. v. g. ergo non pecco non reſtituendo. Ecce hic ſyllogiſmus, & major illius omnia peccata ignorantiæ prætermittit: quare apud intelligentes nec proponi quidem poteſt, ut ex toto hoc libro, vel ex hac ſola quæſtione clariſſimè conficitur.

QUÆSTIO XII.

Quæ ergo, & qualis ſit libertas ex ignorantia, erroreque peccantium? Ubi an ſit momentanea?

Etſi his proximis quæſtionibus, ubi de voluntarietate horum peccatorum actum eſt, ſatis etiam de libertate dixiſſe videamur, ſuperſunt tamen aliqua ſeorſim expedienda.

§. I.

Cauſa hæc, & difficultas non noſtra peculiaris, ſed omnium eſt.

Patet hoc ex quæſtione proxima; nam licet aliqui con vertibilibus terminis peccata omnia ignorantiæ, conſcientiam item omnem erroneam vincibilem ſuſtulerint, eamque cum dubia confunderint; at nemo hactenus ſub his terminis palam dicere auſus eſt, nulla eſſe peccata ignorantiæ, & per ignorantiam commiſſa: quod contra fidem eſt: nemo item eo uſque prolapſus eſt, ut omnem conſcientiam erroneam dixerit eſſe invincibilem, aut omnem excuſare, & non eſſe aliam invincibilem quæ excuſat, & aliam vincibilem, & quamdiù extat, etiam obligantem, quæ tamen non excuſet juxta ipſam operantes, & peccent, ſive juxta ſive contra agant, ut patet eſt *quæſt. prac. §. 1.* ſub his ergo terminis de peccatis ignorantiæ, & neſciendo commiſſis; item ſub terminis conſcientiæ erroneæ vincibilis, & quamdiù extat, etiam obligantis omnes de libertate horum peccatorum difficultates ab omnibus ſolvendæ & expediendæ ſunt; & imperitè prorsùs quidam arbitrati ſunt difficultates haſce ex aliqua noſtra ſingulari, vel nova opinione enatas eſſe; ideoque illas à Theologiæ initio S. Bonaventura, & alii propoſuerunt. Non ergo cauſa hæc noſtra, ſed omnium eſt; in qua proindè non vexaudi, ſed juvandi ſimus.

Et hæc quidem quaſi in genere. Jam etiam in ſpecie loqui palam, & clarè debent, num cenſeant hæreticam pravitatem eſſe propriè pravitatem, & peccatum; num ſecus? Quod ſi hoc palam, & disertè auſint dicere, compeſcentur, opinor, ab hæreticæ pravitatis Dominis inquiſitionibus. Sin verò hæreſis pravitas eſt, & propriè peccatum, & culpa, jam, ut demonſtratum eſt, hæretici quique credentes hæreſim, veram eam exiſtimant: ſua ergo erronea conſcientia eis dictat, eam eſſe tenendam: ergo ſi non teneant, contra conſcientiam erroneam agendo peccant: ſi teneant, hæreticam pravitatem committunt: & juſtiſſimè tamquam hæretici puniuntur. Dicere ſimiliter palàm, & clarè debebunt, de conſcientia Judæorum profundiſſimè excæcatorum, utrum peccent, vel non pec-

cent Sabbatha sua, cœteraque legis abolita servando, & & juxta legem suam vivendo? Si peccant, tota de libertate difficultas emergit. Si non peccant, puniendi propter hoc non sunt. Eodem modo de infidelitate, deque conscientia infidelium dicere, loquique palàm debent; item de conscientia Gentilium, quoa Paulus inexcusabiles dicit: demùm de conscientia eorum, de quibus Dominua testatus est, arbitraturoa se obsequium Deo præstare in interficiendis Discipulis. Hi profectò Judæi sunt; & citra hæresim excusari non possunt. De hia omnibua conscientiia erroneis vincibilibua, & quamdiu extabant, obligantibus, determinandum est, & loquendum palàm, & coram mundo, utrum eas sectando propriè peccaretur, an non? si affirment, in tota nobiscum difficultate libertatia sunt. Sin verò non peccantur, ego à disputationibua ad tribunalia appellaverim.

§. II.

Prorsus ignoranter Jansenismus huc obtruditur.

HOc Recentiorea quidam hoc in loco, quod mihi certè nunquam in mentem venisset, scientea nescientea arripiunt, scilicet damnatum jam errorem Jansenii esse, quem verò precor, illum quippè, quo dixit, homini etiam justificato volenti, & conanti secundua præsentes, quaa habet, vires aliqua Dei præcepta esse impossibilia; deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant. Arripiunt enim illam particulam, *secundum præsentes, quas habet, vires*. Et nisi ille, qui ex ignorantia peccat, in ipso illo instanti malitiam agnoscere possit, jam secundum præsentes vires præceptum implere non potest. Deindè saltem ille; qui conscientiam erroneam vincibilem obligantem in ipso illo momento deponere possit, secundum præsentes virea implere præceptum non poterit. Incurritur ergo de plano Jansenismus.

Oscitantium nimia hominum oppositio est, & contra omnes est. Primò quia notorium apud quoquo modo sapientes est, quarum virium illa particula *secundum præsentes vires*, sit in Iansenio correlativa scilicet earum, quæ in præsenti quidem statu non habemua, sed habuimus in statu innocentiæ, quem amisimus, ut patet ex omnibus Jansenii impugnatoribus. Quod ergo in errore statum præsentem significat & ad amissum correlativum est, ingeniosissimi Recentiores ad instans præsens, vel præteritum detorquent; & cuncta confundunt.

Rursùs Iansenius, & condemnatio de homine justificato, & justo loquuntur: at Theologi de peccatore, ac in pœnam peccati agunt: ergo ineptè hæc duo confunduntur. Iterum Jansenius, & cōdemnatio loquuntur de volente, & conante; Theologi verò de ignorante, & errante; atque ita de non volente, & conante; quin de volente contrarium. Denuò Janseniua vires negat seorsim ab omni suppositione personali consequenti: Theologi non ita, sed ex suppositione, ac in sensu composito conscientiæ erroneæ vincibilis, & voluntariæ. Jansenio sermo est de viribua; Theologis de cognitione; quin hi ipsi Recentiores maximè plura Dei præcepta confingunt, quæ cognoscere non valeamus. Undique ergo, quod obloquuntur, nesciunt atque ipsoa lib. 3. ad errorem de impossibilitate præceptorum adigere conabimur; *quæst.* 16. & 17. de Pelagianorum: Jansenitarumque hoc circa errore sigillatim tractabitur, quò hoa Recentiores invitamua.

Sic propositio vel fidei, vel certissima saltem est peccatoribus etiam, quod in se est, facientibus, atq; debitè petentibus concedere Deum vires tum ad conversionem, tum ad resistendum tentationi: & tamen ex suppositione, quod non petant, vel malè petant, sæpè vires non habent, & sunt impotentes ex suppositione, ut exponemus: & qui hoc utrumque confunderent, nec logici essent, nec Theologi.

Qui nimò acutissimi hi Recentiores Jansenismum forsitam arbitrentur, peccatores, dum dormiunt, non simul vigilare; sicut putant, eos, qui ignorant, & errant, simul scire, & non errare, Etenim sancta propositio est, peccatores in hac vita omnes converti ad Deum posse; ad omnes quippè clamat ipse, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* At nisi dormientes simul vigilent, secundum præsentes, quaa tunc habent, vires converti non possunt. Ergo Jansenismus erit, si dormiant, vel si simul non vigilent, quando dormiunt.

Item propositio certa est, neminem in hac vita esse necessitatum ad condemnationem. At pone hominem, qui voluntariè graviter peccaverit, atque in illo sit; & deinceps lethali interiùs morbo affectus nesciens dormitum eat, in quo somno juxta præsentem dispositionem causarum moriturus sit excitandusque, ut ajunt, in inferno. Ecce ex his duabus suppositionibus necessitatus est ille ad damnationem. Dicite, & clamate, Janseniamum esse, cum ex ea suppositione secundum suas præsentes tunc vires salvari non posse, sed necessario perire: atque alia in idem inferiùs cōferemua hujuamodi verò sunt, quæ opponitis in cōsideratione, quá scientia sanè majori.

§. III.

His igitur remotis, difficultatibus contra libertatem peccatorum ignorantia, & conscientia erronea vincibilis proponuntur, & impugnantur.

DIximua difficultates istaa non contra nos, sed contra omnes esse: quas proindè interminis conscientiæ erroneæ vincibilis, & quandiu extat, obligantis proponemua, & potissimū urgebimus.

Primo circa peccata ignorantiæ arguitur; quia quando quia illa committit, & malos contractus, & usuraa & iniquas emptiones exercet, quamvis liber sit ad actus ipsoa secundum se, quos quippè vitare potest, tamen liber non est ad eoa inquantum malos; quia eorum malitiam, ut ponimus, ignorat, & putat, eos non esse malos. Sed ad peccandum requiritur, non solùm, actus ipsos secundum se esse liberos, sed etiam inquantum malos; nam alioqui actus quidem ipsi imputari nobis possent; malitia verò non posset. Ergo per ignorantiam peccari non potest.

Hanc re ipsa consequentiam multorum judicio hæreticam concedunt. qui ut libertatem tueantur, nolunt, ullum peccatum committi nisi advertendo tunc, & propter remorsua conscientiæ satis agnoscendo noa peccare. His itaque difficultas ista est de subjecto non supponente; quia revera peccata ignorantiæ, & inadvertentiæ contra scripturas expressaa, contra sanctos omnea, & Theologiam sustulerunt; atque ut superiua argumentati sumus, pleraque cætera peccata iracundiæ, & concupiscentiæ quæ tam sæpè, vel semper actualem advertentiam impediunt, tollere etiam

possent,

possent, & mundum de planò exhilarare. Patet verò, in quæ pericula conjiciat ista nimia libertatis tuendæ cura qualis, & quanta necessaria non est. Explicavimus porrò his præcedentibus quæstionibus, contra ipsam potiùs formalissimam, & & quasi specificam rationem peccatorum ignorantiæ esse istam actuum, qua malorum cognitionem in se, & libertatem; satisque esse si actua in primis in se liberè, ac deliberatè fiant; & præterea ignorantia sit voluntaria directè, vel indirectè in universali, in aliqua sua causa libera modo declarato. Non ergo quærendum est, quo modò ignorantia non sit ignorantia; nam est, & de hoc tractamus; sed quomodo in esse ignorantiæ voluntaria, & libera sit: & ad hoc exponendum omnes obligamur.

Hoc itaque omisso, quod ab exordio Theologiæ propositum, & contritum est, secundò difficiliùs arguitur in conscientia erronea vincibili obligante contra legem Dei; quamquam & hoc abinitio propositum sit, expeditum. Difficilius, inquam, non in realibus Theologiæ principiis, sed in aliquorum existimatione, qui nimiam quamdam libertatem requirunt, & hoc unum attendunt; & cætera quantacumque, modò unum illud teneatur prætereunt.

Arguitur sic: qui prædictam conscientiam habet; puta Judæorum, vel hæreticorum, per utrumque extremum sibi liberum peccat; nam extrema sunt agere juxta conscientiam, & agere contrà: at si agat contrà, peccat, & hoc de fide esse dicebant; si agat juxta, etiam peccat: nam sermo est de conscientia erronea vincibili contra legem Dei; & hæc est omnium Theologorum certissima sententia non excusat à peccato in his, quæ contra legem juxta conscientiam fiunt. Ergo peccat per utrumq; & utrumlibet extremum sibi liberum; ergo libet non est ad peccandum, vel non peccandum: cum quidquid agat, quod agere potest, semper peccet.

Dicis, & hoc omnes dixerunt, eum deponere posse suam conscientiam erroneam vincibilem abinvincibili quarè potest sine peccato non facere, quod sua sibi conscientia dictat, non quidem eam retinendo, sed eam deponendo, & abjiciendo. Atque hac in re alii ajunt, eam ultrò, & sine ulla ratione deponi posse. Alii hoc fortissimè, & meritò explodunt; nam primò hoc nec ratio, nec conscientia facere possunt, quandiù ipsis falsum, vel dubium saltem esse non innotuerit, quod verum esse tam ratio, quam conscientia existimant: & proptereà errant: ubi multa ex logica adduci possunt. Secundo quia hæc ipsa temeraria, & rationis expers depositio conscientiæ esset peccaminosa. Quocirca videri possunt passim Autores Cajetanum rejicientes; & solùm in scrupulosis noris id est admittendum, & dicemus infrà.

Quidquid verò de hoc sit & sive nobis veris rationibus, ut vera sententia tenet; sive nullis deponenda sit ista conscientia erronea, de qua agimus, illud in omnium sententia & evidentissimum, eam in ipso illo instanti, in quo est, deponi non posse, nisi acutissimi Recentiores modum etiam iuvenerint, quo eadem re in uno, eodemque instanti possit simul esse, & non esse, etenim cum jam supponatur ea esse in aliquo instanti, si simul in illo ipso deponetur, esset simul, & non esset. Et rursus sequeretur eam deponi, & non deponi. Reponi quidem, si potentia deponendi illam pro ipso illo instanti, in quo illa incipit esse, deponeretur, numquam illa fuisset: quod porrò numquam fuit, non magis deponitur, & abjicitur, quam moriatur homo, qui numquam vixerit. Neque signa illa amplissima ad totum perlegendum Abulensem, vel Suarez sufficientia, quæ quidem insigniter Metaphysici confinxerunt, hic ad rem sunt; quia post tantam etiam signorum molem struem, & moras, & vix non æternitatem nunquam eò usque venerunt, ut concederent, rem eamdem in eodem instanti physico & mathematico posse esse, & non esse.

Hinc clarissimè sumitur mens, & intelligentia Autorum omnium, qui de hac conscientia erronea vincibili scripserunt; nam omnes dixerunt, eam deponi posse, & debere; non tamen addiderunt, quod quidam Recentiores sibi fingunt, & inco totum deponunt, eam scilicet in ipso illo instanti deponi posse. Hoc, inquam, non addiderunt, nec addere potuerunt, ut vidimus. Ergo sensus, & mens Autorum est, conscientiam erroneam, de qua agimus, deponi posse: & debere; contra ipsos verò, & prima principia est, eam in ipso illo momento deponi posse. Quorum proindè Recentiorum sapientia, & perspicacia satis ex hoc apparet, quod Jansenismum, & monstrum existimaverint, quod in ipso illo instanti, & plusquam in isto oculi omnes conscientiæ erroneæ vincibiles deponi nequeant. Jam enim in eo instanti, si quis contra conscientiam agat, peccat; & hoc de fide esse, viri graves, verum esse, omnes tuentur: si verò juxta conscientiam, conscientiam istam agat, etiam peccat juxta omnes Theologos; quia conscientia erronea vincibilis non excusat. Ecce vester Jansenismus, id est, vera, & indubitata nimium à principio Theologorum doctrina. Et intereà his de causis homines vexant, & quod magis est dolendum, præclari etiam Theologi morales esse existimantur.

Hoc porrò videntes aliò fortè vertentur, & dicent potuisse eam in eodemmet illo instanti non formari. Verùm hoc non Theologorum est, sed suum; nam Theologi locuti sunt, & dixerunt, illam deponi posse, & deponendam esse; & quamquam de ratione conscientiæ erroneæ vincibilis sit etiam, quod potuerit non haberi, cum tamen de jam habita agerent, ad dispositionem recurrerunt. Recentiores itaque opinari quidem id poterunt, quod dixerunt: modò id Theologorum mox. & fidei esse non comminiscantur. Dicam deindè nec adesse in eo instanti potentiam ad conscientiam eam non formandam: hi quippè ad Cajetanum plus minus eunt, & quod ille de depositione, ipsi de formatione loquuntur.

Præterea data illa solutio per instantaneam deponibilitatem conscientiæ erroneæ, ex vera, ut diximus, & communi Autorum sententia evertitur; nam ajunt, conscientiam erroneam non ultrò, sed rationibus, motivisque aliis veris deponi posse, & debere. Conscientia nimirùm errat ex prævia ratione, & intellectu errante; ratio autem, & intellectus, non ultrò errant, & quia volumus; quia intellectus est ad verum, & in omni suo judicio fertur sub ratione veri saltem sibi existimata. Ergo ratio, & intellectus, quoties errant, & falsum judicant, falsis aliquibus rationibus, &

motivis, quæ falsum verum esse sibi persuadent, errant: & consequenter etiam conscientia. Ergo necessariæ sunt ad mutandum judicium, & prælationem partis falsæ deponendam rationes aliæ, & motiva, quibus priorum falsitas detegatur, vel saltem in dubium revocetur.

Has porrò rationes, & nova motiva, sive ab aliis, & per auditum accipienda sint, sive proprio marte, & ingenio conquirenda, profectò si saltem ingeniosissimos hos, promptissimosque, Recentiores excipiamus, ac instaneos philosophatores, cæteri tempore, & sæpè non exiguo sivè ab aliis audimus, sive per nosmet legendo, ratiocinandoque inquirimus; & ut superiùs est dictum, sæpè oratione, emendationeque conscientiæ opus est. Ergo consideratè dici non potest, omnes saltem conscientias erroneas vincibiles in quolibet instanti deponi posse: & in una sola tota de libertate difficultas urgetur.

Ubi obiter notandum est, quam videantur secum pugnantia dogmata Recentiorum; qui quandò de hoc disputatur, nihil magis arduum, & difficile, ponunt, quam veri inventionem: nunc verò quando de consciente iis erroneis agimus volunt, non solùm inveniri possent, sed in instanti etiam posse saltem omnium conscientiarum errantium vincibilium veritatem ignoratam, nam hæ per ignorantiam veritatis contrariæ deponuntur. Cum ergo jam adeò tardos, & ineptos nos ponunt; jam adeò ingeniosos, & promptos, videntur certè, oratione verè solata scribere,

Rursùs momentanea illa deponibilitas revincitur ex alia vera, ac inter ipsos etiam Recentiores communi doctrina; nam ajunt nullum ens nnn successivum, esse posse instantaneum, id est, quod incipiat esse, & desinat esse in uno instanti: atque hoc etiam de actibus nostris immanentibus in specie docent. At conscientia erronea non est ens successivum, ut nemo ignorat. Ergo conscientia erronea nequit incipere esse, & desinere esse in uno instanti. Sed conscientia erronea etiam vincibilis, & obligans contra legem Dei est conscientia erronea: nequit ergo incipere esse, & desinere esse in uno instanti, sed ex suppositione, quod sit, necessariò per aliquot instantia, quæ nos numerare non possumus, perdurat. Ecce ergo iterum Iansenismus vester; nam hoc tempore durationis ejus, sive juxta, sive contra eam agatur, peccatur: ergo sine libertate peccatur: & Bajanismus etiam incurretur, damnabiliter scilicet peccari in eo, quod vitari non potest. Nam per vos inquocumque instanti ex suppositione etiam non posse, est simpliciter non posse, & Bajanismus, & Iansenismus est monstrum. Sed iste habens hanc dictam conscientiam jam in aliquo instanti nequit non peccare, nisi Theologi omnes delyrent, dum dicunt, agere contra conscientiam erroneam etiam vincibilem, & obligantem esse peccatum, & item conscientiam erroneam vincibilem non excusare à peccato damnabili utique, & formaliter tali; nam nec invincibilis liberat à materialiter tali: sint ergo Theologi omnes Iansenistæ, & Bajanistæ.

Dicitis, eam conscientiam potuisse in instanti ipso primo suæ formationis, & non formari, neque concipi. Sed hoc ut alias etiam diximus, videtur esse hominum in aere, & in abstracto, ut ajunt; non in concreto, & sicut contingunt, de actibus humanis, moribusque nostris philosophantium. Etenim sicut de depositione errorum attingebamus & multò plura; & clara adduci possunt, errores non in instanti, sed sensim, & tempore, & aliquandò longissimo concipiuntur, & ut ita dicam, non hausto uno, sed longa potatione ebibuntur, ut scitur, aliquandò eductione, & consuetudine; aliquandò librorum malorum diuturna lectione; aliquandò multis concionibus hæresiarchæ populos decipiunt: & sophismata sua evidentissima non quidem esse, videri tamen, & apparere faciunt. Has ergo instantaneas conceptiones, & formationes conscientiarum errantium illi solum loqui possunt, qui ut de hominnm rebus agant, ab eis præscindunt.

Iterum contra hoc; qua in instanti formationis conscientię erronea nulla est cognitio ejus erroris; non item dubitatio vlla; quia hæc, & similia sunt incòmposibilia cum judicio ullo erroneo, ut *quæst. sup.* §. 1. demonstratum est: nec est evasio per prius, & posterius naturæ. Sed in eo instanti primo formationis conscientiæ erroneæ est jam ipsa conscientia erronea, & judicium errans. Non est ergo ulla cognitio, nec dubitatio erroris. Nihil ergo adest, quo potuerimus, & debuerimus in ipso illo instanti eam non formare.

Contra quod tandem est; nam quidquid potuerimus illam conscientiam in eo instanti. v. g. *A.* non concipere, at postquam eam concepimus, necessariò durat in *B.* in quo neque potuimus eam non formare, & concipere: quia concepta fuit in *A.* nec rursùs deponere; quia ut dicebamus, omne ens nnn successivum suppositione, quod extiterit, necessariò (intelligo naturaliter) per aliquot instantia durat. Jam in *B.* necessariò peccatur, sive juxta, sive contra eam conscientiam agendo: nec aliud remedium superest nõ peccandi, quam depositio ejus conscientiæ: quod tamen in eo instanti fieri non potest, ut est ostensum.

Postremò contra solutionem principalem de depositione instantanea; quia transitus de conscientia erronea. v. g. judaica, hæretica, & Mahometana ad rectam, scilicet Chrɩstian ain de lege ordinaria, & plerumque fit perdubitationem. Hic porrò transitus nequit fieri in instanti; quã dubitatio illa intermedia neque cohæret cum conscientia erronea judaica, neque cum recta christiana. ut patet. Requiruntur ergo saltem tria instantia.

Sed ridebunt planè nos, & meritò ridibunt homines mundi, si viderint de his disputantes. Sciũt nimirùm omnes, quomodò Judæi, quomodo Mahometani, hæretici, infidelesque converti soleant, id est, transire ab errore ad veritatem, & à conscientia erronea ad rectam, longo scilicet tempore oratione, persuasione, &c. quin in ipsa adeò stupenda, & extraordinaria conversione Pauli plurima instantia transacta sunt. Ridiculæ ergo sunt istæ erronearum conscientiarum deponibilitates instantaneæ de lege ordinaria: & contra illud Pauli ad Rom. 10. *ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi*; quæ in instanti peragi nequeunt. Judæi autem, & cæteri illi ex erronea conscientia ad rectam per fidem utique transeunt

Superest ergo vel nullorum horum conscientias esse erroneas; vel nullorum esse vincibiles: quod utrumque citra apertam hæresim dici possit, judices, doctique omnes videbunt. Aliundè

verò

verò sua eos erronea conscientia obligat, dum ipsa existit ad professionem religionum suarum judaismi, calvinismi, Mahometanismi, & paganismi, & ad oppugnationem Christi, & Ecclesiæ, & veræ religionis corde, ore, vel etiam opere. Ergo contra eam agendo peccant; & hic est casua Theologorum; & agendo juxta etiam peccant; nam in ecclesia Dei dici non potest, omnes omnium Judæorum, hæreticorum, Mahometanorum, & reliquorum paganorum erroneas conscientias esse invincibiles, & excusanres, ut ex hoc libro satis constat. Eodem autem modo Catholici citra fidem habent suas erroneas conscientias, aliquandò non obligantea, & tunc solùm peccant juxta eam agendo: aliquandò ex falso aliquo zelo Regni, vel Regis, vel communitatis, vel suorum obligantem; & tunc peccant, agendo utrumliber, quamdiù falsa conscientia non deponitur.

§. IV.

Propositio deinde difficilis videtur, omne peccatum debere esse liberum in ipso instanti, in quo committitur, ex quacumque suppositione priori.

PRiori, inquam, id est, instantis, vel temporis: atque propositionis difficultatem, & dubium videntur, satis ea commonstrare, quæ præc. §. adducta sunt. Certè propositionem contrariam existimamus tutissimam, & nullibi, à nulloque taxatam, scilicet non omne peccatum debere esse liberum ex quacumque etiam suppositione priori in ipso illo instanti, in quo committitur, ut ostensum est supr. §. & Jansenius, & Bajus, & similia abs re hic sunt ut vidimus.

Prætereà probatur. In primis enim, ut totius scholæ Nominalium opinionem prætermittam, quæ libertatem universim ponit in uno instanti ad aliud, eminens illud ingenium Card. Pallavicinus nunquam à me pro merito, & pro debito commendandus to. de actib. hum. disp. 4. *art.* 6. egregiè docet, nos non esse liberos ad actus exteriores in huc instanti pro hoc, sed pro sequenti; posito autem in hoc instanti imperio voluntatis, jam ex hac suppositione necessariò sequitur actus exterior in sequenti. Et tamen actus exteriores sunt propriissimè boni, & mali, & peccata, ut dicemus ex communi, & vera sententia ergo non est saltem propo rtio notanda, non omne peccatum esse liberum ex quacumque suppositione in ipsu eo instanti, in quo committitur.

Secundò quia si ea instantanea libertas esset de ratione peccari, illa sanè necessaria foret ad inceptionem, & etiam ad continuationem, & consumationem peccati: nam non solùm incipiendo peccare, sed etiam continuando, & consumando peccamus; & irrationabile est dicere, adulterantes, & blasphemantes solùm peccare, ubi primùm incipiunt adulterare, & blasphemare; deinceps verò in continuatione, & consumatione non propriè peccare, sed Deo placere: inceptio itaque, & continuatio, & consumatio totum simul peccatum est, non multa, sed unum, & idem. At sententia est vera, & communis, nos ex suppositione inceptionis necessario continuare, & permanere in actu incæpto per aliquod tempus, nec nos esse momentaneos operatores; & ad desistendum opus nova deliberatione, quæ in instanti non peragitur, ut tradunt Vasquez, 1. *part. disp.* 229. *c.* 4. & 1. 2. *disp* 54. *cap.* 3. Eminentis Pallavicinus *disp.* 6. *quæst.* 2. *art.* 11. Goninch, *disp.* 8. de merito *dub.* 10. *num.* 116. & cæteri communiter, qui de hoc disputarunt. Ergo instantanea illa libertas non est de ratione peccati. Et confirmatur, quia alioqui, ubi primùm illa cessaret ratio peccati, & displacentia Dei, & ubi quis primùm in odium fratris, vel Dei prorumpit, reus esse inciperet; innocenter verò aliquandiù permaneret: quia ex suppositione desistere non posset: quæ sunt absurda: & sequuntur ex modo Philosophandi Recentiorum confundentium ex suppositione talia cum talibus simpliciter. Sicut ergo inceptio libera ejusdem actus in uno instanti facit satis liberum eundem insequentibus, in quibus ea suppositione necessariò durat sic etiam suppositiones liberæ aliorum actuum faciunt satis liberos alios ex eis consecutos, ut de actibus imperantibus, & imperatis docuimus cum Suarez, & aliis; & aliquandò actus imperans est peccatum unius speciei, & imperatus peccatum alterius speciei, ut cum quis ex intentione adulterandi furatur, vel occidit: quæ certè hic memoranda non erant, quia sunt notissima, nisi quorumdam imperitia nos cogeret,

Ulteriùs quia hoc ipsum manifestè cernitur in peccatis exterioribus, quę ex iracũdia quę homines sæpè abripit, vel ex concupiscentia vehementissima cōmittuntur, ut adulteria, homicidia, maledicta, blasphemiæ. Nimirum cordati hominis nō est existimare, aut dicere hos ita iracũdia abreptos, & concupiscentia absorbtos esse adeò sui, & mentis compotes, ut deliberate singulis momentis valeant, & agere & cessare. Minus verò Theologi, aut philosophi hominis est existimare, vel dicere, eos in eo solùm peccasse quod irati sint, aut concupiscentiæ initio consenserint; in reliquia verò sequētibus actibus interioribus, & exterioribus qui in æstu ipso, & sine continuo dominio, & arbitrio consequuntur, id est, in obscænis actibus, homicidiis, & blasphemiis non peccare, nec corde, nec opere. Ecce infrequentissimis actibus peccata non solùm conscientiæ ignorantis, & erroneæ, sed alia etiam sine momētaneis, perpetuisq; hia & instantaneis libertatibus Recentiorũ perpetrantur.

Neque dici sanè, & tutò potest, hæc homicidia, & blasphemias ex furore iracundiæ incurrentes non esse peccata: quo tamen Recentiorum modus philosophandi ducit; nam inquiunt, negligentiam quidem sciendi esse propriè peccatum, & culpam: reliqua verò deinceps per ignorantiam commissa non esse propriè, & verè peccata, & culpas, sed denominativè, id est, in ipsorum Logica impropriè. Sic ergo peccatum solum erit, quod quis per iracundiam sui impos factus sit; quòd verò occidat, vel blasphemet, peccatum non erit propriè, sed denominativè solùm, & impropriè. Sæpè rursùs nec ipse iracundiæ furor peccatum erit; quia ex audito verbo, vel viso facto injurioso v. g. ex inflicta alapa exurgit instaneus, & citra deliberationem furor ille in plurimis Demùm non multùm timentibus, & assuetis irasci. Ergo per hanc Recentiorum regulam hoc genus omnia scelera cessant.

Hæc porrò sunt aliena à principiis Theologiæ; quæ iracundiam, & concupiscentiam non causas innocentiæ, non impedimenta peccati, sed causas esse peccati à principio posuit. Sic etiam jura omnia, & tribunalia puniunt talia tanquam

peccata; nec morte molestant iracundiam, sed homicidium: puerile autem hic est illud de foro interno, & externo, ut sæpè demonstratum est, & nisi per magnam ignorantiam obtrudi non potest. Ergo plurima peccata sine nova libertate, & deliberatione per sequens tempus perpetrantur ex suppositionibus antecedentibus nobis liberis: nam licet irasci solitos sæpè sine præsenti tunc libertate in furorem abripiantur, ut diximus, at liberè tales sunt, nec esse deberent. Quidam verò, qui per consuetudinem maledicendi, & irascendi peccatum vel diminuunt, vel etiam tollunt, à Theologia repellendi essent; qui scilicet ipso incremento vitiorum vitia, & sceleris magnitudine scelus adimunt.

Præterea quia, ut suprà etiam est dictum, tam intellectus, quàm conscientia aliquandò quidem errant falsa opinanda, & solùm opinativè judicando. At nemo hactenus eos errandi terminos intellectui, & conscientiæ posuit, ut opinando solùm, & non etiam sibi evidentissimum falsum aliquid existimando, & censendo errare possint: quo parallogysmi, & pseudodemonstrationes pertinent. Erret ergo hoc modo aliquis, ut sanè potest, circa difficillima mysteria nostræ fidei, trinitatem, transsubstantiationem, & concordiam libertatis cum prædestinatione. Ecce sua istum existimata, falsaque evidentia necessitat ad assentiendum hæresi, & ad non assentiendum fidei, nec extante ea apparentia est libertas ulla in voluntate saltem ad imperandum actum fidei. Ergo sine ulla tunc præsenti libertate peccat, sive in actu intellectus, sive ut imperitissimi quidam volunt, in actu voluntatis proprissima, & formalis ratio peccati hęresis consistat.

Quædam porrò aliquorum phrases de coruscatione veritatis fidei, de irradiatione, de præeminentia sensum in scientia non habent, confunduntq; res ipsas cum cognitionibus hæreticorum, & infidelium. In scientia, inquam, sensum non habent; nam corruscationes istæ, & irradiationes & phrases cognitiones demùm aliquæ sunt in intellectu hæreticorum, & infidelium. Non in primis assensus ullius generis; quia hi sunt incompossibiles cum judicio contrario hæretico, ut pueri sciunt: non item dubitationes propter eandem incompatibilitatem: non item apprehensiones aliquæ claræ veritatis propter idem. Quid ergo? Quin ponimus, hunc hæreticum parallogysmo, & pseudodemonstratione deceptum; quę sanè delet, & everrit ab intellectu suo omnia similia fulgura, corruscationes, & lumina; ut non in obscurissimis mysteriis fidei, sed in hac ipsa quæstione satis perspicua accidit adversario, vel mihi; adversarius quippè putat me errare; & tamen corde hæreticos has tunc veritatis corruscationes non habere mihi evidentissimum est, rationales homines existimare, nullum in mundo hæreticum, aut infidelem profundissimè, cæcissimè, obstinatissimè errare. Quodquàm sit falsum, & ex dictis constat, & oculis cernitur.

Confundunt itaque res ipsas cum cognitionibus hæreticorum, & errantium, quod clarissimè paucis verbis Saluianus distinxit dicendo, *nobis her etici sunt; sibi non sunt.* Re ipsa ergo & nobis hæretici sunt, imprudentes sunt, præcipites sunt, cæci, obstinati, decepti, errantes sunt. At sibi nihil horum sunt; alioqui non errare, neque hæretici esse possent, ut sæpè ex logica demonstravimus; & pridem Perez demonstravit de judicantibus temerè.

Ex his patet, his apparentibus, & falsis, sophisticisque demonstrationibus decipi plurimos obstinatissimos hæreticos, & infideles; quorum præsens totus intellectus repugnat fidei, quotidiè magis usu ipso, & consuetudine repugnat. Neque aliud medium superest ad egrediendum à peccato, nisi conversio ad fidem, & depositio errorum. Nullus verò, opinor, etiam illiteratus ignorat, ista de lege ordinaria in instanti fieri non posse. Jam verò satis superiùs constitutum est, dici non posse, has saltem omnes erroneas, & hæreticas conscientias invincibiles esse, & excusare. Ergo difficilis est, ac nimis multa confunderet, & inverteret propositio illa de instantanea libertate necessaria ad omne peccatum.

Tandem arguitur; quia impossibilitas liberè contracta in uno instanti non excusat à peccato in consequentibus: ergo de ratione peccati non est præsens illa instantanea libertas: antecedens patet ex celebri textu Augustini resumpto à concilio Tridentino; *nam Deus*, inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis; & adjuvat, ut possis.* Aliquid hic est, quod possumus, quod jubendo facere monet; & aliquid est, quod non possumus, & adjuvat Deus, ut possimus, si debitè petamus; undè & Recentiores ipsi retinent gravem obligationem petendi, & orandi, quandò vehementi tentatione vexamur juxta illud; nomine salva nos, quia perimus quisquam ergo jussus facere, quod potest, id quidem facit; neque tamen orat, & petit quod potest, & consequenter nec Deus adjuvat, ut possit, & tandem cadit. Hæc certè impotentia, & necessitas dum non excusat in lapsu: quod patet primo ex communi existimatione; Deindè quia ad hoc petitur, & oratur ne scilicet peccetur juxta illud, & *ne nos inducas in tentationem*: ad hoc etiam, & propter hoc ponitur gravis obligatio orandi, ne quippè peccemus, seu ne intentationem peccando utique cadamus. Quod si impotentia, vel necessitas ex non oratis secuta, & consequens nos redderet à peccato, & culpa immunes, non solùm orandus Deus non esset, sed certissima via non peccandi & non cadendi essent non orare; nam non orando non possemus, & sic non peccaremus; & sic modum egregium haberemus explendi concupiscentiam sine peccato, & hoc ad innocentiam optandum, & quærendum esset, quomodo non possemus.

Dicent, orationes istas, & petitiones fieri posse in instanti, & attentè, & devotè, ac humiliter, & cum fide fieri posse, & etiam ab eis, qui orationi assueti non sunt; & à quibusque etiam pessimis, & cordis lapidei peccatoribus. Dicere sanè ista, similia in aëre possunt, sed à cordato nullo credentur. Jam verò si vocalis fuerit oratio, quæ tempus requirit, omnia pessum ibunt.

Dicent; simile aliud, eum scilicet, qui non petit, quod non potest, peccare quidem in non petendo; cadendo tamen deinceps in tentationem non peccare. Sed nec hoc credetur. Dicent, eum etsi non petat, posse resistere. Verùm hoc est contra textum; *sed jubendo*, inquit, *monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Vos dicitis; *potest*: concilium, & Augustinus dicunt, *non potest*: & ego Augustino, & concilio crediderim. Atque utinam in peccatori-

catoribus habitualibus non sint hujusmodi impotentiæ multæ consequenter; nec pares sint aliquando tentationi, nisi legant, orent, jejunent, viuendique formam mutent.

De his impotentiis multa Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 24. *Forsitam si nulla in illo est impotentiæ causa, aliquate ius excusari potest. Sed si in ipso impotentia est culpa, sicut non levigat peccatum, ita non excusat non reddentem debitum.* & infrà: *ipsa namque impotentia* culpa *est*, quia *non debet eam habere, imò debet eam non habere; nam sicut culpa est non habere, quod debet habere; ita culpa est habere, quod non debet habere. Sicut ergo culpa est homini non habere potestatem illam, quam accepit, ut posset cavere peccatum, &c. Qua propter impotentia reddendi Deo, quod debet, qua facit, ut non reddat, non excusat hominem, si non reddat, quoniam effectum peccati non excusat peccatum, quod facit.* Hæc inter alia Anselmus, sicut scilicet ignorantia alia est antecedens, & involuntaria, & invincibilis, quæ juxta omnes excusat, & alia consequens voluntaria, & vincibilis, quæ non excusat; sic etiam est de impotentiis excusantibus, & non excusantibus. Hæ porrò impotentiæ in instanti non tolluntur, ut declaravimus; sicut nec ignorantia.

§. V.

Vera est ergo, & tenenda doctrina S. Thomæ, non esse inconveniens, quòd quis ex suppositione erroris voluntarii sit necessitatus ad peccandum.

Necessitatus, inquam, quandiù error durat, & conscientia erronea: quod nunc est exponendum. Sunt enim quidem delicatissimi Recentiores, qui nec ex suppositione necessaria velint esse propriè bona, vel mala? & sic apud ipsos nulli actus imperati ipsius etiam voluntatis pressè boni, vel mali sunt; & quoniam ex imperio voluntatis necessariò hæreses, & errores in intellectu sequuntur, propriam rationem peccati hæresis non in intellectu, sed in voluntate. Et quoniam similiter ex determinatione voluntatis necessario consequuntur furta, homicidia, perjuria, blasphemiæ, nihil horum volunt esse propriè ac presse peccatum: quod Valentia, 1.2. *disp.* 2. *disp.* 2. *q.* 17. *punc.* 1. inter errores damnatos Petri Abailardi connumerare videtur; certè aures meæ horrent audire, voluntatem quidem ex perpetrandis esse pravam; ipsa verò furta, homicidia mendacia, ac perjuria, blasphemias non esse propriè, verè malas, id est, non esse simpliter malas; nolunt tamen propter disonantiam propositionem ipsis veram simpliciter concedere, sed ea voce. *Denominativè* involvere; cum ex Logica simpliciter talia, id est, verè, & propriè talis dicenda, & concedenda sint sine distinctione, & contraria neganda: quare ista propositio, blasphemia non est mala, concedenda est, & contraria neganda; & delendum illud à Theologia, quod peccatum committitur corde, ore, & opere. Hæc verò, & alia dicunt, quia existimant, omnem impotentiam, & necessitatem ex quacunque suppositione esse contra veram, & propriam rationem boni, vel mali moralis: quin vidi quemdam adeò subtilem, qui nollet, in actibus voluntatis actionem productivam distinctam admittere; quia everteret libertatem actuum ex illa necessariò consequentium. Sed hæc ipsa, quæ ex ipsorum modo philosophandi sequuntur, & alia, quæ tendere in longum possem, satis demonstrant, modum ipsum esse certè parum Theologicum, & difficilem, & multa, ut unum, & sanè falsum teneat, devorantem, atque invertendum.

Ad difficultatem ergo de libertate, ut propriùs redeam, pridem totam illam proposuerunt, realibusque principiis dissolverunt S. Thomas S. Bonaventura, & alii, & quidem S. Thomas in omnibus suis operibus in sententiariis, in quodlibet indisputatis, in commentariis ad Paulum, & in summa.

Reliquorum locorum specimen sic in summa 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. sibi objicit: *præterea voluntas discordans rationi erranti sit etiam mala, videtur, quod omnis voluntas habentis rationem errantem sit mala, & sic talis homo erit perplexus: & ex necessitate peccabit, quod est inconveniens.* Num hæc non est tota quanta quæstionis difficultas, ne dicant eam de novo inventam ab antiqua de peccatis ignorantiæ doctrina divertere se coegisse.

Solutio Doctoris hæc ubique est, cujus cætera loca in alium scopum *lib.* 3. collaturi sumus. *Ad tertium dicendum, ait, quod sicut in syllogisticis uno inconveniente dato, necesse est alia sequi, ita in moralibus uno inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur: sicut supposito, quòd quis quærat inanem gloriam, sive propter inanem gloriam faciat, quod facere tenetur, sive dimittat, semper peccat, &c. & similiter supposito errore rationis, vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est, quod sequatur malum in voluntate. Nec tamen homo est perplexus; quia potest ab errore recedere; cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Exemplum verò posuerat in errore Judæorum arbitrantium, se obsequium præstare Deo in internecione discipulorum. Et in sententiariis in 2. *dist.* 39. *quæst.* 3. *art.* 2. *sed quodam posito*, inquit, *non est inconveniens, illo stante, aliquem perplexum fore, sicut*, &c. *Similiter etiam stante conscientia erronea, quidquid fiat, peccatum non vitatur.* Agit autem de conscientia erronea vincibili contraria Deo, & præceptiva, seu obligante. Jam verò §. 1. demonstratum est, errorem in ipso illo instanti deponi non posse.

Tota ergo solutio Doctoris eò devolvitur, quod necessitas ista est ex quodam posito, & supposito inconvenienti, seu necessitas ex suppositione, quę etiam consequens appellatur. Non differit more adversariorum: hoc, aut illud ex suppositione hac necessariò sequitur; ergo non peccatur; sed dicit non esse inconveniens, quodam posito, & supposito, quidquid fiat, peccari, seu de necessitate peccatum sequi, dummodo suppositio illa voluntaria, liberaque sit,

S. Bonaventura in 2. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 3. fusiùs totam difficultatem prosequitur; atque ad eam multipliciter propositam respondet. In tertiis verò (id est in rebus Dei legi contrariis) conscientia, inquit, non ligat ad faciendum, vel non faciendum, sed ligat se ad deponendum, pro eo quod, cum talis conscientia sit erronea errore repugnante legi Divinæ, necessariò, quamdiu manet, ponit hominem extra statum salutis, & ideò necesse est ipsam deponere; quia sive homo faciat, quod dictat, sive ejus oppositum, mortaliter peccat. Si enim faciat, quod conscientia dictat, & illud est contra legem Dei, & facere contra legem Dei sit mortale peccatum, absque dubio morta-

mortaliter peccat. Si verò facit oppositum ejus, quod conscientia dictat ipsa manente, adhùc peccat mortaliter. Hæc S. Bonaventura. Nisi ergo dicere libeat, utrumque hunc Doctorem, quos Doctores vitæ nostræ habemus in terris, nescivisse, quid esset mortaliter peccare, profectò necessitas inducta per conscientiam erroneam legi Dei contrariam non obest, quo minùs quidquid agatur, peccetur, quandiù ea conscientia manet.

Eodem modo respondet Doctor solemnis quodlibet 1. *quæst.* 18. item Gabriel. in 2. *dist.* 39. *art.* 3. *dub.* 2. dicens, tunc hominem esse perplexum, & peccare, si agat contra conscientiam; ac etiam si juxta. Et miramur, quod Recentiores rem adeò discussam, nec ipsi quidem tractent, & à nobis dictam quasi inauditum antea monstrum exhorreant. Quare verò eam non tractent, ex dictis patet; quia scilicet omnem verè erroneam conscientiam vincibilem; peccata item ignorantiæ verè talia, & à cæteris distincta re ipsa sustulerunt.

Jam ergo sub his tantis Doctoribus, & in re sub quibusdam terminis omnium Theologorum, & fidei, concordia libertatis, & propriæ rationis malitiæ peccatorum ignorantiæ, & erroris pendet ex distinctione simpliciter talium, & secundũ quid talium, seu absolutè talium, & ex suppositione talium. Sciunt nimirum omnes tale simpliciter posse esse non tale secundum quid; & tale absolutè non tale ex suppositione; ut bonus simpliciter, & justus potest esse malus secundum quid, & homo simpliciter sapiens potest aliquid ignorare, & esse ignorans secundum quid; & sic est in magno, & in albo, divite, calido, &c. Eodem modo, quod de sorte omnes exemplificarunt, potest ille absolutè sedere; vel non sedere; currere, vel non currere; non potest autem ex suppositione, quod sedeat, vel currat: quia jam sic est necesse. Omnia verò solùm ex suppositione talia sunt talia solùm secundum quid; licet non conversè.

Ex hoc principio omnia ea expediuntur, quæ superius per currimus & in sententia contraria satis durè declarantur. Patet enim, nos non sola inceptione actuum, sed etiam continuatione, & consumatione peccare, non quidem distincto peccato, sed uno; quia licet continuatio aliqua, & sæpè etiam consumatio ex inceptione necessariò sequatur, est necessitas ex suppositione, & secundùm quid; non simpliciter, & absolutè: & totus actus est simpliciter, & ore pleno liber. Similiter licet hæresis, vel infidelitas ex imperio voluntatis necessariò consequeretur (sæpè scilicet nullum ejusmodi imperium intervenit) propria malitia eorum peccatorum, de quo sapientes nihil dubitarunt, in intellectu, & actibus, vel omissionibus ejus formalissimè residet; & necessitas est ex suppositione, & secundum quid: non simpliciter, & absolutè.

Eodem modo quæcumque scelera homines per iracundiam, concupiscentiamque etiam sine libertate tunc in eo instanti præsente perpetrant, sunt propriè scelera, & peccata; & necessitas est secundum quid, & ex suppositione, debuerunt enim non irasci, vel concupiscentiæ non consentire, vel tales esse, ut possent has suppositiones, & necessitates vitare; nec ira, & concupiscentia sunt exemptiones à peccatis, sed causæ peccatorum: nec ob excessum suum diminuunt, sed augent malitiam, quando non naturæ, sed pravæ consuetudinis est augmentum: *qua propter*, ajebat Anselmus, *impotentia reddendi Deo, quod debet, qua facit, ut non reddat, non excusat hominem, si non reddat; quoniam effectus peccati non excusat peccatum, quod facit:* est enim impotentia consequens, quam ut cum eodem Doctore loquar, voluntas ipsa facit; & necessitas secundum quid, & ex suppositione libera. Unde innumerabilia peccata pro non peccatis in confessione ex doctrina contraria habentur. Nec enim est inconveniens, ajebat Thomas, uno inconvenienti dato, ex necessitate alia sequi in syllogisticis, & in moralibus, & abyssus abyssum invocat, *& culpa culpis feriuntur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in aliis etiam nesciens cadat*, ajebat suprà idem Anselmus; & sic est etiam de impotentia, ac de necessitate.

Similiter sequitur, actus exteriores esse verè, & propriè bonos, & malos; & non solùm denominativè in sensu Recentiorum, inquã, in sensu Recentiorũ, quibus esse tale denominativè perindè est, atq; esse tale impropriè, & longè contra Aristotelem, & logicos in anteprædicamentis. Putant itaque, non esse propriè liberos; quia ex imperio voluntatis necessariò sequuntur: item quia solùm mediatè liberi sunt, quia mediant actus voluntatis; ergo non propriè, & verè. Undè mirabilia dicunt, dum tractant, cur nihilominùs homicidia ipsa, & adulteria, quæ verè, ac propriè peccata non sunt, in confessione aperire teneamur; & forsitam ex hac falsa suppositione quisquam benè opinabitur, nos non teneri; nam uno dato in convenienti ex necessitate alia sequuntur in syllogisticis, & in moralibus. Eodem modo etiam, quia mediant potentiæ, philosophari solent de personis ipsis operantibus, me propriè, ac pressè non amare, non peccare, non loqui, non scribere, sed solùm denominativè, & impropriè; amat verò, & peccat impropriè voluntas. Ipsa ergo sola propriè comburenda esset, & non ego verè, sed solùm denominativè; & impropriè; manus verò, & caput, & pedes nihil peccarunt; neque ego. Una ergo voluntas propriè punienda est, non corpus, non anima, non ego: quæ planè ridicula sunt & nihil verius est, quam me hunc scribere, & me peccare, quandò pecco; sin minus non ego damnandus essem, non absolvendus, sed qui, vel quæ peccat.

Ecce ergo ad quæ sanè ridicula, & alia cadant his modis philosophandi confundendo talia simpliciter, & talia secundum quid; & quæ absolutè, & quæ ex suppositione necessaria sunt; & similiter quæ mediant, ac interiacent, ut *quod*, & ut *quo*. Hæc autem vocant nomen erit sine re, & sola grammatica, *occidis* & *occideris*, quippè quæ sola voce activa, vel passiva distant: & similiter *Dei sum*, & *Deus sum*, quæ solo casu differunt: grammatica autem, opinor, non solùm tractat de relativo, quis, & qui, sed etiam de reliquis nominibus, & verbis. Valdè ergo puerilia sunt ista, & vel unius anni Theologus scire potest, quantum intersit inter *quo*; & *quod*; cum hæresis sit, essentiam divinam generare ut *quod*; non autem sit generare ut *quo*. Illude. & dicito, has esse phrases, & sola nomina expertia rerum.

Suppositio itaque, & necessitas, & mediatio actuum voluntatis nihil prorsùs obstat libertati, ac bonitati, & malitiæ actuum exteriorum men-

dacii,

dacii, furti, homicidii, quæ propriissimè, & verissimè mala, & peccata sunt; nec Deo placere possunt, sed displicent; & horrendum dictu esset, Deum esse talium, ac proditionis Judæ verè, ac verum Autorem, fatorem, assentorem, opificem. Quod porrò quidam dicunt, ex suppositione esse, eversum est; nam hoc est, verè, & simpliciter non esse. Ea igitur à Deo non sunt; & à quo sint, evangelium docet, *à corde exeunt*, &c. nec de sursùm sunt; ergo verè mala sunt. Rursùs quia verissimè prohibita verissimè mala sunt: sed perjuria, homicidia, blasphemię, furta verissimè prohibita sunt, ut patet ex Decalogo, & quamquam distinctionibus eludere possint, palam, & coràm, & oratione simplici pronuntiare non possunt, ea non esse prohibita; quod tamen liceret dicere, si verè, & pressè, ac propriè prohibita non essent. Quinimò ut Theologi ritè observant, ideò voluntas mentiendi est mala, quia mendacium ipsum est malum, & non contrà; & malitia primo, & primitùs convenit peccatis ipsis exterioribus mendacio, furto, &c. mirabile autem erit, quod voluntas mentiendi sit mala, quia mendacium ipsum est malum: & interea mendacium non propriè, sed impropriè sit malum; si enim tò *malum* in causali non propriè, sed impropriè malum significat, inepta erit causalis; nam sensus erit, voluntas mentiendi est verè, & propriè mala, quia mendacium non verè, & propriè, sed impropriè est malum; eodemque modo erit sanè mala etiam voluntas; sicut conspicitur, si diceres, voluntatem levis furti esse mortaliter malam, quia furtum ipsum est leviter, & non graviter malum. Quarè Theologi ipsa notione naturali, & de peccato quidem, ut Theologos decebat, propriè tali loqoendo à principio dixerunt, peccatum committi corde, ore, & opere; & quotidiè omnes in confessione dicimus, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, opere, & consultiùs sanè est Recentiorum Theologiam corrigere, atque impropriam dicere, quam has Christianas, & Theologicas omnium institutiones ad ipsorum limam deducere.

Tenendum igitur est, actus exteriores esse propriè, ac verè moraliter bonos, & malos; nec necessitatem illam ex suppositione, & secundum quid obstare eorum libertati, ac bonitati, malitiæ, ut §. seq. prosequemur.

Postremò in re nostra de conscientia erronea vincibili est dicendum, necessitatem, & impotentiam ex illa sequentem esse necessitatem ex suppositione, & secundum quid; quia ipsa conscientia erronea voluntariè, & liberè posita fuit: ac proindè libertati, & malitiæ sequentium ex ipsa actuum, vel omissionum non derogat. Quod quoniam contentiosè excipietur, magis adhùc est exponendum, non uc obmutescere faciamus, sed ut alios præmuniamus.

§. VI.

Peccans ergo argumenta contraria a tali ex suppositione ad tale simpliciter arguendo.

Hic, & nunc dicent, & ex suppositione conscientiæ erroneæ vincibilis legi Dei contrariæ, & præceptivæ homo non est liber, nisi ad agendum juxta, vel contra conscientiam, quandiù ea existit: ergo hic, & nunc necessariò peccat, & similiter de actibus exterioribus, quorum exemplo S. Thomas peccata ignorantiæ declaravit; ex suppositione imperii voluntatis homo liber non est ad non mentiendum, sed necessariò mentitur, & occidit, & blasphemat: ergo si in his peccat, planè necessariò peccat. Sed respondemus, pessimè argui à tali ex suppositione ad tale absolutè, & de secundum quid ad simpliciter.

Nos itaque palàm, & sine metu, verecundia asserimus, homines liberè, & liberrimè loqui, saltare, jejunare, & mentiri, occidere: & si hæc omnia ex suppositione necessariò consequantur. Similiter palam, & sine metu, ac verecundia pronunciamus Deum reprobare, odioque habere mendacia, homicidia, & similia: item eam odio habere persecutionem Ecclesiæ, & occisionem Apostolorum, & martyrum, etsi Judæi, vel cæteri ex conscientia erronea obligante ea scelera perpetrarint; neque horum Deum, sed Dæmonem, & homines fuisse autores, & operatores. Adversarii verò hæc cuncta distinctionibus, & circumloquiis obtegere solent; quod pudoris, malæ causæ signum est, ut cernitur inprimis Parentibus, & quasi folia ficus similium distinctionum tegumenta existimamus; nam veritas non erubescit nuditatem.

Atque hoc ex ipso modo præceptorum magis declaratur; neque enim illa ex suppositione, sed absolutè, & absoluta. Deus scilicet non jubet, & dicit, & si occidere velis, non occidas, & actum exteriorem abinteriore abrumpe, & ex suppositione etiam non occides, non mæchaberis; sed sine his absolutè jubet, & dicet, *non occides, non mæchaberis, non furtum facies.*

Similiter Judæis, v. g. conscientiam erroneam obligantem habentibus non jubet, & dicit; nolite etiam ex hac suppositione Filium meum, & discipulos persequi; nolite facere quod conscientia dictat; hoc enim esset jubere peccatum. Jubet ergo absolutè, & sine his additis, & positis credere in Filium suum: cumque obligatio faciendi, & credendi claudat obligationem sciendi, jubet non habere eam conscienciam erroneam; & si habetur, deponere.

Undè cum arguitur, hoc, vel illud ex hac suppositione malum non esse, negandum est suppositum; quia cum præcepta non sint ex suppositione, sed absolutè, & absoluta, ita neque malum, quod consistit in transgressione præcepti. Quarè aliò Recentiores; hi enim toti intenti sunt ad hæc, & ad quid ex suppositione: secus præcepta; ut est declaratum.

Sed inquis, suppositionem factâ esse in instanti pręcedenti per positionem, ac formationē conscientiæ erroneæ. Ergo jam in hoc instanti sequenti nulla datur libertas, nec absolutè quidem; & verissima erit in instanti sequenti enuntiatio simpliciter affirmans dari necessitatem: ergo verè, & simpliciter cum necessitate, & sine libertate peccatur. Et confirmatur; quia libertas jam præterita, & non præsens nequit actum de præsenti, & simpliciter facere liberum. Et similiter arguitur contra libertatem futuram, qua non quidem in hoc instanti, sed posteà deponi poterit error conscientiæ. Et hæc confirmantur exemplis sapiens nunc est per albedinem, justitiam, & sapientiam, quæ nunc non est, sed fuit, vel simul etiam erit. Ergo sic etiam in libertate. Atque in eundem modum argui multifariam potest.

Hæc,

Hæc, & similia movere quem possent, nisi contra omnes probarent; nam probant; vel non posse dari conscientiam erroneam vincibilem, & obligantem contra legem Dei; & hoc est contra omnes; vel non esse peccatum agere contra ipsam; & hoc est hæresis, aut error; vel non esse peccatum agere juxta ipsam contra legem Dei; & hoc est etiam contra omnes, saltem error; vel denique conscientiam deponi posse in ipso primo instanti suæ formationis; & hoc apertè falsum esse ostensum est. Quod itaque nusquam fecerunt, tractare ista, & enodare Recentiores debuissent, & non obstare.

In primis igitur harum objectionum falsitas ostensa est plurimis exemplis, & instantiis, ut de necessitate continuationis actuum, & de impotentiis inductis per concupiscentiam, & iracundiam, & per defectum orationis, &c. Deindè sive in actu etiam exteriori, sive solùm in interiori peccatum consistat, evidentissimum est, eum, qui manum, vel gladium movet ad alterum percutiendum, in singulis instantibus liberum non esse, ut motum cohibeat. Jam ergo in quibus cohibere non potest, nec liber erit, neque peccabit. Rursùs qui jubetur ambulare, vel currere liber non erit; quia in nullo determinato instanti libertatem non habet ad currendum in ille; quia currere unius instantis nequit esse & necessariò tempus requirit, & claudit. Fiat ergo argumentum superius in unoquolibet instanti; & nisi alia libertas, quam illius instantis assumatur, in nullo invenietur libertas ad currendum, ac obediendum præcepto.

Universim itaque loquendo orationes, & enuntiationes de præsenti, nisi sub debita moderatione intelligantur, sæpè æquivocæ sunt, & multa argumenta sophistica multas item falsas opiniones parere, inducere possunt; sunt enim multæ saltem assertiones de præsenti, quæ ad instans cogi, restringique nequeant; & cum verissimæ sint, falsæ redderentur, si intelligerentur de instanti; neque illæ paucæ sunt, sed omnes saltem, quæ motum important, ut currit, movetur, ambulat, occidit, mentitur, osculatur, furatur, blasphemat, & peccata saltem oris, & operis omnia. Cuicumque ergo de his loquenti, & affirmanti, arguentique respectivè ad unum instans, negandum est suppositum; nam chimæra est, implicatio in terminis, currit, movetur, & cætera illa respectivè ad unum instans, & temporis sunt, non instantis. Quinimmò ipsa etiam assertio vocalis implicativa est, si ad instans restringatur, nec debitè intelligatur; nam cæteris omissis terminis assertionum, & sumptis solum verbis brevissimis, *est currit*, &c. nisi pluribus instantibus proferre, absolvereque ea non possumus. Unde grammatici tempora quidem, & non instantia verbis attribuunt; & simpliciter Logici non dicunt, verbum consignificare instans, sed tempus, verò ex Physicis uno instanti non constat.

Cum ergo hæc ita universim sint, certiora adhùc de peccatis ignorantiæ, conscientię erroneę: atque ista, eorumque libertatem, & voluntarietatem ad unum instans cogere, & claudere perindè est atque tempus, & motum, & cursum uno instanti concludere, quę est manifesta implicatio. Quarè loqui, arguere de libertate eorum peccatorum restrictè ad unum instans est, sicut loqui, & arguere de motu sub eadem contradictione; quo arguendi modo deceptus Zeno motum rem sanè visibilem, & palpabilem olim negavit; motus enim numquam est eo modo: quod autem nunquàm est, planè nec fuit, nec erit. Sic ergo adversarii ad unum suum illud instans mentem intendendo, & in eo solo libertatem non inveniendo decipi possunt, & peccata ignorantię rem sanè manifestissimam denegare.

Nunc ad consequentiam in forma: nunc, & in hoc instanti actùs non est liber: ergo absolutè, & simpliciter non est liber; primùm respōdemus per instantiam, & in hoc instanti non est motus continuus, non est tempus: ergo absolutè, & simpliciter non est cursus, nec ullus unquàm equus currit, nemo movetur, nō est motus continuus, nō tempus: ac proindè nec senescimus nec morimur. Respondetur deindè dicendo implicari in terminis. Rursùs dicendo argui à tali secundum quid, ad tale simpliciter; nā esse necessarium restrictè ad unum instans est esse necessarium secundum quid, & ex suppositione: & cum replicatur, non esse simpliciter esse cadens suprà secundum quid; ut si diceres. Æthyopem simpliciter esse album secundum dentes, quod non probat, eum non esse simpliciter nigrum. Forsitam verò Recentiores ipsi, qui tam metaphysicos agunt, dicent, hęc non de instantibus metaphysicis, aut physicis intelligenda, sed de moralibus: quod licet adeò à Metaphysica distet, hic tamen contra nos erit, & poterunt, si placet, uno instanti morali quadrantem horę, vel horam explere; & sic de libertate difficultates expedire: vel si ista minùs placuerint, aliud quidpiam in omniū causa excogitare.

Aliquandò itaque ex ipsa materia subjecta & substrata sensus enuntiationum ad tempus determinatur; & quasi protrahitur, aliquandò instanti etiā verificatur, ut est albus, justus, &c. In peccatis verò ignorantię, ac in ipsorum libertate tempus necessariò clauditur, & to *est* ad tempus necessariò respicit. Sicut etiam cum de peccato habituali dicimus esse, nequit de instanti intelligi.

Utrum autem in singulis instantibus adsit potentia proxima saltem incipiendi removere ignorantiam, & errorem conscientię, paulò inferiùs differam.

§. VII.

Ex his ratio sumitur, cur ignorantia diminuat peccatum, faciliùsque veniam consequatur.

HÆc, & alia, quę Theologi à principio tractarunt, quasi de subjecto non supponente sunt apud Recentiores; nam cum juxta ipsos peccata ignorantię tam voluntaria, ac libera sint, quam cętera, & actuali pręsenti remorsu, & cognitione, & libertate committantur, nihil superest, cur ea, vel minora sint, vel faciliùs veniam impetrent.

At Theologi quique tales ex Dei scripturis sumpserunt, & dixerunt, ignorantiam saltem aliquam esse, quę peccatum diminuat, veniamque faciliùs impetrent juxta illud Apostoli misericordiam consecutus, quia ignorans feci, &c. Item juxta illud Domini; *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quod faciunt:* & est textus expressus, & litteralis Luc. 12. *ille autem servus, qui cognovit voluntatem*

luntatem ejus, *vapulabit multis*; *qui autem non cognovit*, *& fecit digna plagis*, *vapulabit paucis*: Ubi omittendo alia, patet manifestissimè, ignorantiam aliquam esse, quæ quidem non tollat, diminuat tamen peccatum; sitque proindè ansa, & occasio obtinendæ veniæ, & remissionis.

Distinxerunt verò Theologi cum D. Thoma, & dixerunt ignorantiam solùm indirectè voluntariam diminuere; directè verò voluntariam non diminuere, qualem habent illi Jobi 21. dicentes, *recede à nobis*, &c. Ubi Gregorius tradit hanc ignorantiam non diminuere. Cæterum D. Bonaventuro, & Almainus apud Suarez *disputation.* 4. *sect.* 2. ajunt, omnem omninò ignorantiam diminuere; & bonus apud sanè Theologus Alphonsus Salmeron, in *epistol.* 1. ad Timotheum *disputation.* 3. & 4. cum Augustino, & Leone, ut alibi dicemus, docet, ignorantiam Pauli, & Judæorum minimè fuisse indirectè solum voluntariam, & illam leviorem Theologorum, sed extremæ cujusdam cæcitatis, & odii juxta illud: *supercecidit* ignis, id est, superbiæ, ac furoris; *& non viderunt solem*: & nulla unquam ignorantia fuisse videtur Judaico ista deterior, & minus excusans. Et tamen etiam in ista Dominus, & Apostolus ignorantiam obtendunt tamquam titulum consequendæ, vel consecutæ misericordiæ. Videtur ergo, quod licet peccata ignoranriæ affectatæ, ac directè voluntariæ sint gravissima, & fortè graviora, quam infirmitatis, semper tamen ignorantia sit circumstantia aliqua diminuens, & majus peccatum Judæorum fuisset, si cognoscentes Dominum gloriæ crucifixissent: semper ergo ignorantia obtendi potest.

Horum porrò ratio ex dictis est manifesta; quia omnia peccata ignorantiæ sunt de suo genere minùs voluntaria, minùsque libera: licet ergo, ut docent Theologi, peccatum per ignorantiam commissum sit ejusdem omninò speciei, & ejusdem specificæ malitiæ cum peccato in ipsa materia scienter commisso, nihilominus minùs est; quia minùs voluntarium est, & liberum. Atque hoc modo S. Thomas 2. 2. *quæstion.* 34. *art.* 2. ad 2. determinat de peccato infidelitatis, & odii Dei, hoc scilicet majus esse, quia magis voluntarium.

Dices voluntatem illam omninò, & ratione sui liberam refundere in sequentes ignorantias, & errores totam suam libertatem, & voluntarietatem. Nullum ergo erit decrementum. Negatur antecedens; quia voluntas illa prima prava in se seorsim, & ratione sui est libera; non ita ignorantiæ, & errores sequentes, & peccata; & hic locum habet illud, propter quod unumquodque tale, & illud magis. Et sic dixi, conclusiones esse minus certas, & evidentes, quam præmissas; & faciliùs est me falli in præmissis simul, & conclusione, quam solùm in præmissis: & quò conclusiones sunt distantiores, & remotiores à principiis, eò minùs certæ sunt, & conspicuæ; & magni viri principiis inhærere solent, dum docent; eoque proindè sæpè usurpant; quod in doctis vitiosa repetitio videtur.

Hac de causa peccatum originale, quod ex sua specie morale est, valdè diminuitur ex decremento voluntarietatis, & libertatis: quia solum est liberum in alio, & voluntare, libertateque physica non nostra, sed aliena. Indè nullum peccatum tam facilè dimittitur, scilicet sine ullis actibus peccatoris, ut cernitur in baptismo puerorum, sine usu rationis, & absque injunctione ullius pænitentiæ, & absque reservatione ullius pœnæ solvendæ in alia vita.

Deindè sequuntur peccata personalia, de quorum propria ratione, prout personalia sunt, & ab originali distincta, quod propria, & peccatoris ipsius, & personæ voluntate, & libertate libera, voluntariaque sint; inquo er ant Jansenistæ volentes, nos alia præter originale peccata admittere sine alia libertate, quam ea, quam habuimus in Adamo, & sine viribus præsentibus ad vitandum. Hoc sanè est confundere peccatum originale, quod non multa, sed unum est, cum personalibus, quæ multa sunt, & personalia sunt; & in justificatis maximè quibusquippè quidquid culpæ, & voluntarii inhæret, sublatum est, manifestissima ineptia est, an porrò, quod de facto falsum est, potuerit Deus sicut damnare, ita etiam voluntarietatem peccati originalis non intercidere, sed quasi sinere, ut ab illa saltem inhabentibus peccatum originale eorum alii actus nova peccata essent sine nova alia libertate, instituti nostri haud est, sed alterius diei, maximeque investigationis Augustini. Nunc verò, & de facto ita non esse, hic obiter patet, vel ex uno illo textu Apostoli, hujusque nostri libri clavi, & fundamento; cum enim vellet ostendere; gentiles in suis ignorantiis fuisse Inexcusabiles, non ad peccatum originale ivit, sed ad peccata ipsorum propria scienter commissa; *quia cum cognovissent Deum*, &c.

Omnium ergo peccatorum præterquam unius illius originalis proprium est, ut personæ ipsius peccatoris voluntare, & libertare voluntaria, liberaque sint: & hæc est propria ratio distinctiva eorum ab originali; non ea, quam non tam tractarunt, quam ultrò supponunt Recentiores de libertate non solùm personæ, sed uniuscujusque etiam instantis.

Hinc quoniam multa saltem peccata ignorantiæ, licet sint voluntaria, & libera ipsi personæ sua ipsa personali voluntate, & libertare, quia tamen non sunt voluntaria, & libera in se, saltem quatenùs mala, sed in alio, & in causa, ut in textu Pauli conspicitur, & infrà denuò constabit, similia peccata ignorantiæ participant aliquid de modo peccati originalis; indeque diminuuntur, & faciliùs remittuntur.

Similiter etiam diminuuntur ex defectu voluntarietatis, ac libertatis per incrementum iracundiæ, & concupiscentiæ naturalis, in quibus quippè hę passiones fortiores fuerint. Inquam, *iracundia*, *& concupiscentia naturalis*; non autem, si consuetudine ipsa peccandi

excreverunt; nec minùs peccant perditissimi quidam peccatores, qui ferè libertatem suam, ac vires ipsa sua nequitia extinxerunt, ac valdè extenuarunt; sicut nec à contrario meritum diminuitur ex facultate magnitudinis virtutis, & Beatissima Virgo, quæ omnium post suum Filium promptissima, expeditissimaque fuit ad actus omnes virtutis minùs ideò meruit, aut placuit Deo minùs: quæ non modo Theologus, sed quoque Philosophus in dubium revocare non potest.

§. VIII.

Qui ergo instantaneam præsentem libertatem ad rationem peccati requirunt, ægrè peccatum originale exponere possunt.

DIfficultates peccati originalis, & peccatorum ignorantiæ, haud exiguam similitudinem habent, & analogiam; ideoque per consequentiam utrumque Pelagiani negarunt propter defectum libertatis, & cognitionis, conscientiæque malitia, tunc, quando per ignorantiam peccatur præsentis, ut ex Hieronymo, & Augustino diximus.

Salva itaque fide de peccato originali, videtur, assumi non posse eam, propositionem, quod ad veram, & propriam rationem peccati requiratur libertas præsens clausa in aliquo uno instanti; nam peccatum originale ex fide est verè, ac propriè peccatum: & tamen contra ejus rationem est, quod reducatur, claudaturque ad unum aliquod instans. Ergo de vera, & propria ratione peccati non est hæc clausio, & reductio ad unum instans. Minor patet; nam omittendo, quod ipsa illa comestio primi Parentis nec instantanea fuerit, nec singulis momentis ei libera, peccatum originale, & originaliter peccare claudit necessariò, quòd qui peccat, naturali generatione procedat ab Adamo; nec homines purè possibiles in eo peccarunt: hæc autem generatio post annorum etiam millia de facto sequitur.

Dices, nos tunc, quando Adamus peccavit, liberos in eo fuisse; quia voluntates nostræ transfusæ fuerant in suam, in eaque moraliter præsentes aderant. Cæterùm eodem modo dicere possumus, voluntates illas, quibus gentes, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, sed evanuerunt, &c. transfundi, moraliterque præsentes adfuisse in idololatriis, spurcitiisque, & cæteris illis, quæ postea per ignorantiam commiserunt: atque in aliis. Neque propterea peccata ista facimus originalia, quia transfundimus voluntates nostras, non in alienam, sed in propriam nostram. Quarè qui per *tò moraliter*, difficultates quasque expedire consueverunt, quiescere poterunt. Semper tamen hoc *moraliter*, tempus, & sæpè satis longum requirit.

Deindè ipsa illa transfusio, & præsentia moralis libertatum nostrarum dicit necessariò descendentiam nostram: hæc rursus dicit tempus, & annos. Ergo de ratione vera, propriaque peccati nequit esse intenta illa inclusio, & coarctatio ad instans. Nequit ergo assumi universalis ista propositio, quod de vera, ac propria ratio peccati sit vel inclusio ad instans, vel libertas physica præsens.

Dicis, id esse non de ratione cujuslibet peccati; esse tamen de ratione peccati personalis, enim verò ista determinatio tota voluntaria est; nam ut *§. præc.* dictum est, non ex hoc differunt peccatum originale, & personale, quod alterum instantaneam, semperque præsentem libertatem etiam physicam postulet; alterum secùs; sed quod alterum propria personæ ipsius voluntate, & libertate: alterum aliena contrahatur; idque satis vel nomen ipsum præsefert.

Haud certè negamus, peccatum originale intellectu difficillimum esse. Sed Religionis nostræ non illud est, quod intellectu, captuque facilia tradat, sed contrarium. Utinam verò aliqui, ut rem intelligant, fidem non tollant, & nomen solùm peccati originalis, & qualiter Pelagianis nulla fuisset difficultas, reliquant, puerosque in eo decedentes, quod Belarminus, & alii jure reprehendunt, & taxant, tam ponunt pœnæ expertes, & tales, quales futuri essent, si in puris, ut ajunt, naturalibus conditi fuissent, continuò benedicentes, laudantesque Deum, & glorificantes. Nos ergo hac vi non gradimur, sed peccatum originale re, & facto, & omni propria ratione peccati credimus, & si nullatenus intelligeremus, etiam crederemus, & sic juxta Prophetam intelligere poterimus.

Cum primum ergo concipimur, & sumus, & quandò nulla libertas, neque adest, peccatores esse verè incipimus, & filii iræ Deoque odibiles sumus. Qui sanè in hoc instans, vel tempus mentem injiceret, & ibi quæ de re tota decernere vellet, nullam in eo sic, circumscripto veram peccati rationem inveniet, nec intelligit, quomodo tunc peccator, & filius iræ incipere possim. Necesse est ergo, ut mentem indè extrahat & retrò per annos quinque mille, & ampliùs ascendat; indeque voluntarietatem trahat, qua nunc verè, propriéque peccator sim. Neque ista, quia difficilia sunt, neganda sunt, sed credenda.

Sic ergo & in peccatis ignorantiæ, & erroris retrò ascendendum est ad causas voluntarias, & liberas suas, ex quibus postea facti actus, qua saltem mali, voluntarii, liberique intelliguntur, & præcedens illud liberum postea virtualiter, & interpretativè, ut de voluntario *præcend. quæstion.* multi Autores loquebantur, in sequentibus actibus intervenit, & sicut de ratione propria peccati originalis est, quod pro ea habenda, & intelligenda eundem necessariò sit ad præcedens liberum alienæ voluntatis saltem physicæ, sic de ratione propria peccatorum ignorantiæ est, quod præcedens liberum, non alienæ, sed propriæ voluntatis etiam physicæ earur.

Hinc argumentum illud non valet: hic, qui modo concipitur, puer vires præsentes nunc non habet ad quidquam vitandum: ergo nequit nunc incipere esse peccator, & Deo odibilis, filiusque iræ.

ita. Humana sanè consulta ratione valeret; veritate autem, Deoque consulta non valet. Ita nec valet; concepta jam, formataque conscientia erronea vincibili obligante, præceptiva contraria legi Dei, quis non habet vires tunc in eo instanti præsentes ad vitandum peccatum; ergo non peccat, & non incurrit peccatum.

Etiam in peccato habituali hoc genus aliquid cernitur; nam post peccatum etiam transactum, peccatum non solùm fuit, sed verè etiam est, nec in peccato solùm existit, sed etiam nunc existit, & est, qui peccavit, ante remissionem illius post annum quoque, & in inferno per totam æternitatem. Quidquid sanè voluntarietatis, libertatisque physicæ interfuerat, totum physicè jam pridem pertransiit, & nihil nunc physicè superest voluntarietatis, libertatisque illius: & tamen superest peccatum, & propriissimè quia non modò peccator fuit, sed est; ad quod satis est, libertatem physicè adfuisse, ac intervenisse ante annos mille, & ex libero tam pridem elapso nunc peccatum habituale verè peccatum est; diceteque nunc permanere moraliter, virtualiter, & interpretativè, ergo liberum illud scribarum, & Pharisæorum, quo avari; superbique liberrimè erant, atque odii indè concepti adversus Salvatorem satis moraliter, virtualiter, ac interpretativè superficit in nefandis suis actibus, quibus Dominum gloriæ nescientes, quin Moysi contrarium arbitrantes crucifixerunt.

Peccatum quidem habituale nec novus actus est, nec novum peccatum, sed ipsum illud, quod actu commissum fuit; scribarum contra, & Pharisæorum scelera tempore passionis perpetrata, nō peccatum illud avaritiæ, vel superbiæ, sed novi actus, novaq; peccata fuerunt: atque in hoc nihil peccatum habituale cum peccatis ignorantiæ conferimus; sed in eo solùm quod sicut elapsa physicè pridem libertas satis in habituale permanet, ut hoc sit propriè peccatum; sic libertatem avaritiæ, ambitus, & hypocrisis satis liberos reddere ad rationem propriam peccatorum ignorantiæ scelera adversus Dominum subsecuta. Quin exponemus inferiùs, peccata ignorantiæ esse in distinctâ sæpè saltem in ratione voluntarii, & liberi à peccatis præcedentibus, esse nihilominùs non unum, sed multa simpliciter peccata.

§. IX.

Quid ergo sit in ratione naturali illud, ex quo procedi possit ad contrarium ejus, quod conscientia erronea dictat.

HÆc propositio est S. Thomæ asserentis semper subesse aliquid hujusmodi in ratione naturali: est item omnium, qui hoc proprium omnis conscientiæ erroneæ vincibilis esse constituunt, quod deponi possit; at posse deponi, vel deponere est posse procedere ad contrarium ejus, quod conscientia erronea dictat, ut patet. Ergo subest, & superest aliquid ejusmodi.

Hoc porrò, quod inest, & subest, ut satis est demonstratum, non est, ut Recentiores quidam non tam tractant, & discutiunt, quam ultrò, citroque dicunt, inquam, non est quidpiam ipsam conscientiam erroneam tollens, & sic faciens quæstionem de subjecto non supponente. Ergo non est aliquid, quo nobis innotesçat, nos peccare; si enim hoc innotesceret, & ratio, & conscientia dictarent, nos peccare, ùt Doctor concludenter ponit, *non esset erronea*. Scrupulos ipsi remotiusque loquuntur. Vel ergo conscientia dictat, contra eos agere esse malum? & tunc conscientia non esset erronea: cujus contrarium supponitur; vel dubitaret, & tunc etiam non esset erronea: vel nulli sunt remorsus, vel si qui sunt, conscientia dictat, contra eos agere non esse peccatum: Et hic est casus de conscientia erronea; quem si Recentiores non admittunt, non mecum, sed cum Theologis, & scripturia Dei contendant.

Hinc igitur prima difficultas emergit; nam nulla adest cognitio nec malitiæ, & erroris, nec item obligationis quidem inquirendi; ergo nihil adest, ex quo canari quis possit ad depositionem ignorantiæ, & erroris: ergo nec adest quidpiam, ex quo errans procedere possit ad contrarium ejus quod conscientia erronea dictat.

Secundò quia nihil de facto, & de præsenti interesse videtur inter conscientiam erroneam invincibilem, seu omninò involuntariam, & inter erroneam vincibilem, seu voluntariam; atque ista eodem modo actu, & de præsenti dictare videtur malum esse bonum; sicut illa. Sed in invincibili nihil inest, & subest, ex quo procedi possit ad contrarium; alioqui non invincibilis, & involuntaria, sed vincibilis, & voluntaria esset. Ergo nec in erronea vincibili quidquam inest, & subest ejusmodi. Et confirmatur; quia si inter utramque conscientiam erroneam quidquam saltem perceptibile actu, & de præsenti interesset, perciperet unusquisque, & internosceret, utrum sua conscientia erronea esset vincibilis, vel invincibilis. Quod si percipit, internoscit, suam conscientiam erroneam esse vincibilem, ex hoc ipso accipit, & agnoscit, se illam sequi nec debere, nec posse atque hoc sibi sua conscientia demùm [illegible]imaret. Ergo non esset erronea. At ponimus esse erroneam. Nullum ergo discrimen percipitur, nec internoscitur inter utramque conscientiam erroneam. Sed in invincibili nihil subest, & inest actu, & de præsenti, ex quo ad contrarium præcedi queat. Ergo nec in erronea vincibili.

Præterea quia omnis conscientia erronea sic actu, & de præsenti videtur dicere malum bonum, vel bonum malum; sicut conscientia recta dicit bonum bonum, & malum malum; nam ut modò arguebam, si aliter utraque diceret, & alia quasi lingua, & modo uteretur, loquela sua, & modus manifestaret, vel dubiam saltem redderet conscientiam erroneam; & sic non esset erronea, sed recta, vel dubia contra suppositum, Ergo conscientia erronea sic dicit malum bonum, vel contra; sicut conscientia recta dicit bonum bonum, & malum malum. Sed in recta nihil inest, ex quo saltem procedi possit, ac debeat ad contrarium; quin procedi non debet. Ergo nec in erronea quidpiam est, ex quo saltem procedi possit, ac debeat.

Postremò quia plurimi ita instituti, & educati, ac profundissimè decepti quietissimè vivunt, ac profundum somnum dormiunt in suis falsis religionibus, ut in Judaismo, hæresi, &c. nihilque proindè actu saltem habere videntur, ex quo ad contrarium procedere valeant. Et tamen, ut eo toto libro constat, eorum, vel omnium, vel plurimorum conscientia erronea est vincibilis. Ergo saltem in omni conscientia erronea vincibili non inest tunc saltem, & actu quidpiam, ex quo ad contrarium procedatur. Et confirmatur; quia actu, & de præsenti potiùs habent impedimentum; quia omnis falsa religio in hoc primùm decipit; & quos decipit, ut credant, eam esse Dei, & veram, & obligatoriam; nec aliam esse quærendam, nec accipi sine scelere posse: & hujusmodi sunt omnes etiam, qui zelum Dei in se habent, sed non secundum scientiam. Ergo sic decepti ad contrarium procedere non possunt, & positivè impediti sunt. Rursùs confirmatur; quia hi à sua conscientia erronea obligantur ad non quærendum aliud, & ad non procedendum ad contrarium; & si velint procedere, in hoc ipso peccant contra conscientiam. Ergo nihil saltem actu tunc habent, ex quo licitè saltem procedere ad contrarium possint, ac debeant. Unde sic per manere culpa saltem non erit; quia ad culpam requiritur posse simul, & debere.

Hæc, ut vides, omnia demum eò ducunt, ut negetur omnis conscientia errónea vincibilis: quod cum contra omnes sit, satiùs sanè foret, ut Recentiores non nos impedirent, sed juvarent, magnasque ingeniorum suorum vires ad rea hasce ritè declarandas exererent.

Ut itaque breviter nunc aliqua conferam, aliis in alium diem omissis, sciendum in primis est, quod numquam peccata ignorantiæ, & oblivionis simul, & inadvertentiæ disputationibus nostris complectamur, multò tamen faciliùs, expeditiusque est, quid in peccatis solius oblivionis, & inadvertentiæ sit illud, ex quo procedi possit ad contrarium ejus, quod per solam oblivionem, vel inadvertentiam tale existimatur, quam in peccatis ignorantiæ. Etenim non advertere, oblivisciique earum rerum dicimur, quas scimus, & novimus; ignorare verò non ita: quare qui obliviscuntur, & non advertunt, in proximo sunt ad res, & veritates: quarum obliviscuntur, vel quas non advertunt, ut qui non advertit hodiè esse diem veneris, aut oblitus est recitare officium: at qui ignorat, longiùs distat, ac per se, & ex genera suo loquendo majori tempore opus habent, ut procedant, accedantque ad contrarium, id est, ad cognitionem, & scientiam veritatis ignoratæ. Et quod ad memoriam, oblivionemque attinet, & quid illud sit, ex quo, ubi rei alicujus, vel nominis obliti sumus, id ipsum, quod in memoria non adest, quærimus subtilissimè disserit Augustinus *lib.* 10. Confess. specialiter *cap.* 9 atque multipliciter exaggerat, exponitque, quam sint obscura, & difficilia plurima in campis, *& antris memoriæ, & in cavernis innumerabilibus*, &c. & quomodò unusquisque sibi sit *factus sit terra difficultatis, & sudoris nimis*; quia scilicet ea, cum experiamur omnes, intelligit planè nemo. Neque valet puerile illud; non intelligitur: ergo non est, quæ est consequentia præsumptionis: sed ut Augustinus hic concludit; & tamen est: & sunt: & super psalm. quis est miserabilis languor, & in explicabilis! *& tamen est.* & qui modi; quibus animæ spirituales ab igne corporeo crucientur, occulti sanè, & miri; & tamen veri. Ut inquit ipse. & hæc est regula sapientium ad sobrietatem: alii verum, & intelligentiam suam vanissimè, si placet, confundant.

Hinc itaque primò sine rubore dicere possumus erroneam vincibilem aliquid, ex quo contrarium procedi possit; nesciri tamen à me, quid illud sit, neque esse istam causam meam, sed omnium. At ista ignorantiæ confessio in usu non est; & hoc est inter mirabilia cuncta mirabile, quod Recentiores, cum nos constituimus, ex veritate esse vivendum, hoc ferre nolint, & veritatem occlamant esse adeò inventu difficilem, vel impossibilem; & intereà de rebus omnibus divinis, & humanis, quæ sunt, & essent, & esse possent; atque in ipsa etiam Chimærarum Republica, quid futurum est, continuè, & infinita quadam quæstionum, librorum multitudine quærunt, & voces illæ, *nescio*, vel *ignoro*, nuspiàm audiuntur, ut *lib.* 3. tractabo.

Deindè respondeo, etiam relicta hac de peccatis ignorantiæ, deque conscientiæ erroneæ disputatione, causam istam esse omnium hominum. Nemo scilicet negare potest, nos ignorare quasdam res, quas scire possimus; alias, quas non possimus; & similiter alias non advertere, & aliarum oblivisci; quarum advertendarum, vel in memoriam revocandarum est, vel non est in nobis potestas: undè aliarum in genere rerum ignorantia, oblivio, ac inadvertentia sit deponibilis, vel non deponibilis. Quid hoc sit, ex quo discrimen hoc oritur, non hùc, sed magis ad philosophiam pertinet. Si ergo huic generaliter sumptæ potestati ignorantiam, inadvertentiam, & oblivionem depellendi materiam determines, quod scilicet illa sit de rebus conscientiæ: & insuper addas legem Dei, hoc solo generalissima illa potestas sciendi, advertendi, & reminiscendi facit ignorantiam, vel inadvertentiam, vel oblivionem pressè; & Theologicè deponibilem, & vincibilem, id est, culpabilem; & non excusantem. Expone ergo tu, quid illud in genere sit, quo possumus vel non possumus res, quas ignoramus, scire, & quas non advertimus, advertere, aut meminisse; & hoc facilè quis applicabit deindè ad præsens. Et his duobus respondendi modis, iisque, opinor, legitimis quæstionem divertimus magis, quam expedimus; ideoque forsitam S. Thomas dixit quidem, esse aliquid, ex quo ad contrarium procedi possit; quid verò illud esset, exponere prætermisit, prætermiseruntque reliqui.

Tertiò dicimus; & respondemus, procedi posse ad contrarium ejus, quod conscientia erronea vincibilis dictat, revocando, & rescindendo causas illas, & peccata, quibus ignorantia, & error contractus est, & ex quibus voluntarius, imputabilisque est. Has causas satis in superioribus signi-

significavi, ac denuò infra explicabo; ex quibus ignorantia aliquandò directè, indirectè solùm aliquandò voluntaria est. Et ut aliquid magis in specie significem, negligentia vel sciendi, vel vivendi solet esse causa ignorantiæ indirectè voluntariæ; & in negligentia vivendi satis præsens est, ac interpretativè adest, & intervenit cognitio, & negligentia sciendi. Jam ergo quilibet satis proximè in sua potestate habet, ut diligens esse, Deo que diligenter inservire incipiat, etiam quandò ignorat, & errat; atque ex hoc indirectè ad contrarium ejus, quod error conscientia dictat, procedet, nec per Deum abesit. Similiter superbia solet esse causa erroris imputabilis. Habet porrò quis in potestate suâ superbus esse desinere: ergo habet, ex quo ad contrarium procedere possit, non quidem in ipso instanti, sed ea temporis mensurâ; eo item rerum ordine, quem ille novit, qui nos judicaturus est. Et universim dictum est superiùs, nullum peccatum ignorantiæ peccatum committi, cujus non sit causa peccatum aliud scienter admissum ex D. Thoma; & dein etiam ex Augustino innotuit, peccata ignorantiæ non esse solum peccata, sed peccata simul, & pœnas aliorum. Omnes autem in sua potestate habent rescindere, & extinguere peccata scienter ad missa: quo facto, procedetur ad contrarium ejus, quod erronea conscientia intimat: & dato, quod non procedetetur, & Deus facienti, quod est in se, deesset (de quo lib. 3. disputabitur) tunc ignorantia desinet esse voluntaria, & culpabilis. Hæ verò potestates, quę utique sunt in nobis, universalissimè loquendo sunt illud, ex quo satis proximè ignorantes quique, & errantes possint procedere ad contrarium.

Falluntur autem quidem existimantes, quod quemadmodum quis in venatu ad certam avem, vel feram sclopetum, sagittamve dirigit, & intendit, ita intendendum sit, dirigendaque mentis acies ad depulsionem ignorantiæ, & erroris, ideoque toties memoratos illos scrupulos, remorsus, cogitationesque inducunt; quæ cuncta satis disjecta sunt. Etenim licet ignorans aliquid particulare, indeque conscientiam erroneam formans possit in generali existimare, atque ex modo vitæ suæ prudentissimè timere, se multa ignorare, & in multis errare; at de particulari illa re, in qua errat, nihil minùs putat, quam se errare; & nec alioqui erraret, ut sæpè commonstravimus. Non ergo hæ particulares cognitiones sunt illud, ex quo procedi possit.

Proverbium itaque est, eandem esse viam Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Qua igitur via ventum est Thebis Athenis, rectè etiam reverti potest, & si quis obligaretur, etiam deberet, & si uno momento perventurus minimè sit. In eundem planè modum quibus viis, & modis ignoravimus, & erravimus, gradum utique mutando, & invertendo, (quæ & ideò alia via in moribus dici solet) ignorantiæ, & errores depelluntur; quique faciendo, quod non debuit, in ignorantias, & errores incidit, id totum rescindendo, & quod debet, faciendo, in viam veritatis redit; sicut & qui errant in via; & sicut etiam in scientiis, qui errando longissimè à principiis discesserunt, quidquid texuerunt, relinquere debent; & ad principia ipsa iterum redire. Gentiles. v. g. cum Deum cognovissent, quia non sicut Deum glorificaverunt, &c. Sed evanuerunt, &c. in infinitas ignorantias, & errores non excusantes lapsi sunt. Vide ergo, quid in ipsis sit illud, ex quo procedere possent, ac deberent ad contrarium ejus, quod erronea sua conscientia dictabat? Erat scilicet, quod possent Deum sicut Deum glorificare, & gratias agere, & non evanescere; &c. quod omnes sanè cum gratia Dei, qui neminem deserit, nisi desertus, possunt. Eodemque modo, multoque faciliùs, & breviùs possunt Christiani omnes in suis ignorantiis, & erroribus. Et hoc est, quod ponunt Doctores requirentes purgationem animæ, emundationem conscientiæ, orationem, &c. Atque hæc quidem ita universalissimè de ignorantiis, & erroribus in communi loquendo; nom supersunt modi deindè alii speciales, & particulares pro differentia, & modo ignorantiarum.

Sed dicis, hæc pro christianis certis, & aliis verum Deum agnoscentibus haud difficulter intelligi, & christiani profectò sæpè remorsus habent tum de vitiis aliis, tum de sua negligentia pro Deo, & anima, ut lib. 4. tractabo; quod si actu præterea non considerent, se sic remissè, negligenterque vivendo multa ignoraturos, nihil refert; nam ut cum Suarez *præcedent. quæstion.* constituimus, hæc ipsa non consideratio fuit satis voluntaris, & præcipitanter viventium; & in rebus, quas amant, rem adeò obviam, & non tam proximam, quam conjunctam, præsentissimam consideravissent; & alioqui, ut arguebat Suarez, procederetur in infinitum. Quamquam ergo hæc ita sint maxime in christianis, & vel in unum Christum respiciendo, qui via, & veritas est, brevi omnem sibi necessariam veritatem, non fortè quam vellent, sed quæ est invenire possint, ut lib. 4. ostendemus; at illis, qui verum Deum non agnoscunt, sed falsa Numina colunt, & credunt, videtur nihil sanè suppetere, ex quo ab errore ad veritatem procedere possint.

Hæc quæstio non hùc, sed ad 1. part. spectat, ubi pridem cum multis Sanctis Patribus docui, cognitionem veri Dei omnibus esse naturaliter indictam: atque alio iterum opere id ipsum retractavi, ostendique, nisi ea veritate admissa nihil homines judicare posse; quin in ipsa notione peccati presè talis cognitio Dei clauditur; quod hic prosequendum non est, & verè Augustinus inquit, Deum nulli rationali creaturæ ratione utenti abscondi in totum posse; & Cyprianus eam in gentibus fuisse, inquit, summam delicti, eum nescire velle, quem ignorare non poterant: quodque summum est, hùc Apostolus in clavi hujus libri illorum in excusabilitatem revocavit. Quinimò tractavi aliàs, ipsam etiam idolatriam citra veræ Deitatis cognitionem haud constare, eamque compingi vera falsis complicando, & assuendo, ut universim de chimæris omnibus multi. Recentiores philosophantur. Erat igitur apud Gentes Deus verus, ignotus ille Deus Atheniensium hac ipsa ignoratione quadem tenùs,

ac sufficienter notus, si exquirere voluissent; de quo plura Augustinus lib. de spiritu, & litter. ad Marcellin. à cap. 12. & à cap. 28. Hinc pridem Propheta multis quærentibus, quis sibi ostensurus esset bona, (quæ ipsa præsens quæstio est,) hoc unum respondere satis habuit, *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*: fecit enim nos ad imaginem suam; *nec usque adeò*, de ea ait Augustinus, *in anima humana imago terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint.*

Hæc itaque hic properanter insinuamus; & *lib.* 3. fusè ostendetur, quod in se est, Deum ostendere veritates ei necessarias: hoc autem, quod facere nusquisque potest, aliquid in ipso est: ergo est aliquid in errante, ex quo ab errore recedere possit. Rursùs *lib.* 4. plenè trademus modos permultos, quibus omnes, maximè christiani veritatem moralem inveniant: hi autem modi omnes necessario supponunt, esse in ipsis aliquid, ex quo ad veritatem procedant: ergo ex quo ab errore recedant. Omnia itaque ad unam quæstionem cogere non possumus. Vellent tamen aliqui, ut omnium errantium bic conscientias, cogitationes singulas, seriem omnem, modumque evolveremus, qui nostram ipsam satis explicare, & intelligere nescimus; pravum est enim, & inscrutabile cor hominis, ait Propheta: & si Augustinus paulò antè cavernas, & antra memoriæ nostræ attribuebat, profectò conscientiæ nostræ, ac voluntatis profundiores multò cavernæ sunt, & antra intelligibilia, & evidentissimæ illæ cognitiones peccati, & non peccati, & dictamina instar solis splendida se ipsos non satis intelligentium esse videntur. Hæc porrò, quæ de ignorantibus delibavimus, faciliùs multò exponuntur in non advertentibus, & oblivíscentibus oblivione, & inadvertentia culpabili; nam ipsa babitualis cognitio, vel memoria, quæ supponitur, & actualis cognitio, qua operantur circa rem, cujus malitiam non advertunt, sufficiunt, ut advertant, si prudenter, & deliberatione, & consilio, nec nimis celeriter, præcipitanterque operaretur.

Ex his ad argumenta initio §. proposita respondetur. Ad primum conceditur, nullam ad esse cognitionem malitiæ, neque item obligationis inquirendi: & cætera negantur; explicatumque est, quid illud sit, ex quo procedere quis possit, ac etiam debeat ad contrarium.

Reliqua defuerunt.

QUÆSTIO XIII.

De distinctione, atque constitutione peccatorum ignorantia.

HÆc inquisitio non hùc, sed ad tractatum de peccatis pertinebat: quarè quæ superiùs tam de distinctione, quam de constitutione incidenter significavimus, sufficitura ad præsens videbantur. Experti tamen sumus, non sufficere: quia fortè doctrina communis de peccatis in genere, de que illorum distinctione, & illa quidem satis obvia ab aliquibus ignoratur.

§. I.

Magna Theologiæ ignorantiæ videtur distinctionem peccatorum per libertatem quærere.

SUnt, qui in his causis omnibus ad unam libertatem intendentes, eamque rursùs modo suo constituentes, & intelligentes, eas omnes per libertatem definiunt, & ubi sua ea bertas deest, peccatum etiam deesse; ubi nova libertas deest, novum quoque peccatum deesse; & quia juxta ipsos nulli alii actus, præterquam voluntatis liberi sunt, nullibi nisi in sola voluntate peccata esse, tam fidenter decernunt, atque si demonstrationes haberent; cum tamen hæc contra ipsam planam, & scitam Theologiam sint: & addere etiam solent, reliqua esse de nomine.

Hinc dicunt, qui propter negligentiam aliqua scienda ignoravit, & quod non debuerat, propter ignorantiam commisit, in negligentia quidem propria peccavisse; in reliquo verò, quod per ignorantiam facit, si v. g. usuras, simoniam ve exercet, presse non peccare; & ut eludant, aliquandò addunt, hoc omne reliquum, quod per ignorantiam dein consequitur, esse quasi completivum; totum verò formalem, propriamque malitiam in negligentia constitisse, ac substitisse; quia scilicet, quod ipsorum est universale principium, illa sola constitit, ac substitit libertas salem malitiæ.

Similiter si per superbiam, aut luxuriam in hæresim quis nesciens incidat, tota formalis malitia, ac omnis propria ratio peccati in superbia illa, luxuriave constitit; nec novum peccatum per hæresim deindè incurritur, sed completivum quid, vel nescio, quid aliud hæresis erit; nec superbus hæreticus duo propriè peccata habet, sed unum propriè jam dictum libertatis principium.

Quæ quidem, & alia similia si ita sunt, deberent Domini Inquisitores vel superbos omnes contumaces cõburendos potestati sæculari tradere vel non tradere superbos, qui præterea in hæresim inciderunt; quia hæresis nullam propriè malitiam addit, & quod completivum vocant, nec novam malitiam, nec incrementum quidem in ipsa ratione malitiæ intelligunt, sed eludunt. Nec sancta Ecclesia ejicere magis deberet superbos simul hæreticos, quam solùm superbos; & solùm superbus cæteris paribus tam reus, malusque est, quam superbus simul hæreticus. Delendum etiam erit ab Aristotele sumptum, ac per manus omnium derivatum proloquium, eum, qui furatur, ut adulteret, magis esse adulterum; quam furem; num minimè fur erit, quippè qui ex intentione adulterii jam sine nova libertate furatur, & sic erit in actibus omnibus medicorum, item in imperatis, sive homicidia, sive alia quæque facta fiant; & si quis ex iracundia sui, tunc impos factus occidat, iracundus solum erit, non tamen crimen homicidii committit; quid ergo suspenditur? Quæ & alia contra leges, & juxta, & contra naturalem omnium institutionem consequuntur; quorum excessiva falsitas satis ex hoc toto libro constat; & ea ipsa, quæ per ignorantiam vincibilem contra leges perpetrantur, propriè, ac presse peccata esse, sæpiùs demonstratum est. Anne Theologi dum omnium consensu clamant; Ignorantiam vincibilem & culpabilem

lem non excusare à peccato, & culpa sermonem habent de peccato, & culpa, quæ ignorantiam ipsam præcessit, & cujus causa non est, sed effectus? Nullus sanè adeò desipuit. Loquuntur ergo de iis ipsis factis, quę posteà per ignorantiam fiunt. In iis ergo ignorantia illa non excusat. In iis ergo peccatum inest, & culpa. Quid ergo Theologiam invertunt dicentes, peccatum, & culpam, & malitiam totam, & unicam in negligentia ignorantiæ matre constitisse, ut cum, qui posteà usurarius, & simoniacus evadit, negligentiæ solùm culpam, ac malitiam incurrere: & sic uno verbo, quod erroneum saltem est, ignorantiam nec causam esse peccati, nec peccatum.

Hæc verò, ut proposui, ex magna quadam Theologiæ ignorantiæ, vel oblivione orta sunt. Nam ubi in loco suo de differentia, distinctio neque peccatorum in genere tractatur, nemini hactenùs in mentem venit dicere, per libertatem specie distingui peccata; quia liberum quid commune est ad omnes actus humanos bonos, & malos, ut patet; non ergo specificativum, & distinctivum; & una sola libertate sacerdos adulterans tria peccata specie distincta committit. Alii ergo libertatem, & hoc ad omnes actus humanos commune, & transcendens solùm volunt esse connotatum, alii conditionem; alii constitutivum de obliquo, & ex parte subjecti bonitatis, & malitiæ moralis.

De constitutivo autem, seo specificativo, distinctivoque peccatorum tres sunt in Theologia sententiæ. Una S. Thomæ, scholæque suæ, quæ per objecta specificat, distinguitque peccat. Altere Scoti, & suorum, e Nominalium, quæ distinguit per privationem virtutis, rectitudinisque contrariæ. Postrema distinguit vel per pręcepsa diversa, vel per diversam dissonantiam ad rationem. Quæ omnes sententiæ connexæ sunt, & utra veriùs, formaliùsque rem expunat, propositi præsentis non est.

Hæc igitur cum ita sint, nescimus undè Recentioribus id mentem venire potuerit per libertatem cuncta ista in præsenti decernere, & quasi pro numero libertatum peccata distinguere, & numerare, & unum ponere, ubi objecta plusquam specie distincta, ac similiter etiam præcepta, & privationes interveniunt, ut quandò quis per negligentiam ignoravit, hos, & hos contractos esse usurarios, vel simoniacos, & eos iniit; & similiter quandò superbia obcæcatus in hæresim nesciens incidit, potentissimum sanè est, in usuris; & simonia ad esse præter objectum negligentiæ novum objectum specie diversum; novum, & distinctum præceptum; novam item, & distinctam alterius rectitudinis privationem: & similiter etiam in superbia, & in hæresi. Ergo nova; & d stincta peccat. Quæ sanè supponenda magis erant, quam disputanda.

§. II.

Neque ignorantia, neque negligentia sciendi sunt distincta peccata ab iis, quæ ex ignorantia fiunt.

DE his copiosè disserunt posteri etiam Theologi 1. 2. *quæst.* 76. ut Vasquez, Valentina, Medina, Zumel, Salas, & alii, atque etiam Azor, quem *quæst.* 2. allegavimus: in quibus proindè toties actum agendum immorandum non censuimus.

Disputant latè, utrum ignorantia ipsa sit peccatum, sicut homicidium, an solùm pœna peccati, sicut mors? & affirmant, & negant alii, & alii, & quidem ignorantia sumpta pro habitu, quemadmodum & scientia, & sapientia sumi solet, eam peccatum non esse, rectè probat Vasquez *disp.* 113. & alii; peccata enim propriè non in habitibus, sed in actibus, vel omissionibus consistunt. At sumpta ignorantia pro actu, vel omissione, quid habendum sit, ex consequentib s constabit.

Distinximus *quæst.* 2. & diximus, aliquandò ignorantiam, & errorem prohiberi propter se; aliquandò non propter se, sed propter aliud. Et quoties specifica præcepta non ad actus, vel omissiones intellectus feruntur, sed ad actus, vel omissiones aliarum potentiarum, ut non occides, non concupisces, non furaberis, diliges, &c. toties ignorantia, vel error non propter se, sed propter aliud vetatur, Quoniam verò sicut reliquas potentias, earumque actus, & omissiones sic, & maximè quidem oportet, ipsam etiam intellectivam potentiam, ejusque actus, & omissiones rectè habere, ut *quæst.* 1. disservimus, idcircò sunt quædem præcepta prohibentia actus multos intellectus, & jubentia alios propter se, ut sunt pręcepta fidei, temerè non judicandi, &c.

Modò de hoc secundo genere actuum, vel omissionum non tracto, sed de primo, quandò scilicet scientia, vel cognitio non propter se, sed propter aliud injuncta est, & sic etiam prohibita ignorantia vel error, & quæritur utrũ quãdo quis propter ignorantiam contractum usurarium init, solùm committat unum peccatum usuræ, an duo, usuræ quippè, & ignorantiæ: an tria, nempè usuræ, ignorantiæ, & negligentiæ? & dico, unum solum peccatum usuræ committi, non duo nec tria: sicut qui ad meretricem vadit, & loquitur, & cætera facit, non multa, sed unum peccatum committit. Atque hæc sententia communissima est, quam breviter explicabo: in quo sanè casu ignorantia non est pura pœna, sicut mors, sed causa peccati, ut S. Thomas statuit *art.* 1.

Etenim licet multæ virtutes, multaque præcepta violari videantur, scilicet virtus studiositatis, & ipsa cognitio necessaria; quæ sunt contra præcepta sciendi, studiumque adhibendi; & sic etiam multa objecta specie diversa interveniant; at hæc sunt quasi generalia, nec speciem peccatis conferentia; sicut in omni peccato prudentia, omnesque partes ejus violantur; nec tamen unumquodque peccatum est multa peccata, & qui solùm mentitur, unum peccatum committere censetur, etsi prudentiam, quæ virtus est, omnesque partes ejus interverterit. Similiter etiam in bono, qui eleemosinam impertitur, prudentiam servat; unum tamen actum meritorium exequitur: obedientiam exercet, & alia omnibus actibus bonis communia, generalia, ex quibus species actuum sumi nequeunt.

Horum ratio est; quod præceptum sciendi nullam materiam determinat, totaque determinatio efficitur per præcepta specialia, ut v. g. præceptum sciendi non determinat, nec obligat ad cognoscendas usuras se solo, sed ex adjuncto

ſpecifico præcepto, vel injungente juſtitiam, vel prohibente uſuras; quibus particularibus ablatis, vel non conſideratis præceptis, non magis obligaremur ad cognoſcendas uſuras, quam ad cognoſcendas concluſiones geometricas. Ergo in ignorantia uſurarum nulla invenitur ratio malitiæ ſolùm attendendo præceptum ſciendi,ac reſpectivè ad illud. Ergo ſolùm poſſe conſiderari eſſe mala propter prohibitionem uſurarum. Hæc porrò ſolùm prohibet ignorantiam in quantum uſuras ipſas inhibet, & non ſeorſim, nec eſt quaſi duplex præceptum, ſed unum, & ſimplex. Ergo in ignorantia ſaltem quaſi ſeorſim ab uſuris ipſis non invenitur alia ratio diſtincta malitiæ, ex qua ſit ipſa peccatum diſtinctum ab uſuris ſecutis. Atque eodem planè modo id ipſum de conſcientia demonſtratur. Sic in omnibus peccatis ſunt quædam quaſi tranſcendentia, ut offenſa Dei, amor terrenorum, inconſideratio æternorum, ac motus præcedentes locales in peccatis exterioribus; per quę tamen minimè multiplicenter peccata: & ex his multæ ſimilitudines ſumi poterunt ad exponendam rem præſentem.

Quodlibet itaque ſpeciale, ſpecialiſque materiæ præceptum, dum rem facere, vel non facere jubet, exercitè, & implicitè ſcientiam, diligentiamque in ſua materia injungit: & quod hoc modo in ſingulis materiis ſingula præcepta injungunt, hoc ipſum ſignatè, & explicatè jubent univerſalia præcepta diligentiam adhibendi, & ſciendi: in unaquaque tamen materia contracta eadem eſt implicitè, vel explicitè propoſita obligatio reſultans ex præcepto particulari, & ex univerſali, atque hoc non novam obligationem addit, ſed ipſam illam præcepti particularis magis explicat. Non ergo interveniunt diſtinctæ malitiæ, neque peccata. Ex quibus ita declaratis occurritur difficultatibus hac in re incidentibus; quæ apud obvios Autores videri poſſunt. Atque hinc cernitur; quod jam aliàs etiā obſervatum eſt, contra quod præceptum Decalogi ſint opiniones probabiles falſæ; quod quaſi magnum quidpiam quærere ſolent. Patet ſcilicet, omnes falſas in materia furti eſſe contra præceptum non furandi; & ſic in juramentis, in dilectione Dei, & proximi &c. Nam præcepta non jubent, fieri, vel non fieri, quod opinamur, ſed quod ipſa re ipſa injungunt; & in obligatione faciendi clauditur obligatio ſciendi, non aliud, ſed id ipſum, quod facere juſſi ſumus. Quæ exponi rectè poſſunt, & illuſtrari ex t. 2. *quæſt.* 72. *art.* 7.

Quæres utrum ignorantia, & negligentia ſint ſaltem partes, & conſtitutiva aliquo demùm modo peccati, quod pòſt propter ignorantiam committitur, ut peccati uſurarum, vel hæreſis, an ſolùm cauſæ ſint, vel connotata, vel conditiones præcedentes? ſed ad hoc pòſt pauca ſeorſim, diſtinctèque reſpondebitur.

§. III.

Ignorantia propter ſe prohibita ipſa eſt propriè, ac formaliſſimè peccatum.

Dicimus nuper, quod *quæſt.* 1. & 2. magis explicatum eſt, ſicut mendacia, furta, & ſimilia, ita oportuiſſe prohiberi in ſe, & propter ſe ignorantias, & errores; ex quibus majora multò detrimenta & nobis, & Reipublicæ, & communitatibus quibuſque obvenire ſolent: atque ita de facto fuiſſe ignorantias, & errores prohibitos. Quamquam enim voluntas ad omnia peccata ſit neceſſaria, & voluntatis expertibus; ut feris, ac belluis nihil ſit preſsè prohibitum, alienum tamen à Theologia eſt exiſtimare, ſola voluntate, & non aliis etiam potentiis propriiſſimè peccari. Inter cæteras verò potentias intellectum oportuit præceptis dirigi, & conſtringi, rectificarique. Hujuſmodi ſunt præcepta fidei affirmativa, & negativa prohibentia dubitationes, hæreſes, infidelitatem, judaiſmum, &c. in quibus omnibus, quandò interiora ſunt, peccatum formaliſſimè conſiſtit, in omiſſione ipſius actûs fidei, quandò tenemur actum elicere, & in ipſa dubitatione rerum fidei, ubi dubitamus; in diſſenſu, ubi diſſentimus; & quando poſitivè erratur, in erroribus ipſis fidei contrariis.

Præter Recentiores quoſdam nullum fermè nominia Autorem inveni, qui hoc negaret: quia etiam Vaſquez, qui pro contraria opinione allegari ſolet, expreſsè *diſp.* 119. *cap.* 3. *num.* 6. de his contrarie philoſophatur, & non ſicut de operabilibus, & ait, malitiam primariè eſſe in intellectu velleque ignorare myſteria fidei, vel errare, ideò malum eſſe, quia ignorare, vel errare malum eſt, & non contrà; ſicut de occiſione, mendacio, ſimilibuſque latè docuerat. Mens Autorum videri poteſt apud ipſum *diſp.* 118. & 119. & apud Salas *tract.* 13. *diſp.* 8. & apud Azor, quem *quæſt.* 2. citavi.

Dubitandum itaque nullatenùs eſt, infidelitatem, & hęreſim eſſe propriè, ac tam verè peccata, atque ſunt peccata quęcunque apud omnes peccata ſunt: quod hoc toto libro oſtenſum eſt, & traditur 2. 2. *quæſt.* 10. & 11. Nec item dubitandum eſt, nomine infidelitatis, & hęreſis non actum, vel omiſſionem voluntatis, ſed intellectus pro formali ſignificari, intelligique; ſicut nomine fidei, cui infidelitas, ac hęreſis opponuntur: quę in dictis locis tamquam indubitata ſupponit. S. Thomas, & ſupponunt Theologi. Poſtremo autem innotuit §. 1. alienum eſſe à primis Theologię elementis, malitiam formalem propriam, & ſpecificam horum, & reliquorum peccatorum quęrere, & explicare per liberum; quod quid tranſcendens, & commune eſt ad omnes actus humanos. Malitia itaque formalis propria, & ſpecifica horum peccatorum juxta Theologorum ſententias ſumitur vel ex objectis propriis infidelitatis, & hęreſis; vel ex contrarietate ad fidem, vel eo contrarietate ad pręcepta affirmativa, & negativa fidei. Atque eodem modo non ſolùm ſpecifica, & propria ratio peccati uniuſcujuſque, ſed communiſſima etiam omnibus peccatis malitia, & ratio peccati exponenda eſt, ut 1. 2. *quæſt.* 72. traditur. & non per liberum, in quo valdè inconſideratè quidam Recentiores philoſophantur.

Magiſter quidam in ſuis hac de re quęſtionibus terminis, & vocibus res liquidas confundere videtur, dum docet, infidelitatem, quatenùs ad conſiderationem Theologicam pertinet, conſiſtere principaliter in actu voluntatis, & voluntatem abſolutè apud Theologos dicendam eſſe cauſam infidelitatis; tametſi infidelitas quoad actum completivum ipſius pertineat ad intellectum.

Quod

Quod multò manifestiùs existimat, quandò de infidelitate quatenùs peccaminosa sub hoc explicito conceptu sermo est; quia secundum hanc rationem formalem proculdubiò pertinet primò, & principaliter ad voluntatem; atque alia in hunc sensum texit, & commiscet.

Cæterum hæc alia quidem indigesta sunt, & alia falsissima, & aliena. Quod enim de complerivo loquitur, indigestum est; nam complere muliplicirer dicitur, & ipse nihil distinguit: est quippè aliud completivum essentiale in physicis; & moralibus; aliud integrale; aliud accidentale, quod in peccatis circunstautię faciunt; & est denique aliud completivum improprium ex toto extrinsecum, ut in peccato homicidii est effectus secutus, scilicet mors. Verbo ergo tam multipliciter æquivoco nimis indigestè res tantas declaravit, ex quo nescias, quànam demum partem, & locum actus intellectus habeant in peccato infidelitatis, quà peccatum est.

Si enim actus intellectus nec essentialiter, vel integraliter, vel accidentaliter peccatum infidelitatis quà tale complent, absolutè apud Theologos voluntas non est dicenda causa infidelitatis, sed etiam intellectus; nam quod inter hæc tria minimum est, considerario etiam circunstantiarum ad Theologum spectat, ut S. Thomas probat *qu. st. 7, art.* 2. & nemo negat. Quod si hic Magister existimat, actus intellectus neutro horum trium modorum complere peccatum infidelitatis in ipsa sua ratione peccati, sed solùm extrinsecè vel complere, vel se habere, sicut se habent effectus secuti ex actibus humanis, tunc, in his, quæ ipse tam certo arbitratur, nobis sanè à tota Theologia aberrare videretur, & breviter rejiciendus.

Et primùm quidem hoc pacto *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 10. & 11. & Theologi Theologiam ignoravissent, dum de infidelitate, & hæresi, quà peccata sunt, & sub hac expressione, explicitoque conceptu tractantes intellectus, & actuum ejus meminerunt: & multipliciter subjectum proximum, infidelitatis esse intellectum, & similia explicarunt: quod sanè, ubi de peccato homicidii tractant, de effectibus secutis non differunt, absurdissimeque dicerent, hominem occisum, qui est subjectum mortis, esse subjectum proximum peccati homicidii.

Præterea quia ut ibidem docetur, voluntas solùm est principium motivum; non autem elicitivum infidelitatis etiam, quà peccatum est; nam infidelitas non una ratione infidelitas est, & alia ratione peccatum; sed ipsa infidelitas quà talis, & sub hoc conceptu est peccaminosa: at ut sic est quidpiam intellectus, ut nemo negat. Falluntur autem Recentiores suo libro: aliud enim est, ipsam rationem infidelitatis, ut sit peccaminosa, debere esse liberam; sicut etiam debet esse vitalis; aliud autem suam specificam rationem peccati consistere in ratione libera: ex quo omnia peccata essent unum, & ejusdem speciei; & proptereà, ut §. 1. dicebam, rationem liberi connotatum alii dicunt, alii conditionem; alii constitutivum ex parte subjecti. Quo eodem modo, quia ratio corporis est de ratione omnium animalium, in una corporeitate reponere possent omnes essentias, ac formales rationes animalium: & reliqua dicere complementa, & completiva extra essentiam, & constitutionem: & sic etiam scientias omnes per certitudinem, & evidentiam exponere, & constituere.

Haud dubiè itaque ipsi actus, & omissiones intellectus essentialiter constituunt, complent, consummantque hoc genus peccata, ipsaque ignorantia, & error sunt peccata, sicut sæpè dictum est; & voluntas ideò est mala, quia ipsæ ignorantiæ, & errores pravi sunt, & non contra; sicut in peccatis exterioribus. Et alioqui cathegoricè concedendum esset assentire hæresibus non esse malum, nec peccatum; quemadmodum id cathegoricè concedimus de effectibus peccatorum, & de morte secuta. Recentiores autem numquàm hoc cathegoricè concedunt, sed distinctionibus, & terminis involvunt, quibus nec affirmare, nec negare videantur: quod falsorum insignis nota est: dissonant enim apertè; nudèque prolata. Et confirmatur; quia simpliciter talia licet, quin oporteet simpliciter enuntiare: id autem in peccatis exterioribus detrectant Recentiores facere, & sic etiam in assensibus hæresum, ac dissensibus rerum fidei. Et iterùm quia hæc sunt, suprà quæ immediatè, & directè cadunt præcepta. Ergo hæc sunt immediatè, & directè peccata exteriùs manifestata. Rursùs hæc sunt, propter quæ hæretici, & errantes puniuntur: ergo hæc sunt peccata. Deuuò quia innegabile est in Ecclesia Dei, heresim quà hæresim esse peccatum: intelligentibus autem sole clarius est, hæresim quà hæresim formalissimè, constitui actu, vel omissione intellectus, Omitto alia in re toties confessa. Similiter etiam judicium temerarium peccatum haud dubiè est; hanc porrò speciem peccati judicio ipso, & actu intellectus essentialiter constitui ex ipsis terminis est perspicuum. Potest verò, ut hoc obiter notem, judicium esse verum, & simul temerarium, & peccatum.

Quod porrò de hæreticis, infidelibusque adjungunt, eos cognoscere præeminentiam fundamentorum veræ religionis, vel judicium, vel signum aliquod præeminens, hominum est Logicam, & Philosophiam, omnemque experientiam prætereuntium, ut sæpè ostensum est, & demonstratur exprincipio scito, quod intellectus est ad verum; ex quo evidenter sequitur, omni assentienti assensum suum videri verum, & contrarium falsum: & ex hoc rursùs evidenter sequitur, ei non videri fundamenta contraria, vel indicia esse præeminentia suis, ut sæpè demonstratum est, & fusè part. 1. in appendice, cui enim non fatuo id falsum haberi, & judicari potest, cujus fundamenta, aut veritatis indicia præeminentia sibimet ipsi videntur? Nugæ sunt. Quod etiam apud Probabilistas ad hominem clarissimè demonstratur: in quibus tamen adeò inanibus rebus magis contendis immorandum non est; & ex tota doctrina de peccatis ignorantiæ repelluntur; omnia enim peccata intellectus sunt necessariò peccata ignorantiæ, nam nemo scienter, & advertenter errat, nec errare potest, etiam si velit, nec assentiendo, nec dissentiendo, nec etiam dubitando; nisi quod Recentiores isti, ut *quæst. præs.* notabam, confundunt statum rerum in se cum statu ipsarum in intellectu errantis, id est, res ipsas cum cognitionibus; nec temerè judicans putat, se temerè judicare; alioqui nec offenderet, nec peccaret, & ipso suo intellectu honorem resarciret, aut tueretur; sed sibi quia vel prave af-

vè affectus est in se, vel pravè affectua erga proximum, ut pridem explicuit S. Thomas, sibi, inquam, videtur, fundamenta occurrentia esse dignа, & quo deterior ipse est, eò videntur esse digniora, & graviora ad ita judicandum: & sic peccant, quicumque temerè judicando peccant, & sic etiam infideles, & hæretici, & Judæi corde tales omnes peccant, ut satis suprà explicatum est.

§. IV.

Quandò ergo, & quomodò peccata ignorantiæ præcedentes causæ ignorantiæ constituant, componantque unum peccatum.

DE constitutione essentiali formali dictum satis est ad præsens; & nunc de integrali maximè est dicendum. Occurrunt autem multa, de quibus quæstio esse possit, scilicet causæ ignorantiæ, ut negligentia, vel affectata voluntas ignorandi; vel peccata alia, quorum pœnæ sunt ignorantiæ, & errores. Dein sequuntur ignorantiæ ipsæ, quæ vel peccata sint, vel causæ peccatorum sequentium: atque postremò hæc ipsa peccata, quæ propter ignorantiam committuntur. Inquiritur ergo, utrum ex his omnibus, quomodò peccata ignorantiæ vel integraliter, vel etiam materialiter, vel aliquatenùs etiam formaliter constituantur?

Ad hoc sciendum in primis est ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 7. quod duo possunt differre specie dupliciter. Primò ita ut unumquodque habeat speciem completam, ut equus, & bos, & homo. Alio modo secundum diversos gradus ordinatos ad unam speciem completam, sicut in generatione, vel motu; quod declarat exemplo domus. Atque hoc pacto, inquit, differre peccatum cordis, oris, & operis (quandò cuncta tria concurrunt) non tamquam per species completas, sed per gradus ejusdem speciei completæ; & prima incohatio ejus, & quasi fundatio est in corde; secundus gradus in ore; & tertius ultimo completivus in opere; & omnia hæc tria pertinent ad unam speciem completam peccati, nec faciunt tria peccata, sed unum verè tale.

Hoc itaque constituto, contingit, ignorantiam causari à peccato ut habente speciem completam, ut est superbia, vel luxuria, vel non habente speciem completam, sed incohatam, ut est negligentia juxta dicta §. 2. & similiter ignorantia ipsa aliquando habet speciem completam, quoties scilicet ratione sui, vel actus sibi contrarii prohibetur ut est hæresis, infidelitas, judicium temerarium, & similia: aliquandò autem ignorantia non habet speciem completam, sed incohatam; ut est, quoties propter aliud prohibetur, sicut ignorantia operandorum, &c.

His notatis, dicendum est, quoties vel causa ignorantiæ, vel ignorantia ipsa non habent in se speciem completam: tunc causam ipsam, & ignorantiam, & id, quod deindè propter ignorantiam committitur, esse unum peccatum, ut si quis ex negligentia, & vivendi modo remisso contractus usurarii malitiam ignoravit, ac propter ignorantiam contrahit, ex his cohalescit unum peccatum, quod est in specie usuræ. Quod quomodò fiat, S. Thomas significat *quæst.* 3. de malo. *art.* 8. dicens; *sed tamen hoc advertendum est, quod quandoque & ipse actus sequens, & ignorantia præcedens sunt unum peccatum; sicut voluntas, & actus exterior dicuntur unum peccatum.* Non dicit semper, sed quandoque, & sic etiam de negligentia tradit *quæst.* 3. de malo *art.* 7. ad 1. peccatum ignorantiæ non consistere in privatione sola scientiæ, *sed in ea simul cum causa præcedente, quæ est negligentia.* Et ideò hæc tria faciunt unum peccatum, ubi deest species completa in ignorantia. Cum scilicet ignorantia in se non habet speciem completam. Cum autem habet, contrarium est dicendum. Et ratio utriusque esse potest, quod in naturalibus, & moralibus ex completis non fit deinceps unum ut ex equo, & bove; ex superbia, & luxuria; & incompletis verò fit, quandò alterum ad alterum positivè, vel negativè ordinatur.

Explicat itaque hanc compositionem S. Doctor exemplo voluntatis, & actus exterioris, v.g. voluntatis mentiendi, & mendacii qualiter verò universim ex actu imperante, & ex actu imperato interno, vel externo fiat unus actus humanus declarat *quæst.* 17. *art.* 4. & qualiter rursùs actus voluntatis, & actus exterior sint, non duo, sed unum peccatum, tradit *quæst.* 20. *art.* 3. & 4. & latiùs *quæst.* 2. de malo, *art.* 2. & 3. quod non hùc, sed ad tractatum de actibus humanis, & de peccatis in communi pertinet: & *quæst.* 72. *art.* 7. ad 3. utitur ad rem declarandam exemplo motus continui, cujus partes non multos, sed unum motum constituunt; & eodem modo actus interior, & exterior unum actum, & unum peccatum: & sicut motus, si cesset in medio, facit sine reliqua parte unum motum; sic etiam actus interior, ubi deest exterior, se solo est unus actus, & unum peccatum,

Utramque porrò partem ad essentiam actus, & peccati redigit, quandò utraque concurrit. Vocat verò sæpè actum voluntatis constitutivum formale; nam in consideratione, in qua S. Doctor procedit, ita sanè est; quia considerat malum præsertim in ea quæstione de malo, prout à naturali, vel morali præscindit: & malum sic sumptum contrahitur formaliter ad malum morale, & ad rationem peccati, & culpæ per voluntarium, & liberum; in quo ipsa malitia actuum exteriorum se habet tamquam materia, & pars materialis. At si malum morale sumamus, ac in varias species distinguamus, jam sic actus exteriores mendacium, furtum, & similia sunt constitutiva. Quæ in dictis locis exponuntur, & satis suprà dictum est.

In hunc ergo modum negligentia, & ignorantia vincibilis, & actus propter ignorantiam contra legem factus sunt unum peccatum; quod illius speciei est, cujus est actus scienter contra eam legem, in eaque materia admissus, v. g. usuræ, vel furti, vel luxuriæ. Ubi miranda est Recentiorum aliquorum inconsequentia; nam dum quæritur, cujus speciei sit peccatum per ignorantiam commissum, incunctanter ipsi cum cæteris affirmant esse ejusdem speciei cum peccato scienter commisso. v. g. esse speciei usuræ, vel injustitiæ, Aliundè verò volunt, in ipso actu per ignorantiam admisso nihil veræ, ac propriæ malitiæ superesse, sed totam illam in negligentia constitisse, & absolutum fuisse, At peccatum negli-

negligentiæ non est peccatum injustitiæ, vel luxuriæ, ut patet. Deindè juxta ipsos, quidquid de injustitia, vel luxuria potest per ignorantiam sequitur, est præter, & extra rationem mali moralis, & solùm pæna, & effectus, sicut mors; non ergo committitur peccatum injustitiæ, vel luxuriæ. Et postremò in terminis ipsis implicat, id, ex quo species peccati sumitur, & constituitur, non esse de constitutivo peccati adeò verè, & propriè, ut nihil possit esse veriùs, ut patet in constitutivis omnibus. Et confirmatur; quia si mercator negligens ante ullas per ignorantiam contractas usuras obeat, vel ad alia distractus nullas usuras exerceat, vel tempore antecedenti ad usuras est verè negligens; nec tamen est usurarius; & habeat peccatum negligentiæ, non tamen usuræ. Ergo peccatum illud, hi etiam Recentiores ajunt, fore ejusdem speciei cum peccato scienter admisso, non consistit in sola negligentia, sed in actu posteà per ignorantiam facto, & tunc peccatum hoc committitur, quando actus per ignorantiam exercetur; ad cujus tamen constitutionem concurrit modo dicto, & velut species incompleta negligentia præcedens non retracta, & rescissa.

At quandò causa ignorantiæ est in specie completa, ut superbia, & luxuria, & avaritia, tunc actus sequens, v. g. hæresis, vel occisio est aliud alterius speciei novum, & distinctum peccatum à causa ignorantiæ. Sæpè sanè conquesti de quibusdam sumus, quod de moribus hominum extra ac præter mores eorum philosophentur, & de iis, quæ nuspiam fuerunt, eruntve. Ne ergo in idem crimen elabamur, habemus in libris authenticis ignorantias Gentilium, earumque causas, & effectus; ignorantias item, & causas, & effectus Judæorum: & sic etiam de hæreticis, & de plurimis aliis; in quibus non ex cerebro, sed ex canone scripturarum, sanctorum, Theologorumque rem exponamus.

In gentilibus constat ex Apostolo, superbiam in gratitudinem ipsorum fuisse causam cæcitatis secutæ, & ignorantiarum; *quia cum cognovissent, &c. ex cæcitate mox secutum, quod fœmina illorum immutarent naturalem usum in eum, qui est contra naturam, & masculi in masculos turpitudinem operantes, reliqua etiam illa perpetrarent, quæ Apostolus commemorat non intelligentes, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Ecce causa ignorantiæ, ac cæcitatis fuit ingratitudo erga Deum, & superbia: peccatum per ignorantiam factum Sodomia. Nemo porrò Theologia, vel leviter tinctus dicere potest, superbiam, & Sodomiam esse unum peccatum, aut non esse duo specie diversa, sicut equos, & bos. Nemo item salva scripturæ, sanctorum, Theologiæque reverentia dicere potest, hos gentiles solum peccavisse in illa superbia præcedente; non autem in consequentibus actibus propter ignorantiam factis, ut multipliciter demonstratum est; & ad hominem etiam evidenter duplici principio Theologorum omnium, ac etiam Recentiorum; altero, quo inconcussè tenetur, ignorantiam vincibilem, qualis fuit ista gentilium, non excusare à peccato: & culpa in quo sensus non est, quod esset fatuum, non excusare à culpa causam suam, id est, superbiam gentilium, sed actum propter ignorantiam factum, ut in casu Sodomiam. Ergo hic actus Sodomiticus est inexcusabilis à culpa Sodomiæ. Stolidum porrò esset dicere, hunc actum secutum habere culpam Sodomiæ, ac speciem propriam hujus peccati à superbia præcedente, & est, quasi dicere, equum fieri equum à specie bovis. Alterum principium omnium est, hanc Sodomiam, & cætera illa scelera gentilium propter ignorantiam perpetrata esse ejusdem speciei cum peccatis; quę scienter in ipsis illis materiis committuntur. Erant ergo in illis sceleribus materiæ propriæ suarum specierum. Non ergo sola malitia superbiæ præcedentia, ut paulò antè magis declaratum est.

Similiter id ipsum in Judæis cernitur; nam superbia sua, & avaritia excæcavit scribas, & Pharisęos, & hi deinceps populum seduxerunt; atque ex sua tanta cæcitate in eum statum devenerunt, ut teste Veritate, se obsequium præstare Deo interficiendis discipolis, & sic. v. g. Stephanum lapidibus, Jacobum fustibus peremeruot: *supercendit enim ignis, & non viderunt solem.* Recentiores ajunt, viderunt; at veritas dicit, non viderunt. Recentiores ajunt, remorsum conscientiæ babebant: at veritas dicit, arbitrabantur se obsequium præstare Deo. Recentiores volunt ad opiniones suas flectere scripturas: at nos volumus, capita nostra subjici scripturis, & veritati. Ecce ignorantia ista Judæorum fuit omni proculdubio vincibilis, & culpabilis: ergo præter culpam prioris superbiæ, avaritiæ verum etiam peccatum homicidii perpetrarunt, & tunc peccatum Deicidii commiserunt, quandò clamarunt, *crucifige, crucifige*, tunc rursùs grave crimen homicidii commiserunt; quandò Stephanum lapidaverunt; tunc deindè aliud, quandò Jacobum interfecerunt, & sic in aliis & nemo, ut dicebam, vel leviter Theologia tinctus dicere potest, scelus illud extremum Deicidii solum habere malitiam superbiæ, vel auaritiæ, numero tamen distinguebântur; nisi velint idem numero peccatum in occisione Stephani, & pòst annos in occisione Jacobi, aliorumque Apostolorum fuisse commissum.

Enim verò equus Trojanos Recentiorum ubique prodit. Hi gentiles, vel Judæi non agnoscebant, ut supponimus, malitiam horum consequentium propter ignorantiam actuum, & peccatorum. Ergo nulla eis libertas inhæreat ad eos saltem quà malos vitandos. Ergo nullam novam malitiam incurrerunt: atque hoc uno argumento multipliciter propositio totam quantam materiam peccatorum ignorantiæ intervertunt, autoritatemque omnem vel rejiciunt, vel corrigunt. Respondeo primùm; non mecum, sed cum Paulo Apostolo, sanctisque Patribus, ac Theologiæ scholasticæ Principibus jam supra collatis contendant tradentibus Gentiles in suis illis sceleribus fuisse inexcusabiles, à malitia utrinque propria, & specifica eorum, & si ea non intelligentes, qui talia agunt, dignos esse morte, quin sæpè suis ipsis religionibus, & legibus ita instituentibus perpetrarent. Deindè cum Domino contendant perhibente statum, & existimationem Judæorum; & tamen error, vel hæresis etiam est, Judæos in interfectione discipulorum, & tunc, quandò interficiebant non peccavisse, ac propriam malitiam homicidii non commisisse. Secundò respondeo hunc locum communem de libertate disjectum esse

quasi,

quæst. præc. Tertiò respondeo, hac quæstione ostensum esse, non falsum modo, sed alienum etiam esse à Theologia, species malitiæ à libertate sumere. Judæorum ergo unum peccatum v.g. superbiæ a suo objecto, vel privatione rectitudinis oppositæ, vel ex contrarietate ad suum specificum præceptum erat peccatum superbia, hujusque speciei malitiam habebat; aliud deindè ipsorum peccatum erat homicidii, cujus formalis, & specifica malitia sumebatur vel ex suo specifico, ac proprio objecto, vel ex privatione rectitudinis contrariæ, vel ex contrarietate ad præceptum non occidendi, sed ajunt, hoc præceptum quoad illos, quod interficiebant, ignorabant. Sed hoc est, homines mei per ignorantiam peccare.

Replicabunt, eos actus saltem quâ malos solum fuisse voluntarios directè, vel indirectè, & sic etiam liberos in sua causa, v.g. malitia Deicidii, homicidiorumque Judæorum solùm fuit directè vel indirectè voluntaria in sua causa, puta in superbia, vel avaritia: ergo in nova malitia Decidii, ac homicidiorum quâ tali nulla est nova imputabilitas; ergo nulla nova malitia, neque culpa.

Sed hoc, & plurima, quæ ex hoc fermè uno in longum tendunt, nimis frivola, ac vix non puerilia sunt: & sæpè ea tamquam magnæ partis planæ Theologiæ eversiva dissecimus, ac demùm hac quæstione exemplis intentionis, & electionis; & actuum imperantium, & imperatorum diversæ speciei, ut cum quis ex intentione adulteri furatur, vel occidit, ac similibus, in quibus una sola libertas, & una sola imputabilitas, vel ratiu imputabilitatis intervenit, & peccata multa fiunt, manifestè confregimus; inquam, manifestè Theologiam scientibus. Nuper dein diximus, sacerdotem, vel religiosum adulterantem unico libertatis exercitio tria trium specierum peccata, fornicationem, injustitiam, sacrilegiumque perpetrare. Inquam, tria saltem motaliter, & Theologicè, ac tripliciter punietur, & si proptec unitatem actus aliquatenùs tria non sint. At in casibus nostris interveniunt casus distincti; & sic in omni sensu multa peccata.

Dicent, hoc physicè unum libertatis exercicium esse motaliter, virtualiter, & interpretativè triplex. Sed verò & nos eisdem his quatuor terminis respondemus, unamque illam physicam libertatem superbiæ quâ malæ Judæorum fuisse omnibus illis modis libertatem occisionis Apostolorum, ut latè quæst, præcedenti tractacum est, & cernitur in actibus imperatis interioribus, & exterioribus diversæ speciei ab imperante. At ut declaratum fuit non tanta, nec ejusdem modi est voluntarietas, libertasque peccatorum ignorantiæ, sed minor, quam sacerdotis adulterantis; quia hujus illa tria peccata scienter fiunt; illa alia ex ignorantia; & horum hæc est natura, conditio, & essentia, ut aliter, ac minùs voluntaria, liberaque sint.

Confundunt itaque nimis pinguiter Recentiores rationem formalem imputabilitatis malitiæ cum ipsa malitia; & est, sicut si posita una albedine in duobus unum vellent esse album; quin hoc plus est; quia reperitur unitas totalis in forma: in casu autem nostro malitiæ ipsæ sunt diversæ, & sola ratio imputabilitatis physicè unà sicut si duæ scientiæ uni subjecto unica unione unirentur, v. g. Philosophia, & Theologia, non obstante unitate communicationis homo haberet verè duplicem scientiam, essetque tam verè Philosophus, & Theologus, ac si uniones distinguerentur. Sic ergo & Judæi non obstante unitate physica libertatis, & rationis imputabilitatis, & reatum, crimenque homicidii, & Deicidii, ac hujus malitiam propriam habuerunt, extiteruntque peccaminosè superbi, & peccaminosè etiam Deicidæ. Atque hoc etiam summum scelus non materialiter sed culpabiliter, imputabiliterque eos commisisse, videt totus mundus in pœna secuta Judæorum. Eos porrò scelus hoc per ignorantiam perpetrasse, omni autoritate demonstratum est.

In his ergo Recentioribus non Theologiam, sed considerationem desidero: nam audiunt quotidiè ex probatis libris, & Palma, historiam Passionis Domini, & qualiter omninò execcati, & decepti Judæi Dominum crucifixissent: & reflectere tunc oporteret; & opiniones ad synceras, verasque historias, & omni autoritati concordes conformare. Sed ipsi confundunt scire potuisse, & debuisse, & quidquid ipsi Dei misericordia non ignorant, putant, nullos uspiam alios Dei justo judicio ignorate potuisse. Similiter audiunt alias quotidiè historias, nec tunc recalcitrant, in Japonia. v. g. consuetum esse, ut se quisque interimat; barbaros alios sic humana carne vesci, sicut nos arietina; & hos, & alios esse mores gentium educatione, antiqua omnium consuetudine in naturam versos. Hos nihilominùs non peccare, absurdissimum, & contra Theologiam est; & reliqui alioqui possent in sua ignorantia. Eos verò remorsum conscientię habuisse etiam ante auditos veritatis Nuncios, contra considerationem est; & sicut si non prędeterminantes omnes habere remorsum conscientię, & prędeterminantes de non prędeterminantibus tantumdem teponerent; barbari verò non possint: de quo satis superiùs dictum est; sed numquam satis; quia in sua opinione claosi semper dicunt, vel remorsum habent, vel non peccant: quia apud ipsos nulla sunt peccata ignorantię, sed pœnę.

§. V.

Ex his perspicuè cernitur quomodo ablato per pœnitentiam peccato, remanens ignorantia non sit ampliùs peccatum, nec causa peccati, sed solùm pœna.

Hoc ita fieri S. Thomas, S. Bonaventura, & cęteri à principio Theologię velut rem planam docuerunt in locis citatis, id est, ubicumque de peccatis ignorantię disputarunt, & liquet ex Augustino *lib. 6.* contra Julian. cap. 16. ubi in cenatis, quibus reatus omnis per baptismum sublatus est, ignorantia solum malum est, non peccatum. Atque hoc liquido, & plano Doctorum testimonio iterum quę superiùs diximus, confirmantur; ajunt enim, post pœnitentiam ignorantiam remanentem non sic esse peccatum; neque causam peccati, sicut anteà, id est, simpliciter non esse. At post pœnitentiam etiam, ignorantia est pœna peccati, ut patet,

patet; est etiam vel peccatum, vel causa peccati materialiter talis, cum re ipsa vel contra Legem Dei; vel causa actionis contrariæ Legi Dei. Ergo juxta planam ab initio traditam Theologiam ignorantia ante pœnitentiam non solùm, erat pœna peccati; neque item solùm peccatum materialiter tale, vel causa peccati solùm materialiter talis. Ergo erat vel peccatum formaliter, ac propriè tale, vel causa peccati formaliter, ac propriè talis, id est vel peccatum vel causa peccati simpliciter, quod Recentiores detorquent, & tollunt.

Itaque ignorantia per pœnitentiam (id est; veram) desinit, simpliciter esse peccatum, & causa peccati, & neutrum jam est. Quod idem est, atque dicere, ignorantiam vincibilem, & culpabilem per pœnitentiam transire in invincibilem. Non dicimus cum Recentioribus quibusdam, fieri hunc transitum per consultatio nem Doctoris, & similia, de quo lib. 2. satis constabit, sed de pœnitentia loquimur illa, quâ peccata sive intra, sive extra Sacramentum tolluntur, & qua illud verificetur *convertimini ad me*; & reliquum id est, *& ego convertar ad vos* infallibiliter sequitur.

Hoc patet primò à posteriori; quia per pœnitentiam omnia peccata saltem mortalia tolluntur, nec tolli possunt peccata scienter commissa, & remanere alia mortalia etiam ignorantiæ; nam ut scitur nullum mortale, nisi per justificationem peccatoris tollitur; cum qua justificatione non cohæret ullum mortale.

Ostensivè verò ex dictis; quia ratio imputabilitatis ignorantiæ, & actus ex ignorantia sequentis sumitur à peccato aliquo prævio scienter commisso, & non reciso, neque extincto, ut conspicitur in textu Pauli. Sed per pœnitentiam rescinditur, extinguiturque hoc peccatum præcedens, v. g. in gentilibus tolleretur, extingueretùrque ipsorum ingratitudo, & superbia; & in ignorantia vulgari tolleretur, rescinderetùrque negligentia quæ est causa vulgaris ignorantiæ. Ergo rescinditur, & tollitur ratio imputabilitatis ignorantiæ; ergo & actus sequentis saltem quà mali. Quarè tam ignorantia, quam actus sequens desinerent esse morale, & culpæ; & essent malum Physicum, sicut in pueris, & amentibus. Quæ ulteriori explicatione, & confirmatione opus non habent.

Enim verò timor meus est, aliquos sive multos, sive paucos remisse nimis, negligenterque viventes, neque debitam mensuram diligentiæ explentes (de qua post pauca tractabo) accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, & forsitam cum efficaci proposito non committendi certa quædam peccata, quæ talia indubitanter habentur; nihil tamen statuere de negligentia, & remissione aliqua sive multa, sive pauca ignorant alia ad Christianum hominem, alia ad officium, & ministerium regiminque Reipublicæ pertinentia; & volunt tamen deinceps vivere sic; & Respublica perit, & pauperes opprimuntur, & justitia non servatur, indigni assumuntur; boni ignorantur; & nulla mala non sequuntur. Recentiorum Theologia de necessitate remorsus his talibus commodissima est, sed Regnum perdit, nam illi ipso usu sic vivendi, aliorum etiam ita facientium consuetudine; frequentia item Sacramentorum, & ex Confessorum vel ignoranria, vel adulatione nihil corrigentium, & utinam non approbantium similes remorsus sæpè non habent, & putant, se sic vivendo salvari. Horum itaque peccata nec ignorantiæ, nec cætera tolluntur; qoia deest vera pœnitentia; & semper sequitur conclusio illa verissima de paucitate salvandorum; de qua lib. 4. disserendum est.

In his itaque Recentiores in eo capitali puncto deficionr quod multis esse potest causa perditionis, ut putent, solam conscientiam, ejusque dictameo esse adæquatam regulam non peccandi, nec peccare posse eam ad unguem sequendo. Quod falsissimum est juxta toties dicta, & S. Thomas 1. 2. quæst. 19. ar. 6. satis breviter, & dilucidè id docuerat, dicendo, ex Dionysio, bonum esse ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus; & ideò satis esse ad peccandum non agere juxta conscieotiam; ad bonum tamen non sufficere; quin peccari eam plenè sequendo contra legem Dei, si erronea vincibilis est, & *supposito errore rationis, vel conscientiæ qui procedit ex ignorantia non excusante, necessario sequi malum in voluntate*; ut satis, superque demonstratum est, ac iterùm S. Thomas ibidem ar. 7. ad 3. *dicendum*, inquit, *quod sicut jam dictum est, malum contingit ex singularibus defectibus; bonum autem ex tota, & integra causa. Vndè sive voluntas sit ejus, quod secundum est malum, & sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala: sed ad hoc, quod sit bona, requiritur, quod sit boni sub ratione boni, id est, quod velit bonum, & propter bonum.* Quare dicto modo negligenter viventes nec veram pœnitentiam agunt, nec verè convertuntur, quandiu negligentiam, supinamque nimis oscitantiam non rescindunt. Ergo neque ignorantia desinit esse peccatum, vel causa peccati. Ubi authoritates prætermitto.

§. VI.

Cernitur etiam, quomodò peccatum mortale ignorantiæ cohærere non possit cum actu perfectæ dilectionis Dei; possit verò in sensu Recentiorum.

Magna est de re certatio inter nobilissimum Recentiorem quæst. 16. sui libri, qui nuoe primùm in manus meas devenit, cum alio nescio quo ignoto Recentiore, qui quidem fertur asseruisse, peccatum mortale actuale ortum ex aliqua ignorantia vincibili cohærere posse in eodem instanti cum perfecta Dei dilectione: quam assertionem penitùs improbabilem, & ad minimum temerariam prior Neorheticus,

pronunciat. Cum suo nomine non allego: quia
ex his ille est, qui mihi plurimum præterquam
in suo prologo in toto deinceps opere displi-
cet; quo verò non probo, non nomino, ne cum
hominibus, & non cum erroribus solùm rem
habeam, habereve videat.

Sumi itaque potest præsens hæc quæstio vel
secundum rei veritatem; & tunc assertum ignoti
Recentioris intolerabile, & plusquam temera-
rium censeo: vel sumi potest in sensu Recentio-
rum, ac etiam hujus taxantis assertum: & tunc
mihi videtur quæstio, ut aiunt, de lana capri-
na, & nihil est in eo sensu perfectam Dei dile-
ctionem cohærere cum peccato mortali actuali
orto ex ignorantia vincibili.

Secundæ partis ratio est, quia juxta hunc
Impugnatorem, & alios Recentiores illud genus
peccati, & quidquid ex ea ignorantia oritur,
propriè, ac verè peccatum non est, sed ali-
quandò denominativè solùm, id est, in ipso-
rum sensu impropriè peccatum vocant; aliquan-
dò solùm pœnam esse volunt, sicut mortem,
vel completivum extra, & post omnem mali-
tiam moralem. At non inconveniens, perfe-
ctam dilectionem cohærere cum peccato impro-
priè tali, aut cum vera pœna peccati; aut cum
completivo peccati extra totam moralem mali-
tiam posito, quin cum talibus cohærere, ritè
chatitatem, quæstio est de nihilo. Ergo non est
conveniens. perfectam Dei dilectionem cohære-
re cum peccato mortali actuali orto ex ignoran-
tia vincibili in sensu Recentiorum; quia co-
hærere cum hoc sic orto non est cohærere cum
peccato mortali simpliciter, & per terminos il-
los, *orto ex aliqua ignorantia vincibili* tollitur abor-
to vera ratio peccati secundum ipsos. Deindè
hoc ex conscientia jam sic ignorante ortum non
est contra, sed juxta conscientiam: ergo juxta
hujus Recentioris censurantis, & aliorum sen-
tentiam hoc sic ortum est verè bonum, &
honestum: ergo nihil repugnat hoc sic ortum
cohærere cum charitate. Rursùs hic censutator
quidquid veræ, & propriæ malititæ interve-
nit, ponit in aliquo prævio ad ipsam igno-
rantiam, vel in negligentia, vel in præci-
pitatione (sunt quippè hi Recentiores aman-
tissimi hujus vocis, nec distingunt præcipi-
tationem re ipsa, & cognitionem ejus). Ergo
nihil erat, quarè adversus ignotum nostrum
Recentiorem commoveretur, qui non de præ-
vio peccato, quod scienter sanè committitur,
afferebat, sed de peccato orto ex ignorantia vin-
cibili. Quarè si ignotus ille Recentior hoc or-
tum verè peccatum esse supponebat, responde-
re breviter debuisset, *nego suppositum*: sin verò
juxta ipsius censuratoris, & aliorum sensum
loquebatur, amicè excipiendus erat. Atque ho-
rum omnium brevissima ratio est; quia juxta
hos Recentiores peccatum ignorantiæ est pecca-
tum de subjecto non supponente, verè, & sim-
pliciter, & ut Theologos decet, loquendo; &
omnem veram malitiam moralem, omnemque
veram culpam ipsi desumunt ex contraventione
ad actuale dictamen conscientiæ; & sic omnis
vera culpa scienter juxta ipsos committitur.
Omnes proindè Theologiæ quæstiones de pec-
catis ignorantię sunt juxta ipsos de subjecto non
supponente.

Nos secundum fidem Catholicam admit-
temus peccata ignorantiæ, & illud ortum
ex ignorantia vincibili est apud nos certissimè,
verissimeque peccatum, si est contra legem Dei
ignoratam quidem, sed vincibiliter. Quarè
assertio illa de cohærentia hujus peccati, quod
supponimus esse morale cum dilectione perfecta
Dei, intolerabilis est, & Joanni Apostolo, Pau-
loque specialiter repugnans: nam sic diligens
manet in charitate; *& qui manet in charitate,
in Deo manet, Deus in eo*; ut habens ullum ullius
generis peccatum mortale, nec ipse manet in
ipso. Rursùs idem Joannes asserit, *quia trans-
lati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fra-
tres*: manentes autem in peccato mortali non est
translatus de morte ad vitam: non ergo perfectè,
ac simpliciter diligit fratres; ergo hęc dilectio, &
à fortiori Dei est incompossibilis cum ullo ullius
generis peccato mortali. Paulus item ait, *qui-
cumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*; ac
proindè etiam hæredes &c. hic porrò Dei Spiri-
tus dilectionis, & novi testamenti, *in quo cla-
mamus, abba Pater*, ergo habens spiritum dilectio-
nis est filius Dei, & hęres: non est ergo in pec-
cato ullo mortali. Et hęc modò sufficiant con-
tra stultam cognitionem; & lib. 4. prosequemur,
quam multipliciter dilectio ignorantias abster-
gat, veritatemque moralem copiosissimè doceat:
& universim tract. de charitate traditur, ac tra-
ctatur de incompossibilitate perfectę dilectionis
cum peccato mortali in genere: & assertio Re-
centioris damnata est in Baio.

Verùm ignotus ille Recentior veram pecca-
torum ignorantię notionem habuisse videtur,
ac ad errorem suum motus est propria, ac
speciali difficultate eorum peccatorum: quæ
sanè difficultas pro altera Recentiore impugna-
tore, & omnium confusore egregio est de subje-
cto non supponente, quarè abs re impugnat,
& respondet. Supponit scilicet assertor ille ali-
quem posse peccare mortaliter, & si ignoret,
se peccare; imò se putet, se obsequium Deo
pręstare: ita enim ejus impugnator perhibet: ta-
men tam certissimè verùm huic impugnatori est
vel equus volans: & ipse disputat de peccato
scienter commisso; ille verò agebat de peccato,
quod nihil tale existimandum, imò arbitrando,
pręstari obsequium Deo propter vincibilem igno-
rantiam committitur. Quarè magis ad mentem
suam Recentiori assertori occurremus.

Difficultas itaque propria peccatorum ignoran-
tię est. Etenim diligens Deum super omnia
vult quidem servare omnia sua pręcepta in
communi, & dilectio est voluntas saltem vir-
tualis efficax observationis omnium: hoc ta-
men solo non est illa incompossibilis cum
violatione hujus, & particulari, sed hoc ha-
bet ex adjuncta cognitione, qua scit, de
hoc, & illo particulari dari præceptum Dei.
At in peccante per ignorantiam deest hæc
cognitio: nam supponimus ex veritate, sic
peccatum non cognoscere, se peccare; imò arbi-
trari

trari aliquandò, se obsequium Deo præstare. Ergo in peccante per ignorantiam deest illud, ex quo dilectio redditur incompossibilis cum hac, & illa violatione in particulari.

Et confirmatur; quia ex universali non sequitur particulare, nisi medio, & adjuncto particulari: ergo ex universali voluntate servandi præcepta non sequitur voluntas particularis servandi hoc particulare præceptum, nisi medio, & adjuncto aliquo particulari. At hoc particularis aliud esse nequit, quam cognitio particularis hujus particularis præcepti. Ergo ubi deficit hoc particulare, deficit sequela voluntatis particularis servandi hoc particulare præceptum. At ubi non necessariò sequitur voluntas servandi non necessariò sequitur voluntas non violandi. Ergo voluntas non violandi non necessariò sequitur, ubi deest illud particulare. Ergo necessario excluditur voluntas violandi. Sed in peccante per ignorantiam deficit illud particulare; deficit enim cognitio omnis certa, vel opinativa, vel dubitativa; ut est toties demonstratum. Ergo in peccante per ignorantiam deest illud, ex quo necessariò sequitur vel voluntas servandi, vel exclusio voluntatis violandi, etiamsi adsit dilectio perfecta Dei, ac universalis voluntas servandi omnia Dei præcepta. Sic etiam in intellectu propter ignorantiam cohærent universalis affirmativa, & particularis negativa, & affirmans, Hispanos omnes esse viros fortes, de Petro, qui Hispanus quidem est; sed ipse putat, esse indum, negare simul potest, eum esse fortem. Ergo similiter in voluntate propter ignorantiam cohærent voluntas universalis servandi omnia præcepta, & voluntas servandi hoc, quia existimaretur, non esse præceptum.

Quin quoties conscientia erronea est præceptiva, dilectio cogeret ad violationem; nam dilectio est voluntas servandi omnia: hoc autem necessitat etiam ad existimata. Sed habens conscientiam erroneam Præceptivam. v. g. falso jurandum esse pro vita, existimat, hoc esse à Deo præceptum. Necessitat ergo ad violandum verum præceptum de non jurando. Ponimus autem, conscientiam erroneam esse vincibilem, & non excusantem actum ex ipsa secutum. Ergo dilectio perfecta Dei non solùm cohærere potest, sed etiam necessitare ad peccatum ignorantiæ. Ubi hoc genus argutiarum inanium in longum tendere facile est.

Hæc omnia, similia oriuntur ex insufficienti notione peccatorum ignorantiæ, & ex degeneri existimatione dilectionis Dei, de qua, ut promisi, multa dicam lib. 4. de quæ ejus magna inimicitia cum peccatis ignorantiæ. Ad argumentum itaque, & omnia adducta respondeo dilectionem Dei perfectam non esse incompossibilem objectivè cum peccatis mortalibus ignorantiæ saltem directè, & immediatè: esse tamen incompossibilem mediatè, & indirectè. Nam cum juxta seriem totius nostræ doctrinæ expressam à Paulo, & dein. à Sanctis, & Theologis peccata ignorantiæ sint voluntaria, & libera saltem quoad malitiam ratione præcedentis alicujus peccati scienter admissi; sit autem dilectio Dei perfecta directè, & immediatè incompossibilis objectivè cum peccato mortali scienter admisso: sequitur, quod sit mediatè saltem, ac indirectè incompossibilis objectivè cum omni peccato mortali ignorantiæ, quà peccatum est, & si non in esse actus, saltem in esse peccati; & culpæ.

Est secundò incompossibilis subjectivè non solùm ratione gratiæ sanctificantis, quam secum affert, sed etiam ratione sui; nam actus peccatorum ignorantiæ, quà mali in tantum sunt nobis voluntarii, & liberi, in quantum non facimus, quod in nobis est, & quantum tenemur, pro scienda veritate: at habens perfectam Dei dilectionem facit, quod in est, & quantum tenetur, expletque mensuram debitæ diligentiæ; *nam impletio legis est dilectio*, *& qui diligit, legem implevit*; ac propter alia obvia de magnitudine dilectionis. Ergo ita diligenti nulli actus peccatorum ignorantiæ quà mali sunt amplius voluntarii, liberi, ac imputabiles.

Tertio cum negligentia, quæ est mater fæcundissima peccatorum ignorantiæ habet dilectio specialissimam oppositionem; nam diligentia, quæ immediatissimè negligentiæ opponitur, est re, & nomine filia inseparabilis dilectionis saltem perfectæ. Per hanc ergo immediatissimè ponitur perfecta diligentia, dilectioni quippè commensurata: per diligentiam rursùs perfectam tollitur immediatissimè, & perfectè negligentia. Ergo ignorantia, & si permaneat, immediatissimè desinit imputari juxta vulgatum illud Augustini lib. 3. de lib. arb. cap. 16. *non tibi disputatur*. ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignotas.

Quartò demum Dei dilectio perfecta, quæ est perfectissima retractatio, ac recissio saltem virtualis omnium peccatorum, restinguit in primis voluntarietatem omnem promanentem à culpis præcedentibus; emundat conscientiam, abstergitque omnes pravos affectus, qui sunt causæ errorum; sunt enim hi pravi affectus velut alter intellectus, & sicut inspialia vividia, ut declarat Rodriguez. Quarè sanctissima hæc dilectio non modo rationem voluntarii, culpę à peccatis ignorantia adimit, sed intellectum prętereà, ipsasque etiam ignorantias multipliciter deterit, ut lib. 4. prosequamur: & absolutè cum Augustino enunciamus, *ama, & fac quod vis*: ac item *non est, ubi erres*. Quę autem, & qualis ignorantię, & quandiù permanere cum ea dilectione possint, lib. 4. & 3. constabit, illud hujus loci est, quod omnis, & quęlibet ignorantia cum ea dilectione permanens est hoc ipso invincibilis, atque excusans à toto. Utinam esset in terris multum de hac dilectione non modo perfecta, verùm etiam saltem de initiali, & inchoata! profectò non adeò prolixi essemus in peccatis ignorantię insequendis.

Ex his porrò confirmatur, quod superiùs contra aliquos Theologos statuimus, voluntarietatem scilicet, libertatemque peccatorum ignorantię saltem adęquatè non sumi ex voluntarietate, ac libertate actuum ipsorum secundum se, quorum malitia ignoratur. Nam posita vera pœnitentia, & perfecta etiam

dilectione Dei, & remanente, ut est casus, ignorantiæ, remaneret voluntarietas, ac libertas ad actus secundum se. Et tamen non peccaretur eos per ignorantiam exercendo, & supponitur, & est ostensum. Ergo ad peccandum per ignorantiam non sufficit sola voluntarietas, ac libertas ad actus secundum se, quorum malitia ignoratur.

Dices pro Recentiore illo assertore, peccata ignorantiæ cohærent com zelo Dei: ergo cum dilectione perfecta Dei. Probatur consequentia: quia zelus Dei est ipsa dilectio Dei, vel ex dilectione nascirur; nam zelus quod amanrium proprium est, ac Bonaventura rectè definitur esse voluntas nolens consortium in amato: zelus deindè rodit, & comedit juxta illud: *zelus domus tua comedit me*; ergo vel amor est, vel sine amore non est: ergo nec zelus Dei sine amore Dei, Antecedens aotem constat ex Paulo dicente: *testimonium enim perhibeo illis* (id est Judæis *quod æmulationem, seu zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*, ad Rom. 10. quod cum aliis S. Thomas Lect. exponit, *scilicet qui zelo Dei Christum, & ejus membra persequuntur*, & communiter zelum legunt Chrisostomus, & alii. Ergo zelum Dei habebant. Et tamen peccabant, ut est indubitatum; & ideò inquir Paulus: *fratres voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* Ubi rursus S. Thomas: *assignat causam sua miserationis, quia scilicet non ex certa malitia, sed ex ignorantia peccabant*; nec in re certa opus est pluribus. Ergo zelua Dei cohęret cum peccatis ignorantiæ: ac proindè etiam dilectio.

Quod confirmatut; quia stat bona intenrio cum peccatis ignorantiæ, ut patet in his Judæis æmulatione, & zelo Dei persequentibus Christum, & membra, arbitrando se obsequium Deo præstate. Ego stat etiam dilectio.

Respondemus brevissimè, hunc zelum Del sed existimatum, & falsum, & apparenter Dei; cujusmodi sunt multi falsi zeli, & contentiones aliorum contra alios, qoi quippè non sunt secundum scientiam, nec recti, nec à peccaro excusant. Secundo distingui porest de zelo vel orto ex dilectione, & tunc negatut; vel de alio imperfectiori; & tunc transeat. Et similiter dicimus de intentione, vel eam esse solùm existimatè bonam: vel esse bonam, sed imperfectam, & non dilectionis torum corpus lucidum facientis. Et de inrentione sic bona tamen operante malum dicit D. Thomas. quæst. 12. de malo. ar. 2, ad 8. in fine; *qui enim vult occidere Sanctos, & obsequium præstare Deo* (alludit ad verba Evangelii) *aut qui vult facere furtum, ut det eleemosinam, videtur quidem habere intentionem bonam; sed voluntatem malam. Et propter hoc si sub intentione voluntas etiam comprehendatur, ut totum intentio nominetur, erit intentio mala*: sed si seorsim erit bona. Quæ doctrina de inrentione bona, & voluntare mala est plena Theologia 1. 2. quæst. 19. sed cuncta inverrunt quidem recenriores, & causa sunt, ut aliqui Patres spirituales, seu Doctores viæ spiritualis falsam viam spiritualem doceant existimando modo bona sit intentio, & finis, & si per ignorantiam, id est, *non secundum scientiam*, mala prosequamur, cuncta esse in tuto, & bona; cum contra, ut sæpè est ostensum, ac in Judæia patet, *sivè voluntas sit ejus quod est malum secundum se, & sub ratione boni sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala*, ut inquit S. Thomas ea quæst. 19. Discant ergo scientiam & sapientiam, quæ sine veritatis cognitione planè constat, illarumque necessitatem pluris facere; vel librum sapientiæ deleant, ac cætera Scripturæ, in quibus scientiam sapientiam, inrellectum, Doctrinam, cognitionemque postulemus.

§. VII.

Ex his etiam patet ad casum Recentiorum de conscientia erronea vincibili prohibente dilectionem Dei tamquam malam

IN his quæ nunquam contingunt, vires ingenii exerunt, acumenque quidam ostentant. Ponunt ergo casum, in quo conscientia erronea vincibilis dictet peccatum, peccatum esse diligere Deum. Jam tunc si diligat, peccat contra conscientiam agendo: ergo non modo dilectio cohærere, sed ipsa etiam potest esse peccatum. Hoc porrò opponere possent in tract. de charitate, ubi dilectio saltem perfecta traditur esse imcompossibilis cum peccato mortali, sive formaliter, sive solùm dispositivè peccatorem justificet, opponere rursùs hoc possent Joanni dicenti, diligentes esse translatos de morte ad vitam; nam potius in casu per ipsam dilectionem sic errans de vita transferrur ad mortem; & Paulo opponant, qui spiritu dilectionis aguntur, non solùm non esse filios Dei, sed ipsa dilectione fieri, filios Diaboli: ac similia multa monstra sequuntur; propter quæ Canus jure sanè conqueritur, aliquos sophismatum, fictionumqne feces in scholam invehere. Quid verò, si conscientia erronea dictet sub peccato, malum esse prosequendum, & bonum fugiendum sub hac expressione, & conceptu? Fatui esset hujusmodi conscienria: sic illa erronea proposita vel fatui esset, vel perplexi, & diligendo non peccaret. Certè à fatuo non procùl abesset, qui hinc Deo providentiam, quæ hujusmodi errorem non permittat; cum ipse ita diligentibus suam amicitiam iterarò promiserit; quocum imcompossibilis est similis permissio. Rursùs dato, vel ficto casu in homine suæ mentis, dilectio esset, & non esset peccatum; esset, quia conrra conscientiam; non esset, quia dilectio est; cui repugnat esse peccatum, & cui repugnat esse peccatum, & cui anuexa est amicitia Dei. Ac multa hujusmodi reponi possunt ad ista propriora summulistatum ingenia exercentium, quam Theologorum. Undè Sanctis quibusdam ex nimio amoris divini æstu ferventibus; & cum vitæ periculo languentibus, ut B. Stanislao Kosnæ rectè pręcipi potest, ut aliquâdiu desistant, vel ab exercitio amoris aliquandiu respirent; & tunc non erronea, sed recta esset cōsciētia, & certissimè obedirēt; quia impossibile est peccare per dilectionem,

nem. Sed quid si in hoc non obedirent? Respondeo, casum esse chimæricum. Sed quid si chimærica isthæc poneretur. Respondeo; sit quod volueris: peccaret, & non peccaret: & damnaretur, & salvaretur. Sed quid si B. Stanislaus per conscientiam erroneam vincibilem existimaret, non esse obediendum, ac in suo amore magis, ac magis ultrò exæstuaret? Tunc ista conscientia sua non excusaretur: ergo peccaret diligendo. Respondeo, conscientiam erroneam vincibilem saltem in gravibus non habere locum in B. Stanislao in sensu composito sanctitatis suæ, ac perfectæ dilectionis Dei, quam in eo esse supponimus, & propter cujus magnitudinis modus in amando ei præscribitur.

§. VIII.

Cavendum est tamen, esse aliquas ignorantias, quibus non ablatis, peccata ignorantiæ tolli nequeant.

HOc non nisi insinuandum hîc est de quo & alibi disputandum, & inferiùs etiam dicemus, sine fide Dei unius, & Trini, & Jesu Christi, utque alia præteream, sine fide Ecclesiæ Catholicæ, & unione cum illa, nullibi esse veram pænitentiam, neque dilectionem Dei. Quarè nec peccata ignorantiæ, nec ulla alia mortalia tolli possunt, vel per pænitentiam, vel per dilectionem, ipsa earum saltem rerum manente ignorantia. Utrum verò hæc ipsa ignorantia jam post promulgatum Evangelium, sicut de facto promulgatum est, in omnibus sit peccatum, nec suppetat ignorantia invincibilis, infrà tractabitur: hoc nunc est certum, nullum adultum sine ea fide justificari, ut ostendemus.

QUÆSTIO XIV.

Ex his ergo sequitur, cæcitatem cordis inductam propter peccata non excusare à peccato?

HOc certè in jam discussis, determinatisque satis determinatum, explicatumque est: oportet nihilominùs, sub his etiam terminis eamdem veritatem denuò stabilire, ut innotescat, quantis modis, quamque multipliciter vera de peccatis ignorantiæ doctrinæ in Theologia tradita sit, ac permanserit.

§. I.

Sensus quæstionis, & explicatio terminorum.

SEnsus quæstionis non est, quod quærere fatuum esset, utrum cæcitas mentis inducta per peccata excuset à peccato, & culpa priora peccata, ex quibus cæcitas secuta est, v. g. si quis à superbia sua, vel luxuria excæcatur, an superbia, vel luxuria prior excusetur à peccato, & culpa per sequentem cæcitatem? Quod perindè esset, atque quærere, utrum à peccato mortali tollatur ratio peccati, ac culpæ per pœnas inferni, quæ propter ipsum infliguntur. Undè rursùs nec sensus est, utrum cæcitas sit pæna peccati, & hoc sensu peccatum largè, ac impropriè dici, denominarique possit; quia à peccato; sicut motus primò primi peccata dicuntur, quoniam à peccato sunt; quin minus: quia hi præterea ad peccatum etiam inclinant non ita cæcitas, si quod ex ipsa sequeretur verè peccatum, culpaque non esset. Hęc notaverim propter quorumdam Recentiorum in interpretando libertatem, qui quidquam de peccato ex ignorantia facto, vel simile in scriptura, vel in Sanctis, vel in Theologia audiunt, authoritate mox sua, vel de culpa antecedenti, vel de pœna, quæ in sensu dicto peccatum impropriè sit, ac denominatur, ultrò interpretantur: qua una licentia simpliciter, ac absolutè pronunciata impropriè, ac secundum quid accipiendi, peccata fermè omnia tolli possunt, & libri, omnes unà corrumpi. Sed inquiâ; num vulgatum non est, concupiscentiam, motusque indeliberatos, ac primò primos peccata nuncupare? cur ergo non est, & explicatum in Ecclesia Demùm à Tridentino, & olim ab Augustino, & Theologis à principio, quis sit sensus, scilicet improprius. In aliis nihil tale declaratum est. Quarè vel Scriptura, & Patres, & Theologi excessissent non propriè peccata absolutè dicendo, esse peccata, vel excedunt Recentiores ita non tam interpretando, quam ex opinione quadam sua corrigendo.

Itaque net sensus est, utrum peccata cęcitatem cordis inferentia excusentur à culpa à cęcitate sequenti; nec item sensus, est, an cæcitas, quæ effectus, & pœna esse supponitur, sit impropriè peccatum, hoc est, pœna imputabilis peccati. Sensus itaque est, utrum cæcitas ipsa sit peccatum, vel causa peccati in iis quæ deindè per cæcitatem fiunt: hoc enim in Theologia non excusari, scilicet à peccato: quarè si cæcitas aut se, aut actum sequentem non excusat, ipsa, vel actus ex ipsa secutus contra Legem Dei erit peccatum. Intelligo propriè: hoc enim voces significant, quandò aliud ex contextu non: quo uno Logicæ documento pretermisso, ut dicti Recentiores pretermittunt, omnes in scientiis, & ex extra scientias deliberabimus.

Dupliciter porrò cęcitas per peccata causatur, scilicet Physicè, ac effectivè, & meritoriè aut immeritoriè. Primò modo cęcitas effectus solùm est; secundo modo, pœna, & effectus pœnalis. Quatenùs verò, siquidem pœna est, a Deo esse possit, in sequentibus breviter explicabimus.

§. II.

Quid sit cæcitas mentis seu cordis?

EXponit illam S. Thomas 2. 2. quęst. 15. & pręmittit, se de ignorantia, quę scientię opponitur, superius 1. 2. inter peccati causas tractavisse: ac nunc de cęcitate, quę intellectui opponetur, esse dicendum: explicaverat autem quęst. 8. art 6. qualiter intellectus, & scientia differant, & quę ad utramque pertineant.

Cæcitas mentis dupliciter sumitur, strictè, &

laxè, & hoc secundo modo cum hebitudine mentis coincidit, quæ altera peccati pœna est, quâ scilicet intellectus vigor obtunditur, hebetatur, debilitatur, ut in exemplo sensuum, unde hæc nomina sumpta sunt, conspicitur: & sic sensuum hebetum proprium hoc est, ut declarat S. Doctor, ut nisi de propinquo, & magna sensibilia non percipiant: & longinqua, ac minima non possint. In hunc statum is, qui fœminam deperit, & quicumque aliis peccatis impensè inhiat, ut auro, vindictæ, vel honori, ipso suo peccato, & pravitate reducitur: & hos passim cæcos, & excæcatos appellamus: qui scilicet nisi motiva quædam maxima retrahentia non percipiunt, itaque valdè inculcata, & modo ipso orationis quoad fieri possit, magnificata, vivificataque; & minora, remotioraque non sentiunt, ac ipsa etiam magna exigua eis videntur; ut peccatorum habitualium experientia constat, sensuumque exemplo declaratur, declaratque S. Thomas. Hoc itaque sensu cæcitatem frequentissimè decipimus, & cum mentis hebetudine coincidit. Et est hic etiam mentis languor ille mirabilis & inexplicabilis, & tamen est, ut inquit Augustinus.

Est verò cæcitas alia pressior, & major, ac hebetudinem excedens, nam hebetudo, & cæcitas pressè sumpta distinguitur: ut S. Thomas ex Gregorio, aliisque supponit, & nemo eo loci remurmurat. Ergo cæcitas pressè sumpta plus aliquid est, quam hebetudo, & debilitatio mentis, & languor, ac semisomnus ille, quem nutus per declarabam; & patet etiam ex visu, unde nomen cæcitatis sumptum est, atque hoc est fortitam malorum in hac vita propter peccata contrahibilium vel formaliter, vel causaliter maximum metuendum: ideò Dominus hoc malum minitatur; *ideò ecce ego addam*, inquit, *ut admirationem faciam populo huic grandi*; Isaiæ. 29.

Cæcitatem istam definit S. Thomas dicendo, *est privatio ejus, quod est principium mentalis. Seu intellectualis visionis.* Atque hoc principium est, inquit, triplex: unum lumen naturalis rationis, quo, cum ad speciem animæ pertineat, numquam anima privatur, nisi quandoque in amentibus, & furiosis, &c. quamquam ex ipso S. Doctor t. 2. quæst 94 ar. 6. minuatur etiam hoc lumen propter peccata quoad non videnda multa mala, ut dicetur. Alterum lumen, quo cæcitas privat, est lumen naturæ additum; scilicet lumen gratiæ, & supernaturale; hoc porrò lumen S. Thomas ad habituale restringit: nec lumen actuale sanctarum cogitationum comprehendit; quia intellectus, visus, & similia non aliquid transiens, sed permanens important, atque hæc duo lumina quasi subjectivè se habent: & secundò maximè privat cæcitas inducta per peccata juxta illud sap. 2. *excæcavit eos malitia sua.*

Assignat S. Doctor tertium aliud lumen objectivum, quod est principium intellectualis visionis, & hoc dicit esse aliquod principium intelligibile, per quod intellectus intelligit alia. Huic intelligibili principio potest intellectus intendere, vel non intendere; & quod ei non intendat, contingit, inquit, dupliciter, quandoque quidem ex hoc, quod habeat voluntatem sponraneè se avertentem à consideratione talis principii juxta illud Psalm. 35. *noluit intelligere, ut benè ageret.* Alio modo per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur juxta illud Psalm. 57. *supercecidit ignis, & non viderunt solem*, id est concupiscentiæ, vel alterius passionis. Quæ pœnæ ad verbum ex Doctore transcripsimus. Rectè verò Cajetanus exponit quid inter hunc duplicem modum non intendi intersit; nam prior non ex passione, sed à voluntate solùm est; posterior etiam à voluntate quidem primitus est, sed demùm, ac immediatè ex passione.

Ad hunc modum tractatu de fide solent Theologi, vel conferendo nobis quasi subjectivè lumen, quo videre possimus juxta illud, *revela oculos meos, ne unquam obdormiant in morte*; *& in lumine tuo videbimus lumen, &c.* vel objectivè manifestando nobis objecta occulta, tollendo velamen, quo absconditur; quod fit Dei verbo, locutione, & revelatione sic vocata juxta illud, *revelasti ea parvulis*, &c. undè objecta nobis de se manifesta, ut Dei existentia, & providentia propria à Deo nobis quidem dicta sunt, & confirmata; non autem revelata. Atque eodem modo in visu corporali duplex hic modus cernitur, & aliquandò quia objectum velamine aliquo coopertum est. Sic igitur & cæcitas dupliciter contingit, vel privando mentem habituali lumine, quo videmus, quodque ex parte intellectus se habet vel auferendo, ac removendo principium intelligibile, quo alia intelligamus, aut sciamus, quod se habet ex parte objecti.

Intellectus porrò, ut vulgò norunt omnes, est principium, & scientia conclusionum, quæ cessant ablatis principiis, sicut cessant rivuli, cessantibus, restinctisue fontibus. Quare ubi inintellectus non est, nec scientia esse potest, sicut in naturalibus, ita etiam in divinis & spiritualibus; atque ad hujus intellectus spiritualis, ac divini defectum alludit Dominus, cum inquit, Math. 15. *adhuc & vos sine intellectu estis*, & Psal. 31. *quibus non est intellectus*: 118. semel, & iterum intellectum Propheta precatur. Ex quibus patet, quantò majus malum cæcitas mentis, quam ignorantia? nam ignorantia à retinente intellectum, & principia tolli potest, at cæcitas ipsis principiis privat; ad quorum intellectum denuo reparandum nulla supersunt principia, sed sola, & pura Dei misericordia, & si cæcitas non ex parte, sed ex toto contingunt: nihil in cæco remaneret, ex quo intelligere quidquam posset; & quoniam ut ad Rom. 11. dicitur *cæcitas ex parte contingit in Israel*, quia vetus saltem testamentum, atque in illo sub velamine dicta retinent, in quibus sub velamine Euangelium clauditur, ex hac parte principii remanentis ad veritatem demùm, & intellectum retinentur ministerio præsertim Heliæ, ut dicit Propheta.

Huc verò non attinet plenius intellectum spiritualem, naturæ additum, divinumque exponere; ille certè apud aliquos vix ex pretio esse videtur, aut vix non instar fabulæ cujusdam, vel sicut quidpiam solùm vocale re ipsa, & praxi accipitur, iisque pęnè solis necessarius esse censetur, qui ad perfectionem, non qui solùm ad salutem contendunt, quod profectò nobis cęcitas aliqua, non opinio videretur; habuerunt enim semper, ac habebunt etiam cęci opiniones suas, quę non opiniones, sed stultitię vocandę sint. Videmus passim quosdam ad negotia quędam exteriora promptissimè ingeniosissimosque, qui si ad

ad ſcholam, v. g. ad Theologiam deindè veniant, ineptiſſimi, ac plumbum ipſum ſint, ſic fermè ingenia quantacumque, ſi utroque illo principio intelligendi deſtituantur, ſapientiſſime quidam videri poterunt, & acutiſſimè de rebus inutilibus, & utinam non noxiis diſputabunt; re vera tamen cæci, ac ineptiſſimi erunt ad intelligendam, ſciendamque viam non modò perfectionis, ſed etiam ſalutis. Ex quo denuò conſpicitur, quantum malum cæcitas mentis, quæ eſt privatio utriuſque illius luminis.

Utrum autem poſſit unius ad horum luminum ſine alterius privatione, vel ablatione, & an utraque ſit? & utra ſit perniciosior, an luminis, & viſus ſe tenentis ex parte ſubjecti, an privatio, ſeu remotio principii intelligibilis objectivi, & quod demùm ſit hoc principium intelligibile, per quod alia cognoſcenda ſunt, res ſanè videbantur, & ſcitu dignæ, & ex jam dictis expeditæ. Cætera decurſu forſitam explicabo; & nunc ſolum dico, illud principium intelligibile objectivum eſſe aliquod principium in ſcripturis Dei revelatum, & traditum in quibus continentur omnia principia intelligibilia, per quæ, & ex quibus cognoſcenda ſint, quæ ad Deum, & ad nos, & alios pertinent, & quæcumque ad rectam fidem rectamq; morum doctrinam ſpectant, ut uberius infrà ſuo loco trademus, ideò gentes, qui hoc principio intelligibili caruerunt ante adventum Salvatoris, in ſumma quadam cæcitate vixerunt. Quarè remotio, & quaſi privatio hujus principii intelligibilis, ſive quoad fidem, ſive quoad rectam doctrinam morum non tam ad ignorantiam, quam ad cæcitatem pertinet. Etenim ſicut lumen ipſum, & intellectus eſt naturæ additus, ita principium: & principia ſuperiori illi lumini, intellectuique correſpondentia ſunt addita principiis intelligentibus naturalibus, & elementis mundi, de quo erit fuſus ſermo inferiùs.

Hinc duo colliguntur. Alterum eſt, cæcitatem eſſe, exiſtimare, credere, vel perſuadere, ſive ſine paſſione, & ultrò ſivè propter alios libros magis amatos id contingat, remoto hoc principio intelligibili Scripturarum ſanctarum doceri à nobis poſſe viam ſalutis, ſeu ex aliis principiis intelligibilibus eam à nobis ſciri; de quo, ut dixi, inferius: & modò ſolùm notamus, id ad mentis cæcitatem pertinere.

Alterum eſt, nullos ſaltem Catholicos in ſenſu compoſito ipſius fidei excæcari ex toto poſſe; cum vel ipſa cæcitas Judæorum; quæ utique major eſt, ſolum ex parte contingeret modo declarato. Etenim Catholici & ſi quoties peccant mortaliter, intellectu illo priventur, quod donum Spiritus Sancti, ac proprium juſtorum eſt retinent tamen lumen fidei, quo primùm quidem, & directè ſolùm credant: dein verò credentes etiam, etſi imperfectè intelligant; & retinent etiam totum, & quaſi totale principium intelligibile Scripturarum. Poſſunt tamen excæcari ex parte tum lumen illud proprium juſtorum per peccatum perdendo, quod tamen ſolùm ad cæcitatem non ſufficit, cum non omnis peccator cæcus ſit, ut dicemus; tum etiam ultrò, vel ex paſſione abjiciendo in particulari aliquod, vel aliqua principia, intelligibilia, quæ in communi, & in confuſo admittebant, & ſumebant.

Supponimus verò, quòd ex Dei Scripturis, omniumque confeſſione conſtat cæcitatem iſtam mentis incurri propter peccata; nec permanere eam poſſe ſuis cauſis remotis, ac per veram pœnitentiam ſolutis; quemadmodùm quæſt. ſup. de ignorantia proſecuti ſumus.

Eſt porrò in conſideratione plenum, quod quidam nullo tantarum rerum adhibito examine, nec vel lectione quidem ex trivio obloquuntur, fore ſcilicet, & quis propter peccatum ante annos quinquaginta commiſſum nunc non agnoſcat aliquid eſſe peccatum; & tamen peccet id faciendo. Et ſibi magnum quidpiam dicere videntur, dum annos addunt, & multiplicant; cum in terra ex hoc non major, ſed minor difficultas reddatur. Vel enim quinquaginta illos annos peccator ille in peccato remanſit? & tunc quò anni ſunt plures, eò ſit pœna juſtior, & valdè cæcorum profectò eſt tam inveterata in peccato obſtinatio: vel eum facti verè pœnituit? & tunc neſciunt, quod obloquuntur; nam ignorantia, impotentia, cæcitas, & ſimilia deſinunt eſſe cauſa peccati, & peccatum, per pœnitentiam, ut ſuper. quæſt. de ignorantia dictum eſt; quin imò nec remanere quidem ipſa cæcitas poteſt in vero pœnitente, ſicut ignorantia; & nullus juſtus cæcus eſt; ignorare tamen poteſt.

Ex his verò omnibus Recentiores aliqui, qui neſcio authoritate receptis etiam vocibus, ac in Scriptura iteratis, & in ſchola etiam ipſa à principio ſervatis, retentis, & explicatis, ut ſibi libet ſignificationes mutant: quo uno nihil in tuto ſuperſit. Sic ut hoc lib. vidimus, nomen ignorantiæ, & peccatorum ignorantiæ ad non ignorantiam, ſed ad cognitionem: & advertentiam tranſvehunt, eodem planè jure in præſenti, cæcitatem, ſeu excæcationem cum obduratione ultrò confundent, & dicent, cæcos ſcire quidem, ac videre, ſe peccare; dici autem, cæcos propter cordis duritiem, ac pravitatem.

Hoc, inquam ex dictis præcavetur: nam conſtitit, cæcitatem mentis ad intellectum pertinere; obduratio autem, ſeu induratio pertinet ad voluntatem, & affectum, ut termini ipſi loquuntur, ac pridem S. Thomas. 1. 2. quæſt. 79. 3. in corp. declaravit. & plurimis demonſtrari poteſt: indigemus enim illa duplici gratia Auguſtiniana, quod & innoteſcat nobis, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat; & per alteram mentis cæcitas, per alteram cordis durities amovetur: ac intereà hic, & ubique proteſtatum velint, nullam mihi eſſe cum iis quæſtionem, qui ſignificata vocum commutandi licentiam habent: quo planè conceſſo nec convictus quidem ſit tutus.

§. III.

Ex cæcitate Synagogæ propoſita de cæcitate doctrina, magis ſtatuitur, & illuſtratur.

NE iſta, quæ de cæcitate mentis loquimur, at nuda vocabula, pueriliaque terriculamenta eſſe imperitiſſimi quidam arbitrantur aut non timendum malum, ſed optandum magis bonum eam cenſeant, quæ quippè juxta ipſos à peccato potius præſervaret, dum cognitionem tollit peccati, neceſſe eſt, præpoſitam doctrinam ſtatuamus magis, & illuſtremus ex notiſſima omnibus cæcitate Synagogæ maximè in interitu ſuo: *ſic enim* ut inquit Auguſtinus in Pſalm. *56. apparent Iudæi*

de Scriptura ſanctâ, quam portant, quomodò apparet facies cæci de ſpeculo : ab aliis vide ; ab ipſo non videtur : quis ſcilicet tam cæcus eſt, qui eorum non videat, cæcitatem.

Palàm ſatis, & coràm Dominus eam ipſis exprobravit, vehementerque objecit ſæpè, ut cernitur Matth. 15. & 23. & alias. *Væ vobis duces cæci*, &c. *ſtulti, & cæci* : &c. *cæci, quid majus eſt*, &c. *Phariſæe cæce munda prius*, &c. & cap. 15. *ſinite illos : cæci ſunt, duces cæcorum : cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet ; ambo in foveam cadunt* : verè enim cum cæcis, qui nempè principia ipſa nec vident, nec intelligunt, quid agatur, ne ſupereſt, ut Ariſtoteles etiam præſcripſit, præter quam *ſinite illos* : valdè porrò cæcorum eſſet exiſtimaret, vel ex his Salvatoris dictis morum doctrinam non eſſe texendam ; vel hoc cæcitatis malum tantopere ab ipſo exaggeratum eludere, illudereque dicendo, ipſa potius cæcitatem quâ malum non videtur, cæcum à peccato, culpaque reddi immunem, ut magis declarabimus.

Reſumit autem Dominus eo cap. 15. Evangelici Prophetæ Iſaiæ cap. 29. ubi hæc, quæ contigerunt, prædicta ſunt. *Benè prophetavit de vobis Iſaias dicens : populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longè à me. Sine cauſa autem colunt me ; docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et poſt pauco : *ſinite illos, cæci ſunt, duces cæcorum : cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet ambo in foveam cadunt.*

Iſaias verò ſic prophetavit, quæ profundiſſima fide ac humilitate legenda ſint : reflectatque unuſquiſque oportet, cor ſuum habeat, & timebit, ne forté in cauſa involvatur. *Obſtupeſcite*, inquit, *& admiramini : fluctuate, & vacillate : inebriamini ; & non à vitio ; movemini, & non ebrietate, quoniam miſcuit vobis Dominus Spiritum ſoporis : claudet oculos veſtros Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet, & erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati ; quem cum dederint ſcienti litteras, dicent, lege iſtum ; & reſpondebit, non poſſum ; ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti litteras diceturque ei, lege ; & reſpondebit, neſcio litteras. Et dixit Dominus.*

Eò quod appropinquat populus iſte ore ſuo (ô formidandam cauſalem ?) *& labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo. Peribit enim ſapientia à ſapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur.*

Aptiſſimè ſcilicet Propheta exemplis libri ſignati, & neſcientis litteras, tunc præſentem maximè verò futuram, cæcitatem declaravit, in quibus exemplis cernitur quidem corpus exteriùs libri ſignati, & litterarum : at quid in libro, vel litteris intus ſit, claudaturque, non cernitur. Cæcitas quippè, ut §. præc. expoſuimus, non ſcientiæ, ſed intellectui opponitur, cuius eſt videre, & intelligere, ut pridem S. Thomas expoſuit, & quaſi intus legere. Ergo ecce, cęci qui intellectu modo jam dicto privantur, aptiſſimè conferuntur ſcientibus litteras, quibus liber quidem traditur ſed ſignatus, qui intus legere non poſſunt, aut neſcientibus litteras, quibus apertus liber tradatur : qui quidem corticem litterarum, verborumque vident : & ſic quaſi foris legunt : intus verò, & ſenſum non legunt, & neutri ſanè intelligunt,

Quod idem cæcitatis malum ſignificantiſſimè expreſſerat cap. 6. *& audivi vocem Domini dicentis*, &c. *& dixit : vade ; & dices populo huic : audite audientes, & nolite intelligere ; & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude : ne fortè videat oculis ſuis, audiat, & corde ſuo intelligat.* Qui locus in omnibus quatuor Evangeliis reſumitur : & omnes non cęci verificatum id opere viderunt : excęcavit, inquit Joan. 12. *oculos eorum, & induravit cor eorum. Vt non videant oculis, & non intelligant corde* : ſeu ut in Marco cap. 4. *dicitur, ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant*, vel ſicut Luc. 8. *ut videntes non videant, & audientes non intelligant*, in quibus unus, idemque ſenſus multipliciter exprimitur.

Quidpiam implicationis involvere iſta videntur, quod quippè videntes videant, & non videant ; ſeu quod videntes non vident : ſi enim videntes videant quomodò non vident ? Et homines quidem, cæci undè hæc nomina tranſlata ſunt, vel prorsùs non vident, vel cęci non ſunt ; & videndo non videre perindè eſſe videtur, atque intelligendo non intelligere : at non implicatio eſt intelligendo non intelligere ; ideòque ſcriptum non eſt, ut intelligentes non intelligant : ergo implicatio etiam eſt videndo non videre, ſeu videntes non videre. Et confirmatur ; nam ſic eſt proprium intellectus, cui cęcitas opponitur, videre, ſicut intelligere : ſed implicat intelligendo non intelligere : ergo etiam videndo non videre. Undè audaciores forſitam dixerint, iſta cuncta nomina eſſe, & phraſes, exaggerationesque Prophetarum, & Salvatoris.

Propoſui iſta ad majorem dumtaxat explicationem, quamquam difficultate careant. Cæci namque, de quibus ſunt hi ſermones, videndo vident, quidem aliquid, ſed aliud maximè videndum, quodque intelligendum erat, non vident ; quemadmodum vice verſa eſt illud, quod de Thoma Apoſtolo Gregorius edixit, aliud eum vidiſſe, & aliud credidiſſe. Cæci porrò noſtri id vident ſolùm intellectu, quod oculis vident, ut in exemplis libri ſignati, vel experti reſpectu neſcientium litteras cernitur : qui ſanè videntes vident, librum quippè ipſum ſignatum vident ; vel in aperto litteras, & verba : quod verò in libro intus eſt, vel in verbis continetur, non vident ; & ſic nec ſimpliciter intelliguut. Undè patet ſolutio ad ea, quę de viſu, & intellectu objiciebantur ; nam videre nomen commune eſt ad viſum, & ad intellectum ; & qui ea, quę ſub oculos cadunt, vident, planè aliquid vident ; ſin verò ulteriùs non vident, quod videndum maximè erat, non vident, & ſic videntes non vident ; at intelligere quid proprium intellectus, & intus legentium, & penetrantium, quarè non dicitur, ut intelligentes non intelligant, ſed ut audientes non intelligant.

Sic ſcribę, & Phariſęi, ac populus viderunt quidem Salvatorem ; vitam ejus ſanctiſſimam, corpus ipſum ſignorum, Lazarum reſuſcitatum, cęcum natum viſu donatum, aliaque permulta ſigna viderunt ; at ſigna eſſe non viderunt, ut Chryſoſtomus in epiſt. 1. ad Thimoth. hom. 4. ſignificat, nec intellexerunt, aut ſi quandò viderunt, ſeu ſemi intellexerunt, ſtatim eos excęcabat malitia ſua, ſupercidebatque ignis ſuperbię, & invidię, non videbant ſolem : utque doctiſſimus Salmeron to. 8. tract. 34. pronunciat, nihilominùs

minùs

minùs illi cogitarunt, quam Jesum esse Messiam, atque ut inquit ipse in media luce hallucinati sunt, modumque statim dabimus, cur in rebus adeò apertis cæcutierint, latiùsque libris sequentibus prosequemur.

Ipse verò Propheta ebriis, & mente captis eos Propheta confert: *Sacerdos, & Propheta exciderunt mente propter siceram*; seu in Hebræo legitur, *præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt*; & plurima hujusmodi, quæ commemorare longum esset, & legi apud Hieronymum possunt ab ipso, aliisque interpretata, & declarata. Author homiliar. 55. inter opera Chrysost. homil. 41. supponit, Sacerdotes legere solitos Scripturas (quæ utinam multis hodie vel legantur) sed inquit, eas Judæis, & omnibus nolentibus vivere dignè Deo existere, *quemadmodum; si aliquis agricola non habens voluntatem pugnandi exponat bellicam disciplinam, si tota die audiat, nihil intelligit*, &c.

Sunt quidam tardi planè ingenii homines, qui in humanis actibus, & moribus vix nisi corpus eorum exterius vident, nec aliud observant, notantve; ex qua imperitia illud inter alia natum est, quod existiment, res sibi apertissimas à nemine in mundo ignorari aut posse, aut potuisse; indeque nusquam intelligunt, Judæos aut Jesum esse Messiam, aut ejus miracula fuisse vera ignorasse: dato autem, quod ex toto nescivissent, tanti eam suam nullius fundamenti opinionem de necessitate cognitionis malitiæ ad peccandum faciunt, ut potiùs contra Evangelium, & omnis generis probatione assertam veritatem negaverint, Judæos peccavisse, quam opinionem eam deponant, & sic quidam responderunt, vel Judæos agnovisse, vel non peccavisse. In quo sanè ipso dicere possent, si perspicerent, Judæorum quippè Doctores habuisse alias suas opiniones, sicut ipsos, ex quibus sequeretur Dominum esse messiam; ex quo rursus sequeretur, illius miracula non vera esse, sed Phantastica: habebant enim inter plurimas alias eam falsam opinionem à tota gente receptam, quod Messias cumulaturus ipsos esset fælicitate temporali: item habebant, à Messia se tamquam nugaces æstimandos non esse: item Messiam tantum, ac talem fore, adversus quem prævalere ipsi non possent, ut sap. 2. prædictum est, & Augustinus lib. 17. de civit. Dei cap. 20 & alias disserit: habebant etiam aliam, qua supponebant, se doctos, litteratos, sapientesque esse, quibus magis esset standum, quam fabri filio sibi contrario, qui nuspiam litteras didicisset. Atque ex his falsis sibi ex passione, & consuetudine veris existimatis inferebant, omnia contraria esse falsa, & phantastica: quemadmodùm in his ipsis causis nostris vulgatium probabilium assertoribus, quidquid suæ opinioni, qua nihil forsitam in scholis patentius falsum est, quidquid, inquam, contradicit, mox phantasticum, & sophisticum pronunciant; & idem est in hac alia causa de peccatis ignorantiæ.

Etenim ad mores hominum redeam, istam impotentiam prima ipsa principia intelligendi passim, & quotidiè in rebus etiam, quæ sub rationem cadunt, in scholis contrariis experimur, quibus ex tnto fermè diffidentibus in rebus quamplurimis solùm esse solent communia vocabula; nullus verò unus intellectus principiorum, aut setiis, ac scientia conclusionum, & alii aliis vix non existimamus ridiculi, ac misetandi. Hoc exemplis productis non declaro, quia intelligentes facilè intelligent; cæteri verò impares sunt; & in uno illo omnium scientiarum universalissimo principio, *quodlibet est, vel non est; & impossibile est, idem simul esse, & non esse*, alius omninò intellectus hominis Thomistæ alius Scotistæ, alius plurimorum Recentiorum obtrudentium ubique distinctiones, & entia media non tot, quin plura, & de quibus nec dicere liceat, *sunt*; nec dicere liceat, *non sunt*: quæ ut talia contra scientiæ modum omnem usitata insinuare suffecerit. Horum porrò ratio universa ad duo verissima effata Aristotelis resolvitur; alterum, quo dixit, prima principia esse mole minima; quæ proindè à paucis ingeniis percipi, penetrarique possunt, ut cernitur in visu: alterum, quo asseruit, plerosque etiam magis sufficientium judicare, quemadmodum consulimus, & vix multis alius præter consuetum intellectus inest, ut ex Jullio Augustinus etiam testatum reliquit, magnorum negotiorum esse, ac proindè paucorum consuetudine non duci.

Hæc ergo cum ita sint in scientiis etiam ipsis naturalibus; & in factionibus quibusque passim cernatur, unisquisque sua videri clarissima, videamus etiam passim; falsarum religionum sectatores permulros ita obcæcaros, ut nostra vix monstra ipsis non videntur, & Papa non aliud, quam Antichristus: cum ipsos demum Judæos videamus adeò etiam adhùc excæcatos, quibus scandalum fit Christus alpha, & omega, principium, & finis omnium sciendorum: profectò & mirandum, & dolendum est, homines, qui docendi officium obeunt, quia ipsis Christus Christus est, &c. Dei virtus, & sapientia, nolle credere. Christum Judæis non Christum fuisse, sed scandalum, gentibus autem stultitiam. Quæ verò causa? Planè quam Prophetæ perhibuerunt. & Evangelium, & Apostoli, & experientia contestantur; quòd scilicet excæcavit eos malitia sua: item supercecidit ignis, & non viderunt solem.

Hinc marmore, & auro, vel magis corde insculpenda est Salvatoris Brevissima, ac totius hujus Theologiæ comprehensiva; *Pharisæe cæce, munda prius, quod intus est calicis*. Hoc facto nullus est cæcus; hoc non facto, sol ipse, quantus est, non conspicietur: hinc ignorantiæ, & tenebræ, ac cæcitates, nescierunt, nec intellexerunt: in tenebris ambulant, & alia sine fine, hinc illa, quæ gravissimi Theologi de necessitate purgandæ, retergendæque animæ, ac mundandæ conscientiæ adstruxerunt *Pharisæe cæce, munda prius, quod intus est*: quo uno brevissimo principio cuncta continentur. Huc etiam respicit Philosophi & illud principium, qualis unusquisque est, talem ei videri finem; nam experientia omnis demonstrat, qualiter intus affecti sumus, nobis cuncta videri pulchra, fœda, bona, & mala; vera, & falsa, *Cum igitur Pharisæi intus pleni essent hypocrisi, & iniquitate*, ut testatur Dominus, superbia maximè & ambitu, & ejus filia invidia; ac etiam avaritia, indeque pessimè affecti erga ipsum, haud mirum, si mundus per ipsum factus sit, & mundus eum non cognovit.

Nuper de consueto disserebam, dicebamque plurimis alium vix intellectum, principiumq; intelligibile esse quam consuetudinem; nunc, quod connexum esse solet, dixerim totum fermè negotium ad intelligendum, sciendumque esse voluntatem, ejusque

ejusque dispositionem: non quòd, ut imperiti quidam, censent voluntas intellectu rectè cognoscenti immediate, ac pro libito jubere possit, ut quæ minùs fundata videt, credat; respuat verò, falsaque habeat, quæ censet magis fundata, & similia aliquorum Recentiorum parùm considerata placita; sed quod voluntas, ejusque dispositio intellectum ipsum immutat, vel pervertendo, vel rectificando. Hinc dicere soleo; intellectum illud non volitivum, quod utrum sit possibile, in schola disceptant, maximum planè intellectum, futurum, si daretur: majus tamen quasi duplo, vel etiam amplius, intellectivum volitivum, cum voluntas est recta, amantissimaque veritatis: ex quo maximè ingenium Augustini natura maximè stupendum redditum fuit.

Ex quibus facilè sanè conspicitur, qualiter Judęi excęcati potuerint; nos quoque possimus: quod difficultatis plus non habet, quam quod vulgò dicitur: ut abjecto, sed expressivo dicto rem exponere liceat, quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam; & à contrario odio habenti Dianam, Diana rana putabitur. Hanc Judæorum suo tempore præsentem, maximè verò in adventu Salvatoris ad angendam cæcitam, in aliis etiam locis Isaias prophetavit; ut cap. 43. *educ foràs populum cæcum*, &c. Et cap. 56. *speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia*: & Hierem. cap. 2. Lament. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pænitentiam provocarent; viderunt autem assumptiones falsas, & ejectiones.* Ezechiel etiam multa tradit, quæ in Evangelio, & ab Apostolis resumpta sunt, nosque libro de Magistro plenius prosequemur.

Ex quibus Augustinus, serm. 40. de verbis Domini concludit; *nisi excæcati essent, Christus non crucifigeretur. Si Christus non crucifigeretur, sanguis ille pretiosus non funderetur, orbis terrarum non redimeretur. Quia ergo nobis profuit cæcitas illorum*, &c. adhuc, scilicet exploratum forsitam non est, neque in compertum, utrum humana pusillitas, vel excelestissima quidem audere possit crucifigere Deum suum notum, & intellectum. Ubi rursùs Augustinus ser. 50. *videmus enim eum, & non habebat speciem: nec decorem* Isaię 53. *Talis in cruce apparuit: talem se spinis coronatum exhibuit, fœdum, & sine decore, quasi amissa potentia, quasi non filiū Dei. Talis visus est cæcis, &c. Quia ergo cæcitas facta est, ideò decorū sine decore vidistis; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, Quod eo mirandum est minùs, quò scimus ipsos etiam discipulos turbatos fuisse, alios dubitasse, atque in crudelitate laborasse: ideòque velut sem difficilem Dominus prædixerat, beatus, *qui in me non fuerit scandalizatus*, & quæ Dominum inter ac Petrum de scandalo intercesserunt, rem commonstrat. Ubi ergo non cæci turbantur, timent, ac dubitant, quid mirum, cæcos omninò cæcutiisse: ad quæ denuò infrà redeundum erit; nam Recentiores, quidam, & Judæos, & Gentiles, & excæcatos omnes volunt esse oculatissimos; de quibus interea, & de nobis, quid futurum fuisset, si tunc adfuissemus: planè nescimus; Dominus scit: in via certè probabilium tot Doctoribus, sacerdotibusque tantarum rerum examen relinquere, eosque sequi, tutum forsitam, honestum, humileque visum fuisset.

Illud postremò fortè reponent, hæc omnia, quæ de cæcitate mentis in scripturis inculcantur ad terrorem, ac metaphoricè dicta esse, quemadmodum Christus Leo, petra, agnus, & lapis angularis dicitur; hoc enim ipsis primum est, & ante omnia tenendum, neminem, scilicet propriè peccare, nisi cognoscendo, & advertendo. Cæterum tale dictum contra scripturas ipsas, & Sanctos, ac fidelium sensum, intolerabile foret. Sic etiam metaphora esset, quæcumque de duritie cordis ingeruntur: metaphora quoque consequenter essent, quibus à Deo lucem, intellectum, sapientiam, doctrinamque postulamus. Modò non plura adversus dictum, quod sciam, nullius, sed evadere volentibus ostia omnia præcludenda sunt.

§. IV.

Explicatur locus difficilis Ioan. 52. cum autem tanta signa, &c.

PRæoccupavit hoc loco Joannes Recentiorum molitionem omnem, quæ eò tota vertitur, ut fieri non videatur posse, tot visis à Domino peractis signis Judæos veritatem non agnovisse, Joannes autem hoc sustulit, & dixit: *cum autem tanta signa fecisset Dominus coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui revelatum est? Propterea non poterant credere; quia iterùm dixit Isaias; excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, &c.*

Maldonatus locum inquit, esse omnium judicio difficillimum: Augustinus tract. 53. in Evang. Joannis quæstionem, ait esse profundam. In primis verò, ut Recentiores ubique amoveamus non dicit; cum autem tanta signa fecisset coram eis, credebant, & tamen persequebantur. sed non credebant, inquit: & indè pergit, ut inquirat, exploretque causam, quomodò quod impossibile videri posset, signa videntes, fieri posset, ut non crederent: quæ est tota difficulras Recentiorum,

Omnes hoc loco interpretes supponunt, voluntatem in causa fuisse, sive causa proxima, ac immediata, sive remota fuerit, nam sine voluntario directo, vel indirecto nullum est peccatum, nec cæcitas, ut de peccatis ignorantiæ explicatum est, & nuper etiam significavimus vires voluntatis ad transformandum intellectum.

Quo supposito tres invenio modos dicendi. Primus, quem Chrysostomo,. Leontio Theophilato; Euthymioque Maldonatus tribuit, dicit, in illis verbis, *propterea non poterant credere, nullam, impotentiam* significari, sed perindè esse *non poterant, atque nolebant.* Sed inquit Maldonatus, hoc pacto omnem gratiam perire sententiæ: atque interpretationis falsitas constabit ex subjiciendis contra secundum modum. Chrysostomus hom. 13. in Matth. in voluntatem quidem causam primitus refert; nec tamen impotentiam negat *verùm* inquit, *quoniam videntes oculos claudebant, non simpliciter dixit, non videant, sed videntes non videant, ut à prava illorum mente cæcitatis originem esse intelligeremus*: & paulò infrà Isaiam exponens ait: *ideò ipsam audiendi facultatem ab eis aufero.* Undè exponi possunt, quæ hom. 67. in Ioannem tradit ut g. seq. exponam

nam

ponam. Minùs mihi curæ ſunt cæteri illi, quos tamen, ut examinarem non habui.

Alter modus eſt Maldonati, qui quidem impotentiam admittit. Sed per eam non aliud intelligit quam veritatem, & cohærentiam Prophetæ cum eventu; verbumque illud *non poterant*, haud referendum putat ad id, quod dixit Iſaias, *excæcavit*; ſed ad veritatem Iſaiæ; quia in ſenſu compoſito aſſertionis Iſaiæ, impoſſibile erat, Judæos credere; ſiquidem prædixit Iſaias, eos minimè eſſe credituros: ſicque prædictio non vera cauſa, apparens tamen, & quaſi cauſa videtur fuiſſe eventus. Utitur etiam exemplo ut ſi quis perverſam pueri indolem animadvertens prædiceret; eum laqueo ſuſpenſum iri, cumque res poſt ita eveniſſet, diceret ille, ideò ſuſpenſus eſt, ne ego mentirer.

Verùm pace tanti viri dixerim, hoc etiam pacto omnem gratiam perire ſententiæ: in qua ſanè nihil magis gratiæ ſupererit, quam in cæteris omnibus prædictis per Prophetas. Deinde primus quoque modus intelligens *non poterant*, id eſt, *nolebant*, etiam admittebat hanc cauſam, ſcilicet prædictionem, & ejus cum eventu connexionem, nec quiſquam hanc impotentiam, quæ nulla verè impotentia eſt, excluſit. Si ergo in primo omnis gratia perit ſententiæ, etiam in ſecundo. Prætereà quia Maldonatus rectè ait, locum hunc eſſe omnium judicio difficillimum. At nihil ſpecialis difficultatis habet, ſi nulla vera impotentia ſubſit, ſed ſola, & unica cohærentia, & connexio prædictionis cum eventu; nam hoc; ut dixi, quid commune eſt ad prædicta omnia ſaltem præſcientiæ, & prædeſtinationis, ſi non communicationis; item eſt, adquid commune ad ſcita à Deo id eſt omnia, quomodò ſcilicet neceſſe ſit, vel non ſit ſcita à Deo evenire. Rursùs quia tam benè, & juxta plures propriùs dici potuiſſet, ideò verè prædictum eſſe ab Iſaia, quia Judæi non crediderunt; quam propterea eos non credidiſſe, quin nec potuiſſe, quia Iſaias prophetavit. Iterùm quia Joannes dicit, *non poterant*, & in litteralibus ſumus; hic porrò modus reipſa hoc tollit, & verè nullam impotentiam admittit; ſicut in me nunc ſcribente nulla eſt impotentia non ſcribendi; quamquam à Deo cujus ſcientia non minùs vera eſt, quam prædictio Iſaiæ, ſcitum ſit me nunc ſcribere. Denuò qui moris non eſt, hæc ſic ſolùm impoſſibilia, id eſt, nullo vero ſenſu impoſſibilia vocare impoſſibilia; aut dicere, ea nos non poſſe.

Prætereà in eo, quod Judæi non crediderint: interveniunt res alia, quæ eſt cauſa non credendi, nempè ipſorum cæcitas; & alia, quę nullatenùs eſt cauſa, ſcilicet prędictio; nam cęcitas, ſicut de ignorantia ex D. Thoma cum Theologis explicuimus, eſt cauſa per accidens, & removans prohibēs incredulitatis: prędictio autem nullo modo. Ergo aptius ad cęcitatem, quam ad prędictionem incredulitas Judęorum revocatur. Et confirmatur; quia Evangeliſta ex Propheta cauſatur cęcitatem, & duritiem in cauſa fuiſſe, ne crederent; imò ne aliquatenùs ſaltem poſſent: ergo & cęcitas cauſa fuit: nō autem prędictio: ergo aptiùs in cęcitatem, quam in prędictionem impotētia iſta refertur. Dici verò nequit, aut quoquo modo ambigi, cęcitatem adfuiſſe; quam quippè Propheta non minùs, quam eventum ipſum prędixit, & Evangeliſta conteſtatur.

Sed verò, quod maximum eſt, hęc interpretatio Joanni minus congruit. Eò enim Joannes ivit, ut admirationem quamdam, difficultatemque removeret: quomodò ſcilicet fieri poſſet, ut vidiſſent quidem Judęi tanta ſigna coram ipſis peracta; nec tamen credidiſſent? nam ut de Dęmonibus etiam ipſis tradit D. Thomas, ipſa evidentia ſignorum videbantur convincendi, & crediturl fide ſaltem naturali etiam nolentes, *ſicut Dæmones credunt, & contremiſcunt*: & omnia rationis ſuę homini clariſſimum id futurum videretur, quod Nicodemus Joan. 3. aſſumpſit: *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Hoc*, inquam, cuicumque ſuę mentis videretur clariſſimum. Ex quo adverſarii Salvatoris objicere poſſent, & fabulas eſſe, & mendacia hęc tanta ſigna in Evangeliis commemorata: quibus ſcilicet viſis fieri non potuiſſet, ut Judęi non convincerentur: ſed rationales homines ſunt, & convicti non ſunt. ſigna ergo illa fabuloſa ſunt. Hęc eſt difficultas propoſita, & expedienda à Joanne. Quarè cauſam aliquam quęſivit, & invenit conciliandi ea duo, viſionum ſcilicet ſignorum, & non fidem Judęorum. Produxit autem cauſam valdè probativam, cæcitatem duritiem, atq; ex his conſtat omnipotentiam & dicit: *propterea credere non poterant; quia iterùm dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde*: quaſi diceret, mirandum ſanè foret, ac credi vix poſſet, viſis tantis ſignis evidentia eorum non convinci rationales homines: at ne nunc ex paſſione dictum videantur, jam olim Iſaias prędixit, eos eſſe excęcandos; mirum proindè videri non debet, neque difficile, excęcatos jam homines tanta etiam ſignorum evidentia non permoveri.

Exemplo etiam illo adoleſcentis perverſę indolis, quem laqueo ſuſpenſum iri prędictum fuerat, res declaratur. Pone enim huic adeò perverſę indolis adoleſcenti datum eſſe egregium Pędagogum, ejuſque parentes diligentiam omnem, ſtudiumque adhibuiſſe pro recta illius educatione; pręvaluiſſe tamen perverſitatem indolis, ac ſuſpenſum demùm fuiſſe. Haud dubium, quin divinator ille rectè prędixerit: neque tamen propter prędictionem, ſed propter indolis perverſitatem tanta illa parentum cura nihil profuit, atque ſuſpenſus eſt. Quarè valdè impropriè, ſeu nullo modo dicemus, eum pravum evaſiſſe, & ſuſpenſum eſſe; quia prędictum fuit; rectè verò, aptiſſimè vereque dicemus, tantam eam curam nihil profuiſſe; atque pravum evaſiſſe & ſuſpenſum demùm fuiſſe; quia perverſę indolis erat. Ineundum ergo modum tanta ea ſigna nihil Judęos moverunt, & propterea credere non poterant: *quia iterum dicit Iſaias*, id eſt, ſicut iterùm dicit Iſaias, *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde*: atque cęcitate iſta, & duritie impotentia eorum conſtabat.

Atque hic, quem propoſui eſt tertius modus locum intelligendi veriſſimus magni Auguſtini eo tract. 53. in Evangelium Joannis, & Athanaſii de incarnat. Chriſti propè medium, & aliorum. propoſui: primum quęſtionem Auguſtinus, ut cenſet, profundam. *Dicitur enim nobis*, inquit, *ſi non potuerunt credere, quod peccatum eſt homini non facienti quod non poteſt facere (ſi autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt, ſi ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium, poterant credere*, &c.

Poſt

Post aliqua dein proposita : *quarè autem non poterant, si à me quæratur, inquit, citò respondeo, quia nolebant, sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatem eorum. Quam causam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim obcæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando: quod occulto judicio facere potest: iniquo non potest. Hoc omninò pietas religiosorum inconcussum debet, inviolatumque servare: sicut Apostolus dicit, cum tamdem ipsam tractaret difficillimam quæstionem: quid ergo dicemus*, inquit, &c. ad Rom. 9. & iterùm, *ò altitudo divinæ sapientiæ*, &c. ubi omnistudio Doctor retundit nostrum factum altiora nobis quærentium.

Deindè inter alia utilissima documenta : *non itaque mirum est*, subdit, *quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei justitiam, suam vellent constituere*, &c. remque exponit, quod de Domino etiam omnipotenti scriptum est, quod negare se ipsum non potest, impotentia, scilicet consequenti, & voluntaria promissionum. *Sicut ergo, quod Dominus, negare se ipsum non potest laus est voluntatis Divinæ; ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.* Hinc se ad Pelagianos convertens, ecce dico, & ego inquit, quod qui tam superbè sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium, non possunt credere. *Hinc & illi, id est; Iudæi credere non poterant, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quandiu talia sapiunt non possunt credere. Hinc excæcantur, & obdurantur.* &c.

Ecce ergo Augustinus omnia refert ad causam ab Isaia assertam cæcitatis, & duritiei; & si cæcitas etiam hæc ipsa à voluntate sit, & voluntaria : proxima tamen, ac immediatissima causa non credendi erat impotentia ista ex cæcitate; duritieque compacta. Quemadmodùm si quæramus de homine, qui se ipsum ligavit, solvereque potest, cur ut jubetur, non incedat, rectè dicimus, quia ligatus est, non potest; & causa immediata, & proxima ista est; remota verò voluntas; quamquam cæcitatem proximè etiam voluntas partim compingat.

Sed exurgit difficultas ab Augustino proposita, quomodò peccent in non faciendo, quod facere non possunt? Augustinus primùm cum Apostolo ad justa Dei judicia tesurgit, ac nostrum factum compescit : quarè & si nullatenùs intelligi posset, credendum tamen esset Evangelio dicenti. eos non potuisse; & tamen ut veritas habet, peccavisse. Et hoc totum ex justo Dei judicio obvenisse. Deindè rem satis exposuit; & illud ad præsens satis erat; quod licet talia sapientes credere non possunt, mutari tamen in melius poterant, & sic etiam credere: & nihil erat, aut prius non mundarent, quod intùs erat calicis : quo facto potentissimè, & occultatissimè redderentur. Tractavimus deindè superiùs, ac modulo nostro exposuimus, quo pacto impotentia consequens, & necessitas cohæreat cum vero, ac propria ratione peccati novi, & culpæ: rectè scilicet Hugo de S. Victore in epist. ad Rom. *quæst.* 264. inquit : *verum est, quod non poterant credere, sicut dicit Evangelium, & tamen non credendo peccaverunt : quia ad illam impossibilitatem ex vitio propriæ voluntatis pervenerant; & ideò talis impossibilitas non habet excusationem.*

Verùm semper superest illud occultum judiciorum Dei : nam si non crediderunt, quia non potuerunt, quia excæcati sunt : Deus autem ipsos excæcavit; in Deum demùm causa omnis refertur. At rursùs Deus videbatur, illudere, dum hinc Judæos excæcabat, & indurabat; hinc eos exprobrabat, videbaturque velle simul, & nolle eos converti; ut multipliciter alio in opere exposui; quo ea expectabant, *ne forte convertantur, & sanem eos*, & similia. Quamquam verò profundissima ista difficultas ad scopum præcipuum non pertineat, ob integriorem tamen hujus de cæcitate tractationis intelligentiam, visum est breviter, ac incidenter de causa cæcitatis dicere; de causa, inquam efficiente; nam formalis explicata est §. 2. & materialis, & finalis constant.

§. V.

A quo ergo sit cæcitas, an à Deo, an à cæco ipso, & quomodo?

Deum, ac cæci etiam ipsius voluntatem aliquo demùm modo ad cæcitatem concurrere, causasque esse exploratum est : & sic jam in Deum, jam in voluntatem ea refertur. In Deum quidem, ut in Isaia; *excæca cor populi hujus*, & in Joanne, *excæcavit oculos eorum* : & Ezechiel. 14. *ego Dominus decepi Prophetam illum*: ac Isaias rursùs : *cujus vult miseretur, & quem vult, indurat* : indurare ergo à Deo est : ergo etiam excæcare; atque similia alia sunt, ex quibus cæcitas mentis in Deum refertur, ut ad Rom. 1. etiam voluntati illa tribuitur, *excæcavit eos malitia sua* : item *supercecidit ignis*, peccatorum scilicet, & quod cæcorum est, *non viderunt solem* : & sanctorum Patrum communis sensus est, cæcos ipsos occludere oculos suos,

Qua propter Theologorum commune effatum est, ipsum cæcum voluntate sua esse causam positivam, & Authorem cæcitatis contractæ; Deum autem causam permissivam nam Deus earum pænarum propriè causa est, quæ pænæ solùm sunt; non verò pænarum, quæ simili culpæ sint, vel causæ determinatæ culparum, ut cæcitas.

Enimverò perdoctè Canus lib. 2. de locis. cap. 4. putat, hoc sic solùm, ac purè dictum non sufficere : nam plus aliquid quam vulgaris, ac negativa permissio in scripturis Deo tribui videtur: nam hoc sensu omnes, qui in peccato sunt mortis, excæcati à Deo essent, & indurati; quod tamen nec scriptura, nec ratio, ut ait ille recepit. Deindè quia ita particulariter excæcasse aliquos, indurasseque perhibetur, ut ostendat in eo jam justitiam, potentiam, sapientiamque suam, ut in Pharaone : & Isaiæ 29. *ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo* : quæ sanè in purum permissorem apte eadem non videntur. Et confirmatur, quia miraculi grandis adinstar est hoc, quod hic Dominus comminatur se

additurum

additurum: unde aliquid fit, oportet, quod vires humanæ voluntatis excedat. Deua ergo non permissor tantùm erit, sed Autor, de quo plura Augustinus *lib.* 5. contra Julian. *cap.* 3. Quæ sanè, & alia exactò, diligentique tractatore opus haberent.

Memorat hoc loco Canua subtilitatem quamdam Cajetani distinguentis in uno, eodemque actu, sicut in motu actio, & passio distinguntur, rationem culpæ, & pœnæ; quasi verò qua actus est, & culpa, a nobis sit; quâ verò passio, & pœna sit a Deo: ac sic exponit, quomodò peccatum sit pœna peccati. Sed jure, opinor, displicuerunt Cano istæ, ut loquitur, formales a Deo argutiæ: ac in scholis multipliciter exagitantur; nec intelligitur, peccatum, quod alterius pœna peccati est, qua passionem esse a Deo; quin quâ peccatum est etiam pœna peccati, &c. Quibus nunc scholæ, & suo loco relictis, Cajetani distinctio ad præsens non confert; nam cæcitas mentis, cujus modò causam inquirimus, in aliquo uno actu sita non est, ut ex §.2. constat.

Canus existimavit, in his quidem rebus a natura Dei maximè abhorrentibus sobrietatem sanè esse servandam; minimè tamen periculosum esse, si permissioni quidpiam addatur, quod ad vim, energiamque scripturarum intelligendam, tenendamque juvet. Tripliciter itaque Deum ad mentis cæcitatem concurrere arbitratus est. Primò auferendo lumen suum. Secundò, quod ad verborum proprietatem, ut ait, videtur accedere, quia ad exequenda judicia sua Satana Administro utitur: ob idque ea dicitur efficere, quæ minister illius auctoritate roboratus efficit: quemadmodum quæ judicis administer dum justam ejus sententiam exequitur, facit, ea suo modo a judice quoque fieri sanè intelligimus. Tertiò quia ut Hieronymus dicit, sicut unus solis calor alia liquefacit, alia indurat; alia soluit, alia stringit; sic Deus eodem omninò lumine malè affectum excæcare dicitur: benè institutum illuminare; & sic etiam vel indurare, vel emollire.

Laudandus sanè multùm est, quicumque ad res tantas, ac maximè Christianas expediendas quoquo modo juvat; at plurimum in Cano laudo, quod sapientissimè præter puram, vulgaremque permissionem aliquid præterea ad scripturarum energiam hoc in loco desideraverit. Quod præter insinuata superiùs, missisque aliis, Augustinus eo libro 5. cap. 7. videtur evincere adversus Julianum. *Quid est autem*, inquit, *quod di.is: cum desideriis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi: quasi non simul posuerit idem Apostolus & patientiam, & potentiam suam, ubi ait: sic autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam attulit in multa patientia vasa ira, quæ perfecta sunt in perditionem. Quid tamen horum dicit esse, quod Scriptum est? & Propheta si erraverit*, &c. *ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam*, &c. & Apostolus ad Rom 9. ex exodi 9. *dicit enim scriptura Pharaoni; quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendem in te virtutem meam.* Haud verò Augustinus eò ivit, ut aliquos à Deo in peccata compulsos ostenderet, sed ut demonstraret opus hoc traditionis in desideria carnis; ac in reprobum sensum, & cæcitatem etiam esse opus potentiæ *sive deserendo, sive alio quocumque vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc summè bonus, & ineffabiliter justus*, ut præscripserat antecedenter Augustinus. Jam quippè suprà ex ipso annotavimus miserandum esse eum modum de divinis, maximè verò de abysso judiciorum philosophandi, ut, mensura fiat intelligentia nostra, dicaturque, hoc, aut illud intelligi, explicarivè non potest; ergo non est: ex quo uno ipsa etiam mysteria fidei errore saltem materiali aliquandò sanè periclitantur, ut peccatum originale, transsubstantiatio, Trinitas. Doctorum itaque privatorum apex Augustinus de langore ex originali contracto, quis esset, quærebat, languor is inexplicabilis: subdebat verò: *& tamen est*: de pœna materiali angelorum, & animarum; miris, sed veris modis eas torqueri statuit: hic verò constituit potentiæ etiam Dei esse, quod verò in reprobum tradat sensum, sive deserendo, sive alio quocumque vel explicabili, vel inexplicabili id efficiat: & lib. 1. de nupt. & concup. cap. 19. miris quidem modis fit sed tamen fit.

Sapientissimè itaque Canus puræ, ac vulgari permissioni aliquid præterea addendum existimavit: atque in magnis vel tentasse laudandum est. Sed verò secundus ille modus, quo propriis ad scripturarum energiam exponendam accedere sibi visus est, ut scilicet Deus ad excæcandum Dœmone Administro utatur, &c. nihil rem videtur explicare. Insurgit namque eadem mox quæstio de Dœmone, utrum scilicet Deus Dœmoni purè, & solùm permittat ad excæcationem suis modis, præstigiisque concurrere, an id illi præterea injungat, aut quoquo modo commoveat? si solùm, ac purè permittit, nihil pro energia illa tuenda habemus, magis quam si cæcos ipsos excæcari purè ac solùm permitteret: nec vox illa, *utitur*, propriè consistit; quæ non est purè, ac solùm permittentium, sed positiue aliquo tanquam instrumento utentium, nec Gubernatores Lupanaribus uti propriè dicuntur, sed ea permittere: unde nec exemplum Judicis quadrat; nam Judex non permittit, sed jubet, inferiores administros ea peragere, quæ ipsorum sunt. Quod si Deus Dœmoni non solùm permittit, sed vel injungit, vel eum quoquo modo movet, cadimus de plano in totum inconveniens quæstionis; nam id ipsam cæcitatem immediatè peragere posset; ne enim peragat, illud obstat, quod cæcitas peccatum sit, vel causa non indifferens peccati; at proindè tam nequit Deus per Dæmonem, ac mediatè ad eam inducere, quam non potest immediatè; sicut nec tentare, nec jubere tentare. Ex quo demùm Deus Autor verè, propriè esset cæcitatis: quod repugnat. Augustinus deindè tract. 53. in evangelium Joan. reprobat illud Prophetæ, *excæcavit oculos eorum*, tribui Diabolo: *non enim saltem hoc, ait, de Diabolo dicitur*; & probat: diceretur autem, si eo administro Deus excæcaret. Displicet etiam vox illa, *roboratus*.

Tertius etiam modus ex Hieronymo mutatus ad obdurationem exponendam videtur quidem conferre; ad cæcitatem verò non videtur. Exemplum enim solis hoc solùm aurem regulariter probat, aut declarat; ut scilicet lutum obduratur, cera verò liquescit; sic non consentiens illustrationibus sensim in dies obduratur, habitusque generatur, & quasi callus quidam obdu-

citur resistendi: in consentientibus autem habitus contrarius gignitur, teneriorque sensim, ac mollior anima redditur. Porrò in cæcitate nihil hujusmodi cernitur; & sol noctem, tenebrasque non lumine, sed luminis subtractione offundit: ac similiter cæcitatem mentis non per lumen, sed per luminis privationem Angelicus Doctor §. 2. exponebat. Video Athan. in q. 128. cæcitatem etiam per nimium lumen explicuisse: *nam qui infirmi sunt oculi*, inquit, *non possunt purè videre solem: ad eum modum etiam isti*, nempè qui Deum crucifixum audierunt, & scandalum, vel stultitiam censuerunt: ac in naturalibus videmus, hebetiores oculos excæcari multitudine luminis. Accidit quidem hoc aliquandò, maximè verò in exemplo Athanasii; nam Christus Deus crucifixus tantum est lumen, quod magis obtenebret, excæcetque jam anteà cæcos, vel excæcari saltem ceptos; nam cæteros maximè illuminabit, quibus Dei virtus visa est, & sapientia, & fuit lux vera illuminans, &c.

Atque hæc de explicatione Cani: in rebus quippè versamur, in quibus impugnare, quam explicare facilius sit: nec procul aberam, ut dicerem, tenenda quidem esse illibatè, quæ scripta sunt; modum verò, quo hæc summè bonus ac ineffabiliter justus operetur, esse mihi ex toto in accessum, & inexplicabilem: quæ ignorantiæ confessio nihil, opinor, à Theologo abhorreret, cum multa se ignorare vel Augustinus ipse fassus sit.

Nihilominùs si quid conferre possumus, præmittendum est, & sciendum ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 3. cæcitatem mentis duo importare: quorum unum est motus animi in hærentis malo, & aversi à divino lumine: aliud est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quod mens divinitùs non illuminetur ad rectè vivendum: & quantum ad hoc Deum dicit esse causam excæcationis; non autem quantum ad primum, sed voluntas nostra est causa: & utrumque magis probat, & explicat ut exemplo claudentis fenestram, &c.

Ex his cæcitatis partibus integralibus declaratur, quomodo illa à voluntate humana potissimum sit, quomodo etiam à Deo, & quomodo Deus ostendat in hoc potentiam suam. In primis enim patet, voluntatem esse causam cæcitatis, in quantum motus est animi in hærentis malo: qui quidem motus non quasi purè motus est, sed etiam quies, vel continuatus, & longus motus; quod satis Doctor declarat per vocem eam *in hærentis malo*; hoc enim permanentiam quamdam, & affixionem in malo, & quietem significat: quemadmodum à contrario adhærere Deo. Undè cernitur, quod sæpè notavimus, non quodlibet peccatum etiam mortale excæcare, sed habitualitatem, & velut quietem quamdam in peccato requiri. Hunc malo inhærentem motum, vel adhæsionem, vel longum motum Propheta primùm, & dein Dominus expresserunt dicendo: *populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me*; omnea quippè peccantes, recedunt, avertunt que se à Deo; vox verò illa *longè est à me*, significat non solùm eos quasi à Deo abiisse, sed ipsa in hæsione in malo, atque permanentia proculabiisse, & longè positos esse. Mala verò, quibus hoc modo animus affigitur, sunt in genere tria illa à Joanne designata, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, seu earum potiùs objecta.

Est præterea voluntas humana etiam causa, scilicet meritoria subtractionis gratiæ, & privationis intellectualis luminis. Unde illa totius integræ cæcitatis, & sic etiam obdurationis causa est, efficiens quidem unius partis, & meritoria reliquæ.

Hinc verò Græci Patres, quos §. præc. Maldonatus memorabat, conciliantur; ajebant enim, Judæorum non vidisse oculis, nec auribus intellexisse; quia noluerunt; atque in voluntatem causam referebant: quia nimirùm voluntas causa potissima est, & positiva, & totius integræ cæcitatis inductrix, & causa.

Nunc de Deo. Sanè Deus purus permissor est totius illius motus, & adhæsionis ad malum: cumque in cæcitate hoc solùm sit, quod rationem culpæ habeat, sequitur, Deum solùm, ac purè permissionem esse cæcitatis, qua culpa, & peccatum est. At adjunctæ privationis luminis, quæ culpam supponit, ac super eam cadit, videtur dici simpliciter posse, Deum esse causam, ac simpliciter S. Thomas pronuntiat; *& quantum ad hoc Deus est causa excæcationis, & obdurationis*. Nec obstat, dari aliam causam meritoriam hujus privationis: quia causa meritoria non excludit aliam causam effectivam. Nec item obstat, privationum, & non entium non dari propriè causam. Etenim in naturalibus causæ per se quidem aliquid agunt, & per accidens privant. At causæ liberæ possunt nihil aliud inducendo immediatè, ac per se privare: sicut Deus me annihilaret, si suum concursum suspenderet etiam nihil agendo. Quæruntur autem & assignantur rebus causæ pro conditione, modoque ipsarum; cumque privatio non sit ens, potest Deus propriè & simpliciter esse causa privationis nihil agendo, sed subtrahendo, & desetendo.

Jam quæstio superesset, utrum liceat, Deum simpliciter excæcationis causam dicere? Hoc enim habito, ad litteram, & ut sonant, assertiones scripturarum salvarentur. Sed vitanda in primis sunt consinia hæreticorum Deum Autorem Scelerum, & hoc etiam sensu cæcitatis effutientium; nec enim Deus volens iniquitatem ipse est: quarè ut constituimus, ejus omnis, quod de culpa in cæcitate in est, Deus simpliciter causa, & Autor non est, sed solùm, ac purè permissa.

De cætero, ubi veritas ista in tuto esset, ac sensus constaret, quod sub sapientium judicio dictum sit, nihil obstare videretur, quominùs Deum causam simpliciter, Autorem, sive diceremus, rebus solùm considetatis, ac secluso periculo scandali, pravique intellectus.

Etenim ad constitutionem cæcitatis illa duo concurrunt, quæ nuper ex D. Thoma referebamus, motus scilicet in animi inhærentis malo; & privatio intellectualis luminis. Ex his porrò duobus primùm quasi pars materialis, & substracta videtur; secundum verò forma, & pars formalis. Unde idem S. Doctor §. 2. cæcitatem mentis tamquam per suum quid, & quidditatem per privationem luminis definiebat. Cum ergo ex ipso Deus sit simpli-

simpliciter causa cæcitatis in quantum ad hoc; sane videtur esse causa vera, ac simpliciter cæcitatis, quæ eam privationem præsefert.

Nec præcedens causa meritoria excæcationis hanc veritatem impedit. Nec enim peccatis nostris Deum cogimus, & necessitamus ad nos excæcandos; sed potest post quæcumque quantacumque peccata cujus vult, misereri; sicut post contractam etiam cæcitatem aliquorum miseretur; & licet conversio sit necessaria, hanc tamen ipsam conversionem ipse misericors paret cæcis indulget: quod quomodò fiat, non hùc pertinet exponere.

Sed dices: quamquam cæcitas hoc modo sumpta, & à labe culpæ præcissa nullam culpam involvat, est tamen causa sequentium peccatorum, & culparum; quas cæci committunt. Respondeo cum ipso S. Doctore, & Theologis de ignorantia loquentibus, cæcitatem non esse causam per se, sed causam per accidens, id est, removentem prohibens sequentium peccatorum, & scelerum, quæ cæci perpetrant, & non perpetrarent, si lumen oculorum suorum esset secum. Nihil verò repugnare videtur, Deum esse hoc modo causam per accidens peccatorum, maximè peccatis nostris jam id merentibus.

Jam verò si hæc ita planè dicere liceat, scripturas ad litteram salvamus, ubi Deum hos, & illos excæcasse tentatur, & deceptionem etiam, & traditionem in reprobum sensum satis intelligimus; privat enim Deus sensu suo; & ex hoc per consequentiam sequitur, quod sic sensu Dei privati sensus sui, & spiritus fiant ac sicut præceps equus sine fræno, & sessore, sic in omne genus errorum ruant; nam, ut inquit Hieronymus Isai.29. *quamvis aliquis sapiens sit, & ferventioris ingenii, si non habuerit Dei sapientiam, atque doctrinam, dicamus de eo nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt*, &c. Et Augustinus, ingenia, quò majora, eo periculosius currere; & alia, quæ suo loco conferemus. Ea autem sensui suo, & spiritui derelictio quasi traditio est; & sic Deus hominem præsertim suam sibi relinquens, eum sibi tradit, ac sensui, spirituique suo.

Sic explicato, quatenùs cæcitas mentis a voluntate, & quatenùs a Deo sit, addendum est, Deum in eo mire ostendere potentiam suam. In primis namque, quò aliqui respexerunt, nam obstat ad ostensionem magnam potentiæ, quod concursus solùm negativus, & subtractivus sit; satis nempè magnum, & stupendum miraculum foret, si Deus oculis hominum omnibus concursum subtraheret, ac cæci cuncti redderentur; si montibus, si mari substraheret similiter concursum, & esse desinerent; si mundum demùm totum, quod solo negativo concursu constaret, in nihilum redigeret. Ut ergo magnitudinem potentiæ Dei ostendamus, nec Dæmonum ministerio, nec positivo alio opus est.

Præterea cujus operari summum, ac mirabile est, ita etiam non operari; quod in longum exponi potest. Ergo sicut operari Dei, ita etiam ejus non operari, & deserere summum, ac mirabile est: & sic etiam artificum opera expositia simul, & non positis; ex adjectis, & detractia perfecta, mirandaque redduntur. Quæ ex doctrina quædam Augustini in libris de Trinit. illustrare prætereo.

Hinc Deus in juvando, & in deserendo etiam omnipotentissimus est. Et sicut juvando summè felices reddit, & ita eo deserente summè miseri efficimur; & quasi Deus cum Deo sumus, ut ait Avila; sine Deo verò planè nihil, ac ipsa miseria, quæ brevitatis causa non prosequor, ac in libris spiritualibus utilissimè declarantur.

Hinc aptissimè ad rem nostram in psalmis scriptum est; *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*; ac sic etiam vicissim sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus. Sicut ergo lumen ejus est proprium lumen omnipotentis, ita tenebræ ejus sunt tenebræ propriæ omnipotentis, omnesque alias tenebras, omnemque aliam noctem, & caliginem excedunt; ac stuperemus, & horreremus, si satis intelligeremus, ac penetraremus. Cum porrò extrema, & summa omnium cæcitas ea fuerit, qua populus suus Deum suum crucifixit, rectè Dominus contestatus fuit; *ideo ego ecce addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo.* Ecquis enim miraculi grandis ad instar populi ejus quaqua versum sparsi, ac miseri cæcitatem non miratur, & stupescit? Atque hæc de hoc puncto propetanter explicuisse sufficerit.

§. VI.

His constitutis, nemo Theologorum esse, vel fuisse videtur, qui diceret, cæcitatem mentis excusare a peccato.

Circa sensum propositionis repulimus §. 1. Recentiorum quorumdam licentiam, qui agentes de ignorantia; dum ea asseritur non excusare, intelligunt culpas ipsâ priores; vel cum de actibus sequentibus agunt, non excusare ipsis perindè est, atque non excusare a malo pœnæ, vel a peccato materialiter tali: a quo nec ignorantia quidem invincibilis eximit. Hos ergo Recentiores relinquimus: & cum Theologis a principio supponimus, ignorantiam, vel cæcitatem non excusare à peccato intelligi de actibus propter ipsas factis, & de peccato propriè, & culpa, ut planum est.

Porrò cæcitatem mentis non excusare a peccato, indubitata doctrina est, ut supponit S. Thomas 2.2. quæst.15. art.1. eam tradebant §.4. Augustinus, & Hugo de S. Victore; & Anselmus, aliique Patres vel de Judæis, vel de excæcatione Gentilium agentes multipliciter in superioribus statuebant. Atque hæc tam certa doctrina est, quam est certum Judæos adhuc etiam excæcatos, quibus Christus scandalum, & abominatio est; & tamen eos peccare: sanctique Patres, qui vel dicunt, eos non credidisse, quia non potuerunt; vel quia noluerunt modo declarato; omnes unà velut rem indubitatam supponunt, eos peccavisse; ac ratio difficultatis hæc erat, quòd incunctanter tenendum esset, eos peccare. De quo sanè apud eos quæstio esse potest, quibus ignorantia, & cæcitas mentis est quædam magna

gratia Christi eximens, præservansque à peccato, & culpa, dum cognitionem aufert peccati, & culpæ. Quin gratia ipsa Christi potentior, efficaciorque erit gratia ignorantiæ, cæcitatis, nam hæc infallibiliter à peccato eximit: non autem illa, cui quippè resisti potest. Undè Deus non pro intellectu, luce, doctrina, sapientiaque veniet exorandus, sed pro ignorantia, & cæcitate, quo majori, eò utiliori: quò enim in pluribus excæcabimur, & non videbimus, neque culpas agnoscemus, eò magis, & in pluribus à culpa reddemur immunes: imò etiam hoc novo cæcitatis beneficio, dum mala ipsa bona esse arbitramur, vitam æternam promerebimur, operantes ex zelo, etsi secundum scientiam non fit. Inculco hæc sæpè, & ingenere; quia sæpè doleo; ac statum rerum demonstrant.

Ad compescendum verò audaciores quoque unus hic videtur suffecturus Augustinus eo c. 3. l. 5. contra Julian. *Lauda*, inquit, *cæcitatem cordis, quæ ex parte in Israel facta est. Nec tacetur de cæcitate Israel. Quarè?* &c. *At ista cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati, ut occiderent Christum. Jam istam cæcitatem si pœnam fuisse negaveris, similem te perpeti, etiam non consitens indicabis*, &c. *Quod si etiam pœnam peccati fuisse concedis, ne hoc non concedendo ipse corde cæcus appareas, vide jam quod videre nolebas, istam, quam movisti, solutam esse quæstionem.* Hæc Augustinus; quæstio verò erat, utrum aliquid posset simul esse pœna peccati, & peccatum?

Subdit: *& sicut cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis committitur; ita concupiscentia carnis*, &c.

Mox ad gentes transit in reprobum sensum, cæcitatemque traditas, & multa dicit, quomodò illa, quæ perpetrarunt, & peccata essent, & præcedentium pœnæ peccatorum, ut satis hoc libro declaratum est, & constitutum.

Postremò multa orationis vi percurrit plura peccata, quæ præcedentium sint pœnæ peccatorum, alia scienter, alia per ignorantiam, cæcitatemque commissa: quam eamdem orationem etiam habet ad verbum pænè Chrysostomus homil. de Adam, & Eva.

An non est peccatum, inquit, *& pœna peccati, ubi legitur; Dominus enim misit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius?* Chrysostomus verò ait, *ut faciant ea, quæ non conveniunt*, & alia uterque texit. *An non est peccatum, & pœna peccati*, (inquit uterque) *quod non audivit Roboam Rex populum bene monentem? quoniam sicut loquitur scriptura: erat conversio à Domino*, &c. *Et multa alia commemorare possemus*, ajunt, *in quibus liquidò appareat, occulto Dei judicio fieri perversitatem cordis, ut non audiatur, quod verum dicitur, & indè peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati, utique peccatum est venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto Dei judicio; sed tamen justo etiam pœna peccati monstratur. Quale est illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ecce pœna peccati peccatum est: utrumque claret; breviter dictum est; apertè dictum est, ab eo dictum est*, &c. Hactenùs Augustinus, & Chrysostomus: atque acutè suprà Anselmus ajebat; *prioris namque peccati merito peccatorum subsequentium fovea sequitur* (& sic non videtur) *ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in aliis etiam nesciens cadat; hoc quippè agitur, ut culpæ culpis feriantur, quatenùs supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum.* Hæc Anselmus. Igitur enim fovea; & sic cæcus ducens, & cæcus ductus in foveam uterque cadit, ut Dominus definit. Non ergo cæcitas eximit, præservatne à casu. Recentiores si velint, ista sibi vel exponant, vel corrigant. Sed resumere ex eodem Augustino possumus illud, *si deposito vincendi studio diligenter attenderint, invenient verissimum secundum ea, quæ de cordis cæcitate tractata sunt*; inquit in singulari ad Julianum Augustinus.

Idem denuò Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 22. contra Pelagianos: *nec cogitat*, inquit, *prævaricatorem legis, quem dignè lux deserat veritatis, quâ desertus utique fit cæcus, & plus necessè est, offendat; & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideò tantùm audiat vocem legis, quâ admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus; quia cum cognovissent Deum, &c. *sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Utique ista obscuratio vindicta, & pœna jam fuit; & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, & in plura, & gravia peccata collapsi sunt. Gravis hæc pœna est: si quis intelligat; & ex hac pœna vide, quo ierunt; & immutaverunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei, &c. Ista fecerunt ex peccati pœna, quâ obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licet pœnalia etiam ipsa peccata sunt, adjungit, & dicit: propterea tradidit illos Deus in desideria carnis, & reliqua Pauli commemorat. Ecce quoties vindicat Deus, & ex eadem vindicta plura, & graviora peccata consurgunt, &c. Atque ut ostenderet (scilicet Paulus) sic esse ista peccata, ut pœnæ etiam sint peccatorum, adjungit; & mercedem mutuam, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, &c. Fortassè respondeat, Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantùm deserere. Si hoc dicit; deserti quippè, ut divi, luce justitiæ, & per hoc tenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia, quæ commemoravi, opera tenebrarum. Hæc Augustinus. Aliter autem de morte, & pœnis, quæ peccata non sunt, statuit cap. seq. 23. Dicant jam, & exponant, ignorantiam, cæcitatemque, & reprobum sensum non excusare à peccato, id est, à pœna peccati, vel à peccato impropriè tali, vel à culpa illa, quæ ignorantiam, cæcitatemque ipsam præcessit. Dicant, invertant, & vincant.

Hinc ut principio quæstionis dixi, S. Thomas 1. 2. *quæst. 94. art. 6.* quærit de lumine ipso etiam naturali rationis, utrum aboleri possit? Et respondet, quoad universalissima principia non posse; quoad multas verò conclusiones etiam clarissimas, ac etiam expressas in Decalogo posse propter malas persuasiones, & pravas consuetudines, habitusque corruptos: sicut apud quosdam, ait, non reputabuntur latrocinia peccata; vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom. 1. Hæc S. Thomas. Adeò verò cuncta confusa sunt, ut quasi S. Doctor Apostolum, sanctorumq; doctrinâ ignoraret, visus

quibus-

quibusdam sit ignorantias hic invincibiles ponere; quia scilicet in ipsorum cerebro ignorare, & invincibiliter ignorare; item peccatum esse non reputare, & invincibiliter ignorare, perindè sunt.

§. VII.

Jam similiter nemo dixisse, aut dicere posse videtur, etiam Christianos excæcari mente non posse.

HUmanum profectò est in verbis mendacii confidere velle, oscitarique signatè, vel exercitè; speculativè, vel practicè dicendo, ac censendo, *templum Domini, templum Domini, templum Domini c.* Jerem. 7. quasi nos diceremus, Ecclesiæ Filii, Ecclesiæ Filii, Ecclesiæ Filii, & catholici sumus; undè cæcitatis malum ingens Judæorum, & Hæreticorum esse, nostrum autem esse non posse arbitremur.

Hoc nunc removendum est; quoniam pro salute maximè catholicorum laboramus; & supponimus, Ecclesiam ipsam excæcari non posse. At compertum, exploratumque esse videtur, multos catholicos, imò etiam plurimos excæcari ex parte posse, nec præservatos esse ab hoc malo.

Patet; quia raptores esse possunt; adulteri, avari, superbi esse possunt: ergo etiam excæcari possunt. Item illud Apostoli ad Rom. 9. *cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*, nos quoque comprehendit: ergo indurari possumus: ergo etiam excæcari. Rursùs: mater superbia catholicorum etiam esse potest; item mater luxuria: item mater avaritia; ergo & filia cæcitas. Hæ matres plerumque cæcitati assignantur, ut constat ex 2. 2. q. 19. ubi luxuria designatur: & de superbia patet ex evangelio; & Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 6. *quid hoc causæ esse arbitramur, nisi quia illa superbia; quæ est mater omnium hæreticorum impulit*, &c. & iterum in psalm. 106. & Episcopi Africæ in libello ad Theodotum Papam, *certum est*, ajunt, *quod tales sermonum novitates de malo gloriæ amore nascuntur* &c. & Chrys. in epist. ad Galat. c. 5. *quippe hæreseon mater principatus cupiditas.* Si ergo superbia sic excæcare catholicum potest, uti plurimos excæcavit, ut ex catholico hæreticum faciat, poterit etiam excæcare minùs.

Petrus etiam Apostolus epist. 2. cap. 1. ad catholicos scribit, & inquit, *cui enim non præsto hæc*, id est, ministratio solicita in fide, in fide virtus, in virtute scientia, in scientia abstinentia, patientia, pietas, dilectio fraternitatis, cui, inquam, hæc præsto non sunt, *cæcus est*, sit, *& manu tentans*; quod cæcorum est subdit, *oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*; hæc enim purgatio ignorantiam, cæcitatemque, ut diximus, abstergit dispositivè. Et hæc veritas supponitur in Decreto 38. dist. *quæ ipsis*, ad sacerdotes nostros alloquendo, *valdè periculosa sunt*, *dicitur evangelica mina, quibus dicitur, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Supponitur ergo, catholicos, quin etiam sacerdotes, & Magistros ducentes cæcos esse posse. Quæ brevis commonitio in re aperta suffectura planè videtur.

Sin verò formalissimam causam meritoriam, cur Judæi excæcati fuerint, ab Isaia, & à Domino requiramus, occurrit profectò undè non modò excæcari nos posse credamus, sed excæcari etiam metuamus. Causam enim illam eò Isaias retulit, in quo utinam christianorum aliquorum vita non describatur: *eò quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eorum longè est à me; & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic*, &c. & Dominus Matth. 7. *Hypocritæ benè prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me: sine causa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum*: ut post pauca: *sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Ecce quò referant causam cæcitatis populi.

Alicui certè rei, & objecto famosiori, ut lib. 4. magis explicabitur, inhæret cor nostrum; quæ res, & objectum. Si Deus non est, aliquid ad concupiscentiam carnis, vel oculorum, vel ad superbiam vitę pertinens sit, necesse est: atque per inhęsionem, affixionem ad hoc aliud, longè fit à Deo cor non modò eorum, qui nec ore suo appropinquant, nec vel labiis glorificant ipsum, sed magis mendaciis, maledictis, perjuriis obscęnisque verbis inhonorant; verùm cor etiam eorum, qui ore saltem appropinquant, labiisque glorificant: & quam longè à Deo voluptas, aurum, honorque mundi sunt, tam longè ab eo abest, ac distat cor eis inhęrentium, maximè verò abhorret superbos hypocritas ore solùm, labiisque & corpore appropinquantes; *qui humilia respicit, & alta de longè cognoscit.* Ex quibus fit: ubi eędem adsunt causę demeritorię, iidem sequi possunt effectus, & pœnę: sed esse potest, quod christianorum ore etiam appropinquantium, ac labiis glorificantium cor longè sit à Deo, sitque in auro, vel honore, hęc autem est causa effectus, & pœnę cęcitatis. Possunt ergo tales etiam christiani excęcari. Et confirmatur; quia Dominus hoc loco haud invehitur in aliquos apertè malos, puta homicidas, ac similes, qui nec labiis quidem curent Deum glorificare, sed invehitur in superbos hypocritas ore appropinquantes, qui boni videri niterentur: eos tamen definit esse cęcos, cęcorumque ductores: quorum typus in Pharisęus erat, qui dicebat: *gratias tibi ago Domine*, &c. Videat ergo unusquisque, ubi multorum sint corda, quod sępè ex fructibus eorum, & signis haud difficulter conjicitur: & dignoscet, utrum cęci sint, qui intereà sibi justi videntur, vel an saltem excęcati possint.

Quod verò ad doctrinas hominum, & mandata attinet, timorem incutere potest; nam plurimi doctrinis solùm hominum sibi vivendum existimant, id est, doctrinis humano ingenio, ratiocinioque contextis, nec ex Dei scriptura, doctrinaque haustis, & compactis; ut facto ipso apertis aliquibus libris, & percursis, qui vitam salutis docent cernitur; ubi non Prophetas, non evangelium, non Apostolos invenias, sed omninò alios, ut pleniùs suo loco prosequemur. *Quid autem, iniquum*, inquit S. Leo epist. 10. ad Flav. Constantinop. *quam impia sapere*, &c. *Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obstaculo, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas nec ad evangelicas autoritates; sed ad semetipsos recurrunt*; scilicet ad ingenia sua, & vires. *Ideò*, subdit, *magistri erroris fiunt; quia discipuli veritatis non fuerunt.* Stultitia porrò est existimare, ad res fidei quidem non sufficere ingenia nostra;

sufficere autem ad sciendam salutis viam, tractabimus undè fit, ut aliqui per eos libros examinati, & taxati justi fint; verè tamen non fit; & in cæcitatem incidant. Sequuntur etiam alia, quæ silentio obvolvenda sint.

§. VIII.

In quibus ergo cæcitas aliqua nobis incidere posse videatur?

LOquemur hic proponendo magis; & quærendo, quam asserendo, atque ex plurimis pauca insinuabimus, in quibus docere vellemus. Dictum itaque est §. 2. & explicatum cæcitatem mentis præsè sumptam, & ab ignorantia, hebetudineque mentis distinctam versari circa principia. Juxta veritatem verò, ac doctrinam christianorum prima principia sapientiæ, & scientię nostræ sunt Deus, Jesus Christus, scripturæ etiam Dei, & verba, ecclesia sancta, Romanus Pontifex, sanctique Patres: undè qui hæc cuncta. & singula in loco suo non ponit, & habet, sed invertit, vel de gradu suo tradit, errat circa prima principia, & cæcus est; & quidquid conclusionum texet, non sciet, sed inepriet, & quo plura volumina componet, eò magis desipiet, ac decies centena millia major error erit.

Quo posito, illud primum, & maximum scire vellem, quomodo ad cæcitatem non pertineat vel nausea, vel contemptus, vel neglectus scripturarum Dei? Videmus certè, magno Ecclesiæ sanctæ studio erectas esse in Academiis, ac studiis quibusque Cathedras sacræ scripturæ, ut suo loco infrà tractamus. At qui in Cathedris hisce scripturam ipsam docere velint, aut discere, non tam multi occurrunt, sed nausea quædam, & alienatio videtur plurimos occupasse, & quibus libri alii sapiunt, scripturæ verò, & fastidio est, & nihil est, si textum affectas; quem etiam transiliunt, dum libros legunt: ac me terræ filium libentiùs legunt, quam Isajam, vel Paulum. Si ergo, ut cum D. Thoma §. 2. constituimus, cæcitas sita est etiam in privatione principii intelligibilis & hoc principiom intelligibile universale sunt ScripturæDei, tu vide, quo ista abjecto, & derelictio, & ignoratio scripturarum pertineat? De cætero infrà ostensuri sumus, nisi ex scripturis Dei nullum prorsùs esse, vel fieri posse sapientem, vel Theologum,

Scire secundò vellem, quo etiam pertineat consimilis alia prætermissio, & abjectio sanctorum Patrum? Quo item voces illæ, sanctos Patres vel non se satis explicuisse, vel Theologos scholasticos non extitisse, vel concionatorio modo egisse, & exaggerasse, vel dum hæreticos oppugnarent, excessisse, atque in partem contrariam declinasse? cujus postremi dicti exorbitans falsitas constat ex Concilio Chalced. & ex 6. Synodo act. 2. omnibus verò his eò itur, ut autoritas sanctorum tollatur, ac evertatur. Cum porrò hoc indirectè, & clanculum efficere, perindè quoad effectum sit: atque tentare palàm, & directè; fuerit autem extrema cæcitas Lutheri, & Calvini id palàm; & directè audere, scire vellem, quò prædicti modi pertineant?

Aliud principium in Ecclesia Dei necessarium est sedes Apostolica, ac infallibilitas ejus in doctrina fidei, & morum, & in cultu: quam planè infallibilitatem facillimè contra aliquos omni autoritatis genere demonstrarem. Sed plerique omnes eam tuemur: & quo intereà in loco bullæ Apostolicæ etiam doctrinales apud hos ipsos sint, res ipsæ demonstraat. Nuper condemnatio illa prodiit purè doctrinalis quadraginta quinqueopinionum: & intereà non sine mærore audias, non unum, sed plures dicentes, vel rem intimatam non esse, vel à sæculari senatu approbatam non esse, ac similia valdè sanè dolenda; quæ quonam pertineant, ipse nescio, sed horreo. Huc etiam consideranda pertinet infallibilitas illa regulativa morum, quam Autori cuique tribuunt, ut *part. 1. lib. 1.* tractavi. Nam si principia negare, & non intelligere ad cæcitatem reducitur, alia tamquam principia confingere, & inducere ad eamdem spectabit. Similiter Principes, & Ministros, eorumque confessarios tamquam cæcos ducentes, & cæcos ductos damnari cæcè non posse, & alia; de quibus latè infrà disputamus. Mitto quædam notissima in libro Dei principia; ut nullos non humiles salvari: non solùm non odium, sed veram etiam dilectionem Dei, & proximi ad salutem requiri; viam item salutis non spatiosam esse, & plurium, sed arctam, & pauciorum, hęc, inquam, & alia non modò prętermitti videntur, sed contraria etiam assumi. Ex quibus sanè fiet, ut salvari quidem videantur plurimi, & salventur paucissimi; nam indicabimur ex libro Dei,

QUÆSTIO XV.

Utrum ergo discerni à nobis, taxarique possit quantitas diligentiæ obligatoria prosciendæ veritate, ut discernamus ignorantias vincibiles, ac invincibiles?

COnstitutum est superiùs *quæst.* 11. via cognitionum habitarum, vel non habitarum discretionem istam fieri minimè posse. Inquam, cognitionum de malitia, objecti, vel de obligatione in particulari sciendi, & inquirendi; nam has cognitiones excludit utrauis ignorantia, ac eisdem quoad hoc existentibus cognitionibus, potest unius quidem ignorantia esse vincibilis, quamquam de cætero eadem omninò collectio cognitionum vix in utraque concurrat, ut tradit vir verè Theologus Didacus Ruiz de Montoja in suo tract. manuscr. de peccatis, in quo vix à nostro toto progressu discrepat. Itaque possunt cognitiones deesse propter impotentiam, ac post expletam mensuram diligentię debitę; & tunc ignorantię sunt invincibiles juxta omnes; vel possunt deesse; quia mensura ex expleta non est: & tunc etiam juxta omnes vincibiles sunt: quarè non tam ipsę ignorantię, & cognitiones attendendę sunt, quam causę cur sint. Universa proindè discretio inter utrasque ignorantias eò unicè resolvitur, utrum scilicet facta sit vel non sit debita diligentia! ad quod denuò scire necesse est, quantum sit, vel non sit faciendum.

§. I.

§. I.

Omnes supponunt, nos graviter obligari ad aliquam diligentiam: ubi de præceptis sciendi.

NOn unus, non alter, sed omnes nullo excepto hoc supponunt, nos scilicet graviter obligari ad aliquam demùm in aliqua mensura adhibendam diligentiam pro scienda lege, & veritate (nam idem hæc duo sunt) sive communi, & omnium; sive particulari statua sui, & officii. *Impingo, inculco, infercio recusantibus*, ut loquitur, & facit Augustinus *lib.* 6. contra Julianum, *cap.* 4. i. l est, eadem resumo, ingero, induco; quod quibusdam vitiosa repetitio visa est, sed est necessitas resistentium fortissimè. Ex ea ergo omnium positione infero: ergo siquis debitam hanc diligentiam non facit, & propterea nullam cognitionem habet malitiæ, neque obligationia eam rem magis examinandi, nec remorsum ullum, non ideò a culpa excusabitur juxta communes regulas de ignorantia excusante, & non excusante.

Quæritur autem, undè obligatio ista nascatur diligentiæ quærendi, examinandi, consultandi, an ex præceptis particularibus in singulis materiis, an ex præcepto aliquo universali sciendi obligationes, & leges ad unumquemque pertinentes? Et respondendum est, ex utroque provenire eam curæ, ac diligentiæ impendendæ obligationem, ut superiùs partim statutum est, & declaratum.

Quod enim particularia præcepta in suia materiis ad se scienda, constat; nam ut rectè Suarez suprà assumebat, in præcepto faciendi clauditur obligatio sciendi; & frustrà nobis res ipsæ imperarentur, si præcepta liceret ignorare; quæ quippè nisi sciantur, agnoscanturque, servari non possunt. At præcipiunt, ipsa servari res injunctas exequendo. Præcipiant ergo & ipsa resciri.

Dices, non esse, quo nos præcepta tangere, ligareque possint, & obstringere, nisi media ipsa sui cognitione; neque nisi per istam derivare ad nos possunt ullam vim suam, ac virtutem: ergo prima obligatio præceptorum hanc sui cognitionem aut requirit, aut prærequirit: ergo ad eam obligare nequeunt; nam necessaria alioqui esset alia præceptorum cognitio ante primam cognitionem; quòd implicat, ac etiam; in infinitum procederetur. Ergo præcepta particularia ad se scienda non obligant, sed solùm ad se servanda, si sciantur: nequit ergo ex ipsia particularibus præcepti nasci ea obligatio adhibendæ diligentiæ, quam omnes requirunt.

Respondeo, præcepta quæque, & leges sua sufficienti facta promulgatione incipere obligare, ut jura supponunt, ac inter alia Decreto sanctæ Inquisitionia quotannis nobis intimant; ac infrà suo loco exponetur. Inscitia porrò est existimare, legum promulgationem ipsa legum, præceptorumque constare, ut exponetur: eam proindè antecedit; atque ad præcepta servanda, ac ideò etiam ad scienda obligat, seu ipsa potius præcepta satis promulgata obligant. Est etiam inscitia deterior dicere, hæc quidem ita esse in foro exteriori; non autem in interiori, & in conscientia: quo nimis grosso, universalique principio cuncta quidam evertunt, ac tribunalia irrationabilia esse supponunt. In specimen verò significavi Decretum sanctæ Inquisitionis quotannis religiosis omnibus legi solitum; siqui enim sunt docentes doctrinas hominum, timentesque Deum mandato eorum, eorum, non ita promptè interpretabuntur, & coràm dicent, Decretum illud post factam promulgationem, quæ in ipso sufficiens futura dicitur, non obligare in foro conscientiæ; sicut fortè dicerent, si textum ex Paulo allegaremus.

Ex his ergo argumentum constat, præcepta quæque, & leges incipere nos obligare, & obstringere sua sufficiente jam facta promulgatione ante actualem ipsarum cognitionem: exindè enim obligamur ea servare, ac proindè etiam scire, concesso intereà, ut dicemus, aliquo temporis intervallo majori, vel minori pro tanta, vel majori distantia subditorum à loco promulgationis. Neque ad Theologos, aut subditoa pertinet taxare sufficientiam debitæ promulgationis, sed ad Legislatorem, maximè Deum; essetque valdè insanum de eo cum ipso contendere, ut inferiùs tractabitur.

Hinc verò miramur, cur, undeue aliqnibus tam nova, irregularisque visa sit doctrina, & intentio nostræ partis primæ, ubi hoc fermè unum, hoc solùm moliti sumus, ut omnes doctrinas falsas sive probabiles, sive probabiliores à regula conscientiæ removeremus, & solas veras adstrueremus. Cum enim omne præceptum obliget ad se sciendum, utique verè; nam alioqui non scitur, sed nescitur, & in obligatione faciendi claudatur obligatio sciendi, perindè prorsùs est, & nihil aliud est ad veritatem obligare, & ad scienda præcepta: & hoc pueri à primis rudimentis edocentur. Obligamur ergo ad veritatem. Præcepta itaque non sciuntur falsis ullis cognitionibus, sive probabiles eæ sint, sive probabiliores, & probabiliùs errare non est scire, sed errare, & ignorare. Ergo perindè dictu est, ad veritatem ipsam agnoscendam tenemur, & ad præcepta scienda tenemur. Hoc porrò posteriùs non novum, sed antiquum est, nec horum, sed omnium. Fateor ergo, ignorantiam ipse meam haud assequor, cur, & undè tam nova, irregularisque visa sit ea ad veritatem obligatio. Quemadmodum rursùs ipsa præcepta in se suprema, & prima regula secundaria: at cognitio falsa præceptorum non est cognitio præceptorum, sed magis ignorantia eorum, & error. Non ergo regula. Quarè de falsis omnibua, quæ secum semper necessariò ignorantiam afferunt, una superest quæstio, non quidem, utrum sint regula, sed utrum excusent: ex quo uno tota fermè doctrina nostra pendet, quo pauculo everso tota evertitur.

Sed præter obligationes particulares per singula præcepta inductas sciendi ipsa, sunt prætereè præcepta communia pertinentia ad intellectum, & scientiam, de quibua tractat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 16. & certè si Theologiam ordine suo addisceremus, ejusque quæstiones notas haberemus, multæ, opinor, lites opinionesque cessarent. Statuit ergo S. Doctor *art.* 2. in veteri lege convenienter tradita fuisse præcepta pertinentia ad intellectum, & scientiam; quæ sanè præcepta per evangelium dejecta non sint, sed magis stabilita.

Probat ex Deut. 6. *erunt verba hæc, quæ ego præ-*

cipio tibi, in corde tuo, quod pertinet, ait Doctor, ad disciplinam. Quod verò subditur: *& narrabis ea filiis tuis*, pertinet ad doctrinam. *Et meditaberis sedens in domo tua*, &c. & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque; & movebuntur ante oculos tuos, &c. per quæ omnia, inquit Doctor, jugem memoriam mandatorum Dei significat. Et confirmat ex Deut. 4. & concludit: *& hæc etiam abundantiùs in novo testamento tam in doctrina evangelica, quam Apostolica, mandata leguntur*, ut *lib.* 2. & 3. copiosè constabit.

§. II.

Qui diligentiam necessariam, qui item sufficientem præscribunt, qui etiam prudentis arbitrio rem relinquunt, nihil doctrinale docere videntur.

AUtores passim omnes rem istam magis attingunt, quam expediant, ut ex hac diligentiæ quantitate, & modo inter ignorantias vincibiles, & invincibiles, inter obliviones item naturales, & voluntarias discernant. Ajunt autem, diligentiam sufficientem adhibendam esse item diligentiam necessariam: rursùs etiam, sicut de pretiis rerum fieri consuevit, distinguunt summam, seu exactissimam, & mediam, & infimam necessariam, dicuntque summam illam, & exactissimam non postulari: quod etiam exponere solent docendo, humano modo quærendam esse veritatem, adhibendamque diligentiam. Inter negotia quoque distinguunt pro gravitate rerum, juxta quam major, vel minor indagatio, investigatioque ineunda sit. Interdum etiam requiri, ajunt, majus studium, quam humanum, & orationibus opus esse, & pœnitentia, ac peccatorum expiatione. Et quoniam hæc omnia, & singula ad unam regulam cogi, exigique posse non videntur, arbitratio demum prudentis rem committunt, atque relinquunt: & Suarez, Valentia, aliique propter tantam rei hujus incertitudinem annotant, ut diximus, opus esse oratione, qua ab occultis nostris mundari precemur.

De his nunc modis sigillatim, sed breviter est dicendum; qui certè veri magis sunt, quam doctrinales, ut intelligere quis, carpereque possit quantitatem, mensuramque diligentiæ necessariæ; nihil enim explicationes istæ re ipsa explicanda clariores videntur. In primis enim, qui diligentiam necessariam, diligentiam sufficientem adhibendam dicunt, nihil dicunt; hoc scilicet esse, quod quæritur, quandò de diligentia quæritur, quanta quippè, qualisque necessaria sit: quare dicendo sufficientem, & necessariam adhibendam esse, nihil planè dicitur. Empturus es equum, vel domum, & perit consulis, quantum te solvere oporteat. Quod si respondeat, justum pretium, aut necessarium, aut sufficiens persolvendum esse, vera, sed indoctrinalis est responsio, ex qua scilicet scire nequeas, num centum, num quinquaginta solvere oporteat. Est deindè citra doctrinam lumine naturæ notum universis, in rerum emptione pretium justum, sufficiensque esse persolvendum; adhibendam item pro præceptis sciendis, & veritate deprehendenda diligentiam necessariam, & sufficientem; hoc quippè ignorat nemo, & perindè dictu est, adhibendam sufficientem diligentiam, atque adhibendam eam, ad quam tenemur. At scientes ad aliquam nos demùm teneri, quærimus quænam illa sit. Ergo dum respondetur, sufficientem diligentiam, vel necessariam adhibendam esse, id nobis respondetur, quod sciebamus; non autem id, quod ignoramus, & quærebamus. Atque hoc multis prætereà exemplis conspicitur.

Rursùs exemplùm pretiorum nihil rem istam declarat. In pretiis siquidem exponendis non hoc unum dicimus, aliud summum; aliud infimum esse, & aliud medium, sed prætereà determinamus summum esse. v. g. viginti; infimum sexdecim, medium octodecim, atque similia: quæ nisi determinaremus, solùmque hæreremus in illis terminis *summum medium, infimum*, nihil ad actum deduci posset, quibus scilicet auditis, nescit, quis, ut diximus, quantum præstare oporteat. Est verò ad hanc doctrinæ insufficientiam exponendam appositum exemplum illud, quod de recta ratione ex Aristotele prosecuti sumus *par.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 1.

Quod autem dicitur de humana diligentia, aut de humano studio, vix constat, quo sensu dicatur. Humanum scilicet, id est, hominum, & non Angelorum studium adhibendum esse, in comperto utique est; neque hic est sensus. Humanum rursùs studium requiri, hoc est, quale homines pro rebus humanis adhibent, doctrinale quidem esset, ut inferiùs dicetur, sed neque hic videtur esse intentus sensus. Sin verò per humanum studium intelligant illud, quod plerique pro præceptis sciendis expendunt, qui videtur esse sensus intentus. Hoc certè nobis probari nequit, quibus firmum illud est, quod lib. 4. tractabitur, viam salutis, & vitæ eam non esse, quam plerique, & multitudines, sed quam pauciores sectantur. Atque breviter paulò inferiùs disseremus, plus requiri, quam hoc humanum studium, id est, quam quod plerique vitæ communis homines huic rei sciendæ impendunt.

Nunc autem patet ad hominem breviter. Ajunt enim, quod ratio naturalis dictat, distinguenda esse negotia; sunt quippè quædam gravissima, in quibus majus studium requiratur, & ideò orationes etiam, & pœnitentiam postulant. At omnium, opinor, gravissimum negotium est negotium salutis, & vita, vel mors animæ. Ergo illud studium requiritur, non quod plerique sanè adhibent, sed majus. Etenim plerique non illud studium adhibent, quod gravissimis negotiis sæculi impendunt, sed valdè minùs. Ergo hoc humanum studium non sufficit,

Vox deindè ipsa *humanum* mihi displicet, nisi magis explicetur; nam scientia salutis non quid humanum, atque hoc sensu humani studii est, sed muneris divini, ut lib. 2. ostendemus. Quæreret quis, quæ vires requirerentur ad servandam legem Dei? & diceremus requiri vires humanas, aut conatum quemdam humanum. Certè hæresis esset, si humanæ facultatis prout à gratia distinguitur, id esse constitueremus. At vires, & scientia utrumque est donum Dei, ut omissis reliquis, toties in psalmis iteratur: *qui doces homines scientiam*: item, *beatus, quem tu erudieris. Domine, & de lege tua docueris eum: doce me facere voluntatem tuam: vias tuas, Domine, demonstra mihi*, &c. &

est

est hoc circa locum egregius Augustini contra Pelagium lib. de nat. & grat. cap. 17. Ergo non quid humani solùm studii res ista est, sicut scire Logicam, aut geometriam, aut artem bellicam; sed in qua Dei adjutorio, & precibus, multaque solicitudine opus sit. Profectò magnum quidpiam illud fuit, quod de Joanne filio pater prædixit: *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum*, sed de his lib. 3.

Probamus autem maximè; quod in rebus etiam ipsis animæ negotiorum fiat distinctio; sunt enim alia aliis longè graviora. Hujusmodi maximè ea sunt, ex quibus modus pænè omnis vitæ, morumque pendet. v. g. utrum liceat usus omnium opinionum probabilium? item utrum unusquisque teneatur ad studium præfectionis proprii status: item hæc ipsa, quam tractamus de quantitate diligentiæ? Ex his scilicet, ac similibus vitæ nostræ modus omnis mutatur, & distat ferè sicut cælum à terra vita ejus, qui non ex probabili, sed ex vero vivit, seu qui perfectioni incumbit à vita per probabilia quæque, & sine studio ullo perfectionis agentium. Quarè ad hæc, & similia tutò, recteque scienda: & constituenda, sibique in posterum præfigenda summo quodam studio, & oratione, animæque emundatione opus est. Atq; hoc præter rei ipsius summum momentũ constat; quia omnes dicunt electionem status summa quadam deliberatione consideratione, orationeq; faciendam esse. Omittunt quidẽ hoc curæ plurimi; ex quo obiter etiam constat, vulgarem multorum diligentiam non sufficere; omittunt, inquam, & solùm de fortunis amplificandis, similibusque rebus mundi cogitant, & consultant, sive statum clericalem, sive matrimonii aut judicaturam, aut mercaturam electuri sint; & illud unum ineptiens mundus clamat, examinandum esse diligentissimè, num religionem ingressurus quisque à Deo vocatus sit: an vero ad reliquos status satis sanè periculosos à Deo singuli vocentur, num ipsi irruant, multi nec cogitare quidem videntur. At tamen lumen naturæ extinctum haud est, & omnes, ut dicebam, ponunt, electionem status maxima quadam discussione, atque examine efficiendum esse. Ratio porrò ea est, quam dedimus, quia, scilicet ex hac electione pendet modus deindè vitæ reliquæ pænè omnis. Sunt verò errores circa hæc, sicut errores circa prima principia fit processu decies centena millia major, ut aliàs ex Aristotele sesumpsimus, & loco scientiæ pseudoscientia quædam, & phantasmata colliguntur: sic etiam loco vitæ christianæ gentilis quædam, ac profana vita succedit.

§. III.

De appellatione ad prudentiam, & prudentes.

POst varia hinc indè tradita documenta, quibus quantitas diligentiæ exponatur, ac inter ignorantias vincibiles, invincibilesque discernatur, satius arbitrati sunt, rem demùm judicio prudentis relinquere; qua sanè remissione reliquorum documentorum videntur agnovisse incertitudinem; estque in universa morali doctrina frequentissima ista ad prudentes, quasi eis mundus abundaret appellatio, atque remissio.

Actum est de ea parte prima *lib. 2. quæst. 2.* & rursùs *lib. 3.* ostensumque eam doctrinalem non esse; & ut fatear ingenuè; vix quidpiam ea molestiùs audio; vix enim differt, utrum prudentibus, utrum omnibus res istæ relinquantur, & arbitrariæ cunctæ continuò fiunt. Primùm enim harum remissionum Autores certa definitione, quod in primis fuerat faciendum, non constituunt, neque declarant, quid per prudentiam, prudentesque significent: quarè omnes ferè, vel facto se significatos intelligunt, & audacter casus omnes resolvunt, cum intereà alii scientia ipsa prorsùs careant, alii etiam inepti sint, ac sibi prudentissimi cum videantur, nulli audentiùs, quia nulli ignorantiùs quantascunque definiunt.

Hoc explicui eo loci egregio documento Socratis, quo omnes sibimet prudentes videri apprimè declaravit. Eodem pertinet, quod Augustinus l. de util. creden. cap. 13. docet; *cum hoc nomen* (scilicet sapientis) *tametsi nemo ferè audeat palàm, plerique tamen ex obliquo sibi vendicent*, &c. & quod Seneca de bona mente enunciis vir; *puto si venderetur non haberet emptorem*, rutiùs de prudentia reponi potest, nullumque illa habitura esset emptorem; quia plures quidem sciunt, se magnos Theologos non esse; at qui se prudentem non habeat, magis nullus, quam rarus est. Cum ergo confessarii quique vulgares audiunt, res tantas prudentium relinqui judicio; sicut istam de ignorantiis vincibilibus, invincilibusque dignoscendis per obscuram sanè provinciam; factum est, ut quilibet de quibuslibet judicent, & ignorantiæ latissimè propagentur; & vel in vilissima quidem arte sutoria non omnes periti omnes continuò pares: fiunt autem pares omnes in artium arte, & disciplina suprema.

Illud prætereà in hac ad prudentes appellatione videtur improbandum, quod Autores illi, qui remissiones istas faciunt, plures ingeniosi existant, sin etiam in doctrina versati, & tamen tanta rei hujus facta discussione deprehendere non potuerunt, undè demùm, & quomodò inter ignorantias vincibiles discernendum sit; & quænam illa diligentia necessaria esset. Qui ergo illi prudentes sunt, ad quos nos remittunt, ipsis præstantiores, qui suffecturi sint? Vel enim aliquid illi habent, quo discernant, hoc sanè resciri ab ipsis potuit, & in libris consignari. Vel nihil habent, quo discernant? Et tunc dicent certè has ignorantias vincibiles; illas invincibiles; non tamen discernent, nec scient, nec intelligent, sed loquentur, ac erunt Doctores illi, quos Paulus describit, non intelligentes, de quibus affirmant.

Iterùm quia datis, expositisque per ipsos propositionibus universalibus, & quasi majoribus, remittere nos deindè possent ad alios pro particularibus, & quasi minoribus propositionibus dijudicandis, quod prudentibus illis nescio quibus faciendum relinqueretur, qui circunstantias personæ, negotii, temporis, & reliquas mensurando definirent tandem, an satis, an minus diligentiæ quisque impenderit. At hi prudentes non habent, undè de ipsis universalissimis propositionibus, & quasi majoribus judicent, nisi illud ipsum, quod habent Autores remittentes: aliundè verò nisi judicent de majoribus, nequeunt judicare de consequentibus; & qui nescit, quantum diligentiæ adhibendum in genere sit,

licet

licet sciat à Petro tantum, vel tantum adhibitum, nescit, utrum satis adhibitum sit: unde nec concludere potest, ignorantiam esse vincibilem, vel invincibilem: & satius multò videretur, quod hi prudentes denuò rem judicandam remitterent ad primos ipsos, qui remiserunt, in quibus scilicet plus esse solet scientiæ, & cognitionis. Et expono: hi certè prudentes, ad quos mittimur, aliqui in mundo sunt: punamus itaque, eos scribere librum, atque in eo tractare hanc nostram quæstionem de quantitate diligentiæ. Profectò nihil plus dicerent, quam modò dicitur, & ipsi eodem more ad prudentes remitterent. At nulli tunc alii superessent. Esset ergo remissio ad eos, qui non sunt; quod proindè dissimulata quædam ignorantia magis confessio esset. De facto autem, eum nulli videantur superesse prudentiores his ipsis, qui nos remittunt, quique libros conscribunt, remissio ista videtur eodem modo tacita quædam confessio insufficientiæ nostræ ad statuendum, atque mensurandum, quantum diligentiæ, & studii à nobis impendendum sit.

Postremò ut lib 4. latiùs disputabitur, quæstio de prudentia, & prudente; & quæstio de sapientia, & sapiente; & quæstio de vero, & veritate; & quæstio de scientia, & cognitione præceptorum non multæ, sed una nobis quæstio ex Augustino videtur, & qui horum quidlibet novit, cuncta quatuor novit; & qui ignorat unum, omnia ea ignorat. Itaque qui ignorat, & quærit veritatem, ignorat, & quærit veritatem, & scientiam præceptorum, & habito uno habuit utrumque. Similiter qui hocutrumque ignorat, & quærit, eo ipso ignorat sapientem: & qui ignorat, & quærit sapientem ignorat itidem, & quærit prudentem; & idem est de sapientia, & prudentia. At in præsenti ignoramus, & quærimus scientiam, & veritatem: remittuntur autem ad prudentem, & prudentiam. Remittimur ergo ad æquè ignotum.

Expono. Quæreremus in quæstione metaphysica, utra pars sit vera? Et respondes, eam esse veram, quam scientia ipsa; vel sciens affirmat. Nihil planè respondes; nam quem latet veritas, latet etiam scientia, & sciens, & sapiens, & utri contendentium sciant. ignorat. Idem autem est de prudentia; ubi prudentia locum habet nam prudentia sine sapientia non est; certè esse non potest cum ignorantia, & insipientia. Ergo mitti ad prudentiam, & prudentes est mitti, remittique ad æquè latens, & ignorum. Quod porrò prudentia non subsit in insipiente, & ignorante, nec in errante ullo etiam probabiliter, aut quoquo modo, sed veritatem ipsam, cognitionemque veram requirat, *part. 1. lib. 3.* ostensum est.

Nimirùm eum nihil hac voce *prudentia* sit magis æquivocum, multæque ejus acceptiones traditæ sint eo loci, illud fuit omissum, quod plurimum æquivocationum causa est. Prudentem quippè passim vocamus negativè talem, id est, non imprudentem; & similiter prudentiam non imprudentiam: sicut etiam quod *part. 1. lib. 2.* tractavimus, negativè probabilia, id est, non improbabilia appellamus probabilia. Hoc sensu qui invincibiliter ignorando operatur, prudenter, id est, non imprudenter agit, nam non peccat, & est prudens negativè: at positivè, & simpliciter prudens non est, & vitio magis caret, quam virtutem ipsam exerceat, in quo ignorat. Prorsùs enim implicat, quod hic denuò prosequi, & statuere promptum esset, prudentiæ esse opus illud, quo re ipsa lex Dei violatur: neque ex libro Dei unquam ostendent, ullum ignorantem re ipsa legem, aut ullum opus legi contrarium. prudentiæ laude probari.

Quin imò in scripturis Dei, & libris sanctorum sapiens, & prudens perindè fermè sunt; & iidem jam sapientes, jam prudentes eodem sensu vocantur, & vicissim stulti, & insipientes, & imprudentes. At invicta est ea Augustini propositio lib. de util. credenti cap. 13. *Cum de rebus*, inquit, *ipsis*, *quarum cognitione constat sapientia*, *ita inter se dissentiant*, *ut aut nullum eorum*, *aut certum unum necesse sit esse sapientem*. Hoc est, ex dissentientibus inter se, aut neutros, aut solùm alterutros necesse est esse sapientes, non autem simul utrosque, nam si contrariè dissideant, utrique simul desipere possunt, ut Lutherani, & Calvinistæ: at utrosque sapere, qui inter se dissentiunt, quæcumque demùm sit dissensio, tam est impossibile, quam utrosque simul verum dicere: sine veritate enim nulla est sapientia; sine sapientia rursùs nulla prudentia, ut in materia religionis palàm conspicitur: atque iis fermè principiis pars 1. toto innititur, quæ non facilè confringentur.

Ex his illa ad prudentes remissio rursùs cernitur, quam sit insufficiens; nam mundus totus dissentit de bono, & malo, de peccato, & non peccato, & his dissentionibus constant libri morales. Utrique autem ita inter se dissidentes sapientes non sunt. Ergo neque prudentes. Quinam autem præ aliis sint, ignoratur. Mittimur ergo ad ignotum. Certè eum in ipsa contradictione plerosque lateat veritas ipsa, & sapientia, sic etiam latet ignorantia, & imprudentia: indè quandiù nobis non constat, utri vere sint sapientes, & prudentes, utrosque sapientes, prudentesque vocamus; hoc est, sunt nobis negativè sapientes, & prudentes, quia nescimus, eos esse ignorantes, aut non prudentes; & licet sciamus, utrosque simul non sapere, quandiù tamen ignoramus, utri essent, utrosque sapientes, id est, quoad nos non insipientes compellamus: & ita etiam prudentes. Sunt proindè in his locationibus nostris, quibus prudentes, sapientesque loquimur, non unum, sed duo etiam addimenta diminuentia, quibus à virtute prudentiæ, prudentiaque ipsa deficitur: alterum, quod prudentia negativè solùm sumitur, alterum, quod solùm quoad nos accipiatur; nam re ipsa nec prudentia, nec sapientia subest in alterutris dissentientium.

Mirandum est ergo, quod dum de veritate ipsa est quæstio, eam valdè latentem, inaccessamque constituamus; & quasi sapiens sine veritate esse posset; essentque nobis, quibus latet veritas, notissimi sapientes, passim tamquam ad rem obviam remittamur ad sapientes. Rursùs verò quasi cellissima virtus *prudentia* res esset protrita, & omnium, & quorumlibet, quæ sine veritate etiam, & sapientia

tia supereſſe poſſet, ubi in invenienda veritate ipſa, & conſcientia deficimus, ad prudentes mittamur. Cum igitur in præſenti veritas ipſa, & ſcientia quantitatis diligentiæ adhibendæ non conſtiterit, mittere ad prudentes magis eſt quæſtionem fugere, quam ſolvere: nam quandiù veritas non innoteſcit, latet ſcientia, neceſſe eſt, latere ſapientem & prudentem.

§. IV.

Ex ipſo fine diligentiæ adhibendæ quantitas ejus aliquatenùs innoteſcit.

Diximus §. 1. de fine, & cauſa, cur ad aliquam demùm diligentiam obligemur; eſt ſcilicet finis hic, & cauſa adimpletio ipſa, & obſervatio præceptorum, & propterea ſcienda ſunt, quia ſervanda ſunt, & ideò ſcire tenemur. Etenim ut non ex dubiis quoquo modo dubiis, & abſconditis; ſed ex tritis, manifeſtiſque maximè ſtatuamus, cathechiſmus ipſe Hiſpanus pietum rectè de præceptis aſſumit, ea ſcienda eſſe, *porque no ſe pueden guardar ſins ſe ſabes*. Indè etiam conſtituit, omnes, cum ad uſum rationis perveniunt, teneri ſcire quatuor genera rerum, quæ ſcilicet credere, quæ agere quæ petere, quæ debeant. Hinc Patrum filios, ac famulos intuendi, Parochorum, Paſtorum fideles erudiendi tota quanta obligatio. Patet ergo, hanc cauſam, hunc finem eſſe, ex quo ad præcepta ſcienda obligamur, quia ſcilicet ea ſervare tenemur, & niſi ſcita ſervari non poſſunt.

Hinc verò in primis ſumitur in genere, quantitatem diligentiæ adhibendæ non vulgarem quamque, ſed magnam eſſe. Nam principium eſt, finem eſſe menſuram eorum, quæ ſunt ad finem; & quantitas, & majus, vel minus momentum finis taxat media: & plus efficiendum eſt pro regno, quam pro domo, & pro vita, quam pro pecunia; pro anima, quam pro corpore, magisque curandus eſt finis quisque præſtantiſſimus, quam vulgaris alius. Verum eſt itaque, finem eſſe menſuram taxativam eorum, quæ ad finem ſunt. At finis ſciendorum præceptorum, & legis eſt maximus, & quaſi primum negotium hominum in hac vita: nam eſt ipſa ad impletio, & obſervatio legis, & præceptorum; utque facientes voluntatem Dei creſcamus, &c. Ergo quantitas diligentiæ, ſtudiique impendendi, & profectò non vulgaris quæque, ſed magna.

Qua propter ibi Deus, qui non fallit, de his loquitur, magnam quamdam diligentiam expreſſit; inquit enim Deut. 6. ut S. Thomas arguebat: *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis; & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens; & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur ante oculos tuos, ſcribesque ea in limine, & oſtiis domus tuæ.* Per quæ omnia ait S. Thomas, jugem memoriam mandatorum Dei ſignificat. Profectò maxima quæque diligentia urgentius, multipliciusque exponi, requirique non poſſet. At ſic taxavit, qui non fallit. Ergo non vulgaris quæque, ſed magna quædam diligentia neceſſaria eſt. Licet autem hæc Domini documenta magis pro memoria contra oblivionem ſint, quam pro ſcientia contra ignorantiam, una tamen eſt memoriæ, & ſcientiæ ratio, quia unus finis, & cauſa. Quin ex genere ſuo plus diligentiæ pro ſcientia, quam pro memoria poſtulatur, faciliùs enim minorique diligentia quæ jam novimus, memoria retinemus, quam diſcimus, quæ ignoramus. Ergo ſi Deus tantam pro memoria diligentiam popoſcit, ſanè ſimilis, vel major pro ſcientia deſiderabitur.

Multa præterea ſunt in ſacra ſcriptura, ex quibus innoteſcat, magnam eſſe debere iſtam diligentiam. Certè de Rege futuro in Iſrael Deuterom. 17. dicitur: *poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ*, &c. Talis verò fuit Rex David, qui legem Dei diligebat, & ſic tota die meditatio ſua erat; ac propterea ſuper docentes ſe intellexit, & ſenes etiam antecelluit, quia mandata Dei quæſiuit: & ad Reges omnes, & judices clamat Pſalm. 2. *& nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram: apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus*, &c. & Sapient. 6. *audite ergo*, &c. Atque Salomon Filius ſecutus eſt, & ſapientiam Regnis, & ſedibus præhabuit, divitiasque nihil eſſe duxit in comparatione illius: hæc eſt autem ſapientia Deuteronom. 4. *audientes univerſi præcepta hæc, dicant; en populus ſapiens, & intelligens.* Si ergo Reges etiam ipſi, qui propter Regni tantas curas minus in hoc laborare debere, aut poſſe videbantur, nihilominùs tantoperè intendere, attenderéque obligantur, facilis eſt indè conjectura ad reliquos. Et eodem cap. 17. Deuter. neutiquam, ut nunc multi philoſophantur, docemur; judices, Doctoresque conſului; ipſi variant; & alii lepram dicunt, & alii non lepram; quo facto ſatis eſt, & poſſeſſio eſt pro libertate, & ſi qua ignorantia incurratur, invincibilis eſt. Non, inquam, hoc edocemur, ſed ad novam denuò diligentiam Deus obligat usque ad ipſam inventionem judicii veritatis; *ſi difficile, & ambiguum apud te, ait, judicium eſſe perſpexeris*, &c. *ſurge, & aſcende*, &c. *quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem.* Dominus quoque in evangelio, quod magnam diligentiam præſeferat, jubet ſcrutari ſcripturas; item ignorantiam ſcripturarum improperat: atque multa adducemus inferiùs, ubi de neceſſitate cognitionis ſcripturæ tractabitur; modò ſcilicet curſim rem iſtam attingimus: & lib. 4. conſtabit, quantò ſtudio,

dio, & solicitudine rebus animæ intendere teneamur, ubi plus minùs quantitas hujus debiti studii sciendi innotescet: clauditur enim in eo studio rerum animæ, & studium, & diligentia faciendi; & item studium, & diligentia quærendi, & sciendi.

Nunc ex præstantia finis, ut arguebatur, constat, magnam esse oportere istam diligentiam, nec parem esse vulgarem quamque. Item constat ex præstantia, & eminentia ipsius etiam scientiæ, & sapientiæ: quam eminentiam totus liber sapientiæ statuit, & declarat; *omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Sap. 7. Si hæc, & alia, quæ ibi sunt, perspicuum est, pro re tam pretiosa comparanda intentissimam requiri diligentiam. Idcircò Augustinus, aliique Patres hanc legis scientiam, & sapientiam putant margaritam illam esse evangelii, quæ venditis omnibus emenda sit.

Constat etiam vel ex ipso nomine diligentiæ, quod in quæstione ista servatum est, ut ex hac veritatis quasi particula veritas ipsa tota el ceretur. Diligentia enim in primis à diligendo, & amando dicta est; cum autem Deum super omnia diligere, jussi simus, & hac propositione ejus etiam legem, ea diligentia necessaria est, quæ sit propria Deum super omnia amantium, & primùm quærentium justitiam ejus: ut lib. 4. declarabitur: sic autem diligentium, & amantium maxima esse solet diligentia, & studium, *quia vis amoris*, ut ait Gregorius, *intentionem multiplicat inquisitionis.*

Deindè ex nomine ipso arguendo ea diligentia est necessaria, quæ negligentiam tollat, nosque diligentes, ac solicitos præstet; nam ignorantiæ negligentium non excusant, ut constitutum est, *& noverca eruditionis est negligentia*, ex Anacl, epist. 1. Diligentia autem in vi solùm nominis magnum quidpiam tollit, & exprimit: sicut in rebus cæteris, & artibus cernitur, ut cum famulos diligentes, & negligentes, religiosos item, & scholares, & mercatores, & nautas distinguimus, & loquimur. Sic ergo est etiam in diligentia sciendi legem Dei, obligationesque singulas, & omnes uniuscujusque, & oportet, eam tantam esse, quæ nos à negligentibus distinguat, verèque diligentes reddat. Quemadmodum igitur currere non quemlibet quoquo modo motum significat, nec eos currere dicimus, qui ambulant, sed velocitas præter quædam, motusque celeritas requiritur, sic nomen *diligentia*, & *diligens* accuratam quamdam intentionem, applicationemque significat. Non ergo diligentes sunt, qui quidlibet quomodòlibet pro scienda lege faciunt, sed ea diligentia opus est, quæ nos reddat, præstetque diligentes & magnam quamdam, acuratamque applicationem, & intentionem ponat.

Collatione etiam diligentiæ, & studii, quod rebus aliis impendimus, magnitudo ista in genere internoscitur. Nos scilicet lib. 1. ostendemus, non aliis principiis, sed iis ipsis, quibus demùm judicabimur, statuendam, conteXendamque esse doctrinam morum, hanc que rectam esse, vel non rectam deprehendi per conformitatem, vel non conformitatem ad ea, quæ de futuro judicio credimus. Certè in eo judicio multum, aut nimium non erit; si quæramur, utrum tantum diligentiæ legi sciendi adhibuerimus, quantum divitiis, quantum saluti, quantum rebus aliis mundi solemus. Et Paulus humanum, id est, mitte quidpiam, & modicum postulare sibi visus est ad Rom. 6. ut sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem etiam exhibeamus servire justitiæ in sanctificationem, atque hoc postulans; *humanum dico vobis*, inquit, *propter infirmitatem carnis vestræ.* Non ergo hoc multum, hoc nimium quidpiam est, quod in eo judicio postulari non possit; & sive finis consideretur, sive rei ipsius momentum, sive quidvis aliud, quo ex loco Chrysostomus frequentissimè arguit, facilè non est tueri, tantùm saltem diligentiæ, curæque non impendendum, quantum famuli diligentes, mercatores item diligentes, scholares, Magistri cæterique diligentes in suis quique artibus ponunt. Ex qua proindè cum eis collatione magnitudo hujus diligentiæ sciendi internoscitur.

§. V.

Hujus diligentiæ magnitudo amplius stabilitur, exactè tamen taxari nequit,

VNa, frequentiorque pars hujus diligentiæ constat ex via consultationis: de qua sanè Autor operis imperfecti in Matth. hom. 44. haud exorbitat, dum dicit: *si vestimentum empturus unum petas negatiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas, hic non oportet, populum circuire omnes Doctores, & inquirere, sincere veritas Christi verundatur, & ubi corrupta, & veritatem eligere, plusquam vestimentum?* Ex hac sanè parte diligentiæ constat, quam ameam in se esse, oporteat. At, ajunt, *oportet*, dixit, quod præceptum non significat; nam scriptum etiam est, *oportet & hæreses esse*; cum tamen hæresum nulla sit planè obligatio. Verum ista, similiaque nimis, opinor puerilia sunt; & hoc pacto totam fermè moralem Philosophiam Aristotelis eludere inprimis possunt, quæ plena est hac voce, *oportet*: item multa in jure canonico, ac in scripturis Dei, & cum oportere episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, non violentum, & similia plura leguntur, respondere possunt, de consilio ea esse, quia *oportet* dixit. Scitur itaque, ea voce aliquandò gravem obligationem, aliquando levem, jam consilium, jam nec consilium quidem significari, ut in exemplo hæresum: quæ differentia ex ipsa substracta materia, connexuque sermonis ab omnibus, ubi contentio abest, facilè dignoscitur. In adducto autem loco, in quo à minori ad majus, & quasi à fortiori arguitur, Autori illi absurdum visum est, & cui certè non videatur, tantum non fieri pro veritate Christi invenienda, & scienda, quantum

saltem

saltem pro emendis vestibus efficitur. Verus porrò ipse Chrysostomus, ne vel hoc desiderent, hom. 13. in epist. 2. ad Corinth. sic ad ipsum expressit: *ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodò autem non absurdum propter pecunias aliis credere, sed ipsas numerare, & supputare pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim cum habeamus omnium exactissimam trutinam*: &c. Ergo in hac parte diligentia, quæ in consultando consistit, absurdum est, crimen est, non tantum pro scienda veritate facere, quantum pro veste, pro pecunia, rebusq; vilioribus, quæque minùs nostra intersunt, efficimus. Ergo ita est etiam de tota diligentia. Et Paulus quidem concessit, uxoratos esse divisos, & partem curæ uxori, familiæque impendere: at partem non totum concessit, nec partem fortè mediam, sed minorem, & plus semper animi, & Deus sibi omni sanè jure deposcunt.

Præterea ex ea diligentia, quam illi quotum interest, adhibent pro scienda, & dignoscenda veritate revelationum quarumque privatorum, detegatur, quantū facere omnes teneamur pro scienda lege, præceptisque Dei. Sunt quidem leges Dei revelatæ revelationibus publicis, quæ Ecclesiæ, & omniū nostrûm pluris intersint, quibusq; Ecclesia, & singuli dirigimur. Quarè eas ignorare, in eisve errare addendo, vel detrahendo plus præjudicii affert. At videmus, quanta diligentia discutiantur, examinentur, perpendantur revelationes quæq; privatè ab iis, quorū muneris idest. Similem igitur, & sanè magnam diligentiam adhibere omnes tenemur pro sciendis, rectè agnoscendis, & habendis nostris, omnium publicis revelationibus, quæ non per veru las aliquas, sed per Prophetas per ipsum etiam Dominum, ejusque Apostolos factæ sunt.

Rursùs lib. 3. declaraturi sumus promulgationē legum in actualibus nostris cognitionibus nō consistere, sed ad hāc cognitionem legum habendam, opus esse, ut Legislator ipse aliquid conferat, & nos quoq; conferamus. Et Legislatores quidem cōferunt promulgationem, ut sciri à nobis, agnosciq; leges possint: ergo oportet & nos simile quidpiam ex parte nostra conferre. Si verò cōsideremus, quātum Dominus in primis ipse per Apostolos suos, ac discipulos effecerit, & contulerit pro lege Evangelii evulganda, & publicanda, vix ulla diligentia ex parte nostra videretur sanè suffectura. Ipse primùm in hoc natus, ut testimonium perhiberet veritati, ex hac veritatis attestatione omnem in se invidiā, offensionem, opprobria, dolores, crucem passus est, Misit deindè discipulos in universum mundum tamquam oves inter lupos ad tribulationes, persecutiones, cruces & mortes. Sed verò in quem hæc omnia finem? Non in alium, nisi ut sciretur Evangelium, fides evulgaretur, & lex sua constaret. *Euntes ergo* inquit, *docete omnes gentes baptisantes*, &c. *docentes eas servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Ecce ergo quantum Legislator ex parte sua consulit. Jā si hæc mensura diligentiam etiam nostram meriti voluerit, quis jure conqueratur? aut quibus argumentis statuemus: oportuisse quidem ipsum conferre tantum: at satis esse nos in aliis omnibus occupatos & distractos conferre tantillum, negligere, dormire? Hoc sanè argumentū, nisi prorsùs ineptio, evincit, maximā quamdam vigilātissimamq; diligentiam ex parte etiam nostra requiri; nec flocci quod desipiens semper munus non ita credat; nam non à mundo, sed à Deo judicandi sumus.

Postremo indè magnitudo hujus necessariæ diligentiæ constat, qua adhibita maxima etiam diligentia, & propria Sanctorum adhuc tuti esse non possumus de peccatis ignorantiæ; & nullus Sanctorum fuit, qui certò sese immunem crederet, & unus Paulus testis sufficit. Supponebant ergo, maximam quamdam diligentiam requiri, Etenim Sancti Dei humiles quidem fuerunt; inepti tamen, obligationisq; suę ignari non fuerūt, sed nobis longè scientiores. Si autem existimavissent, vulgarem quamdam mundum precipuè sectantium diligentiam sufficere, eum probè sanè scirent, se plus curæ supra omnem comparationem adhibere, & perpetuò vivere cum libro Dei, & legis, plusquam certo arguméro statuere possent, se utiq; satis diligentes existere. Hinc rursùs certa consecutione concludere possent, suas ignorantias, si quę essent, fore invincibiles; unde nihil occulta sua, & ignorantias timerent, nec Dominum deprecarentur. Quemadmodùm si ego video, alium lentiori multo gradu incedere, quem tamen censeo ante noctem perventurum in urbem, in quā ambo profecti sumus, stultitia fermè esset si timerem, me non perventurum, qui velocius, diligentiusq; propero: atq; ita in aliis. Ergo timor hic Sanctorum mixtus tantæ diligentiæ probat, nos planè dormire, & oscitari multaque plus sollicitudinis requiri.

Consimilis scilicet hęc causa est, & causa gratię, & cooperationis nostræ. Quidquid nos satagamus, si absit gratia Dei, frustrà est; quod gratia præsto sit, si nos torpeamus, frustrà item est; & utroq; opus est ad justitiam, & salutem, & quod gratia adsit, & quòd nos vigilemus. Sic quantumq; Deus præcepta sua evulgarit, si nos negligamus, ignorabimus: quidquid rursùs intentissimi esse vellemus, si Deus voluntatē suam abscondisset, neq; edicere, manifestareq; voluisset, frustra esset. Utroq; igitur opus est, ut sciamus. ipse autem, ut vidimus, immensum est, quod fecit, & contulit, ne ignoraremus. Nos igitur plurimum etiam conferre, atq; impendere par est.

At quantū hoc esse debeat, taxari planè nequit. Difficultas quippè est communis rerum magis, & minus habentium, nec indivisibili consistentium, ut aliàs tracto extrema sanè quædam nobis nota sunt, & distinguimus facilè famulos alios esse pigros, & otiosos; diligentes, intentosq; alios, & sic inter mercatores, nautas, scholares; & reliquos. At ubi de quanto est sermo, quid magnū, quid parvū sit, & quota additione ex parvo fiat magnū, quanta determinarè pecunia pauper dives fiat, aut negligentia in diligentiā, seu parva cura in magnā pertrāseat, determinare, taxareq; non possumus, de qua parvi, magniq; natura, conditione, & difficultate, ubi de parvitatibus materiæ fusè disputo.

Nunc ergo, sicut in aliis ad animam, conscientiamq; rebus pertinētibus est hic quoq; dicendum, requirique scilicet magnam quamdam curam pro sciendis præceptis, & veritate, (quod idem est) quam magnitudinem ipsum nomen diligentiæ importat, & probavimus: aliquandò eam sufficientem non esse, seu magnam non esse, satis quidem à nobis dignosci in diligentissimis saltem quibusdam; discerni etiam in aliis valdè intentis curæ magnitudinem: at taxari medio justo à nobis non posse, quanta illa esse debeat explicari tamen in genere posse conferendo ad alias diligentias, & studia, quibus homines res perituras, & vanas, divitias, honores, voluptatem, & potentiam tam studiosè inquirunt, nec istam collativam

taxationem videri posse animam, ut ostensum est.

Hæc regula omnes utimur in aliis rebus animæ, & conscientiæ, nam scimus quidem omnes, turpi. v. tentationi diligenter esse resistendum. At verò uncias hujus diligentiæ nemo hactenus novit, ac mensuravit, & sapientissimi quique post luctam, & resistentiam, sæpè saltem certi non sunt, utrum satis egerint, utrum minùs, & si aliquandò remissio, & intentio, intensioque conatus ferè clarè cernatur. Sic etiam ad confessionem examinare se se quisque tenetur diligenter, discutereque conscientiam suam: probare item se, ut de corpore Domini edat, & de calice bibat, atque ita in aliis. At quantum quousque, quanta intentioneque, nemo certò dijudicare potest; & res sunt hæ omnes, in quibus quidem constet; multum sanè esse faciendum; non verò statui, taxarique tantum, & non plus: & in quibus, qui multum agunt, timere solent; confidere autem, qui minùs. Neque ex hac incertitudine absurdum quidpiam consequitur, sed magis ea sequuntur, quæ in vita verè Christiana, & non Pharisaica, nec superba quasi prima principia sunt, scilicet gradiendum esse inter spem, & metum; humilitate, ac oratione opus esse, beatos esse, qui timent Dominum; neminem quatumcumque justum justitiam suam exploratam habere; neminem esse, qui occulta sua, & ignorantias timere non possit: atque, quæ sanctissimi, scientissimiq; quiq observant, rataq; habēt.

QUÆSTIO XV.

Utrum ergo voluntarium indirectum sufficiat ad peccandum etiam graviter per ignorantiam non solùm contra legem Dei, sed etiam Ecclesiæ, & contra leges humanas.

OStensum est quæst. 8. ad hæresim, pœnasque ejus incurrendas opus non esse. quod ignorantia sit affectata, & directè voluntaria, sed sufficere ignorantiam indirectè voluntariam; quin vix unquam, aut nunquam hæresis directè amatur. Nunc ad pleniorem totius de ignorantiis in genere tractationis expeditionem videndum superest, num quandò ignorantia est solùm indirectè voluntaria, non solum graviter peccemus in materia legum divinarum, sed etiā Ecclesiæ, & humanarū.

§. I.

Quid aliquibus hoc circa visum sit.

SÆpè annotavi, ignorantiam supinam, & crassam variè ab Authoribus usurpati; nam aliquandò utramq; pro affectata accipiunt, aliquandò eam utramq; invicem distinguentes crassam quidem ex ipsa quasi vocis crassitie in affectatam referunt; supinam verò in non affectatam; alii utramque ab affectata separant, & cur non affectata, seu cum indirectè voluntaria confundunt; & justè quidem inspecta ethimologia nominis; nam indirectè voluntaria ignorantia ea maximè dici solet, quæ ex negligentia citra aliam malitiam, & cōtemptum nascitur: solent autem crassi pigri esse, & negligentes, ex quo negligentium ignorantia crassa vocetur; & similiter negligentes, pigriq; rectè supinè jacentibus conferuntur; ex quo etiam eorum ignorantia supina dicatur. Hęc tamen tam varia, inconstansq; vocum harū acceptio minùs certā, exploratamq; Autorum mentem in hac maximè quæstione fecit.

sunt itaq; plures, ut apud Sanchez. lib. 1. in Decal. cap. 17. à num. 3. videri potest, qui censuerint omnem ignorantiam non affectatam, nec directè voluntariam excusare à culpa mortali in universo jure humano, humanisque legibus, & præceptis, in quo præcepta etiam Ecclesiæ, & jus omne Ecclesiasticum, & Pontificium comprehendunt.

Sed porrò non solū docent, quandò ignorantia, ut loquuntur est venialiter culpabilis, sed etiam quandò est culpabilis mortaliter. Quæ sanè locutio apud nos in ipsis terminis implicat ex quæst. 2. & alias; nam ignorantia legum ipsa in primis in se non, est peccatum, sed causa peccati: non est ergo venialiter, vel mortaliter culpabilis; & rursùs quia dato, ipsam etiam ignorantiam legum esse in se peccatum, si ipsa quia affectata non est, actum sequentem à gravitate excusat, & de peccato alioquin mortali veniale reddit, à fortiori se ipsum à gravitate liberabit. Quapropter ita hos Autores intelligerē, & dum ignorantiā graviter culpabilē dicūt, nō tā de ipsa ignorantia quā de negligentia, vel de alia causa ejus locuti esse videantur.

Hinc quicumq; ex negligentia pura etiam mortali ignoraret, se esse obligatum ad jejunandum, aut se credere ab eo excusatum, aut ab audiendo sacro, ac recitando officio, aut carne se vesci posse existimaret, & ita in aliis, hoc ipso non peccabit mortaliter, præsertim si adsit animus, ut quidam requirunt, non transgrediendi præceptum, si sciretur. Similiter qui citra fraudem; & contemptū ex negligentia etiā mortali ignorat multa vel omnia pręcepta sanctę obedientiæ suæ religionis, & superiorū haud peccabit mortaliter. Itē si eodem modo ignoret constitutiones, & regulas suas; si item totum jus canonicum, bullas omnes Romanorum Pontificum, decreta Conciliorum, & leges quasq; Principum, quatenus jura hæc omnia nova, & juri naturæ, & divino additę sunt. A pęnis etiam impositis ut quęst. 8. dicebatur, eximet omnis similis ignorantia, id est, omnis non affectata.

Est profectò hæc paucis, & quasi nihil dicendo inducta opinio amplissima, & quæ viam sterni largissimè vivendi in universo jure humano, si scilicet quis illud non quidem ex contemptu, nec fraude, sed per negligentiam prætermittat, nec curet, sed ignoret, ut plurimi faciunt; quo universa pœnè disciplina Ecclesiastica, & summorum Pontificum, Conciliorumq; vigilantia, & cura multò, opinor, amplius labefactetur, quam si Romani Pontifices singulis momentis in jure eo dispensarent, & loco dispensationem omnium ignorantia liberabit, ut dicemus.

§. II.

Quantis fundamentis tam universalis opinio erecta sit? Ubi de de pietate Matris Ecclesiæ.

DIcerem sanè, bonis magis desideriis eam esse inductam; multorum scilicet in scribendo scopus is esse videtur quomodò peccata tollant: plurima autem hac una opinione tolli videntur. Primū itaq; fundamentum, quo ad plures opiniones struendas assumitur, & pietas Matris Ecclesiæ, quam piam Matrē semel, iterùm, perpetuò, & quidē verissimè recantant. Inferunt: nō est ergo de intentione piæ matris hostili, ut loquuntur, vinculo bonas animas illaqueare, eas quippe animas, in quibus nulla fraus est, neq; contemptus. sed ignorantia, & si scirent, pręcepta servarēt. Nō ergo peccant, mortaliter, ubi per ignorantiam non affectatam pręcepta legesq; pientissimę Matris effringūt,

Si in rebus tantis verbis liceret ludere, dicerem, hoc totum, quod ad tam multas opiniones condendas assumitur, in hoc solo fundari, quod nomen *ecclesia* fœminei generis sit, Deus verò masculini

tulini, & ecclesia ipsa mater, & Deus Pater: ex quibus quoniam fœminæ, maximè autem matres erga filios mitissimæ esse solent, & sæpè etiam indulgentiores, quam par esset, nescio, quis fucus, similisque indulgentia irrepsisse nobis videatur.

His itaque contemptis, absurdum in primis est, ut vinculum peccati, quod ex ignorantia non affectata incurreretur, hostile vinculum habeatur. Hoc patet; quia juxta adversarios ignorantia etiam non affectata, & solùm indirectè voluntaria non excusat à mortali in lege Dei: Deus ergo intentionem gravitet obligandi sic ignorantes; at impietas esset dicere. Deum nos hostilibus vinculis illaqueare. Ergo licet mater ecclesia similem intentionem haberet, nullo hostili vinculo bonas eas, ut l quuntur, animas illaquearet, sed sicut intentio Dei sanctissima est, ita sanctissima quoque foret, similis intentio ecclesiæ.

Deindè non verum, sed absurdissimum est, quod in hac, & similibus opinionibus ex pietate ecclesiæ deductis præcipuè assumitur; præcipuum enim illud est, quod mater ecclesia magis pia, quam Pater Deus censeatur. Nam si pientior non sit, inepte ex ejus pietate arguitur. Ecclesiam porrò matrem magis piam non esse, quam Deum patrem, cujus omnibus tradidit illum, non probandum, sed per se notum est; & hoc primùm à se nos discere salvator voluit, *quia mitis*, inquit, *sum*. Gallinæ sub alas pullos suos congreganti sese contuliti jubet, nos à se petere, ut custodiat nos tamquam pupillam oculi; carne quoque sua, & sanguine nos pascit. Quid plura? si ex pietate sanè legislatoria obligationes aut tollendæ, aut emolliendæ forent, tam pius est, & misericors Dominus, ut omnes unà obligationes tolli de medio possint. Inconsideratè ergo hoc ex loco arguitur.

Rursùs inconsideratum etiam est, ex pietate contra leges, earumque vim, & obligationem arguere, quasi auferendo obligationes, & leges, peccata per consequentiam tolluntur; & hoc sit pietas. Etenim si hæc pietas esset, in Deo non defuisset: non ergo dixisset; non mæchaberis; ex quo infinitus quidam numerus peccatorum sequatur; & uno verbo nullam legem tulisset; & sic peccatum omne cessasset, nam ubi non est lex, nec prævaricatio. Non ergo mater ecclesia, quoniam pia est, & utique est, non vult nos obligare, sed pia potius mater Patrem pium misericordemque, à quo tagitur, atque ejus sapientiam sequitur.

Iterum inepta est hæc argumentatio: ecclesia pia mater est: non vult ergo difficiles leges condere. Nam de facto condidit multas continentiam clericorum, quadragesimam, officium quotidianum, &c. Et quid difficilius, quam quod conjux, qui impedimentum aliquod juris ecclesiastici, contraxit, dormire cum uxore potest, & teddere etiam, petere autem minimè possit? Ergo inepta est ea argumentatio: Ecclesia pia mater est: ergo non vult nos strictè obligare, aut ignorantes ex negligentia comprehendere, &c.

Ex quibus denuò cernitur, pietatem in eum scopum philosophantium, ut obligationes tollendo peccata impediant, esse contrariam pietati matris ecclesiæ, & patris Dei; nam si hunc philosophandi morem Deus, & ecclesia inferendis legibus secuti essent, & non contrarium, nihil saltem difficile præcepissent, nec eo sequeretur, multiplicatio peccatorum: at non hunc morem secuti sunt, sed contrarium atque multa difficilia præceperunt, & si probè scirent, multa indè peccata secutura esse. Ergo pietas illa contraria potiùs est & Deo, & ecclesiæ, Pietas ergo non hæc est, sed peccata vitare servando leges, & præcepta, eorumque vim retinendo, & robur; atque ad hoc aliis doctrina, & exemplo, & modis omnibus juvando.

Sæpè igitur Paulus ad Romanos æquivocationem illam sustulit, inquam adversarii legis lapsi deindè sunt confundentes legem cum peccato, & quia peccatum quidem malum est, & sine lege peccatum non esset, indè legem etiam ipsam criminati sunt. Dum porrò legem dicimus, cum obligatione intelligimus. Suspecta itaque est omnia illa argumentatio, qua ut peccata non sint, contra legem ejusque vim & obligationem arguitur, quasi ea via sit vitandi peccata, qua aut leges ipsæ, aut quod idem est, ipsarum vires, obligatioque evertatur. Lex enim Sancta est; quin leges ferendo, nosque obligando, non præjudicium, sed immensum quoddam beneficium in nos contulit Deus pius est: ergo hic, aut ibi non vult nos obligare: ergo nec sequitur de Ecclesia: sed contrarium. Ergo licet Ecclesia pia mater sit, potest vel obligare negligentes, & ex negligentia ignorantes, sicut pius Pater, & amicus, & sponsus Deus. Ubi omitto alia contra istas adeò voluntarias assumptiones. Nam potiùs quoniam Ecclesia pientissima mater nostra est, nec in odium nostrum, sed in maximum bonum, utque nos bonos filios suos efficiat, leges, & præcepta constituit, sequitur, nos teneri, non quidem ut odiosa refugere, sed amare, diligere, scire, custodireque piæ adeò matris voluntatem, & præcepta; & scriptum est, *sapiens non odit mandata*; & degeneneres ii filii sunt, qui ea negligunt, aut scire non magis curant: quam si novercæ alicujus; aut nos non valdè diligentia decreta quædam forent. Vel ergo ecclesia dura quædam mater est, vel pia? si dura: mali arguunt. Sin autem pia est, ut certissimè est, turpissimi nos sumus, si eam non multum diligamus, & tamquam obsequentissimi filii omnem voluntatem ejus non etiam diligamus: qui autem diligit, diligens est. Ergo ex pietate tanta matris nostræ obligatio magis nostra sequitur, crescitque, illæ autem matres, quæ nimis filiis indulgent, non piæ, sed crudeles magis sunt: nec hujusmodi est mater nostra.

Alterum fundamentum propositæ opinionis est; quia concors omnium existimatio esse videtur, minus obligare vis humanum quodcumque, quam jus naturæ, & divinum. Ergo licet ex negligentia ignorantes peccent graviter, quando jus naturæ, vel divinum violant, in jure humano minùs peccabunt: ergo non mortaliter, sed venialiter.

Hoc etiam fundamentum prorsùs nullum, & arbitrarium est Nam primò, cur non idem inferunt de ignorantibus etiam affectatè? cur rursùs non similiter arguunt etiam in transgredientib. scienter dicendo; jus humanum minus obligat: sed quandò violamus jus naturæ, & divinum peccamus mortaliter: ergo non mortaliter, sed venialiter peccabimus, ubi solum jus humanum effingimus? Quo etiam in auxilium pietatem matris ecclesiæ evocare possunt. Cur rursùs peccatum etiam veniale non tollunt per ignorantiam? Cur non item inferunt peccatum mortale, sed minus? cur non etiam cura humana distinguunt; & ecclesiæ primùm præceptis plus tribuunt; deindè decretis summorum Pontificum, ac

sic deinceps jus canonicum, & civile, & alia ordine distinguentes, & ultrò, citròque hoc quidem mortale; illud veniale pro jurium ipsorum dispari authoritate non ponunt? Cur non demùm; ut alia prætercam, jus ipsum divinum aliud naturale, aliud positivum distinguendo non dicunt, in primo quidem ignorantiam non affectatam non excusare à mortali; excusare autem in secundo? Nam dici hoc quoque sine probatione voluntario potest.

Hæc itaque consecutio nulla est: jus humanum minus, aut mitius obligat quam naturale, vel divinum: ergo non obligat graviter ignorantes ignorantia non affectata. Hæc, inquam consecutio non magis sequitur, quam omnes illæ aliæ, quas modò referebamus. Potest enim jus humanum minus, aut mitius obligare, & si eo modo ignorantes graviter liget; quod inferius exponemus. Sic etiam ipsa jura naturæ, alia aliis minus obligant, & præcepta non faciendi strictius ligant, quam faciendi; nam mentiri, aut mæchari: aut occidere non licet etiam causa vitandæ mortis, aut salvandi millionem animarum; at præcepta affirmativa saltem plura non tam directè obligant, ut scitur. Ergo vana est illa consequentia ex mitiori obligatione juris ad exclusionem, immunitatemq; ignorantiũ.

§. VIII.

Ergo tenendum omninò est, peccari graviter contra jus humanum per ignorantiam etiam non affectatam.

HOc per ignorantiam directè, vel indirectè voluntariam modò violata sit gravis obligatio sciendi. Seu aliter mentem, sensumque nostrum exponamus dicendo, verum non esse, quod adversarii aiunt, peccari graviter per ignorantiam affectatam, & non affectatam contra jus naturale, & divinum; at contra humanum duntaxat peccari graviter per ignorantiam affectatam secus per non affectatam: & rectè suarez to. 3. in 3. par. disp. 82. sect. 3. dub. 2. inquit, se nihil in hoc invenire speciale inter jus naturale, & positivum, aut aliud; cujus rationem statim proferemus.

Primò itaq; constat conclusio. quia opinio contraria est dictum quoddam omninò voluntarium, & resolui videtur ad propositiones absurdas, & habet malas consequentias, quę eodem modo induci, admittique possint, ut §. præc, visum est.

Deindè, quia ut etiam §. 1. indicavimus, enervat, relaxatque disciplinam Ecclasiasticam, atque monasticam, si permittat, concedatque, nos citra peccatum mortale negligere posse, & ignorare, quidquid juris humani est. Etenim hoc totum evertitur per solam negligentiam, & omissionem, atque ignorantiam ind rectè voluntariam: quo toto everso omnis disciplina monastica, ecclesiasticaque planè corruit, Absurdum verò est tantum malum sub veniali solum esse prohibitum, ut uberiùs loco suo differemus. Ergo falsum est: jus humanum graviter non violari per ignorantiam indirectè voluntariam. Et confirmatur; quia non leve; sed gravissimum malum voluntariò, ac liberè perpetratur; ergo non leve, sed gravè peccatum est. Rursùs, quia ut quæst. præc. §. 1. delibabam, forum exterius, ac tribunalia graviter puniunt ejusmodi per ignorantiã, & negligentiam factam violationem, ac tribunalia non excedunt, nec levia velut gravia mulctant: quo facit decretum eo loci insinuatum sanctæ Inquisitionis. Ergo falsum est, ignorantiam indirectè voluntariam excusari à gravi culpa in jure humano. Hinc etiam fieret, hæreticorum populos, quin hæreticos ferè omnes immunes esse ab excommunicatione, quæ juris Ecclesiastici est; nam ignorantia excusans à gravi pæna; hæresis autem, ut ex dictis liquet, non directè solùm voluntaria esse solet propter naturam, indolemque intellectus. Indè denuò sicut hi Authores excipiunt ignorantiam non affectatam, eodem alii jure omnem ignorantiam excipient, dicentque nunquam graviter peccari per ignorantiam contra jura humana.

Ratio verò à priori, & potissima; quo Suarez utitur, est; quia omnis transgressio satis voluntaria, & libera legis, vel præcepti graviter obligantis est peccatum mortale. Sed transgressio juris, vel legis humanę facta per ignorantiam, non affectatam, sed indirectè solùm voluntariam, & transgressio satis voluntaria, & libera legis, vel præcepti graviter obligantis. Ergo est peccatum mortale. Major constat, ex principiis omniò communibus de peccatis; hactenus nimirum illæ solùm duæ causæ auditæ sunt, ex quibus peccatum alioqui mortale futurum, reddatur veniale scilicet vel defectus deliberationis, voluntarietatis, ac libertatis, vel materiæ levitas; propter quam lex, vel præceptum graviter alioquin obligans desinat graviter obligare: quod si aliæ ultrò causę addantur, cuncta periclitantur. Minor etiam est comperta; nam ignorantia non affectata, ac indirectè solùm voluntaria non facit, ut transgressio non sit satis voluntaria, & libera; alioqui eximeret à mortali transgressionem etiam juris naturalis, & divini ex defectu sufficientis voluntarietatis, & libertatis, cum non magis voluntaria, liberave sit una transgressio quam alia aliundè verò supponitur legem, & præceptum graviter obligare; nam si graviter non obligaret, nulla transgressio etiam scienter admissa foret mortalis.

Hæc itaque opinio ad reliquas, credo, pertinet antiquatæ, & meritò ab omnibus jam repulsæ opinionis, quæ adstruebat, nullum humanum jus obligare nos in conscientia, vel graviter saltem non obligare. Cujus falsissimæ opinionis ea fuit ansa, æquivocatio, quod censeretur, homines quasi seorsim à Deo obligare; & hoc sensu verissimum est, homines, nisi una intersit, adsitque divina authoritas, in conscientia obligare non posse: atqui dixit, *qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; obedite Præpositis vestris*, & multa hoc genus alia, interest, adestque injussis quibusque rectis, & præceptis superiorum; ex quo vim, roburque mutuantur in conscienria obligandi. Quarè ipsa lex Dei nos cogit, & obstringit obtemperare. Ergo quã ratione transgressio per ignorautiam non affectatam facta cõtra puram legem Dei clausulam in humana, quatenùs obligativa sub peccato, & in cõscientia. Undè si adversarii loquerētur de lege humana non sic, sed quasi seorsim à Deo, & sicut si Deus in mundo non esset, abs re loquerentur: & supponitur ex definitione Augustiniana, peccatũ esse dictum, vel factum, vel concupitum contra ęternam legem Dei. Ex quibus sic arguitur. Prædicta ignorantia non excusat à mortali transgressionem legis Dei: eam ergo non excusat à mortali. Omnis itaq; lex, vel præceptum humanum obligans claudit duas propositiones, quarum una Deus jubet, fac, quod iste jusserit; & altera hic nempè superior jubet: fac hoc. Transgressio etiam contra primam est.

Hæc sufficitura videntur contra voluntariam adeò positionem. Sin minus ibimus indè ad vo-

ta,

ta, atque in auxilium evocabimus pietatem uniuscujusque voventis erga se; ex quo nulla voti violatio per ignorantiam, aut oblivionem non affectatam facta sit mortalis. Hinc rursùs ex ignorantia ad passionem ibimus, dicemusque, vehementissimam passionem, quæ exiguam adeò deliberationem relinquit, excusari à mortali fractionem voti propter pietatem voventis, qui noluit se in tam duro, ambiguoque, & periculoso casu ad mortale obstringere. Quod genus alia retexentur, nisi principiis obstetur, firmissimeque teneatur, nostrum non esse nec addere, nec tollere peccata.

QUÆSTIO XVI.

Utrum ergo ex dictis facilè utentur quatuor de peccatis Ignorantiæ extrema, & primò Pelagianorum; atque aliud consimile?

QUatuor de peccatis ignorantiæ extrema exorbitantia declinandaque occurrunt, quæ licet in superioribus satis rejecta videantur, nunc de singulis seorsim, ac breviter dicendum sit propter aliquorum imperitiam, qui de erroribus loqui solent, quos nesciunt. Primum extremum est Pelagianorum, maximè verò Celestii dicentis ignorantiam, & oblivionem non subjacere peccato. Secundum est huic consimile aliquorum nolentium nec in ignorantia, nec in oblivione; nec in iis, quæ propter ipsas contra legem fiunt, admittere ullam veram, propriamque rationem peccati, & culpæ. Tertium est Jansenistarum tenentium ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, & culpa in jure naturæ. Quartum est quorumdam Recentiorum volentium ignorantiam invincibilem non modò excusare à culpa: sed etiam actus propter ipsam factos aliòqui turpissimos reddere bonos, & honestos. Atque de primis duobus hac quæstione brevissimè dicetur.

§. I.

Quis fuerit error Pelagianorum de ignorantia, & oblivione ex aliorum sensu?

DE hoc Pelagianorum errore satis actum videbatur quæst. 4. 9. 2. ex Hieronymo, & 9. 4. ex Augustino. Quoniam tamen non desunt, qui cuncta confundant, nunc perspicuè is error proponendus est, ut caveatur. Scitur autem Pelagianorum non unum, sed multos fuisse errores diversos; neque ea, quæ contra unum adducta sunt, cum alio sunt, ut quidem evasores faciunt, commiscenda, & confundenda. Fuit verò unus ex præcipuis, quo negarunt peccatum originale: atque hinc consequenter negabunt, ignorantiam, & difficultatem, seu effrænem concupiscentiam esse pœnam peccati, sed naturalem hominis complexionem, constitutionemque esse volebant. Atque hoc quidem tritum, & notum est: item notum est ex Augustino, atque ex sensu Ecclesiæ demùm in Tridentino hanc concupiscentiam, ac pœnam peccati peccatum etiam appellari quia à peccato est, ad peccatum inclinat, & trahit: quasi in ambiguo nostris arbitriis relictum non est, quo sensu peccatum vocetur.

His vulgò notis suppositis constat, errasse etiam Pelagianos negando in aliquo demùm sensu, ignorantiam, & oblivionem subjacere peccato, vel esse peccatum, hoc liquet apertè ex Hieronymo in duobus libris Dialogorum contra Pelagianos. Et probant manifestè, quæ quæst. 4. §. 7. protulimus. Idem liquet, constatque apertè ex Augustino lib. de gestis Pelag. cap. 13. vel 18. juxta varias editiones, & ex Epist. 105. & alias: in quo Recentiores Jansenistarum oppugnatores conveniant.

Memorat itaque Augustinus in eo libro, ex Celestii quodam libro hoc inter alia propositum fuisse in Synodo Palestina, *oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Hæc verba sunt ab omnibus adducta. Synodus verò illa hoc tamquam erroneum, seu hæreticum condemnavit. Et sic adhuc Recentiores Authores, ut superiùs retulimus, de fide esse pronunciant, dari posse peccata ignorantiæ: in quo proindè jocandum non est, & qui nimium contendendo erraverit, damnari ob hoc unum potest. Neque Recentiores Authores hì adeò desipiunt, ut de fide dicant, dari peccata ignorantiæ, id est, dari peccata; quasi omnis peccans, cum sit ignorans de hac ignorantia loquantur. Nugæ sunt.

Quæstio jam est de sensu erroris Cælestii, quid sibi voluerit, ubi dixit, oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, utrum de ignorantia invincibili, an de vincibili locutus sit? & utrum rursùs peccatum propriè intellexerit, an pœnam peccati, quasi sic negaverit, ignorantiam, & oblivionem subjacere peccato, ut nec peccatum sint, nec pœna peccati? Neque Concilium errorem damnando aliud voluerit, quam ignorantiam peccatum esse, vel pœnam peccati.

Jansenius, cujus dogma contra Theologos omnes est ignorantiam invincibilem juris naturalis non excusare à peccato, voluit, in hoc errore Cælestii, condemnationeque Synodali sermonem esse de ignorantia invincibili: imò hoc ex loco inter alia nititur probare, ignorantiam invincibilem non excusare. Duo autem sunt, quibus probat, de ignorantia invincibili esse sermonem. Primum quòd sermo esset de ignorantia, & oblivione necessaria, ut patet ex illis verbis: *quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*: sed ignorantia necessaria est ignorantia invincibilis: ergo sermo erat de ignorantia vincibili. Et confirmatur: quia ut ex libris omnium constat, ignorantia vincibilis, & invincibilis hoc distant, & differunt, quod prima sit voluntaria contra debitum; invincibilis verò involuntaria. Ergo ignorantia, quæ secundum voluntatem non est, sed secundum necessitatem, non est ignorantia vincibilis. Atqui sermo fuit de ignorantia, quæ secundum voluntatem non est. Ergo sermo non fuit de ignorantia vincibili; ergo de invincibili. Quod ex Hieronymo lib. 2. confirmatur; nam pars Pelagiana opponit? *videris accusare naturam, & ubi autem aufertur possibilitas aufertur & virtum*, Ergo quæstio erat de ignorantia impossibili vitari.

Secundò Jansenius arguit; quia de ignorantia vincibili nulla fuit quæstio cum Pelagianis: nam ut Augustinus memoriæ prodit lib. de nat. & grat. cap. 17. Pelagius concedebat, *hominem prævigilare debere: ne ignoret; ideoque esse culpandam ignorantiam; quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia debuisset*: & lib. 6. contra Julianum Pelagian. cad. r. idem de Juliano contestatur dicens:

ecce merito reprehendisti meos, & graviter, qui supersederunt, scienda cognoscere, vel non formidant ignorata culpare. Nulla ergo erar cum Pelagianis quæstio de ignorantia, quæ ex negligentia sciendi nascebatur, utrum subjaceret peccato, an peccato, & an ignorata essent culpanda; siquidem in hoc, & Coriphæus ipse Pelagius, & sectator magnus Julianus consentiebant. Non ergo quæstio erat de ignoranria vincibili indirectè voluntaria; minùs verò esse poterat de affectata, & directę voluntaria. Ergo quæstio fuit de involuntario prorsùs, & invincibili. Atque hæc sunt, quibus Jansenius nixus est.

Recentior quidam, cum maximè Jansenium horreat, cum Jansenio hac in parte consensit. Eorum is unus est, qui per voces, quod volunt, intelligendi licenriam ulrrò sumunt: expedirè, & cathegoricè nihil respondet, & de Champs partim laudat partim improbat. Dicir itaque, in errore Cælestii, & Synodica condemnatione sermonem fuisse tam de ignorantia vincibili aliquomodo. Hoc ut dicat, aliud non habet, nec affert, nisi quod Jansenius satis sanè clarè proposuerat, & sumpserat ex verbis illis, *quoniam non secundam voluntatem eveniunt, sed secundam necessitatem.* Quod si sibi triumphare contra Jansenium visus, ubi in Luthero, Calvinoque Jansenii dicta invenit, & proferr, quia ipse non erubuir, & cum Jansenio hac in parte concordare, & ex illo eriam argueti? Neque sufficit ad demonstrandum, si mathematicorum scribens more dicens concludat, *quod fuit propositum*: nam boc in loco Logicam, quæ vel nostras demonstrariones magis servit, valdè desideramus; dici enim sermonem fuisse tam de ignorautia vincibili, quam de invincibili aliqno modo talia esse talia cum addito; nam ergo simplicirer, nec aliquo modo homines sunt homines. Ergo hæc sua ignorantia aliquo modo invincibilis non est simplicirer invincibilis, ergo vincibilis: ergo si de vincibili sermo fuir, & de invincibili aliquo modo, consequens est solùm de vincibili sermonem fuisse. Deinde ipse cum Jansenio his verbis *secundum necessitatem* usus est ad improbandum de Champ. Ar in propositione Cælestii haud contrinebanrur, quoniam non secundum volunrarem aliquo modo eveniunr, sed secundum necessitatem. Concludere ergo debuir de ignorantia invincibili simplicirer: & non de invincibili aliquo modo. Atque postremo de omni planè ignoranria vincibili verum est, eam esse invincibilem aliquo modo, & solùm de invincibili, quæ verè talis est, falsum est, eam esse invincibilem aliqno modo.

Enim verò hæc sic confundendo, in eo magis ėst reprobandus, quod ea verba, *oblivionem, & ignorantiam non subjacere*: sic relaxaverit, ur pertò *subjacere peccato* aliud significari noluerir, quam ignorantiam esse pænam peccati, & boc sensu subjacere peccato, id est, sequi ex peccaro in quo alter quoque Jansenii laxus oppugnaror concordar. Quod si causam inquiras, eam occultissimam profert; quod Pelagiani negaverint peccatum originale, ac proindè negarent, ignoranriæ malum ex illo secutum esse, & sic peccaro subjacuisse. Hoc allegat, sed vera causa est, quod hic Recentior unus eorum sir, qui re vora tollunr peccata ignorantiæ; ideoque corrodit, enervatque quantum potest, omnem, de eis peccatis doctrinam. Quid enim turpius Recentioribus his scrupulum, & remorsum conscientiæ ad peccandum tam contentiosè requirentibus, & sic revera peccata negantibus opponi possic, quam hunc unum errorum fuisse Pelagianorum olim damnatum, & ab utroque Ecclesiæ fortissimo brachio Hieronymo, & Augustino tamquam hæresim confectum, ac ab ipsis demùm Pelagianis retractum? Ne ergo hoc constaret, ad omninò alia Recentior ille quæstionem transvexit.

§. II.

Error ergo Pelagianorum fuit de ignorantia vincibili, & de peccato non de pœna solùm.

ITa fideliter, & doctè de Champs contra Jansenium, & re vera etiam contra Recentiorem nondum tunc natum unum, & alterum; nempè eorum, quos impugnamus, hoc in opere tacemus nomina, ur Augustinus lib. 2 Retract. cap. 33. se in primis conrra Pelagianos operibus effecisse refert, causamque profert; & Hieronymus quoque, & in prologo ad duos libros adversus Pelagianos idem moris se servare inquit, ut errores, non homines insequeretur; & in epist. ad Ctesiphontem: nullius in hoc opusculo nomen propriè tangitur. Eodem autem recedit, si dicamus, de ignoranria in genere fuisse sermonem, Cælestium universaliter ignorantiam negavisse subjacere peccato, ur exponetur.

In primis itaque Jansenianæ intentionis falsitas de ignorantia invincibili non excusante in iis, quę vires naturę sunt constabit ex Augustino maximè quæst. seq. Nunc de hoc universim agimus, sed utrum error Pelagianorum vel omnium, vel aliquorum fuerir de ignoransia invincibili, & utrum rursùs de peccaco propriè, an solùm de pæna peccati præsertim originalis, ut Recentiores intendunt,

Errorem porrò non fuisse de ignorantia invincibili tum bi ipsi Recentiores, tum omnes cæteri contra Jansenium aperrè demonstrant sic. Error non erar de sola ignorantia juris natoralis, sed universim de ignorantia juris naturalis, & positivi divini, & etiam facti. Ergo non erat de ignorantia invincibili patet hæc consequentia ad hominem, nam ignoranria, de qua erar sermo, non excusabat, & in hoc Cælestius errabat; sed ignorantia invincibilis juris divini positivi, & humani, & facti etiam ex Jansenio excusat, nec subjacet peccato. Ergo non erat sermo, nec error de ignoranria invincibili.

Cætera manifesta sunt. Quod autem error, & sermo non esset solùm de ignorauria juris oaturalis, sed universim vel de hac, vel de ignorantia etiam juris positivi divini, & factorum, compertissimum est, & ex ipsa Synodo & ex Hieronymo, & ex Augustino. In primis ex Synodo; quæ, Cælestii errorem damnans, hoc ei opposuit: *cum David*, inquit, *dicat*, *delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantia meæ: & cum in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.* Sed in lege sacrificia non solum pro ignoranria juris naturalis, sed universim pro ignoranria, vel ejus, vel omnium præceptorum Dei, quæcumque illa essent; ac pro oblivione etiam factorum tamquam pro peccaro offerebantur, ur patet multipliciter ex cap. 4. & 5. Levitici. Ergo Synodo, ac proinde Cælestio sermo erat de ignoranria tam juris naturalis, quam divini positivi, & quorumcumque præceptorum suorum, & factorum.

Hoc

Hoc eodem modo ex Hieronymo idem apertè constat, qui scilicet, ut quæst. 4. §. 2. visum est, his Levitici legibus. Egit contra Pelagianos negantes ignorantiam, & oblivionem esse peccatum. Scivit autem Hieronymus, ac qua ignorantia quæstio interesset: non ergo solùm erat de ignorantia, juris naturalis; abs re alioqui multa cumulasset, quæ de jure naturæ non tractabant. Ne verò lectoris fidei legenda cuncta relinquamus, cap. 4. Levit. sic dicitur: *anima cum peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quidpiam fecerit*, &c. Ergo non de solis præceptis juris naturalis est sermo. Mox de Sacerdote; de omni turba, & populo; ac de Rege demùm per ignorantiam aliquid contra præcepta Dei faciente idem injungitur: & cap. 5. de eo, qui juramento aliquid se facturum promiserit, & oblitus, *postea intellexerit delictum suum, agat*, inquit, *pœnitentiam pro peccato*, &c. Et etiam cap. 22. *qui comederit de sanctificatis per ignorantiam*, &c. quæ est ignorantia facti. Ecce ergo in lege pro ignorantia cujuslibet præcepti Dei populo illi positi, & omnium etiam legalium tam longè à jure naturæ distantium, pro oblivione esse factorum tamquam pro peccato, & pœnitentia præscribitur, & Sacrificia offeruntur. Ad hæc autem alludit Concilium; hæc urget Hieronymus. Ergo non de sola ignorantia juris naturalis tractabatur: ergo nec de ignorátia invincibili. Alia etiam confert Hieronymus ca quæst. 4. §. 2. de conscientia Apostoli sibi timentis, & de via, quæ videtur homini justa, &c. quæ universaliter materiam omnem peccandi ex cujuslibet juris ignorantia, vel etiam factorum comprehendunt. Nequit ergo esse sermo de ignorantia solius juris naturalis: ergo neque de ignorantia invincibili.

De Augustino haud minùs comperta res, est, qui, ut quæst. seq. commonstrabimus, ignorantiam invincibilem à peccato eximi; & lib. 3. de libero arb. cap. 18. ad hæc ipsa, quæ ex lege commemoravimus, alludit, dum inquit, *& tamen per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur; sicut in divinis authoritatibus legimus.* & ibidem specificat ignorantiam Pauli, quæ fuit de ignorantia juris positivi divini, & mysterii Incarnationis totam naturam excedentis; & lib. 3. contra Julian. cap. 19. affert ignorantiam Abimelech, quæ fuit facti: & lib. 6. contra Julian. cap. 16. exactissimè malum ignorantiæ à peccato ignorantiæ distinguens universalissimè tradit, in renatis per Baptismum, quo reatus omnis tollitur, remanere quidem malum ignorantiæ, in quo tamen peccatum non sit juxta ea, quæ supra quæst. 13. & §. 5. declarata sunt, saltem quamdiù additamento propriæ prævaricationis denuò voluntarium non redditur. Ex quibus patet, non modò quæstionem cum Cælestio non fuisse de ignorantia invincibili, seu quod perindè apud Jansenistas est, de ignorantia solius juris naturalis, sed ex Augustino, ut patet in renatis per Baptismum, nullam ignorantiam invincibilem subjacere peccato.

Secundò contra Jansenium agitur argumento negativo quidem, sed fortissimo; nam nec Jansenius, quamquam in Augustino versatissimus, nec vel unum verbum, aut vestigium invenit, ex quo ita tam voluntaria Jansenii positio statueretur; quæ enim ex verbis Cælestii §. præc. proposita sunt, ut videbimus; & necesse fuisset, ut Augustinus, vel Hieronymus meminissent: sibi non de ignorantia qualibet, sed de invincibili, nec juris cujusque, sed solùm naturalis quæstionem esse, cujus hoc propter, cætera jura, & facta peregrinum, ac extraordinarium esset, quod reliquorum quidem Ignorantia invincibilis excusaret; cumque de hoc specialissimo puncto quæstio interesset, de hoc uno nec verbum sanè extat: ex quo incredibile fit, quæstionem de eo fuisse.

Tertio positivè Jansenii existimatio convellitur ex fundamento, quo Pelagiani moti sunt ad negandum, Ignorantiam, & oblivionem esse peccatum, vel subjacere peccato; illud enim eò ibat, ut nulla prorsùs ignorantia, vel oblivio esse posset peccatum, sub qua universali continebatur ignorantia etiam vincibilis, & dicendo nullam excludebant etiam vincibilem. Fundamentum Pelagionorum retulimus loco citato, quod, sic Critobolus proponebat: *rogo, quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus peatum non habet conscientia? nescio, me peccasse, & ejus reus, quam nescio, pœnas luo? & quid plus faciam, si spontè peccavero?* ex quo etiam patet sensus illius causalis Cælestii, *quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Nam ut ex oppositione Critobuli liquet, perindè Pelagianis erat; per ignorantiam; & nesciendo peccare: atque non spontè peccare; ac rursùs non spontè peccare perindè, ac non secundum voluntatem peccare; & hoc deindè idem, atque secundum necessitatem peccare. Quarè etiam Augustinus Epist. 105. ad Sixtum Pelagianam superbiam respiciens eodem modo loquitur: *humana quippè superbia*, inquit, *tamquam præsumens de viribus liberi arbitrii* (ecce tibi Pelagianos) *excusatam se putat, quandò ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat.* Ergo totum quantum motivum Pelagionorum hoc erat, quod quidquid ignorantiæ esset, & cujus reatum conscientia non sentiret, & in quo se peccare nesciret, non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem esse putarent, & sic peccatum esse posse negarent; in quo aliqui adhuc Recentiores nos quoque satis voxant.

Hoc porrò motivum Pelagianorum omnem prorsùs ignorantiam, & oblivionem comprehendebat. Patet hoc primùm ex dictis evidentissimè: nam in omni ignorantia etiam vincibili salvatur, quidquid Critobolus objiciebat, scilicet *conscientiam non habere reatum, nesciret se peccare*, &c. ut demonstratum fuit; alioquin contra omnium Catholicorum sententiam conscientia erronea vincibilis ligare non posset, siquidem affert reatum, & remorsum peccati. Secundò patet ex verbis Augustini universaliter ignorantiæ voluntatem contraponentis; *excusatam se*, ait, *putat quandò ignorantiæ est, non voluntatis, quod peccat.* Non huic, aut illi, sed ignorantiæ voluntatem contraponit, in ipso sensu Critobuli; non quia peccata ignorantiæ voluntaria non sint, ut ex eodem etiam Augustino declaravimus; sed quia non sic, nec tam voluntaria sunt, atque reliqua; & sunt secundum quid Involuntaria ex 3. Ethicor. & ex 1. 2. ut scitur; de quo rursùs quæst. seq. §. 8.

Ex his concluditur, errorem Cælestii, & Pelagianorum fuisse universalem, & asserentem, nullam oblivionem, & ignorantiam esse peccatum, vel subjacere peccato, qui ad hos Syllogismos reduci potest: In eo cujus reatum conscientia non habet, nec scit, se peccare, non peccatur: sed

quoties adest ignorantia, vel oblivio peccati, conscientia reatum nnn habet, nec scit, se peccare: ergo quoticaadest ignorantia, vel oblivio peccati, non peccatur: ergo nunquam oblivio, & ignorantia est peccatum, vel subjacet peccato. Vel aliter sic: illud, quod est ignorantiæ, non est voluntatis, nec spontaneum, sed necessarium; sed in eo, quod non est voluntatis, nec spontaneum, sed necessarium non peccatur. Ergo in eo, quod est ignorantiæ, non peccatur. Nulla ergo ignorantia est peccatum, vel subjacet peccato. Quorum Syllogismorum alter ex verbis Hieronymi, alter ex verbis Hieronymi simul, & Augustini, probatis erroris testibus depromptus est. Error ergo erat, nullam ignorantiam, & oblivionem esse peccatum, vel subjacere peccato.

Hanc itaque universalem negativam Concilium condemnavit; & Hieronymua, & Augustinus extinxerunt; quia in divinis authoritatibus inveniebant oblivionem, & ignorantiam esse peccatum, vel subjacere peccato. Nec ad erroris falsitatem demonstrandam opus erat omnes omninò oblivionea, & ignorantias subjacere peccato, sed satiserat, aliquaa saltem subjacere, quod scriptura constabat. Et confirmantur; quia in eo sensu Concilium, & Hieronymus, & Augustinus Cælestium improbarunt, in quo, & de quibus ignorantiia David veniam precabatur, cujus ideò orationem afferunt. At David, ut patet. saltem non solùm de ignorantia juris naturalis, seu de invincibili veniam precatur, sed de omni quæ peccatum esset; quod Jansenius negare non potest. Ergo quæstio non erat, saltem contractè de ignorantia invincibili, sed universalis.

Diximus verò; errorem fuisse de oblivione, & ignorantia vincibili, non quòd de ea in specie esset sermo, & quæstio; nam hæc ut ostensum, erat de ignorantia, & oblivione sub hia terminis, & in genere, ut ex verbis ipsis constat, sed quòd assertio universalis negativa error esset, & fieret propter oblivionem, & ignorantiam vincibilem, quæ nempè sola peccatum, est vel peccato subjacet.

Ex hia porrè patet, quam inania sint, quæ Jansenia intentione, §. præc. opponebantur. Nam quod Cælestiua diceret, ignorantiam, & oblivionem non subjacere peccato; *quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*, vanum omninò est: constitit enim paulò ante ea quæ sine reatis, & sensu, remorsuque conscientiæ fiebant, vocata fuisse non voluntatia, sed ignorantiæ; nec spontè facta, sed secundum necessitatem, scilicet quoad rationem ignoratæ malitiæ. Deindè Concilium, & Hieronymus, Augustinus causalem parùm duratunt, quæ quodam modò vera esse poterat, & quodam modò falsa: sed in conclusionem intenderunt, eamque damnarunt, & tamquam hæresim insecuti sunt. Non ergo quæstio fuit de causali, sed de conclusione. Qno verò Cælestio visum sit, talia secundum necessitatem esse, & non secundum voluntatem, movere non potest, cum Cælestiua evangelista non sit, sed hæreticus; cum rursùa in eo, quod in aliquo sensu verum esse potest, excedere potuerit, & existimare, ut adhue Recentiores quidam arbitrari videntur, talia esse omninò necessaria, & contraria. Hoc si Cælestius existimavit, erravit; si non existimavit, malè collegit. Et certè omnium Theologorum ac Jansenii etiam confessione constat, falsum esse de oblivione, & ignorantia universim loquendo, eam secundum voluntatem non esse sufficienter ad rationem peccati; nam Jansenius non negat, ignorantiam vincibilem non esse voluntariam, & subjacere peccato: quarè etiam Jansenius eam causalem in eo sensu negare debet nam causalis est universalis, & de oblivione, & ignorantia sub his terminia.

Opponebanr etiam, Pelagium, & Julianum concessisse ignorantiam vincibilem, quæ ex negligentia provenit; esse peccatum, seu non excusare; ac proindè non de illa, sed de invincibili fuisse coutroversiam. Cæterùm hoc frivolum est. Nam primò, ut respondet de Champs, potuerunt retractare errorem tot visia adversùs eum testimoniis, maximè cum eo etiam prætermisso, tot sibi, eaque maxima superessent defendenda. Deindè nescitur, utrum in hoc Pelagius ipse erraverit; potuitque Cœlestiua discipulus cæteris ejus erroribua istum adjicere, uti discipuli Lutheri, & calvini ad Magistroa suos addiderunt; & certè non ex libro Pelagii, sed Cælestii depromptua is error fuit Concilio Pallæstino. Quo facit; nam teste Augustino lib de grat. Christi. cap. 22. Pelagius universim recusabat, suam causam commisceri, communem fieri cum causa Cælestii, *hac utrum Calestii sint*, aiebat Pelagius, *ipsi viderint, qui dicunt, ea Calestii esse: ego verò nunquam sic tenui, sed anathematizo, qui sic tenent.* Non ergo valet: Cælestius sic de ignorantia tenuit, ergo etiam Pelagius, & Julianus: sed quoniam Cælestina eriam Pelagianus, & præcipuua erat; ejus error inter errores Pelagianorum connumerari potuerunt ut cernitur in exemplo significato Lutheranorum, calvinistarum. Prætereà inrer genia, & modum agendi, & loquendi Pelagii, & Cælestii plurimum intererat, teste eodem Augustino lib. 2. de peccat. orig. cap. 6. & 7. & cap. 17. caurior itaque, & fraudulentior Pelagius vel poruit nec inirio quidem eam de ignorantia propositionem Cælestii palàm salrem pronunciare; vel potuit inirio, & semper cum Cælestio sentire, & contrarium dissimulare, ac fingere: ut fecit in rebut aliia, ut patet ex eodem Augustino locis citatis.

Profectò factæ retractationis mentionem expressam, & signatam in Augustino haud invenio; & ea solùm verba, quæ ad Julianum habet: *ecce meritò reprehendisti eos, & graviter* &c. quidpiam innuere videntur; nam vox *ecce* rei valdè notandæ signum videtur, quale erat; quod Julianus peccata ignorantiæ reprehendisset; & consequenter etiam concederet.

Ex quibus demùm sic contra Jansenium arguitur. Quæstio cum Pelagianis Augustino erat, inquit, de ignorantia invincibili, nam de vincibili consentiebant. Ergo Augustinus insistere debuisset ad ostendendum, ignorantiam esse peccatum, etiam postquam illi de vincibili concesserunt, nam de hac non erat quæstio; ut vel Jansenius, sed de invincibili: ergo quæstio remanebat intacta, & integra; ergo insistere debuit. At non fecit, nam confessionem Pelagii ponit lib. de nat. & grat, in quo deinceps libro nihil intendit, ignorantiam esse peccatum. Confessionem vero Juliani ponit lib. 6. contra ipsum; in quo deinceps libro nihil intendit, ignorantiam esse peccatum; quip ibi malum iguorantiæ à

peccato

peccato in renatis sejungit, ut vidimus.

Certè cuicumque Augustinum agnoscenti hæc ponderatio fortissima videbitur; nam non sententia, non vox, non simile Pelagio, Cælestio, Julianove excidit, in quod celsissima illa mens non reflecteret, quodque stupenda vi illa ingenii non disjiceret; nec verba sunt ista, sed veritas; legatur, & videbitur. Ecce ergo Augustino erat cum eis quæstio de ignorantia invincibili. Et siluit Augustinus, saltem non addidit, non notavit non de hoc contendimus, sed de invincibili: nihil conceditis, sed totam hæresim retinetis. Et planè res omnibus incredibilibus incredibilior. Hoc ergo Augustini de ea deinceps quęstione silentium probat cum Pelagio saltem, & Juliano finitam esse quæstionem; solùmque in Pelagio desideravit, ut non omnino disputaret, sed Deum etiam oraret, & intellectum peteret; quod non tam ad quæstionem de peccatis ignorantiæ (etsi huc etiam pertineat) sed magis ad quæstionem de gratia pertinet. Nunc ad duos Recentiores.

§. III.

Vel quæ contra Jansenium afferuntur somnia sunt; vel duo hi Recentiores nimis exorbitant.

DUo illi sunt solùm, quos viderim; alter, qui justo volumine in Jansenium scripsit: alter, qui de probabilitate scribens cum eodem Jansenio quæstionem de ignorantia commiscuit; quorum etiam §. 1. memini. Occultissimum illud ambo scilicet peccatum originale negavisse: hinc deindè arripuerunt illud ambo, quęstionem de oblivione, & ignorantia utrum peccato subjacerent, eam fuisse, an oblivio, & ignorantia sint pœnæ peccata peccati originalis, & hoc sit subjacere peccato, ex peccato provenisse præsertim cum juxta Augustinum, ut ultra eorum: inquit, (& etiam S. Thomam allegare potuisset) cum; inquam, ignorantia, & difficultas, seu concupiscentia sint pars materialis cõstitutiva peccati originalis, ut corpus hominis.

Dixi, aut somnia esse, quæ contra Jansenium afferantur, aut hos recentiores nimis exorbitare; & Jansenius quidem sua qualia fundamenta allegavit, ut Pelagianos de ignorantia invincibili intelligeret: hi verò nullum ullo modo afferunt, nec habent; nam de hoc nec in duobus Hieronymum libris, nec in omnibus Augustini contra Pelagianos operibus vel verbum extat, quo insinuetur, errorem illum specialem Pelagianorum, quo oblivionem, & ignorantiam peccatum esse negabant, fuisse, utrùm illæ essent pœnæ; vel pars peccati originalis. Hoc ergo dicitur; ut dicatur, & ut longius à peccatis ignorantię admittendis eatur.

Hi deindè Recentiores ipsi cum cæteris Jansenium de ignorantia invincibili errorem intelligentem ex eo maximè conficiunt, quod Hieronymus, & Augustinus, ut ipsa etiam Synodus errorem evertant ex capitulis Levitici, in quibus sermo haud est de ignorantia invincibili. At evidentius est, nec in eis sermonem esse de peccato originali, seu de patre ejus, vel de pœna ejus. Ergo vel hæc somnia sunt, vel ipsi jocantur. Rursùs Concilium, Hieronymus, & Augustinus contra eum errorem orationem Davidis pro ignorantiis suis deprecantis proferunt: quid autem clarius, quam Davidi sermonem non esse de peccato originali. Hieronymus præterea percurrit ignorantiam Jonathæ, ignorantiam Ozæ; & infinita alia cumulat, & omnia sanè, de peccatis personalibus. Ergo vel Recentiores hi non legunt, vel nobis illudunt. Hieronymus rursùs, & Augustinus opponunt ignorantiam Apostoli, qua Ecclesiam persecutus est. An & hoc de peccato originali, vel de pœna ejus accipiendum est? ergo & quod Apostolus de se commemorat; quod fuit blasphemus, & persecutor, &c. hoc significabit, ipsum scilicet contraxisse peccatum originale, & ignorantiam & hoc erit, quod dicit, *quia ignorans feci.* Ubi alia quælibet nectere potest.

Illud deindè rem demonstrat, quod fundamentum Pelagianorum hoc esset, oblivionem, & ignorantiam non esse secundum voluntatem. Hoc autem fuisset ridiculum, & fatuum, si de pœna, & non de peccato propriè fuisset. Dicent, nihil esse mirandum, si ita fatua opponerent Pelagiani; aliquibus enim videtur, & acutissimus Pelagios fuit, & acutissimum eum vocat Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 35. & sæpè eum de ingenio laudat. Non ergo opponebant, oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, id est, peccati pœnam non esse, quoniam secundum voluntatem non erant. Quid deindè Augustinus, & Hieronymus hoc omo quęstionem non expediebant dicendo eam non de peccato propriè, sed de pœna esse, quam non oporteret esse secundum voluntatem. Verùm forsitam nec Augustinus, & Hieronymus ingenio viguerunt, & acumen omne nobis posteris servatum est. Iterùm quia desipuissent ambo peccata verè talia ex scripturis opponendo in quæstione, quæ non de peccato propriè, sed de pœna intercedebat. Augustinus item librum secundum de gratia Christi contra Pelagium, & Cælestium scripsit de peccato originali: contra Pelagium, & Cælestium scripsit de peccato originali: & in hoc toto libro hanc de oblivione, & ignorantia, quæ juxta hos Recentiores solùm de peccato originali, & pœnis ejus; quas ubiq; Aug. urget; aliá de oblivione, & ignorãtia: quas duas confundũt hi recẽtiores, quia volũt.

Id circò Aug. lib. 6. contra Julian. cap. 16. ut contra Jansenium dictum est, malum ignorantię, quod pœna peccati originalis esset in renatis retinuit; peccatum verò esse negavit expressissimè; sciverũt quippe Augustinus, & similes, quid peccatum esset, & quid solùm pœna, & non peccatum. Ex quo duo inferuntur. Primò Augustinũ, dum ignorantiam peccatum dixit, & contendit, peccatum intelligere, & non pœnam. Alterum est, cùm malum ignorantiæ, quod peccati originalis pœna sit, distinxisset à malo ignorantiæ, quod peccatum sit. Cum ergo ignorantiam peccatum esse contra Pelagianos contendit, de peccato agit, quod peccatum sit, non de peccato, quod solùm pœna sit. Profectò Aug. ut lib. 1. retract. cap. 9. & cap. 9. & cap. 13. & alias cernitur, adeò accuratè distinxit inter peccata, quæ solùm sint peccata; & non pœnæ, & inter peccata quę simul pœna & peccata sint, & inter pœnas, quæ nullatenus peccata sint, ut ista corrigere velle; & ubi peccatum esse, in quæstione de fide contendit, de pœna, vel de peccato impropriè interpretari, plusquam libertas esse videatur, & nescio sanè quid: *fervet animus, & non possum verba continere* ait Hieronymus ad Ctesiphontem adversus Pelagian.

Et confirmantur ista; quia Concilium, & Hieronymus, & Augustinus de peccato sub omni expressione loquuntur: Concilium dicebat, *cum in lege Sacrificia pro ignorantiis, sicut pro peccatis offerantur:* & quæcumq; alia sunt, de peccatis propriè sunt: pro

quibus

quibus tamquam pro peccatis & sacrificia offerebantur, & pœnitentia injungebatur & Deus propitiabatur; & delinquere vocatur, ut patet ex Levitico contra Pelagianos producto. Quod si hæc tanta adeò expressa de pœna solùm peccati, vel de peccato impropriè vertere liceat, & ad placitum nostrum verba significari, quidquid de peccatis scriptum est, cuilibet iuvertere liceat, si præsertim id, quod Patribus opponi clam solet, scripturæ etiá objiciamus, dicamusq; eam non scholasticè, & presse sed pinguiori stylo, modoque esse scriptam.

Præterea ut defectus in Logica horum Recentiorum innotescat, & aliorum etiam toto hoc libro, & alias passim, sic arguitur. Si quæstio cum Pelagianis fuisset, vel de pœna peccati, vel de peccato impropriè, & non verè, ac simpliciter tali. Major demonstratur ex Logica: nam termini, & propositiones simpliciter, ac sine addito expresso, vel subintellecto prolatæ significant verè, & simpliciter tale, & sensum habent proprium, ut Petrum esse hominem, currere, loqui, &c. & omnes scientiæ, convictusq; humanus corruunt, ut patet universalissima vocum omnium, assertionumq; inductione: si dum Deú, Trinitaté, transubstantiationem, Cælum, ignem, panem, pecuniam, peccare, mereri, solvere, vovere, nubere loquimur, distingui ista possint, & ad sensum improprium trahi: ex quo etiam aperietur, ostium ingens mentiendi. Ob istum Recentiorum quorumdam abusum toto hoc libro, & aliàs *τὸ propriè τὸ verè* charitas implemus: quæ certè particulæ nihil necessariæ erant, si scientiæ modus aliquis servaretur. Hinc etiam in schola sæpè nulla fermè propositio afferri potest, quam non distinguant, & istam, quam consultò aliquandò proposui, *Deus est Trinus, & unus* mihi distinxerunt; & ingenium esse censetur omnia distinguere. Indè apud hos nihil cathegoricè, & simpliciter concedentes, vel negantes, nullus est indisputatione finis, terminus nullus, sed infinitus processus. Quod si aliqua simpliciter concedenda sunt, & aliqua negando, sicut alia sunt per se nota, & alia probanda, patet, verè, ac propriè talia esse affirmanda, & concedenda; non verè, ac propriè talia neganda. At in quæstione de oblivione, & ignorantia juxta hos Recentiores quæstio erat non de aliquo, quod verè, quod propriè, peccatum esset solùm impropriè, vel denominativè in ipsorum sensu, vel de pœna. Ergo rectè Pelagiani de ex tali simpliciter enunciarunt, non esse peccatum; malè verò Catholici affirmarunt, & utique excesserunt.

Quod verò Cælestius iis verbis, *non subjacere peccato*, usus fuerit, puerile esse ad intentionem horum Recentiorum trahere velle. Etenim *non subjacere peccato* perindè significabat, atq; peccatum non posse. Undè nec Concilium, nec Hieronymus, nec Augustinus ei voci institerunt, sed sensum intellexerunt; ac immediatè non aliud probarunt, quam oblivionem, & ignorantiam peccatum esse, ut est factum notorium. Ergo sensus Cælestii erat, oblivionem, & ignorantiam peccato non subjacere, id est peccatum esse; & hoc sua quoque causalis probabat, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem. Sic etiam Levitici 22 dicitur: *custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato*, id est, non peccent, peccarores sint, & fiant.

Dicitur autem, ignorantiam peccatum esse, quia aliquandò ipsa peccatum est distinctum; aliquandò unum peccatum cum actu sequenti; & quæst. 2. 13. ex Theologis, expresse ex D. Thoma explicatum est. Atque hoc sensu Sancti Patres contenderunt, ignorantiam peccatum esse, ut ex adductis eorum testimoniis constat, & ex omnibus, quæ Hieronymus ex scriptura cumulavit, quæ de factis per ignorantiam sunt: & sic etiam Augustinus ad Julianum dicebat: *ecce meritò reprehendisti eos, & graviter, qui vel supersederunt sienda cognoscere, vel non formidant ignorata culpare*, sensus ergo est, ea, quæ per ignorantiam fiunt, non obstante ignorantia esse peccata, & culpas; & sæpè ipsa ignorantia non fit distinctum peccatum in recto, & ideò habemus duos articulos S. Thomæ, quorum uno ostenditur, ignorantiam esse causam peccati; altero esse peccatum. Sed verò hi Recentiores Ubi scriptum est, de causis peccati, scribere possunt de immunitaribus peccati; & ignorantia non causa erit, sed immunitas, sed præservatio à peccato.

Postremò ex eo evertitur duorum eorum Recentiorum dictum; quod difficultas, & quæstio cum Pelagiania de hoc formalissimo puncto esset, ut à Hieronymo nomine Pelagianorum proponitur: *rogo, quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? nescio, me peccasse, & cujus rei, quam nescio, pœnas luo? & quid plus faciam, si sponte peccavero?* & lib. 2. initio inquit Pelagianus: *numquid & de Evangelio poteris hoc probare, utpuniatur quisque pro eo, quod nescìat, & ante pœnas luat: quam reus sit conscientia?* Ecce de quo quæstio erat, si Hieronymus eam intellexit. Quæstio ergo erat, utrum sine reatu conscientiæ, utrum nesciendo nos peccare posset peccari, vel peccaretur? Hoc porrò in primis quid connexionis, quid coloris de eo habet, an oblivio, & ignorantia contractæ sint propter originale? Hoc rursus universale est, & de actibus nostris; peccati originalis ibi Hieronymus nec verbum haber. Quid ergo tam ultrò, tam longè hi Recentiores abierunt. Sed quoniam hoc punctum universaliùs alios quoque comprehendit, & quasi pro principio etiam regendarum conscientiarum hoc, opinor, ipsum à multis accipitur seorsim magis ponderandum est.

§. IV.

Non ergo intelligitur, in quo aberrore Cælestii differat opinio latissimè propagata de necessitat remorsus ad peccandum.

Nihil in hoc amore Theologorum exorbitamus: quorum alii, & alii passim intendunt, sententiam contrariam non differre à Lutheranismo, Pelagianismo, Elipandismo, &c. ut scitur. Hoc ergo ipso sensu, & intentione, utque veritas innotescat, de proposita ea opinione dicimus, non intelligi, in quo ea differat ab errore Cælestii, quem tamquam hæresim profligarunt Catholici, & quem Pelagius, ac Julianus vel tamquam nimis apertè falsum tenere ausi non sunt; vel siquandò tenuerunt, palam retractarunt ut dictum est.

Ne verò multitudine scriptorum eum remorsum hac præsertim ætate requirentium, obruere nos velint, in primis instantia est in Pelagianismo, vel Lutheranismo, vel Elipandismo, & similibus, quæ scholis integris objiciuntur. Deindè horum scriptorum alii sunt minimè Theologi, qui commentarios in 1. part. edere erubescent; & hi prætereund;

reundi sunt: alii certè viri graves, & Theologi, qui etiam remorsum illum necessarium habuerunt Habent tamen in hac quæstione exceptiones manifestas. Nam primò Recentiores ipsi libenter contestari solent, antiquiorum opiniones aliquas reddi aliquando a posteris minùs probabiles; aliquandò etiam improbabiles; quià posteri invenerunt, & adduxerunt fundamentum aliquod aut gravius, aut convincens ab antiquioribus omissum, & prætermissum. Sed viri illi graves omiserunt,& prætermiserunt in hac quæstione hoc summi momenti, & maximè examinandum, quod ad hæresim Pelagianam attinebat;nec de hoc tractarunt; nec de aliis plurimis, quæ hoc libro adducta sunt: ergo in hac quæstione exceptione communi eliduntur. Dicetis utique, eos cuncta hæc vidisse, scivisse, & comprehendisse, etsi in libro non posuerint. Sed hoc est ultrò loqui; & cur non tantumdem de prioris Theologis reponimus? inepta enim, opinor, est, dicere,primos illos multa,vel aliqua etiam maxima ignoravisse;posteriores vero nihil, extitisseq; omni scios. Alia exceptio est, quod cum ipsi tenerent,sine actuali remorsu peccari non posse neque in operando, neque in docendo , sive in doctrina fidei,& morum,sive alia; quin si intentio esset bona , se mereri vitam æternam falsa quælibet docendo , modò absit remorsus, non erat, cur pro veritate ipsa exploranda fatiscerent.

Quibus animadversis,identitas erroris Pelagiani,& opinionis illius ostenditur Primò sic: error ille erat sine reatu conscientiæ non peccari: opinio autem illa est, sine remorsu conscientiæ non peccari.Sed hæc duo idem in præsenti significant. ergo error ille, & opinio illa non differunt. Major constar ex verbis Hieronymi,& ex verbis ita opinantium quoad utramque partem. Minor ostenditur;nam per reatum conscientiæ non intelligebatur reatus ex facto jam peccato remanens in conscientia quem habitualem vocant: quia non de eo, quod ex peccato jam facto remaneret, erat quæstio, sed de eo,quod ad peccatum faciendum necessarium esset, aut videretur; at hoc non erat reatus peccati jam facti: ergo erat reatus peccati faciendi : hic autem reatus conscientiæ peccati faciendi aliud in conscientia non est, quà n dictamen ejus, & cognitio, & remorsus ejus de peccato, quod faciendum est. Ergo reatus conscientiæ Pelagianorum, & dictamen, & cognitio, & remorsus conscientiæ ita opinantium idem,& unum præsens significant. Explicatur ; quæstio non erat, utrum ex peccato jam facto remaneret reatus; nam peccatum ipsum negabant, non reatum relictum jam semel concesso peccato, ut est manifestum. Sed reatus conscientiæ non de peccato facto, sed faciendo aliud non est, quam cognitio aliqua, qua conscientia agnoscat reatum contrahendum. Ergo de hac cognitione sensus erat, & quia verum est , per ignorantiam peccati hanc cognitionem tolli,idcirco inferebant, ignorantiam non esse peccatum: ergo reatus conscientiæ Pelagianorum est cognitio, & remorsus conscientiæ, ita opinantium idem sunt.

Secundò probatur;quia non habere conscientiæ reatum hoc erat, & hoc significabat Pelagianis, videlicet,se nescire peccare, & Critobulus quasi convertibilia, & idem significantia ea duo posuit dicendo: *quæ est ista justitia,ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? nescio, me peccasse, &* *ejus rei,quam nescio, penas luo? & quid plus faciam , si sponte peccavero?* Idem ergo erat, & idem significabat Pelagianis,reatum conscientiæ non habere,& nescire se peccare. At opinio illa hoc idem ponit, scilicet,nisi advertendo,& cognoscendo non peccari,& ita nesciendo non peccari. Ergo nihil hæc opinio abea hæresi distat. Confirmatur. tria illa sine reatu peccare , & nesciendo peccare , & non spontè peccare convertibilia sunt: ergo opinio ponens nesciendo non peccari,ponit in ipso Pelagianorum sensu illa tria Ergo sicut prius Rursus quia opinio ista tria illa ad verbum in eodem sensu objicere potest,& verissima habet ; sine conscientiæ quippè reatu, & nesciendo, & nisi spontè, hoc est, sciendo, & volendo non peccari ; ergo ea ndem quoad hoc mentem, & sensa cum Pelagianis habent ita opinantes,& ita etiam,ut dicemus,ead m ex voluntarietate,libertateque objiciunt, & hoc unum sicut Pelagianis, est, cur revera peccata ignorantiæ tollant.

Nec refert quod Critobulus verbo non præsentis , sed præteriti temporis usus sit dicendo, *nescio me peccasse*,ex quo etiam dices per reatum intelligi non quid antecedens peccatum,sed reatum ex peccato jam facto relictum. Hoc enim dato,semper in eodem sumus;nam ideo reatum istum relictum necessarium arbitrari potuerunt ; quia in cognoscente se peccare relinquitur iste reatus.& testimonium,remorsusq; conscientiæ de peccato factum; cum aut m in nescien e hoc testimonium reatusq ,& remorsus non relinquatur, inde nolebant peccari posse per ignorantiam, & nesciendo, & quod quis peccet,& nesciat,se peccavisse. Sed hæc omnia ad verbum ponit illa opinio. Ergo de plano coincidit.

Tertiò urgentissimè;quia quæstio cum Pelagianis haud erat de omnibus pecca is,ut malitiæ , & infirmitatis, sed solùm de tertio genere peccatorum ignorantiæ,ut patet; atq; de hoc modo peccandi à reliquis duobus disti cto controvertebatur,& hoc fuisse factum nemo dubitaverit quippè in hoc tertio peccandi genere,& modo specialissima difficultas voluntarietatis,& libertatis,quam Pelagiani movebant,& proposuerunt, & movent eodem modo Recentiores.At opinio illa tollit hoc tertium genus,& modum peccandi,ut qu.11. § 7. declaratum est,& qu.5. §.3 demonstratum est implicationem esse in terminis ex ignorantia , & nesciendo, & propter ignorantiam peccare, ubi non nisi sciendo,cognoscendo,& advertendo peccatum:quæ sic implicant, sicut ignorare, & cognoscere,& nescire,& scire oblivisci;& advertere. Ergo ad verbum cum Pelagianis opinio illa consentit.Et confirmatur,quia hæc hæresis hoc erat, scilicet non dari peccata ignorantiæ, & oblivionis Et cujus precor ignorantiæ, nu n illius, quæ peccata omnia transcendit, & propter quam dicitur, omnis peccans est ignorans. Non certè, nec omnia peccata tollebant. Ergo ea hæresis erat,non dari tertium illum modum, tertium illud genus peccandi à duobus reliquis malitiæ, & infirmitatis distinctum. Sed hoc totum est idem adstruit opinio illa; quod tam est evidens, atque evidens scienter,& sciendo,& advertenter,& advertendo peccare,& non esse peccare nesci nter,& nesciendo; ignoranter, & ignorando; ex oblivione, & obliviscendo : & nemo , opinor, rusticorum extra contentionem invenietur , qui rogatus, utrum ille qui advertendo , & cognoscendo , se

se peccare peccavit, rogatus, inquam, utrum ille ex ignorantia, & ignoranter peccaverit, responsurus non sit, nequaquam eum ex ignotantia, & ignoranter, & nesciendo, sed magis sciendo, & cognoscendo peccavisse. Ergo de plano coinciditur.

Quarto identitas hęresis illius, & opinionis hujus ostenditur ex argumẽtis Hiero., & Aug. quę utráq; si tamen utraq; & non una dicenda sit, eodem prorsùs modò comprehenderũt: nõ enim uterq; Doctor ex integro, & unicè incumbunt, ut evincant, quod Hiero. dicit; *volunt enim eloqui scripturarum, ignorantiã habere peccatum*, utq; ostendãt, ex oblivione, & ignorantia, & nesciendo peccari. Ita qui occidit nõ volẽs, id est, per ignorantiam, ut interpretatur, exilio condemnatur. Hiero. inquit ex Exod. 21. ita anima si peccaverit non spontè, &c. offert munus, inquit ex levit. 4. si terigerit aliquid immundum, &c. & fecerit per ignorantiam, & posteà dedicerit, &c. inquit ex Leu. 5. & post alia: si comederit homo de sanctificatis per ignorantiam imputatur ei iniquitas, &c. arguit ex Leu 22. cumque ignoraverit populus, & fecerit unum ex his, quæ facere non debuit, arguit ex Nu. 15. Et post alia. Lex civ. eligũtur exilii eorum, qui nõ spontè, sed per ignorantiã, &c. in fęlicitate magis, quam voluntate peccaverunt, arguit ex nu. 35. Percurrit deindè ignorãtiam Jonathæ, Ozæ, & aliorum: ac post multa conglobata; in proverbiis legimus, inquit; est via, quæ videtur recta esse apud homines, & novissima ejus veniunt ad profundum inferni, Ecce & hic, arguit, manifestè ignorantia condemnatur, cum aliud putat homo, & sub specie veritatis ad infernum delabitur. Hęc inter multa Hiero. lib. 1. in quibus patet, eum ad hoc unũ tota argumentatione sua intẽdisse, ut convinceret, non cognoscendo, quin rectam viam sub specie veritatis putando, hominem peccare, ac ad inferna delabi.

Jam lib. 2. Critobulus opponit, hoc pacto impossibilia fore pręcepta, hominisq; culpandam naturã, Hiero. seu Attic. respondet: sæpè dixi, te non intelligere conatus meos, nec considerare, quid argumẽteris, sed quid Deus jusserit. Pro oblivione ergo, & ignorantia quasi pro peccato offeruntur sacrificia, sive hoc malè juxta, sive benè juxta me Deus pręcipit: meum est observare, quod jussit; tuũ Dei jussa reprehendere. Et post alia, tacere tibi videor, qui tantis exemplis docere te volui, peccare, hominem per ignorantiã; & pro peccato, ut in lege hostias, ita & in Evangelio offerendã pœnitudinẽ.

Deindè post alia urget locũ Apostoli ex 1. ad Co. 4. *nihil mihi conscius sum*, &c. Qui hoc dicebat, ait, nullius itiq; peccati sibi conscius erat. Sed quia legerat. *delicta quis intelligit?* &, *sunt viæ, quæ videntur viro justæ, novissima autem respiciunt in profundum inferni*; & iterùm; *omnis vir videtur sibi justus: Deus autẽ corda hominum dirigit*, idcircò temperabat sententiã, ne fortè per ignorantiam deliquisset. maximè cum scriptura testetur; *& justus: qui perit in justitia sua: & alibi: justè, quod justum est, sectaberis: ne opinione veritatis* (id est, verum esse existimando, *à justitia declines*. Ecce ergo Hiero. ad hoc totus invehitur, ut evincat, non intelligendo, & sine testimonio conscientiæ, & opinione etiam veritatis peccari; & hęc erat quęst. formalis, utrũ hoc pacto, id est, ex ignorantia, & oblivione; & per ignorantiam, & oblivionem peccaretur: utrinq; scilicet tamquam per se notum supponebatur. ubi ex ignorantia, & oblivione peccaretur, nõ adesse cognitionẽ, & advertentiã peccati, non testim. & sic reatum peccati faciendi, vel facti,

De Augu. eadem est evidentia, ut patet ex ejus testimoniis adductis quęst. 4. §. 4. item ex adductis quęst. 11. §. & quæst. 15. &c etiam hac quęstione, ex quibus unum illud hic memorabo, quo Pelagianũ fastum carpit; *hanc enim quippè superbia tamquã præsumens de viribus liberi arbitrii excusatam se putat, ubi ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat.* Omnimodè voluntatis esset peccatum ignorantiæ, sicut cętera, si voluntas cognoscendo, & advertendo peccaret, nec umbra ulla differentiæ quoad voluntarietatem superesset, sed spontè omnia, ultrò omnia scienter omnia committerentur. Hæc ergo erat superbia; hæc hæresis Pelagianorum, ut excusatos se vellent, ubi ignorantiæ esset, quod agerent, id est, ubi spontè, & ultro, & scienter non delinquerent. Hoc autem idem ponit opinio illa. ergo nihil differunt: quin opinatores isti nõ se excusandos solum, sed etiam præmiando se se censent.

Ex quibus sic demùm concludo, juxta veritatem, & juxta Recentiores etiam Autores de fide est, peccati etiam per ignorantiam, & dari, vel posse dari peccata ignorantię. Sed non peccatur per ignorantiam, ubi advertẽdo, & cognoscendo, & cum testimonio conscientiæ peccatur; & hæc est propositio evidentissima, & sæpè evidenter ostensa. Ergo peccatur non advertendo, non cognoscendo, & sine testimonio conscientiæ de peccato, ac sine remorsu conscientiæ.

Et certè hoc loco, cur plurimorum misereamur, qui suam conscientiam, quæ tamen in rectam, & erroneam; & hæc rursus invincibilem, seu non excusantem ab omni Theologorum, Patrumque consensu distincta est qui inquam, suam conscientiam, & testimonium ejus adæquatam regulam suæ innocentiæ, seu non peccati existimant, & hoc uno contra Apostoli voces se justificant, quod nihil sibi conscii sunt, quin nec ut sibi conscii non sint, se examinant, sicut Apostolus ex Dei scripturis, & verbis. Sic hoc solo examinare mundo, superbia, & utinam non avaritia pleni corpus Domini sine remorsu manducant, & manducare etiam jubentur. Hac aliquando una regula suæ conscientiæ, quam facile accomodare solent, mundum alii gubernant; Præfecturas, Episcopatus quærentibus, & petentibus largiuntur, ex quod Dominus bonis animæ dixit, *petite, & accipietis, quærite & invenietis*. invertunt ad temporalia, cum cæteris paribus non petentes, nec quærentes multo digniores existant cumque ipsi quærere teneantur, & diligentissime dignos saltem, & indignos nosse, nec minus huic cognitioni hominum intendere obligentur, quam justitiæ commutativę administri teneotur libros nosse, & scire, minus injuste judicarent, tamen quia ex consueto conscientia nos remordet, miserè demum moriuntur. Alia plurima non percurro instantibus omnibus; hæc enim existimatio, & deceptio, quod ubi conscientia non remordet, non peccetur, plurimos perdit, & ut ex Bellarmino dicamus, nihil conscientia remordente, ad eum locum vadunt, ubi vermis eorum non non extinguitur. Atque hoc missionarii Apostolici populum benè docere oportet.

§. V.

Extant præterea suspiciones aliæ de consensu Pelagianorum, & ita opinantium.

PRima hæc, quod, ita opinantes, si alicubi verbulum inveniant, quo insinuetur, per ignorantiam non peccari, illud tamquam sibi favens avidè arripiant. Sic duo Recentiores, quos §. 3. rejeci, arripiunt ex Chrysostomo, quod homi. 13. in epist. ad Rom. dixit: *quod enim ago, non intelligo ignoro. Id verò, inquit, quando fuit? nemo enim homo unquam præ ignorantia peccavit* (sic habet lectio mea) *vides, nisi cum decenti. circumspectione dictiones ipsas diligamus, & ad Apostoli Scopum, mentemque attentiùs respiciamus, fore, ut hinc absurditates infinitæ consequantur; nam si ignorantes illi peccavere, indigni quidem*

dem erunt, qui pœnas darent. Hæc Chryſ. & hæc ex illo, etſi non integra, ambo illi Recentiores. Ergo ſuà intentio eſt, non peccari per ignorantiam; ſed hęc eſt formalis hæreſis Pelagiana: ergo revera in idem reſpiciunt. Prima conſequentia conſtat; quia verba Chryſoſtomi ut jacent, & niſi explicentùr, hoc unum ſonant, numquam peccari per ignorantiá. Sed hi Recentiores verba afferunt, nec explicant, nec notant quidquam, ſed abeunt: ergo eò eunt, ut credatur, re vera numquam per ignorantiá peccari; quod eſt hæreſis, & cauſa ruinæ multorum.

Cauſa erat Auguſtino cum Juliano Pelagiano de peccato originali, ſicut nobis de peccatis ignorantiæ. Et quoniam nulla hæreſis eſt, quæ aliquid, quod ſibi facere videatur, non inveniat, in eodem Joanne Chryſoſtomo invenit Julianus hoc teſtimonium, quod contra peccatum originale eſſe videbatur. *Sanctus Joannes Conſtantinopolitanus*, ajebat Julianus, *negat eſſe in parvulis originale peccatum: in ea quippè hom.* &c. ubi poſt baptiſmi elogia concludit: *hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint.* Vide, tu Lector, utrum hoc teſtimonio contra peccatum originale ſit clarius illud Recentiorum contra peccata ignorantiæ.

Auguſtinus verò quid facit? Primum l. 1. c. 6. opponit Innocentium, Cyprianum, Baſilium, Nazianzenum, Hilarium, Ambroſium; à quibus in re fidei Chryſoſt. diſſentire non poterat; & nos tantum reponimus, & ſenſum Patrum *q.* 4. & deinceps protulimus. Deindè interpretatur Chryſoſt. dicens; *peccata dixit parvulos non habere, ſed propria.* Et nos interpretamur dicendo, per ignnrantiam dixit non peccari, id eſt, primo peccato; per ignorantiam dixit, non peccari, id eſt, nihil cognoſcendo; nam de quibus agit, cognoverunt; *quia cum cognoviſſent Deum*, &c. inquit Paulus, quem exponit: rursùs per ignorantiam dixit non peccari, id eſt, peccato, quod ſolùm peccatum ſit, & non etiam pœna peccati, ut idem Chryſoſt. & Auguſtinus uno ore loquebantur *q.* 14. §. 5. Pergit dein Auguſtinus, Chryſoſtomique alia teſtimonia Juliano objicit: & nos multa expreſſiſſima ex eodem *q.* 4. §. 3. contulimus; atque alia adjicere in promptu eſt. Concludamus igitur cum Auguſtino c. 12. *quid te igitur adjuvit, quod Joannis Conſtantinopolitani tamquam tibi* (ſeu vobis) *ſuffragetur, teſtimonium poſuiſti? An ut unum verbum quaſi ab eo prætermiſſum velut acuta calliditate captares, & tot verborum ejus, quibus obrueris, tam ingentem tibi aggerē commoveres?* Adde, quod Apoſtolus eo c. 4. quod Chryſoſtomus commentatur, tractat de habentibus, ſcientibusque legem quarè ſubdit Chryſoſt. *ita hoc loco non rerum omnium indicat ignorantiam*, ſcilicet Paulus, ſed ut exponit, rea, quas non benè cognoſcimus, nō intelligere, vulgò effamur; ideoq; Apoſtolus non verbo; *ignoro*, ſed *non intelligo*, uſus eſt, *quod enim operor, intelligo*, ut accedit iis, quos ibi deſcribit, qui in magna lucta, certamineque ſpiritua, & carnis colluctantur. Quandò volent, & ad hoc quæſtio revocabitur, alia Chryſoſtomi reſtimonia promittimus: Legant ſaltem, qualem deſcribebat Paulum hom. 3. in ep. 1. ad Tim. *Lucem quamdam, ac peſtem eſſe prædicationem, dogmatis noſtri exiſtimantem*: indè mox: *idcircò ignorantiam confitetur*; ac multa alia.

Fortè etiam alio die, undè magis ſuſpecti reddátur, nobis obiicient verba alia S. Clemen. in quadá ſua ep. to. 1. Con. in ſpeciem tollentia peccata ignórantiæ. Sed ſequentia epiſt. perlegátur, & tacebitur.

Alia ſuſpicio adverſùs ita opinantes eſt, quod eadem moveant, & objiciant, quæ moverunt, objeceruntque Pelagiani de voluntarictate. Et de voluntarietate quidem patet ex cauſali Cæleſtii, *quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem.* Patet ex reſumptis ab Auguſtino verbis ipſorum, *ubi ignorantiæ, non voluntatis eſt, quod peccet.* Patet; quia hæc cum Pelagianis quæſtio reſerta eſt particula *ſpontè*, vel *non ſpontè*, ut viſum eſt, id eſt, voluntariè, vel non voluntariè.

De libertate etiam; quia eam ubique Pelagiani objiciebant, ut in Hieron. l. 1. *& conſequenter, ajebant, poſſumus carere peccato; aut ſi vitare non poſſumus, non reputatur in peccatum, quod caveri non poteſt.* Ubi obirer contra eos duos Recentiores §. 3. vides, de peccato strictè, & preſsè; de peccato verè, ac propriè extitiſſe controverſiam. Rursùs principio. 2. opponunt: *id enim fecit, quod vitare non potuit: ubi autem aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium.* Et hoc ſemper obloquebantur tam in iſta, quam im omnibus ſuis quæſtionibus, ut copioſè duo ſunt, & hæc ſola ſunt opinatorum argumenta, & ex his duobus, quaſi novum dogma afferremus; nos divexant, ut patet ex quæſtionibus præſertim 11. & 12. nec aliter nos diſputare cogerent Pelagiani ipſi ſi redirent. Suſpicio ergo nimis vehemens eſt.

Nec illud à Pelagianis omiſſum eſt, quod pauci tam Recentiores opinionum, quam ſcientiæ intelligentiores tamquam maximum inconveniens objiciunt, ſcilicet in Janſeniſmum, id eſt, in præceptorum Dei impoſſibilitatem nos impingere: atque hoc verbo apud rerum ignaros odium etiam conflarùnt. Tempore quidem Hieronymi, & Auguſtini Janſenius natus non erat; at de poſſibilitate, vel præceptorum adeò frequens erat ſermo, ut hoc fermè uno ſcripturas omnes intervertetent Pelagiani, & ad nauſeam etiam moverent. Initio itaque libr. 2. Hieronymi ſic Pelagiani occlamant: *hu enim cunctis teſtimoniis videris hominum accuſare naturam; ac per hoc invidiam referre in Deum, ſi tales homines condidit, & oblivionis, & ignorantiæ peccato carere non poſſent.* & l. 1. *aut poſſibilia Deus mandata dedit, aut impoſſibilia, ſi poſſibilia in noſtra poteſtate eſt, ea facere, ſi velimus ſi impoſſibilia nec in hoc rei ſumus, ſi non facimus, quod implere nō poſſumus: ac per hoc ſive poſſibilia dedit Deus mandata, ſive impoſſibilia, poteſt homo eſſe ſine peccato ſi velit.* Idcircò ut patet ex Auguſtino l. 1. contra Julian. c. 2. Pelegiani Auguſtinum, & catholicos Doctores accuſabant Manichæiſmi, ſicut nos Janſeniſmi, eò quod viderentur malam facere naturam humaná, quæ mandata ſervare non poſſet, & tamen peccaret. Ecce itaque à Pelagianis ſatis efficaciter motum eſt, quidquid pauci prædicti Recentiores per imperitiam, opinor, moliti ſunt.

Uterque ſanè magnus Doctor reſtitnit firmiter poſſibilitatem præceptorum, ut expreſſiſſimè conteſtantur, ſed Hieronymus in iis duobus libris prætermiſit explicare, undè, & quomodo poſſibilia eſſent, & totus inſtitit quæſtioni, an eſt, an ſcilicet oblivio, ignoranria peccatum eſſent, & infinita ſcripturæ teſtimonia cumulans bonus certe Theologus ea illibatè credenda præfixit, etſi à nobis intelligi nō poſſent, quomodò in eo rei eſſe poſſemus. Et ſic poſt motam de libertate, & poſſibilitate quęſtionem: *à me, inquit, ſententiæ, & diſpoſitionis Dei cauſam requiris? Reſpondet ſtultæ interrogationi tua liber ſapientiæ: altiora te ne quæſieris*, &c. & ex 7. Eccleſ. & ad Rom. 11. & 9. & ex aliis Pelagianam, & noſtrá ſuperbiá contudit, & concludit; *in lege enim non ratio quæritur, ſed autoritas*; i. e. quamquá ratio nobis nō occurrat, maximè verò in lege Dei, abundat autoritas,

Augustinus sæpè possibilitatem præceptorum Dei explicuit, & non posse negavit, sed posse, velle, & agere omnia tria Dei esse infinita quadam doctrinæ, & ingenii mole in perpetuum contra hæreses omnes adstruxit. Ad præsentem verò de ignorantia quæstionem, cum peccato originali duo illa vulnera assignaverit ignorantiam, & difficultatem, & utrumque gratia Dei per Christum sanandum sit, duas illas gratia posuit, quarum una *innotescat, quod latebat*, & ignorantia depellatur: & altera *suave fiat, quod non delectabat*, & difficultas tollatur. Et nos *quæst.* 12. more scholastico præcipuè D. Thoma Ductore difficultatem istam de impossibilitate præceptorum expedivimus; & impossibilitatem ex suppositione, & necessitatem consequentem concessimus; impossibilitatem simpliciter, & necessitatem antecedentem negavimus; & credant, precor Pelagianos tam esse hæreticos, quam Jansenistas, utrosque sanè vitandos.

§. VI.

Alia opinionis eius suspicio sumitur ex fructibus, quos ex illa Pontius colligit per bonam Logicam.

PONtium loquor non Basilium, sed Joannèm, quem cogor hic contra morem nominate, non quod ille mea sententia a modo Recentiorum aliorum re vera differat, sed quòd palàm, coramq; ponat, & explicatissimè dicat, quod alii tergiversando, & sub involucris concedunt; & sicut Escobarius animam, & quasi totam, ut ajunt, quintã essentiam probabilismi in lucem extraxit dicendo, *est. & non est; licet, & non licet; sacramenta sunt septem, & sacramenta non sunt septem*; ita Pontius in conspectum dedit quidditatẽ omnẽ, & essentiã ignorantissimè.

Itaque *disp.* 24. *q.* 1. ponit in primis definitiones multiplicis conscientiæ, rectæ, probabilis, dubiæ, scrupulosæ, & erroneæ; ubi quod par. 1. demonstratum est, unam conscientiam addit, scilicet probabilem, Rectam definit esse, quæ dictat absq; ulla formidine, quod faciendum est, esse bonum, vel malum. Undè si Calvinistæ conscientia absq; formidine dictitet, bonum esse conculcare Eucharistiam, erit recta Calvinistæ conscientia: à qua planè rectitudine liberet nos Deus. Quid deindè ad rectum, vel non rectum facit formido; vel non formido; quæ non recti, & non recti, sed certi, & non certi differẽtiæ sunt; cumq; id sit in intellectu, vel conscientia formido, vel non formido, quod in rebus firmitas, vel debilitas, profectò Euclides lineam rectam definire non debuisset lineam à puncto in puncto brevissimam, sed lineam firmam, & fortem; & obliquã debilem, & infirmam; ex quo omnes lineæ rectæ sint; ceræ autem vel virgarum obliquę, quin subtilissimę quæq; obliquę sint, quia minimè fortes, valdeq; virgulis Judicũ timendũ erit, ridendũ certè esset, nisi his principiis cõscientię, & animę regerẽtur.

Conscientiam erroneam, quæ instituti nostri est, definit, esse, quæ dictat, aliquid esse non faciendum, quod revera non est tale, absque motivo probabili. Hæc additio? *absque motivo probabili*, est modernismi contra omnem à principio Theologiam; quæ id in conscientia dixit rectum, vel erroneum, quod in ratione speculativa verum, vel falsum; & ex ratione speculativa errante, & falsa, ubi hic: & nunc nulla occurret ratio specialis discordãdi, de promp sit, formavitque similiter conscientiam errantem, seu erroneam. Et sanè evidentibus evidentius est, quod sicut si ratio, vel intellectus motivo etiam probabili falsum dicat, est ratio errans, & intellectus errat; ita conscientia errer, & erronea sit, si quod malum est, bonum esse dictat, & pronuntiat, & à contra: oratio enim omnis, & dictio sive intellectus, sive conscientiæ sit, ut pueri à Logica norunt, & rustici quique institutione sola naturæ, est vera, vel falsa; error, vel veritas ab eo, quod res sit, vel non sit, quæ dicitur, vel sicut dicitur; conscientia autem dicit, dictat, & pronuntiat; ergo falsò, & errore, & erroneè, quoties quocumque motivo bonum dictat, esse malum, vel malum bonum. Et id sanè est ridiculum in his opinatoribus; quod si tibi videatur, demonstrationem habere, quæ tamen parallogysmus sit, qua firmissimè arbitreris, fornicationem esse licitam, conscientiam erroneam habes; si tamẽ, quod minus est, probabile videretur, conscientiam habes non erroneam, sed probabilem, qua immunis sis. Et cur similiter syllogismos non dicemus alios sophisticos, alios falsos quidem, sed probabiles, & etiam rectos? Et sic etiam in artefactis omnibus alia recta, & rectè facta; alia malè facta; & alia contra artem quidem re ipsa, tamen probabiliter facta, & tertia? & ita in moneta, in virtute, &c. & si lineam levi impulsu detorqueas, obliqua fiet, ac recta esse desinet; si tamen, ut probabilitatis vocibus utamur, gravi, considerabiliq; pulsu flectas, de torta non erit. Ridebunt hic omnes; nam sciunt, sive levi, sive gravi impulsu, & movẽte linea inflectatur, eam eodẽ modo desinere esse rectam, fieriq; distortã.

His tamen principiis innixus ponit Pontius *q.* 2. unam conclusionem satis longam de conscientia erronea vincibili, id est, de universa peccatorum ignorantiæ, quæ notum modernismum, & cum Pelagianis consensum declarat. Dico secundò, inquit, qui errore judicat, aliquid esse bonum, vel non malum, quod re vera à parte rei malum est, ex ignorantia vincibili per culpam antecedentẽ, sive crassa, qualis est; quam habet, qui negligit instructionem ad finem non cognoscendi suam obligationẽ, non peccat conformando se errori, licet peccaverit antecedenter, quandò omisit instructionem, aut veram notitiam acquirere. Hæc est conclusio.

Et sibi visa est contra comunionem sententiam. Sed si ad Modernos sermo restringatur, est, & non est contra eos omnes, sub diversis. Non est; quia requirunt cognitionem peccati, quandò peccatur. Est verò; quia omnes adhùc dixerunt, conscientiam erroneam vincibilem dari posse, eamque non excusare à peccato, scilicet actum ex ipsa secutum; & hoc peccatum fore ejusdem speciei cum peccato scienter in eadem materia commisso. v. g. luxuriæ, vel usuræ; non ergo si negligentiæ, & non voluntatis sciendi; rursùs omnes hactenùs admiserunt, conscientiam erroneam vincibilem obligantem, quæ nempè obliget, nec tamen excuset. Hæc omnia delet à Theologia conclusio Pontii; quæ tamen manifestissimè sequitur ex necessitate remorsus conscientiæ, & cognitionis malitiæ ad peccandum. Ergo de plano, & ad unguem Pelagianismus restitutus est; & quidquid oblivione, vel ignorantia etiam vincibili fit, peccàtum non est.

Alienum planè à gravitate, ac instituto hujus quæstionis forer, eas rationes discutere, quibus talẽ, ac tantam conclusionem adstruxit, quę ex illis sunt, quas quivis invenit, & quivis solvit; institutũ enim præsens est, sive iis, sive aliis motivis restitutam esse hęresim Pelagianam de oblivione, & ignorantia. Nam neglectus ille, in quo solo peccari dicitur, non est ignorantia, ut conclusio ipsa satis exprimit: & siquis ex ignorantia, & obligationem suam etiam invincibiliter non cognoscendo negligeret, non peccaret juxta conclusionem. Ergo in nullo, & numquam per ignorantiam

pecca-

peccatur: quæ est ipsa formalis hæresis Pelagianorum, ac sub his terminis contrarium de fide esse posteriores etiam Autores contestantur.

Unum fermè occurrit Pontio, quæ tanti conclusioni obstaret, nempè autoritas Bernardi tract. de præcepto, & dispensat, & epist. 77. nec verba adducit, in quibus videret Lector, conclusionem istam ipsam non esse, quam ibi Bernardus evidentissimè, ubi scriptura valuerit, extinguit.

Respondet, Bernardum loqui de ignorantia culpabili, non ex culpa antecedenti, sed quæ talis esset, dum committeretur actio, quæque tum deponi posset, aut ob quam quis teneretur differre actionem, donec informaretur, ut eam deponeret: & sic etiam intelligenda est scriptura, quatenùs applicatur ad eos, qui ea non obstante peccavere; & dico, eos, qui peccavere, quia non dubito, subdit, quin multi interfecerint discipulos, aut prædicatores, qui non peccaverunt propterea; quoniam ignorantia erat invincibilis illis, dum interfecerunt; & si esset vincibilis antecedenter tantum, non peccaverunt propterea. Hæc Pontius; subsumit Cælestius; sed hoc modo nunquam ignorantia est peccatum, & numquam per ignorantiam peccatur; quia omnis ignorantia, quandò est, ex suppositione, quod est, nequit tunc non esse, & erit tunc invincibilis; nam si ignorantia non est, ex ignorantia non peccatur; si autem est, tolli pro eo instanti nequit; nec tunc etiam peccatur. Concludit Cælestius; benè ergo, & mecum Recentiores sentiunt; malè vero Palæstina Synodus dãnavit, & Hieron. & August. insecuri sunt.

Sed videamus, quid demùm doctrina ista parturiat, quo mysteria omnia, & secreta propositę opinionis referuntur. Adverto tamen, concludit Pontius, circa totam hanc quæstionem, mihi difficile esse, quo modò possit aliquis judicium habere erroneum distinctum à judicio probabili; nam certè non videtur intellectus assentiri posse alicui propositioni non evidenti ex terminis, nisi propter aliquod motivum distinctum; & illud motivum debet esse vel ratio aliqua, vel autoritas alicujus dicentis. Si autem sit autoritas assensus erit fidei, & satis probabilis, si non occurreret ratio aliqua impediens, quæ si occurreret, non haberetur talis assensus. Si sit etiam ratio, non apparet, quomodo non esset probabilis; modò possit sufficere intellectui ad præbendum assensum. Quod autem res judicata non sit ita, non impedit, quominus assensus sit probabilis; nam objectum unius ex duobus judiciis probabilibus contrariis, debet necessariò aliter se habere. Undè (& hic est partus) descriptio superiùs posita conscientiæ erroneæ, quod scilicet esset judiciũ falsum absque motivo probabili, videtur esse de subjecto non supponente; supponit enim, posse dari tale judicium. Hæc ille, cujus omninò laudamus Logicam; Theologiam toto corde aversamur. Sed hùc ducit, & hic est exitus bipedis Modernismi de probabilitate, & ignorantia; & omnem conscientiam erroneam, & peccata ignorantiæ, facit de subjecto non supponente.

Dicent quidem ad cõsequentiam Pontii dicentis, sermonẽ de cõscientia erronea esse de subjecto non supponente, eam non sequi; quia non assensus quilibet motiuo probabili nituntur, cum sint etiã assensus alii temerarii, alii improbabiles, alii erronei, hæritici judaiei, &c. Hi ergo motivo probabili non nituntur.

Sed primò hæc distinguntur; sunt assensus temerarii, improbabiles, &c. uobis, aut aliis, concedo, ipsis illos habentibus nego; nam ut sæpè ex Salviano usurpo, hæretici, *nobis heretici sunt, sibi non sunt*. Hoc demonstratum est sæpè ex eo principio, quod intellectus in omni suo judicio fertur sub ratione veri, omnemq; suum assensum verum putat, & contrarium falsum. Ergo motiva digna, magnaque ipsi videntur, id est, talia, quæ assensum mereantur: ergo ut minimum probabilia, quia infrà hoc nulla motiua pro dignis reputat intellectus. Ergo benè infert Pontius, nullum judicium falsum sive rationis, sive conscientiæ carere motivo saltem probabili illud habenti: quod autem re ipsa falsum, vel improbabile sit, nec ut peccet illud habens, nec ut non mereatur, quidquã obstat juxta Modernismum de probabilitate, & ignorãtia.

Consequentia Pontii aliter quoque demonstratur; nam Modernismus non judiciis directis, sed reflexis conscientiam format; & quandò ratio directa errat, ut planè errat in omnibus opinionibus probabilibus falsis, ajunt, hoc nihil obstare veritati assertionum reflexarum: quarè quocumque modo ratio erret, & etiam si hæresi assentiatur, & obsequium Dei arbitretur interficere Apostolos, cognitiones reflexæ, & dictamen ultimum conscientię indè elicitum verum erit; quin ipsi evidens illud esse, ac infallibile volunt. An non ita, & hoc perpetuo obtenditis? Ergo quæstio de conscientia erronea est de subjecto non supponente, & bonã est Logica Pontii. Quod ostensivè etiam patet in syllogismis reflexis, quos pro ignorantibus construunt: nullus, ajunt, peccat, qui secundum pręsentes, quas habet, ac in se experitur, cognitiones non se sentit obligatum ad contrarium: sed ego hic, & nunc secundum præsentes, quas habeo, ac in me experior, cognitiones non me sentio obligatum ad contrarium (nempè ejus, quod facere vel omittere volo) ergo non pecco. Hæc est suã, conscientia omnium non peccantium, & syllogismi omnia putant vera. Ergo quæstio, & sermo de conscientia erronea est de subjecto non supponente. Rursùs, quia omnis non peccans in actu suo habet cognitionem veram, quin evidentem, & nõ falsam, de suo peccãto, ut ajunt: at nullus peccat juxta ipsos in actus illo ipso, quem ex ignorantia elicit, inquam, *peccat verè, & propriè*: ergo nullus sic peccans habet cognitionem falsam sed veram, & evidentem: sed conscientia de prompta ex cognitione vera, aut constituta ex illa non erronea, sed recta: ergo conscientia ex ignorantia operantiũ est recta. Stat ergo consequentia Pontii, & omnis quæstio, & sermo de conscientia erronea est de subjecto non supponente.

Ad vos me nunc converto, o Principes scholasticæ Theologiæ, Magister sententiarum, S. Th. S. Bonaventura, subtilis scote, & ad reliquos subindè secutos scholæ Proceres: ad vos demùm ipsos Recentiores me converto. Quorum adeò desipuistis, & conscientiam in rectam, & erroneam partiti estis? Quorsum rursùs erroneam invincibilem, & vincibilem secuistis? Quorsum ore uno aliã excusare, non aliam constituistis? Quid dein tot quæstiones de subjecto non supponente movistis, utrum conscientia erronea ligaret? an peccatum diminueret? an ignorans continuò peccaret? utrũ per pœnitentiam remanente ignorantia peccatũ ignorantiæ tolli possit? utrum peccatum ex ignorantia factum, utique ex conscientia erronea sit ejusdem speciei? quomodò ignorantia, cum nihil sit, possit esse causa peccati?

Ecce moderni invenerunt, hæc,& similia esse de subjecto non supponente; quæ proindè in posterùm ex tabulis Theologicis radenda sint. Hæc itaque delenda suut magis, quam impugnanda, & eradi non potest titulus Inquisitorum hæreticæ pravitatis, quæ etiam, sicut & Judaica perfidia, & sanctorum, & scripturæ omnis sermo de peccatis ignorantiæ, utique ex conscientia erronea, quia modernis quibusdam ita placuit, erit de subjecto non supponente: & supererunt quidem peccata negligentiæ, eaque scienter admissa; at hæresis, at Judaismi, & ignorantię, & erroris nullum. Dum ergo propter peccatum solùm negligentiæ homines vivi comburuntur, nec hæresis ipsa, sed sola negligentia tanto igne mulctatur? Senatus hoc videt, Consul intelligit; speramus, fore, ut modus ponatur. Ita exponebat Julianus locum Apostoli ad Rom. 1. ut reatus solùm esset præcedentium peccatorum, non sequentium ex ignorantia pœnali factorum. Quod effringit Augustinus lib. 7. cap. 3. *Nec solùm de præteritis reos, propter quæ damnatos, sed undè etiam reos undè damnatos*; quia propter hæc nova peccata aliis denuò puniebantur, ut Augustinus ibi ordinatissimè declarat: & sic denuò, & denuò peccabant.

Profectò, quod instituti nostri erat, satis clarè visum est, restitutum esse Cælestii hæresim peccata oblivionis, & ignorantiæ, & erroris tollentem: quin nescimus, eo usque Cælestium fuisse prolapsum, ut conscientiam erroneam tolleret; atque in rectam per reflexas converteret; & non modo vellet, per oblivionem, ignorantiam non peccari; hoc enim solùm sancti Patres produnt sed prętereà etiam mereremus per actus, & omissiones ex oblivione, & ignorantia secutas; quod moderni impensè tuentur.

Ne verò viri catholici commoveantur; quia hæresis eos accusamus; quin tamen eos ideo hæreticos esse aut dicamus, aut cogitemus, præfatus sum, §. 4. principio, hoc moris à schola non exorbitare. Illud hic addam, Cælestium ipsum in quæstione de peccato originali hoc se uno maximè defendisse in Concilio Carth. teste Augustino l. de pec. orig. contra Pelagium, & Cælestium. *Et eum recitatum esset: dixit Calestius: dixi, de traduce peccati me dubium esse*, &c. *quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia catholica constituti sunt.* Et denuò interrogatus qui illi essent, *dixit: sanctus Prasbyter Rufinus Romæ, qui mansit cum S. Pammachio: ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non est.* Et cum alios prodere juberetur, respondit: *non tibi sufficit unus sacerdos?* Videtur Cælestius etiam probabilizare. Postremò dixit: *jam de traduce peccati dixi, quia inter catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios adstruere: licet quæstionis sit res ista, non hæresis:* ac multo alia nectit in hunc scopum Augustinns à c. 23. Videbunt igitur Recentiores, utrum hoc eodem modo se tueri velint, & rem facere quæstionis, non fidei; quia intra catholicam ipsi sunt, & dissentiunt: contra quod textum part. 1. adduxi, *multa per patientiam tolerantur*, &c. & suprà ostensum est, intra ecclesiam ipsam primò hæreses incipere juxta illud, *ex nobis prodierunt*, &c. & patet ex facto; etsi ab ecclesia ejectæ hæreses dein aliàs sæpè parturiant: non ergo res quæstionis est, non fidei, ut ajebat Cælestius. Nullus quidem formalis hæreticus est, quamquam in fide erret, ante contumaciam; peccare tamen graviter potest, & se, & alios perdere. Quarè Hieronymus, & Augustinus Cælestii de oblivione, & ignorantia errorē jure merito insecuti sunt; qui certè talis est, ut Pelagius Magister, & Collega Cælestii palàm saltem sustinere ausi non sint.

§. VII.

Card. Bellarmini illustre testimonium pro peccatis ignorantia, & pro omnibus à nobis hactenùs constitutis.

Inquam, pro peccatis ignorantiæ, & tota par. 1. quæ brevi epilogo magnus Doctor complexus est: nam certè apud me plurimùm interest inter Doctores, qui vel solo, vel maximè discursu suo, & qui ex scripturis, Conciliis, & Patribus, ut Bellarminus fecit, volumina sua composuerunt, & compleverunt: eorum scilicet lectio nos etiam aliud agentes rectè, Christianeq; sensum instituit.

Ergo Bellarminus octo controversiis, & punctis Episcopum Theanensem Nepotem suum erudit ad episcopatum rectè gerendum: hæc nempè donaria erant, quæ vir Dei Nepotibus suis consignabat. Si quis velit, inquit, in tuto salutem suam collocare, & simul oportet, eum episcopali officio fungi, is omninò debet de octo controversiis certam veritatem inquirere, *quid multi hoc tempore dicant, aut faciant*; & si certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita ad minùs tutam partē declinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute æterna tractatur; & facilius est *conscientiam erroneam exemplo aliorum induere; & eo modo conscientia non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Hæc ad verbum, auro si possem insculpenda Bellarminus. Abite jam, qui dicitis; conscientia non remordet: ergo non pecco: hoc enim cum conscientia falsè dubia scienter peccantium est; non ex ignorantia, conscientiaque erronea peccantium.

Nos quidem par. 1. diximus probabilitatem, qualem ibi exponimus, esse rectam regulam conscientiæ, quamquam cum onere, propter ejus defectibilitatem raram, & in paucioribus; quod tamen Bellarminus diffiteri videtur, qui certitudinem, & liquidam rei veritatem requisivit. Sed verò concordamus; quia Bellarminus regulam tradit omnis generis peccati etiam ignorantiæ, ac conscientiæ non remordentis immunem; nos verò probabilitati onus addentes hoc ipsum significavimus, scilicet probabilitatem illam sequendo peccari per ignorantiam posse; ideoque onus injunximus benè videndi, utrum hic, & nunc, & in singulis falleret, vel non? ne per ignorantiam peccetur. De summa enim rei tractatur, ut inquit vir Dei, & nullum onus grave est; siquidem momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur: quasi pondere mensurarent, non toties, & adeò de gravitate conquereretur: certè erubescent similia in Dei judicio allegare. Deindè licet pro propositionibus quasi maribus conscientiæ omnis certitudo habeatur, occurrunt mox minores de singularibus, & contingentibus, in quibus opus sit ea probabilitate, qualem exposuimus: Bellarminus verò loquitur de controversiis illis, & doctrinis universalibus, ac veritate earum: & similium sanè inter christianos totalis certitudo haberi potest, si quos oportet, libros examinemus, scripturam, Concilia, sanctos; horumque in statibus singulis modum vivendi, & alia, de quibus lib. 3. & 4.

QUÆST.

QUÆSTIO XVII.

Utrum ergo vitandum etiam sit alterum extremum Jansenii nolentis, ignorantiam invincibilem excusare in jure naturæ.

Ecce in quæ extrema item est, quorum nescias, utrum alio absurdius sit; nam Cælestius omnem ignorantiam voluit excusare; Jansenius nullam in jure naturæ; superest, ut quis addat, nullam ullibi excusare. Hùc verò Recentiores illos invitamus; qui nescientes, quid dicerent, indubitatam sententiam de peccatis ignorantiæ, & conscientiæ vincibilis erroneæ obligantis, & non excusantis ab initio Theologiæ, ac deinceps à summis viris incunctanter propositam, & admissam Jansenismi arguere non erubuerunt.

§. I.

De quibus hic non sit tractandum? & de sensu quæstionis.

Prolocutus sum ad hunc librum, & ad libros etiam sequentes notabo, me hoc libro haud agere de peccatis ignorantiæ, & de ignorantiis materialiter, & ratione materiæ, sed formaliter, & ratione quidditatis, essentiæque earum in communi, an sint, quid sint; quam voluntarietatem, quam libertatem habeant, atque de aliis proprietatibus in genere. Quarè instituti hujus libri haud est, ac proindè nec hujus quæstionis, an in hac materia, vel illa dentur ignorantiæ vincibiles, vel invincibiles.

Hinc quæstiones illas, an fidei possit dari ignorantia invincibilis, an rursùs juris naturæ, vel juris divini positivi, vel etiam humani, an factorum, & quorum, & quandò, quæ hoc loco alii commiscent, nos remittimus ad librum 3. quia ex aliis principiis, ac ex invenibilitate veritatis fidei, & moralis, de qua eo libro fusè disputabitur, recta resolutio sumenda est: & sic etiam S. Thomas in sua Theologia ista sejunxit. Ibi proindè etiam tractabitur de iis, qui non audierunt, an eorum ignorantia sit vincibilis: atque hoc genus aliis; nam nobis pro tanto est ignorantiam esse invincibilem, & excusare à peccato. Qua propter cum hùc hæc cuncta Jansenius cōgesserit, aliquo prætermittemns; non enim ad istam causam attinet, ad hæc vel illa ignoranria excuset, vel non excuset, sed an ignorantia invincibilis excuset; & Jansenius duo simul cogitur ostendere, scilicet harum, vel illarum rerum ignorantiam esse inuincibilem, & tamen non excusare. Nam de cætero multi viri catholici, & minimè in doctrina suspecti docuerunt, ignorantiam juris naturalis non excusare; quia existimarunt, eam ignorantiam non invincibilem esse, sed vincibilem; quia facienti, quod in se est, &c. ut l. 3. videbimus: atque hoc uno magna ex parte intentio Jansenii conficitur: & Recentiores aliqui ista non distinguentes Jansenismo vires non adimunt, sed augent, dum ei & Doctores famosos catholicos, ac multa prætereà fundamenta vel concedunt, vel relinquunt, ubi opprimere volunt,

Itaque quæstio præsens non est, utrum ignorantia juris naturalis excuset, vel non excuset, sed utrū nec ignorantia quidem invincibilis excuset in jure naturæ excogitarunt, sive alii ex aliis, quod non curo, dogma mutuati sint, sive proprio singuli Marte excogitarint.

§. II.

Jansenii error proponitur, & causa particularis pro ignorantia juris naturalis.

Tradit Jansenius, ignorantiam invincibilem juris naturalis non excusare. Et quoniam secùs docet de ignorantia juris positivi divini, & juris etiam humani, & facti, hoc discriminis excogitavit, vel ex Luthero, Zanchioque hausit, quod ignorantia juris naturalis sit specialiter pœna peccati originalis; secùs verò ignorantia reliqua Probant; quia cognitio juris naturalis erat nobis debita in statu innocentiæ; purè solùm propter peccatum cognitione illa carere possumus, & caremus; ergo solum propter peccatum, & in pœnam peccati jus naturale, & quæ hujus sunt, ignorare possumus, & ignoramus: ignorantia porrò, quæ pœna peccati est, non excusat. Sed verò de reliquis illis ignorantiis haud ita est; nam nobis nec in statu quidem innocentiæ debebatur cognitio juris positivi divini, nec humani, nec factorum, sicut nec jura ipsa: quæ proindè quoties invincibiliter ignoranrur, naturaliter, non voluntariò nec in se, nec in causa sua ignorantur; quę consequenter ignorantia excusabit.

Non modò autem peccatorum ignorantiæ cōtra jus naturæ, sed peccatorum absolutè omnium libertatem indifferentiæ, eorumque hoc sensu necessitatem in statu naturæ lapsæ; nec nō præceptorum Dei impossibilitatem eo de prius hæretici, ac deinceps Jansenius deducunt quod scilicet in statu innocentiæ, & ante peccatum libertate indifferentiæ donati simus, nullaq; ei opposita necessitate obstringeremur, essentque præcepta possibilia. Quæ quoniam per peccatum, & in peccati pœnā amisimus, inde est, ut nulla necessitas indifferentiæ opposita, nulla præceptorum impossibilitas nos excuset in hoc statu, etsi secundum præsentes hujus status vires impotes simus. Quare non solùm particula illa de ignorantia, sed universum dogma Jansenianum hoc uno clauditur, & ad hoc punctum resolvitur.

Exponi verò potest modo etiam scholarum, qualiter ignorantia illa non excuset; ignorantia autem reliquorum jurium, & facti excuset; nam ignorantia juris naturalis, licet non in hoc statu, absolutè tamen est ignorantia rei possibilis, & debitæ sciri, undè non est negatio, sed privatio; sicut nec carentia gratiæ justificantis, quam amisimus, est negatio, sed privatio, nempè carentia rei possibilis, & debitæ haberi: ergo qui quocumque modo jus naturale, & quæ hujus sunt, ignorat, videtur ignorare rem, quam poterat tenebaturq; scire. Propter rationem verò contrariam in reliquo jure est tenendum. Undè altera ignorantia excusabit, & altera secus.

§. III.

Quod dogma huic errori Catholici contraponant?

Quotquot contra Jansenium scripserunt. De Camps. Anatus, &c. hoc ejus errori Theologorū à principio omnium de cantatissimū placitū objecerunt, & contraposuerunt, ignorantiam aliā esse invincibilē; & aliam vincibilē; & hanc rursus aliam simplicem, seu storpentium, & negligentiū, ac solùm indirectè voluntariam; aliā affectatā, & ex industria, ut suprà declaratū est. Ex his verò ignorantiis primam, id est, invincibilem excusare à tanto, & à toto; vincibilē simplicem excusare à tanto, sed non à toto, affectatam nec à toto, nec à tanto, Est, & fuit ista positio Theologorū uno ore

omnium in 2. *dist.* 22. & 1. 2. *quaest.* 26. & si tertiam particulam cum D. Bonaventura nonnihil explicaturi simus libris seq. Lutherus post irrisam hanc eorum ignorantiam invincibilem, quam ad tollenda peccata confictam pronuntiavit, subdit: scholastici ignorantiam invincibilem dixerunt excusabilem, quae simpliciter à toto excuset, id est, peccatum prorsus tollat. Tanta caecitas est in Papae schola, & ecclesiis. Zanchius verò refellit, quod dicimus, eam ignorantiam tolli non posse; nam sive cognoscere possis, sive non possis, peccatum est; quod enim non possis, peccato Adae, quod & tuum est, inquit, factum est.

Jam, Lector, hic vides, sic oppugnandū esse Jansenium, ut schola, & Ecclesiae non evertantur nec Coelestius revocetur; hoc est, sic tenendum esse, ignorantiam invincibilem excusare à toto, ut non omnes ignorantias confundamus, & omnes dicamus excusare: ita quippè traditum est, & constitutum, aliquam non excusare: sicut traditum est, & constitutum, aliquam excusare; nec hoc est certius illo, nec erratur minùs, si omnes excusare dicatur: atque hoc dicendo Jansenismus non evertitur, sed falsissima oppugnatione magis, statuitur ac commendatur.

Patentissimum porrò in hac excusatione est, sermonē Theologiae aut esse de excusatione à poena, vel de excusatione à peccato materialiter tali, seu impropriè tali. Hoc, inquam, patentissimum est; tum quia nec ignorantia invincibilis definit esse poena, aut facit, quod sequela ex ipsa actus non sit peccatum materialiter, id est, reverà, ac inimputabiliter contra legem Dei: tum quia locum non haberet illa differentia ignorantiae simplicis, & affectatae; nam neutra excusaret à toto poenae, & à toto peccati materialis; & utraque excusaret à toto culpae, & peccati actum sequentem. Ubique proindè cernitur, Modernos ita philosophantes non minùs quam Jansenium per extremum contrarium à schola, & Patribus defecisse.

§. IV.

Jansenii in consequentia, ac fundamenti nullitas.

HAnc hujus hominis in consequentiam, quae ultrò sese in conspectum offert, quamquam fundamento destitutus in hoc lapsus sit, egregiè ejus oppugnatores demonstrarunt. In consequentiam quidem primò: quia eodem jure, quod tamen negat, nec amentia, & phrenesis à peccato excusarent. Patet; nam etiam hae poenae peccati originalis sunt; nec aliquo minùs naturaliter debito privant, quam ignorantia juris naturalis; si enim naturaliter debitus est usus perfectissimus rationis, & cognitio omnium ad jus naturale pertinentium, in hoc ipso clauditur, & à fortiori debita est substantia ipsa usus rationis, & cognitio discretiva boni, & mali. Sed ignorantia juris naturalis, quia peccati poena est, & cognitione debita privat, non excusat à peccato; minùs ergo amentia, & phrenesis excusabunt; quod est phrenesis.

Eamdē inconsequentiam demonstrarunt; quia Jansenius pro errore suo utitur iis, quae Synodus Palaestina Hieronymiana, & Augustinus contra Pelagianos constituerunt, & adduxerunt. At visum est evidentissimè *quaest. sup.* haec cuncta, quae de jure omni, ac praecepto Dei universim, atque de facto etiam loquuntur, abs re sanè, & inconsequentissimè ad intentionem Jansenianam adduci. Eadem in consequentia peccant, quaecumque ex Scripturis, & ex S. Augustino arripuit, ut per singula eundo patefaciunt, ut de ignorantia Abimelech, de ignorantia Pauli, & similibus; nam aliae juris etiam positivi divini. Sic etiam est de ignorantia Augustini, ex qua arguit, eam, si qua alia, fuisse invincibilem; & tamen S. Doctor non per hoc se excusatum habuit; imò *eò insanabilius*, inquit, *peccabam, quò me peccare nesciebam*. Hoc scilicet est abs re; nam Augustinus de erroribus praesertim suis, pristinaque haeresi loquitur: quae non juris naturalis, sed positivi ignorantia est: certè nuspiam hanc distinctionem Jansenianam jurium horum, & illorum indicavit. Hinc demonstrant, Jansenium omnis planè fundamenti expertem in hoc errorem prosiluisse; quippè qui quamquam in Augustino versatissimus, nec vel unum verbum, vestigiumve invenit, aut produxit: quod argumentum, licet negativum videatur, multis positivis fortius est, ut quaest. praec. magis ponderavimus. Interiùs verò absolutè autoritates expendemus, discutiemusque, utrum absolutè Augustinus, vel alius docuerit, ignorantiam invincibilem juris vel naturalis, vel alterius non excusare, ut non solùm quasi ad hominem contra Jansenium, sed absolutè etiam veritas catholica vindicetur.

Hoc unum erat, undè consequentius quoquo modo arguere potuisset Jansenius, scilicet ex peccatis gentilium; qui quippè solo jure naturae tenebantur; nec legem scriptam, & positivam ullam habuere: & tamen non excusabantur ab ignorantia sua; quae invincibilis videbatur; nam si ad scripturas eatur, & ad eos, qui legem scriptam, & positivam habuerunt, & habent, hos sine distinctione juris naturalis, vel positivi invenimus reos, nec per ignorantiam saepè excusari saltem à toto. Hos ergo omnes, & autoritates ad eos pertinentes praeterire debuisset, & ad solos gentiles disputationem dirigere. Occurrunt autem multa, quibus quoquo modo intendi possit, eorum in plurimis rebus ignorantiam fuisse invincibilem propter educationem, propter gentis totius consensum, propter Legislatorum suorum de ipsis erroribus leges, &c. Caeterum hoc maximè ex loco infrà evincemus, ignorantiam invincibilem excusare; cum Paulus, & cum eo sancti omnes, ut eos inexcusabiles ostenderent, tanquam connexum ostenderint, eorum ignorantiam fuisse vincibilem; ignoraverintque ex toto novam hanc Theologiam de peccato originali, quasi hujus voluntarietas, & libertas sufficiant, ut poenae ejus nobis ad culpam imputentur.

§. V.

Arcano Janseniano arcanum opponitur, quo radicitus convellatur.

ARcanum Jansenianum hoc est, quod de peccato originali produnt, & hic radix est universi dogmatis, & erroris de libertate, de necessi-

cessitate , de impossibilitate præceptorum, de ignorantiis, &c. atque hominem semivivum relictum Evangelii in mortuum, & vires extenuatas arbitrii, & naturæ Conciliorum ipsi in extinctas mirabili ausu converterunt; non enim libertatem indifferentiæ extenuatam volunt, sed omninò tollunt, desipiunt. Verùm de universo errore non tractamus, sed de particula ignorantiæ.

Arcanum itaque est, quod jam prodidimus, cognitione quippè juris naturalis fuisse debitam; qua proindè propter peccatum Adæ, quod & nostrum est, ut Zanchiuareflectebat, caremus, & ideò non excusamur. Huic abditissimo arcano hoc aliud opponimus, quo à radice convellitur. Non enim, opinor, in aliquo statu puræ naturæ, quem ipsi commentitium potiùs censent, degimus, & indè peccato, & peccando cecidimus; ut indè naturalium rerum, quas habebamus, pœnam incurreremus: aliarum non incurreremus. Non ita fuit, ut minimè ignoratis; sed in statu elevationis, & gratiæ conditi, multis donis supernaturalibus, & cognitionibus gratiæ cumulati: ad æternam Dei visionem, possessionemque directi cecidimus: quorum omnium bonorum carentia non negatio jam est, sed privatio, & pœna peccati illius; & nostri; nam omnes peccavimus.

Hinc Augustinus nuspiam sumpsit, ignorantiam rerum naturalium esse pœnam, sed ubique contra Manichæos, & Pelagianos sumpsit, & inculcat, difficultatem, & ignorantiam esse pœnam peccati, ut ex hoc peccatum originale evinceret, quod utrique illi negabant. Et ideò absolutissima ejus & S. Thomæ, & communis assertio est, si non fuisset peccatum, nullum extiturum errorem; ut Theologi omnes incunctanter, ac verè tuentur, eorum donorum omnium carentiam saltem nunc, & de facto esse privationem, esse pœnam; non enim ea duntaxat habere debuimus, ac per peccatum amisimus, quæ naturaliter viribusque naturæ habere potuissemus, sed ea quoque, ad quæ de facto evecti fuimus, & quibus in pœnam de facto saltem caremus & hæc certè in via Janseniana clariora adhùc sunt, in qua Deus non modò in gratia nos condidit, sed nec aliter potuit; qnod tamen haud prosequor.

Hinc ipsa gratiæ justificantis, quæ totius ordinis supernaturalis quasi substantia est, pœna peccati illius est, & simul peccatum ipsum originale in unoquoque constituit; etsi Recentiorum quippiam nolint, hac privatione saltem partim peccatum originale conflari, hoc Jansenistis, & Recentioribus exploratum esse debet, peccatum originale constitui, constareque saltem partim carentia alicujus rei non naturalis, sed superioris. Inquam, *partim*, nam multi per ipsam etiam concupiscentiam, & ignorantiam cum Augustino, & Thoma illud de materiali compingunt. Ergo attenta natura peccati originalis, omninò vana est distinctio Janseniana de jure naturali, & non naturali: & sicut privatio ipsius etiam gratiæ justificantis peccatum ipsum constituit, sic carentia cognitionum superiorum, & ignorantia juris superioris posset, vel peccatum esse, vel à peccato non excusare.

Alterum exemplum ionegabile, & quasi interminis est; nam in pueris sine baptismo decedentibus carentia visionis Dei privatio, & pœna est; imò in ea si non tota eorum pœna damni consistit. Num ergo hæc ignorantia, & cognitionis carentia est privatio alicujus cognitionis naturalis debitæ haberi? Profectò cum Dei visio suprema omnium creaturarum cognitio sit, si eam naturalem effingerent, omnes reliquæ essent per consequentiam naturales, & caderet distinctio Janseniana. Ergo somniando magis, quam considerando ea distinctio invecta est.

Cur ergo, inquient, voluntarietas illa, libertasque in Adamo, & peccatum ejus etiam nostrum non sufficient, ut ignorantiæ in pœnam contractæ non excusent? esto, inquis, distinctio illa Janseniana, & Zanchica stulta sit; fiet tamen, nullam nec juris naturalis, nec alterius ignorantiam excusaturam. Primò propter exemplum adductum privationis gratiæ doni sanè supernaturalissimi; quæ tamen peccatum est. Secundò ex dictis hoc libro; quod si non omnes, multæ tamen ignorantiæ contractæ per peccata priora non excusent à culpa actus sequentes Ergo sic etiam dicendum est de ignorantiis propter originale in pœnam incursis.

Sed verò hinc clarissimè detegitur universæ viæ Jansenianæ, ac priùs sectatorum, in peccatum originale impotentiam, necessitatem, ac multa alia referentium insufficientia. Etenim si libertas in Adamo, & in alio statu ad aliquid sufficit, ne à peccato, culpaque excusemur, ad omnia sufficiet: sed non ad omnia, nec in omnibus sufficit, ut ajunt, ergo ad nihil.

Rursùs ex doctrina catholica non ponente in singulis, nisi unum peccatum originale, quod baptismate diluendum sit, distinguente que omnia peccata in hoc unum originale, & cætera personalia: ergo unumquodque peccatum vel originale illud in singulis unum est, vel personale est; non aliud originale, nec item aliud medium, & tertium, seu mixtum, quod partim originale sit, & partim personale: quod certè, si daretur, non baptismo, qui per se loquendo pro eo uno originali delendo institutum est, & ideò non iteratur; non item pænitentia, quæ ad personalia dirigitur, sed quodam alio mixto medio, & in Ecclesia Dei hactenùs ignoto remittendum veniret. Ergo omne peccatum vel solùm originale est, vel solùm personale: nullum ergo præter unum illud originale est, quod à voluntate, libertateque Adami, ac illius statu peccati propriè, culpæque rationem habeat.

Confirmatur; nam si ignorantia aliqua esset peccatum distinctum ab uno illo, originali, illa esset peccatum propriè originale; & similiter omissio ex ipsa contra legem secuta: nam tota ratio imputabilitatis ejus, sicut privationis gratiæ, ad peccatum Adæ, & ad statum illum referretur. Ergo sicut privatio gratiæ, ita ignorantia illa, & privatio cognitionis, vel omissio, vel privatio secuta alterius actus erit pressè peccatum originale. Undè renati per baptismum peccabunt denuò originaliter, eruntque denuò renascendi novo baptismo: neque dolor ullus, aut proprius actus peccatoris retractantis desiderabitur.

Ex quibus absolutè, & ad hominem sic. Ad omne peccatum ab originali distinctum requiritur voluntarietas, spontaneitasque personalis, & propria; neque enim novi Theologi, sicut

libertatem sustulerunt: & alioqui sanè & dormientes, & pueri ante usum ullum rationis, & amentes quique peccarent. Ergo ad omne peccatum ab originali distinctum requiritur libertas indifferentiæ personalis, & propria. Sed hæc non datur in ignorantia invincibili; nam eam invincibilem Theologi vocamus, quæ necessariò, & non liberè nobis inest. Ergo nec ignorantia invincibilis peccatum est ipsa, nec per eam peccatur.

Prima consequentia patet: & primùm quidem; quia sic est de ratione peccati libertas, sicut voluntarietas, ut missis aliis liquet ad homines, qui idcircò ponunt libertatem illam in Adamo; quæ si fuisset, nec peccavisset ipse, nec nos. Ergo libertas: & voluntarietas utraque necessariò requiritur ad peccatum: ergo cujus voluntarietas non sufficit ad peccatum, ejusdem nec libertas sufficiet, cum ad peccatum altera præ altera non requiratur. Ergo si ad omne peccatum ab originali distinctum requiritur personalis, & propria voluntarietas, eodem planè jure personalis, ac propria libertas requiretur.

Deindè sic: cujus libertas sufficit ad peccatum, ejusdem voluntarietas sufficit: sed per ipsos libertas Adami, & in Adamo sufficit ad peccata alia ab originali ergo & ejusdem voluntarietas, ac in ipso sufficiet. Major demonstratur; quia in libero clauditur voluntarium, sicut genus omne in sua specie, & animal in equo, & in homine; ergo unde aliquod peccatum est satis liberum, indè necessariò erit satis volontarium. Ergo cujus libertas sufficit ad peccatum, ejusdem etiam voluntarietas sufficiet; ut cernitur in ipso peccato originali; quod non hinc, & indè voluntarium; & liberum est, sed ex uno Adamo utrumque habet; & sanè per se notum est, undè salva fuerit libertas, salvam esse voluntarietatem. Undè nihil agentes, neque cognoscentes, sed dormientes, stertentesque absque ullo proprio actu peccabimus: quæ sunt stulta.

§. VI.

Ex constitutis superius ostenditur ignorantiam invincibilem excusare à peccato.

INvincibilem more adversariorum loquor, id est, à nobis in nobis, ac in hoc statu invincibilem, ac insuperabilem; & solùm in Adamo, ac in statu illo vincibilem. Videbunt verò hic etiam Recentiores quidam, quantum in superioribus, ut ipsis quidem, si superis placet, visum est, quantum inquam, Jansenizatum sit, cum ex iis ipsis, quæ superius allata sunt, Jansenismus evertatur, nec minore, ut censemus, robore, quam hactenùs factum sit. Neque porrò ea adversus Jansenistas movebo, quæ ex schola quam ultrò, citroque despiciunt, de voluntarietate, libertate, constitutione, distinctioneque peccatorum ignorantiæ constituta sunt, sed ea opponam, quæ contemnere planè nequeant.

Primùm argumentor ex *quæst.* 4. Dixi sæpè, & iterùm dico, locum peccatorum ignorantiæ capitalem, eorumque miro quodam ordine declarativum esse, quem Apostolus ad Rom. 1. tradit. Ostensis usque eo loci Apostolus, gentes legis oppositivæ expertes inexcusabiles extitisse in iis, quæ contra legem naturalem per ignorantiam perpetrarunt, non intelligentes quoniam *qui talia agunt, digni, essent morte*, haud certè, ut eis excusationem adimeret,, à peccato originali orsus est, remque deducit, ut Jansenistæ, sectariive alii effecissent; eò enim ipsi causas has omnes resolvunt, sed ad peccata personalia, & propria recurrit; non ergo Paulus Jansenista, sed anti Jansenista fuit. Sic itaque orationem suam texit; *revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam eorum hominum, qui veritatem injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, invisibilia enim ipsius à creatura mundi intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt; & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis volucrum*, &c. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; nam fœminæ eorum mutaverunt naturalem usum*, ac cætera illa scelera ordinarissimè, & quæ ex quibus, & quarè secuta sint, commemorat. Ecce Apostolus peccati originalis magnus assertor, gentium vitam mores, ignorantiam, & quæ ex ignorantia perpetrarunt, in genere describens, eisque excusationem adempturus, causasque omnes retexens ad peccata propria, & personalia causam omnem mirabili ordine deduxit. Quarè juxta Apostolum, si quod notum est Dei, non manifestum, sed ignotum eis fuisset, nec veritatem ejus in injustitia detinuissent, sicut Deum glorificavissent, aut gratias egissent, nec evanuissent, stulti facti haud fuissent; neque propterea Deus passionibus eos ignominiæ tradidissent; vel certè inexcusabiles non extitissent.

Sed nos taceamus, & Sancti Patres loquantur, qui scilicet dum peccata ignorantiæ traderent, undè ea essent. explicarent. Primò scholasticè S. Thomas super Paulum. Circa primum considerandum est, inquit, quod tunc ignorantia aliquem excusat, quandò sic procedit, & causat culpam (scilicet materialem) quod non causatur à culpa, &c. Si verò ignorantia causetur a culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare. Hæc S. Thomas reliqua Pauli hinc exponens, ut *quæst.* 4. §. 3. visum est: notatque signanter, primam culpam ex ignorantia non procedere; quia nimirum ratione alteriùs ignorantia redditur voluntaria.

Chrysostomus ibidem inter alia: undè igitur mala hæc *enata sunt*? scilicet quæ narrat Apostolus; delitiis, respondet, *& ignoratione Dei*, utique voluntaria, ut Paulus ipse exponit, & Chrysostomus supponit. Alia ibi dedimus ex Chrysostomo; illa notamus, quæ de stultitia Judæorum tradit; *quia ex diligentia lectionum nascitur*, inquit, *scientia Dei, ignorantia autem negligentiæ filia est*. Ecce propter peccatum originale culpam aliam omnes exquirunt, in quam ignorantiam rejiciant. Theodoretus ibidem: sed cur punitur ignorans? Quia cum ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit suæ ignorantiæ causa. Clemens 1. grande enim malum est ignorantia; sed quia substantiam non habet, facilè fugatur ab iis, qui studiosi sunt. Hæc, & alia Clemens epist. 3. ignorantia ergo illa, quam tantum malum esse ibi declarat, non invincibilis, sed vincibilis, &

fuga,

abilis est à studiosis Deum sicut Deum glorificantibus, & gratias agentibus, nec evanescentibus.

Anselmi etiam nobilissimum commentarium Apostoli dedimus *quæst.* 11. *§.* 7. ubi & peccata ignorantiæ acutissimè statuit, & declarat, & ad præsens subdit: amiserunt enim lumen intelligentiæ, ex quo deserverunt fontem cœlestis sapientiæ; qoamvis non intellexissent, non possunt excusari; quia præcedantibus culpis meruerunt sic excæcari, &c. Consentiunt Ambrosius, & cæteri, qui locum illum interpretati sunt; nemo peccati originalis meminit, undè excusationem à culpa tolleret; culpas alias personales, & proprias omnes prosequuntur; ergo primùm hæc nova Theologia Janseniana latuit Patres omnes; ergo rursùs ne ignorantia à culpa excuset, non sufficit voluntarietas, libertasve in Adamo, sed requiritur, quod personali aliqua culpa contracta sit.

Sed forsitam contrarius est Augustinus, quem præteriisse videmur, & sine quo apud Jansenistas frigeremus. Julianus Recentiorum quorundam more philosophans volebat, ea, quæ post priora peccata Paulus connectit, pœnas solùm esse, non nova crimina. Hoc effringit Augustinus lib. 7. cap. 3. statuens, gentiles illos non solùm damnatos esse ad eas pœnas, sed de novo per ipsas reos & peccantes: *nec solum*, inquit, *de præteritis reos, propter quæ damnatos, sed inde etiam reos, unde damnatos. Nam reos ostendit, ubi ait, & coluerunt, & servierunt creaturæ*, &c, *Deinde damnatos propter istum reatum*; *sequitur enim: propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*, &c. *& post pauca: mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*, &c. *Propter hoc tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, & cætera, quæ sequuntur Et hic utique vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippè, quid mali ante fecissent; & adjunxit; propter hoc tradidit illos Deus in desiderio cordis eorum. Proinde præcedentia sit hæc pœna peccati; & tamen etiam ipsa peccatum est; quod verbis consequentibus explicat.* Hæc Augustinus. Ecce causas omnes causalissimè, formalissimeque declaratas ignorantiarum, peccatorumque universim gentilium; & seriem rei omnem Augustinus cum Apostolo ipso monstrarunt: ac dicendum primò fuit; quid mali ante fecissent ipsi, propter quod traderet illos Deus: peccatum proinde originale pœnarum quidem satis multarum causa extitit; non verò pœnarum, quæ pœnæ simul, & peccata sint.

Ex his sic argumentor: siqui unquam, vel uspiam credi fingive possent, qui non propria negligentia, & culpa ignoravissent, & propter ignorantiam non in se, sed solùm in Adamo vincibilem; sibi autem in se invincibilem peccavissent, fuissent profectò hi gentiles, de quibus Apostolus, sanctique tractant, qui scilicet ante adventum Salvatoris omni scripta naturali, positivave lege destituti; in densissima ignorantiæ noctè educati, ac innutriti; religionibus item suis, Doctoribus, Legislatoribusque decepti longissimè omnium abesse videbantur à possibilitate inveniendi veritatem. Undè si quandò aliquibus excusatio tolli potuisset per peccatum originale, ut Jansenistæ comminiscuntur, his maximè, & in primis ex eo fonte, causaque excusatio tollenda veniebat. Et tamen hoc nec Paulo, neque Patribus in mentem venit, & culpas priores proprias, & personales omnes quærunt, & causantur, ut reos eos, inexcusabilesque ostendant. Hi ergo denuò rei, inexcusabilesque non reddebantur propter ignorantiam in Adamo solùm vincibilem; ipsis verò jam in se invincibilem. Ergo nulli indè denuò rei, inexcusabilesque redduntur. Quin Paulus orationem omnem orsus est à cognitione veritatis; *revelatur enim*, ait, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam eorum hominum, qui veritatem ejus in injustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.* Hæc ergo malorum, peccatorumque sequentium. Non ergo peccatum originale. Verè qui ppè grande malum est, veritatem Dei in injustitia detinere, & supprimere, opprimereque velle, ac multorum origo ignorantiarum, & peccatorum. Rursùs Augustinus in psalm. 35. *Sed ut digni haberentur, qui traderentur, vide superius quid dixit, qui cum cognovissent*, &c. *& obscuratum est insipiens cor eorum. Undè? & superbia.* Hæc ille, & ubique vides aliam causam, quam originale, quoties peccatur.

Sic etiam idem Paulus ad Rom. 10. ut gentibus excusationem adimat, cur non crediderint, maxima illa difficultate proposita, *quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante?* &c. non ad peccatum originale ivit, ut ostenderet eos inexcusabiles, sed excusationem sustulit negando, non omnes satis audisse, & idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant eum sine distinctione Judæi, & Græci, inquit; numquid non audierunt? inquit, & alia, de quibus quoniam lib. 3. planè tractaturus sum, hic prætereo dicere. Hoc certè ubique cernitur, quoties non de sola pœna, sed de pœna, quæ peccatum etiam sit, quæstio incidit, causas proprias personales inquiri, nec per originale peccatum rem expediri. Atque horum rationem à priori inferiùs conferemus.

§. VII.

Ex iis etiam, quæ de cæcitate quæst. 14. constituta sunt, constat, ignorantiam invincibilem excusare.

Similiter igitur cæcitati, per quam maxima quæque ignorantiæ peccata committuntur, sacra Scriptura; sanctique Patres sive in Judæis, sive in gentibus peccatum aliquod personale, & proprium; non peccatum originale causam assignaut. Nuspiam ergo recondita ista Theologia Jansenistarum præterquam in cerebro suo, & libris apparet.

Hoc ex scripturis omnibus constat manifestissimè: Isaias primùm, & dein Dominus, ac Apostolus cæcitatem, errores, ignorantiasque Judæorum in illud unum tanquam causam universam rerulerunt, quod labiis, & ore Deum honorarent; cor autem eorum longè esset abeo, ut ibi visum est. Ergo cæcitas, & quæ indè oriuntur, ignorantiæ ea una de causa non excusant; quia peccatis propriis personalibus contractæ sunt: excusatent ergo, si nulla similis culpa intervenisset, solaque adesset vincibilitas illa in Adamo.

Hinc de cæcitate mentis ita scripturæ loquuntur, ut aliquandò Deum, aliquandò cæcos ipsos causam cæcitatis constiruere videantur. Cæcos quidem

quidem in primis ipſos, ut cum dicitur, *excacavit eos malitia ſua*: item *ſupercecidit ignis*, id eſt peccatorum, *& non viderunt ſolem*; item: *Phariſæe cacè munda prius, quod intus eſt, calicis*: item *quia populus hic labiis me honorat*; item: *ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum*;& alia multa; quæ cæcitatem, erroreſque in cæcos ipſos, tamquam in ſuæ cæcitatis cauſam reſolvunt. In Deum verò aliàs torum referre videnrur, ut cum dicitur: *excaca cor populi hujus*: ego *Dominus decepi Prophetam illum: cujus vult, miſeretur; & quem vult, indurat*; & ſic etiam excæcat: *tradidit illos in reprobum ſenſum*: quoniam *miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis: pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*, & hoc genus alia, quibus erroris, Deus origo videatur, & cauſa.

Hinc etiam ſancti Patres, ut ea *q.* 14. viſum eſt, deſidere videntur, & alii in Deũ alii in nos totam cauſam tejicere, ut præſertim §.4. ejus quæſtionis dictum eſt ſuper locum illum Joannis; *propterea non poterant credere; quia iterum dixit Iſaias; excæcavit oculos eorum*; ubi quidam Patres Chryſoſtomus, Leontius, Theophylaſtus, & Euthymius negare videbantur omnem impotentiam, ideoque non crediſiſſe, non quia non poſſent, ſed quia nollent. E contra Auguſtinus maximè cum aliis impotentiam etiam ponebant, quæ à Deo in pœnam obveniret.

Utroſque nos §. 5. ſcholaſtice ex D. Thoma conciliavimus, & explicuimus, in cæcitate eſſe aliquid, quod ſolùm noſtrum eſſet, & à nobis;& aliud, quod Dei, & à Deo eſſet. Noſtrum, inquam, non in Adamo, ſed in nobis: à nobis, inquam, non in Adamo, ſed propria voluntate. Ibique autoritates ſanctorum, & cætera videri poſſunt, quæ proſecuti ſumus. Et Auguſtinus, & Chryſoſtomus omnium quaſi nomine conteſtabantur, quo pacto omnia iſta contingerent: *& multa alia commemorare poſſemus, ajunt, in quibus liquidò appareat; occulto Dei judicio fieri perverſitate cordis, ut non audiatur, quod utrum dicitur, & indè peccetur, & fit ipſum peccatum præcedentis pœna peccati.* Hoc igitur juſtum Dei judicium, quo excæcat, quoque peccata peccatis flagellat ſive ſcienter, ſive ignotanter admiſſis, ſemper innititur pravitati, perverſitatique cordis, utique propriæ: *venit tamen*; quippè ut mendacio credatur; ſubdunt, *ab ea cæcitate cordis, qua occulto Dei judicio, ſed tamen juſto etiam pœna peccati monſtratur.* Hæc ergo cuncta ſemper præter peccarum originale habent peccarum aliquod, quin non quodlibet, ſed grande proprium, & perſonale, ut etiam §. ſeq. magis urgebitur. Ergo ſive de Gentilium ignorantia, & cæcitate; ſive Judæorum ſit ſermo, quoties à peccato non excuſant, ſemper Dei ſcripturæ, & ſancti cauſantur culpas proprias, & perſonales; & nuſpiam legitur, nuſpiam appareret, ſomniataque proindè eſt ignorantia illa, quę nobis in nobis invincibilis ſit, ac duntaxat propter originale deſinat excuſare.

Hinc univerſim Dominus ignorantias, & falſas opiniones morales ſcribarum, & Phariſæorum de uſuris, de juramentis, de defraudatione Parentum, & ſiquas alias ut noxias, improbavit (de quibus lib. ſeq. in eorum cæcitatem continuò retulit; cæcitatem verò, ut vidimus, in ipſorum denuò propriam perverſitatem; non ad originale, quod jam circumciſione deletum erat. Indè etiam Paulus 2. ad Theſ. 2. cauſam reddit errorum: *pro eo, quod dilectionem veritatis nonr eceperunt, ut ſalvi fierent, ideò* (ecce cauſam) *mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Indè etiam de coacerratis Magiſtris, qui ignorantiæ, & erroris multiplicis cauſa futuri erant, in ipſis, ac proptiæ voluntatis originem inquirit, & ponit; ipſi enim & Magiſtros illos juxta deſideria ſua coacervabunt: ipſi à veritate auditum avertent. Et ſic ſemper, ſic ubique culpa propria quæſita, & aſſignata eſt. Undè in his omnibns ſolemne eſt ſanctis Patribus exemplum claudentis feneſtram, ne ſol illuminet; & claudentis oculos, ne videat.

Ex quibus ſic arguitur: omnis cæcitas, error, & ignorantia, quæ juxta totam ſcripturæ, & ſanctorum ſeriem invenitur non excuſare, & eſſe cauſam peccati, contracta eſt, & incuria propter peccatum aliquod perſonale, & propriæ voluntatis, ut hoc utroque §. viſum eſt. Sed omnis talis cæcitas, error, & ignorantia eſt vincibilis, & voluntaria voluntate propria, vel directè; vel formaliter, vel interpretativè, virtualiter, ac interpretativè, ut eſt ſcholarum ſenſus, acceptio, & locutio, ut conſtat ex toto libro. Ergo omnis cæcitas error, & ignorantia, quæ juxta totam ſcripturæ, & ſanctorum ſeriem non excuſat à peccato, & eſt cauſa peccati, eſt vincibilis, & voluntaria voluntate propria.

Hoc loco neſcio, quomodo Janſeniſtæ evadere poſſint niſi vel dicendo, ſe non hoc ſenſu ignorantiam invincibilem intelligere, ſed omnem ignorantiam remorſus, coguitioniſque peccati expertem, id eſt, ignorantiam omnem more aliquorum Modernorum dicere, conſtitueteque invincibilem: vel dicendo, ſe ex ſacris litteris, ſanctiſque producturos cæcitatem aliquam, erroremve, aut ignorantiam, in cujus contradictione nulla voluntas proptia, culpave perſonalis commixta fuerit; quæ tamen à peccato non excuſet, ſitque cauſa peccati. Et hoc quidem ſi oſtenderint, quod minimè ipſos facturos ſperamus, planè cauſam evincent: ſin minus nou niſi in ſuo cerebro tales ignorantiæ ſupererunt. Quod porrò de acceptione ignorantiæ invincibilis dicebatur, contra ſcholæ, & rationis modum omnem eſt, ut ſæpè demonſtravimus. Quarè eo ſenſu ineptè, & contra ipſos terminos accepta ignorantia invincibili, & omni verè tali ignorantia in invincibilem converſa, & ſic nominibus abutendo nos veriſſimum, & de fide arbitramur, non omuem ignorantiam vocatam ab ipſis invincibilem, ſed re vera vincibilem excuſare à peccato.

Hic, quod ſępè notavi, & dolui, moderni quidã in ſuo cum Janſenianis conflictu vincantur, & atterantur, neceſſe eſt. Ipſis enim omnis revera ignorantia omniſq; conſcientia erronea remorſus peccati expers invincibilis ponitur, cenſetur, & vocatur. Sed infinitis ſcripturæ, ſanctorum, Theologorumq; magnorum autoritatibus evidentiſſimum eſt, non omnem ignorantiam re vera talem, nec omnem conſcientiam remorſus expertem, & non remurmurantem excuſare à peccato. Quod ſi hoc eſt ignorantia invincibilis, ſummo ſanè cauſæ, & partis orrhodoxæ præjudicio concludunt evidentiſſimè Janſeniſtæ, non omnem ſaltem ignorantiam invincibilem excuſare. Modernos loquor non omnes, ſed aliquos: nam de

Champs,

Champs, Anatus, & alii longissimè ab hac inepta, ignorantissimaque ignorantiæ invincibilis acceptione, & confusione absuerunt, ut in ipsis cernitur.

§. VIII.

Ex his in Jansenistas manifestissimè retorquentur quæ de peccatis, quæ solùm peccata sunt, & de peccatis, quæ simul pœna sunt, objiciunt, & obloquuntur.

HOc etiam ex loco Jansenistis placuit insurgere, ex quo manifestissimè, opinor, revincuntur. Chrysostomus, Anselmus, Thomas, ac re ipsa reliqui, sed maximè Augustinus hac distinctione peccatorum, quę solùm peccata sint, & peccatorum, quæ etiam pœnæ peccatorum, sint, usi sunt, fuséque de ea cum Juliano disputavit; qui ea argutia, quod omnis justa sit, & si justa, laudanda, & justè ferenda, ridebat pœnè Augustinum dicentem, peccatum peccato puniri, nec peccatum justum quid, & laudabile esse nequeat, nec justè ferendum. Hæc proindè quæstio ad peccata ignorantiæ restricta non est, sed tum ea, tum cætera complectitur. Differemus autem modò solùm ex Augustino; quæ aliqua difficilia tradidisse videtur, non quidem quibus ea distinctio ridicula Jansenii de jure naturæ, vel de reliquo jure statuatur sed quibus ostendatur universim, ignorantiam invincibilem non excusare, sicut nec impotentiam.

Illud autem, ne quisquam in ipsa auctoritatum lectione offendar, & turbetur, notandum est, in Augustino convertibilia non esse hæc duo, nempè non esse propriè peccatum, & esse laudabile; nam libido, & motus concupiscentiæ juxta Augustinum peccata non sunt, ut exponit in sciro loco lib. 3. de liber. arb. cap. 19. & lib. 1. de nupt. & concupiscentia cap. 23. item lib. de perfect. just. contra Cœlestium. cap. 21. dicens: *non autem peccare, qui eidem peccato in carne habitanti ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitare; quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis.* Parer autem ex omnibus fermè Augustini operibus contra Pelagianos, concupiscentiam, ac motus ejus, & libidinem non esse laudandam, sed pudendam, & erubescendam. Et sic etiam est ignorantia, & error etiam invincibilis.

Quo animadverso, & notato, locus omnibus difficilior is videtur, qui extat lib. 1. Retract. cap. 12. ubi retractat, vel exponit, quod lib. de vera relig. cap. 14. dixerat, *usque adeò peccatum voluntarium malum esse, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest*, inquit, *videri falsa hæc definitio; sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippè illud cogitandum est, quod tantum modò peccatum est; non quod est etiam pœna peccati; sicut superiùs ostendimus*, &c. *Quamvis & illa, quæ non immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò possint sine voluntate committi; quoniam & ille, qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cum faciendum non sit, putat, esse faciendum. Et ille, qui concupiscente adversus spiritum carne*, &c. *concupiscit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult: sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit, nisi quod vult.* Hactenùs Augustinus.

Primò sic arguitur: juxta Augustinum propria ratio voluntarii iis peccatis pressè convenit, quæ peccata tantummodò sunt; non iis, quæ pœnæ simul sunt; quarè quæcumque ubicumque de voluntarietate peccati tradit, hac sua ultima voluntate, & regula intelligenda sunt. Ergo non omnium peccatorum voluntarietas propria ac propriæ voluntatis quærenda, ponendaque est, sed sufficiet voluntarietas in Adamo: potest ergo ignorantia nobis involuntaria, ac invincibilis non excusare; quia pœnalis est, & peccata secuta non peccata solùm sunt, sed etiam pœnæ. Secundò quia licet iis peccatis, quæ à nescientibus perpetrantur, aliquam assignet voluntarietatem: assignat quidem voluntarietatem circa res ipsas, quia voluntate utique eas facimus, aut prosequimur; non tamen circa malitiam, quia potius putatur esse faciendum, quod non erat faciendum: neque quoad hoc quidpiam adjunxit, sed intactum reliquit, quod dixerat, definitionem illam scilicet suam de voluntarietate peccatorum intelligendam solùm esse de peccato, quod tantummodò peccatum est, non de peccato, quod etiam pœna est: atque ea non immeritò, inquit, dici non voluntaria. Hinc ergo licet cognitio rerum ipsarum, quas facimus, requiratur, & voluntate utique eas faciamus, ignorantia tamen malitiæ prorsùs involuntaria erit, nec tamen excusabit. Neque Recentiores euadant dicendo, sermonem hic non esse de peccatis propriè, quod apertè falsum est; cum non de peccato motus concupiscentiæ, sed consensus agat.

Similis est locus alius 1. Retract. cap. 9. Dixerat lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest: peccatur autem: caveri igitur potest. His memoratis verbis suis, ait, continuò secutus adjunxit; & tamen per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus; ait enim Apostolus; misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta; delicta juventutis, &c. sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non potest, &c. Hæc Augustinus.

Sic arguitur: Augustinus ab iis peccatis, quæ caveri possunt, excipit, & eis contraponit peccata ignorantiæ. Hæc ergo caveri non possunt saltem quoad ignorantiam, & si res ipsæ caveri possint, ut paulò ante dicebar; ergo ignorantia erit invincibilis, & minimè nobis saltem in nobis libera.

Verùm hæc, & similia alia Augustini abs re sunt, & contra omnes sunt, & manifestissimè in Adversarios retorquentur. Abs re in primis sunt; quia de omni ignorantia sunt; hic porrò disputatio non de omni, sed de aliqua ignorantia est; nam nemo etiam adversariorum ait, omnem omninò ignorantiam esse invincibilem. Deindè ut superiùs visum est, & denuò videbimus, Augustinus admittit, ignorantias vincibiles, ac propria voluntate voluntarias: at his in locis in genere, & universaliter de iis, quæ per ignorantiam fiunt, decernit: ergo quæ docet de non voluntarietate, conveniunt etiam iis, quæ per ignorantiam vincibilem fiunt: non ergo agit de

ea ſpeciali involuntarietate, quæ propria eſt ignorantia invincibilis, quatenùs à vincibili differt, & diſtat. Rursùs ignorantiam Pauli ſpecificat; quę cum juris poſitivi ſit, excuſatet joxta adverſarios, ſi invincibilis fuiſſet : prodit etiam, ignorantias omnes, pro quibus Propheta veniam depoſtebat; ar, opinor, non pro invincibilibus ſaltem ſolis orabat, & vincibiles magis utique ſuas prætermittebat. Ergo in his nihil determinatum ad ignorantiam invincibilem traditur, ſed univerſalis de ignorantia ſermo eſt, & quidquid docetur, in ignorantia etiam vincibili ſalvandum eſt, & ſalvatur. Ubi incidenter adverſus Janſenianam de libertate hæreſim quærendam ab eis eſt, de quo voluntario, & libero ſit ſermo Auguſtino in eis locis de lib. arbitr. & de vera relig. an de voluntario, prout à libertate indifferentiæ præſcindit? Si de primo libero, ut verba illa, *caveri poteſt*, &c. apertè oſtendunt; ergo licet peccata, quæ à neſcientibus, & coactis perpetrantur, libera non ſint libertate indifferentiæ, quod modò tranſmittimus, cetera ramen erunt : ergo libertas indifferentiæ extincta non eſt, ſed adhùc ſupereſt. Quod ſi de voluotario ſolùm, & non de libertate indifferentiæ Auguſtinus agebat, ſequetur contra Auguſtinum ipſum, & omnes nulla peccata ignorantiæ, nec etiam concupiſcentiæ eſſe voluntaria. Sed de hoc aliàs.

Nunc cum viſum ſit, abs re eſſe; quæ ex iis locis pro ignorantia invincibili afferuntur, id ipſum denuò oſtenditur ex quæſt. præc. §. 2. Ibi nimirùm declaratum eſt, quis ſit ſenſus earum locutionum, *non ſponte, non voluntate, non ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem*, qoibus & Pelagiani, & Auguſtinus, & Hieronymus uſi ſunt, quin etiam ſcripturæ frequenter juxta lectionem Hieronymi, ut in ipſo in allegatione locorum ſcripturæ conſpicitur. Perindè itaque eis hæc cuncta fuere, atque ex ignorantia, & per ignorantiam, & neſciendo peccare, ut ibi cernitur. Indè Auguſtinus epiſt. 107. peccatis voluntatis contraponit peccata ignorantiæ, quaſi iſta voluntatis non ſint, dicendo : *humana quippè ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis eſt, quod peccat.* Hoc ipſo, eodemque ſenſu in loco nuper objecto ex 1. Retract. cap. 13. a peccatis voluntariis excipit peccata ignorantiæ. Ar in ea epiſtola, quandò non voluntaris, ſed ignorantiæ dicit eſſe, quod peccetur, expreſsè agit de ignorantia vincibili; nam agit do peccato eorum, qui audierunt, & non crediderunt; & huic peccato continenter adjongit illa verba; *humana quippè ſuperbia*, &c. Ergo evidentiſſimum eſt, Auguſtinum peccata ignorantiæ vincibilis non voluntati, ſed ignorantiæ, quaſi voluntatis non eſſent, attribuiſſe; & ita etiam non volontaria dixiſſe: quod & ex aliis Auguſtini locis demonſtrari poteſt. Atque ea, inquit, non immeritò non voluntaria peccata dici.

In hoc portò, ſcholæ ignoratio Janſenium, aliosque fefellit: quoniam non Auguſtini, & Hieronymi, ſed, ſcholæ etiam propria eſt ea locutio, ut ea, quæ ob ignorantiam fiunt, nec voluntaria, nec ſponte facta dicantur, quamquam ex ignorantia vincibili fianr. Patet hoc ex 3. Ethicorum lectionem 3. apud Doctorem Thomam, qui cum Philoſopho involuntarium à non voluntario ſejungens hæc omnia ibi declarat; quin etiam in non ignoratis aliqua liberè facimus, quæ inviti, coacti, & non voluntario facere dicimur, & exemplum eſt ibi lect. 1. projicientes merces in mare in tempeſtate, quod invitus, & non volens facit : & ibidem, & 1. 2. tractatur, an & qoomodò metus, & ignorantia, non autem concupiſcentia cauſet involuntarium; quæ vulgò ſcita, & nota proſequenda in præſentia non ſunt. Scitur enim, quo ſenſu involuntaria, & voluntaria ſunt. Cum porrò ſenſus conſtet; paſſim jam peccata ignorantiæ non involuntaria, ſed etiam voluntaria compellamus, in ſuo ſcilicet gradu, & modo; quæ reſtrictio ex ſubjecta ipſa materia efficitur; actos verò ipſi, ut Auguſtinus notabat, directè omninò, ac prorsùs voluntarii ſunt, nec per ignorantiam fiunt, ſicut peccatum.

Ex his apertè colligitur, abs re proſùs ac imperitiſſimè ex illis locis Auguſtini, & ſimilibus aliis Hieronymi pro igoorantia invincibili litem motam eſſe : qoæ quippe omnia ignorantia cuique vincibili, & juxta ipſos Patres, & juxta ſcholam ex integro, & de plano quadrant.

Jam hæc cuncta dupliciter in adverſarios retorquentur. Primò quia ſi ea probarent, peccatum aliquod ignorantiæ eſſe ignorantiæ invincibilis, ſanè probarent, omnia peccata ignorantiæ eſſe ignorantiæ invincibilis. Conſequens eſt ſtultiſſimum; & contra adverſarios, & contra Auguſtinum, ſi vel una ſola columna ejus epiſtolæ 105. legatur. Ergo ea omnia non probant, peccatum aliquod ignorantiæ eſſe ignorantiæ invincibilis. Major eſt apertiſſima; nam Auguſtinus in eis locis non de his peccatis ignorantiæ agit; & de aliis non agit; vel alia excipit, & alia non excipit, ſed de omnibus univerſaliter affirmat, quod dicit. Vel ergo omnia facit ignorantiæ invincibilis, vel nulla. Non omnia. Ergo nulla.

Secundò ſic. Si aliqua peccata ignorantiæ cauſarentur ab ignorantia invincibili, maximè forent ea, quæ non tantummodò peccata ſunt, ſed etiam pæna peccati, ut Auguſtinus loquebatur, & quibus volontarietas negari videbatur. Ar ea noo cauſantur ab ignorantia invincibili. Ergo nulla. Minor conſtat manifeſtè ex utroque §. præcedent. Ubi ſcripturæ, & ſanctorum, ac ipſius etiam Auguſtini autoritate oſtenſum eſt, ignorantiam, & cæcitatem, per quas ea peccata maximè committuntur, quæ pœnæ etiam ſint, contrahi, incurrique propria, ac perſonali volontate, & malitia; & ſic vincibiles, non modò in Adamo, ſed etiam propria voluntate in ſua cauſâ : quod ſalva ſerie ſcripturarum, & Patrum in dubiom revocari nequit, ut exemplo Gentilium in pœnam reprobo ſenſui tradirorum, excæcatorumque Judæorum perſpicuè demonſtravimus, & notat denuò Auguſtinus epiſt. 105, *neque enim*, ait, *non cognoverunt, ſed cognoſcentes Deum, non ut Deum glorificaverunt*; &c. & de Judæis mox : *quantò magis inexcuſabiles, qui ex lege ejus inſtructi*, &c.

Eadem

Eadem minor constat fusissimè ex Augustino lib. 5. contra Julian. cap. 3. ubi de his peccatis, quæ pœnæ etiam, sint, latè cum Juliano disputat, & peccara plurima memorat, ac ordine promit, quorum ignorantia propria voluntate contracta sit. Prodit enim primò cæcitatem Judæorum, quod Christum occiderunt; ignorantias mox; ac scelera gentium percurrit; atque alia mulris ex Prophetis: in quibus omnibus manifestissimè non solùm in peccatis ipsis, in contractione quoque erroria voluntas propria immixta sir; & universim ad ea omnia unà cum Chrysostomo ponir uuiversalem Sentenriam illam: *& multa alia commemorare possemus, in quibus liquidò appareat, judicio Dei fieri perversitate cordis, ut non audiatur! quod verum dicitur, & indè peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis, etiam pœna peccati*; quò eam causam totam Augustinus revocat. Et superiùs: *& pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur.* Legatur, & quæstio omnis aberit; nam omnibus volunras propria causa invenitur. Ergo in peccaris, quæ simùl pœna peccari sunt, nuspiam apparet ulla ignoranria invincibilis, vel juris naturalis, vel alterius: ergo omnis ignorantia, quæ causa est peccari, quod eriam pœna sit, & vincibilis, & quædam Theologi ante natos secretarios, & Jansenistas posuefuerunt, & explicarunt.

§. IX.

Alia Augustini loca declarantur.

PRæcipuus est lib. de grat. & libr. cap. 3. *Nam si pejor est*, inquit, *nescientium, quam scientium legem Dei, quomodò verum, quod Dominus in Evangelio ait: servus, qui nescit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis: servus autem &c.? ecce ubi ostendit, gravius peccare scientem, quam nescientem.*

Nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud enim est nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere, ut benè ageret. Sed & illa ignorantia (hæc est difficultas) *quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet, sed fortassis, ut minùs ardeat; non enim sine causa dictum est: effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: & illud, quod ait Apostolus: cum venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum.*

Arguitur: hæc ignorantia quasi simpliciter nescienrium, & contrapositæ ignorantiæ eorum, qui scire nolunt, est iuvincibilis; & tamé non sic excusat, ut ex ea Deum ignorans sempiterno igne non ardeat, sed fortassis, ut mitiùs ardeat: ergo ignorantia invincibilis non excusat ab igne sempiterno, proindè neq; à peccato mortali. Major proposirio urgeri potest adversus recentiores, qui inter alia ad rationem ignorantię vincibilis requirunt, ut certa, & quasi directa intentione moveri quis possit ad ejus remotionem; at illi, qui tamquam simpliciter nesciunt, nec voluntatem habuerunr sciendi, nec omninò audierunr, quod crederent, non possunt ea certa intentione moveri ad remotionem ignorantiæ; quam quippè omninò, ac etiam in universali nesciunt, se habere, siquidem nihil omninò audierunt. Ergo ea ignorantia est invincibilis. Et tamen juxta Augustinum non excusat: ergo si Aug. admittatur, causa caditur, & si non admittatur, aut corrigatur, etiam causa caditur, concesso scilicet adversæ parti Augustino.

Respondent his perdoctè, ac verissimè de Châps, & alii ex Magistro sententiat. Er aliis Theologis, qui ignorantiam hanc simplicem, & tamquam simpliciter nescientium inter ignoranrias vincibiles connumerarunr jam olim; quos proindè Jansenius redarguere ex Augustino, malæque inrerpretationes suspectos saltem reddere debuisset: quod planè non fecit; sed tamquam ex tripode eam ipsam ignorantiam jam pridem vincibilem habitam, ipse invincibilem esse decrevit, & abiit. Rectè verò pręterea de Champs in eam particulam *tamquam reflexit*: non enim dixit, *qui simpliciter nesciūt*; quā certè particulā non ornatus causa, sed aliquid inveniendi gratia apposuit, & sapienter apposuit.

Etenim hic nescientes in Aug. sunt, qui nihil omninò audierunt, quod crederent: & de his ergo verificari non potest, quod pręmiserat, *noluerunt intelligere*, quod enim velle, vel nolle circa id possent, quòd omninò non audierunt? non ergo noluerunt, sed aliquid minùs; id est, tāquā simpliciter nescierunt, id est, non nescierunt nolendo scire, sine hoc. Neq; itē solum nescierunt, sed ramquā simpliciter nesciunt; id est, nō purè nescire est, sed aliquid præterea, ex quo nescientia vincibilis fiat, nec negatio solùm sit, per quod nescientiam pridem S. Tho. explicuir, sed privario, quæ est rei possibilis, ac debitæ sciri. Sed quia scriptum etiam simpliciter est, *nescierunt, nec intellexerunt, in tenebris ambulant*, quæ tamen nescientia minimè in tenebris ambulantes excusabar, nunc re ipsa significata ex tabulis ipsis Theologicis est explicanda.

Ignorantiam itaque à principio aliam dixerunt indirectè voluntarlam, & hanc etiam simplicem noncuparunr; aliam directè volunrariam, quam affectatam eriam dixerunt. In istam directè fertur voluntas vel in particulari, vel salrem in universali; particularia quippè directè sub universali suo continentur, nec quasi à latere, & indirectè, & quasi in alia linea constituuntur. In primam verò scilicet, in voluntariam indirectè volunras directè non fertur; alioquin non indirectè, sed directè volunraria esset: quarè ista nec in particulari, nec in universali intellectui proponitur, sed aliùd quidpiam debitum proponitur, ex cujus omissione ignoranria indirectè, & quasi ex latere dimanat, sitque hoc pacto indirectè solùm, & in alio volunraria.

Ex quo utriusque ignorantiæ discrimine patet primùm, ad ignoranriam indirectè voluntariam nullum intervenire actum, vel positivū, vel omissivum directum voluntaris circa ignorantiam ipsam, vel scientiam contrariam. Paret secūdò, ignorantiam, eorum, qui nolūt intelligere, ut benè agāt, non esse indirectè solùm voluntariā, & simplicem, sed directè voluntariam, & affectaram; quia habent posirivam noluntatem non intelligendi, quæ est virtualis volitio ignorandi. Patet tertiò, nescientiam illam, quam Augustinus posuit, solùm esse indirectè voluntariam, & simplicem; quia est ignorantia eorum, quibus nihil omninò fuir propositum, quod crederent; fuir tamen vincibilis.

Sed hoc, inquis, non dicimus, at in Aug. non fundamus. Respondeo primò, nec adversarius fundat. Secundò fundamus; quia eam nescientiam cōtraposuit ignorantiæ directè voluntariæ: ergo pręter misisset, saltavisserq; indirectè voluntariam, si ad invincibilem trāsiliisset. Tertiò ex eodē Aug. in verbis immediatè sequentibus *Verumtamen*, subdit, *ut habeamus & ipsam scientiam, ne dicat unusquisq; nescivi, non audivi, non intellexi, voluntas convenitur humana*, per verba quippè illa? *nolite esse sicut equus, & mulus*,

quibus non est intellectus. Ecce & eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, quia non audierunt, eorum, inquam, volunras convenitur: ergo voluntas eorum partem aliquam habet, & causa est hujus nescienriæ; alioqui stultè ipsa cōveniretur, à qua quippè nescientia ista non pendebat. Patet ex Aug. non alibi, sed ibidem conrinenter, nescientiā istā pēdere à volūrare nesciētiū. Patet ergo nō esse invincibilē.

At rursùs inquis, quomodò voluntas eorum cōveniri possit, qui nihil omninò audierūt, quod crederent? sed verò de hoc in primis non me, sed Aug. interroga. In ea deindè tabella peccatorū ignorātię quam Apost. ad Ro. 1. pręscripsit, & toties jure commemoramus, res ista conspicitur. Eo quippè ordine conveniendi illi erant, quo peccaverūt, & dein puniti sunt, & ignoraverunt. Primò ergo dicendi eò erant, ut Deū tamquā Deū glorificarent, & gratias agerent, nec evanescerent; & hoc ordine inverso, sicut secuta fuit series peccatorum, & ignorantiarum, sic ignorantiæ ablatæ fuissent earum etiam retum, quas non audierunt, & nescierunt; vel certè saltem exindè non peccarent.

Dicimus ergo de his, qui non audierunt, ut §. 1. pręmissum est, multam nobis disputationem futurā lib. 3. ibi enim videbis, ante natas novitates Jansenianas magnā à principio Theologię fuisse quęst. utrū post promulgatum Evangelium, uti de facto promulgatum est, vel non peccent non credendo illi, qui non audierūt? asserentibus aliis, & aliis negantibus. Illud verò illibatè servatum est utrisque, ignorantiam quippè invincibilem excusare à toto; peccatum verò affirmantes volunt ignorantiā esse vincibilem: quia non faciunr, quod in ipsis est, & quod agere obligantur quoque facto haud dubiè fide donarentur, & crederent. Quare abs re ista tam scita pro sua ignorantia invincibili Jansenius commiscuit. Er deindè cum fides quidpiam juris naturalis non sit, quorum ita pro ignorantia invincibili juris naturalis soffarcinat? Unde & locum Aug. tract. in evang. Joan. in lib. 3. integrum rejicimus; ubi Aug. ad verb. sequemur. Nunc verò consequentia illa nulla est; qui non audierunt, peccant; ergo ex ignorantia invincibili peccant. Probandum hoc fuerat, quod omnes negant, qui antecedens concedunt.

Arguunt etiam ex eodem Aug. in enarrat. in Ps. 35. ubi tamen, nihil est pro ista intenta ignorantia invincibili non excusante. Ponit quippè primò, aliud esse, quandò quis conatur aliquid intelligere, & non potest propter infirmitatem carnis animā aggravantis; aliud, quòd posset intelligere, si bona voluntas adesset, & nō intelligat, *non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est*, ut in eis, *qui amant peccata sua, & oderunt præcepta Dei*. Horum, quos secundo loco ponir, patet, vincibilissimam esse ignorantiā. Primi verò illi laborant non tam ignorātia, quam in intelligentia invincibili; sed tamen non peccāt, ut patet in Aug. qui exemplum ponit in credente nec tamen intelligente, *quomodò sit æqualis filius Patri*. Patet fideles non intelligentes, tamen credentes in primis non esse ignorantes, ut in præsenti est sermo de ignorantia; & deindè non peccare, quia id non intelligunt, nec capiunt.

Inducit deindè Aug. ignorantes dupliciter iniquitatem suam, & veritatem, alios dolosè, alios sincerè quærentes, Hos docet, inventa iniquitate, ab ea desistere, & odisse; illos nō desistere, nec odisse, ista offendere; *sed quia in ipsa inquisitione, dolus est in inventione defensio iniquitatis erit*: & aurea illa sæpè à nobis adducta subjicit. Quid enim ea inventa sibi dicunt? *quam multi hoc faciunt? & quis hoc non facit? & numquid omnes perditurus est Deus*. Atq; hac defensione iniquitatem non esse sibi persuadentes, in ea pergunt, & hęc ipsa viderur esse defensio multitudinis probalizantis, nec examinare quidem causam volentis. Haud dubiè ignorantia illa dolosè inquirentium vincibilissima, & affectatissima est. Sed dicis, primorum ignorantiam, qui iniquitatem inventam oderunt, esse invincibilem.

Cæterum semper dicis quidem, sed ulrrò. Deindè cōsequentia est ista; ignorantia hæc non est dolosè quærentium, & affectatissima illa: ergo est invincibilis; quasi non superesset alia vincibilis non ita affectata, neq; doli mali, sed negligentium, ac torpentium, nec amantium iniquitatem suam. Quod perindè est, atq; si eò quod prima persooa Trinitatis incarnata non sit, inferres: ergo Spiritus Sanctus incarnatus est, nam sicut personæ sunt tres, ita ignorantiæ sunt tres, duplex vincibilis, & alia affectata, & alia duplex, & tertia invincibilis. Rursùs argumentatio ad hanc ineptiam resolvitur, omnis ignorantia vel est affectata, ac dolosè quæreotium, vel invincibilis, nam alioqui ex non affectata non sequitur invincibilis. Sed Aug. ipse clarus est; nam in sua illa thesi, vel hyporbesi ponit, utrosq; ignorantes iniquitatem invenisse, & alios eam odisse, alios defendisse, ergo de ignorantia vincibili, quæ scilicet inveotione veritatis, & iniquitatis aufertur. Somniavit ergo Iansenius in Augustino non Augustini,, sed suas ignorantias invincibiles. Quarè in hoc haud de probo de champs, qui de ignorantia invincibili, & peccato materiali Augustinum intellexit, ut amplius ex eo loco attendi posset de peccato, quod veniam meretur, & propriè tali esse sermonem.

§. X.

Expressa constatio Augustini contra ignorantiam invincibilem non excusantem.

ILla expressissima est, quam omnes ex lib. 3. de lib. arb. cap. 19. Iansenio objecerunt. Sed verò initium sumendo à cap. 18. innumera sunt in toto lib. 3. quibus hæc de ignorantia invincibili non excusante existimatio conteratur, ac verò nos inopes copia ipsa facit; & aliqua attingemus, alia transcribemus, & multa prætermittemus.

Primò itaq; ejusdem generis ignorantiam, & impossibilitatem ex Adamo contraximus, ęquiparatq; hæc duo ubiq; & sæpè in hoc lib. Aug. Ar quia hæc impotentia contracta, nomē proprium, & simplex habebat, quo explicaretur illud semper Aug. usurpavit, & dixit, *ignorantia & difficultas*, & iterùm, ignorantia, & difficultas. Ergo impotentiam contractam nō totalis impossibilitatis, & difficultatis solùm esse existimavit, & vox ipsa *difficile* possibilitatem imbibit. Ergo ejusdem conditionis, & modi est ignorantia quoq; cootracta, & ab Aug. tam sępè posita, quę scilicet non impossibilis, sed difficilis sit removeri: non ergo invincibilis, & insuperabilis, nisi quod nomen simplex deerat, quo hoc totum exponeretur; sed in Aug. cum semper utraq; vox cōjuncta legeretur, altera alterius sensum exprimit. Sopponimus verò possibilitatē gratia Salv. cōferri.

Hoc in primis universim animadverso, jam cap. 18. tradit omne peccatū caveri posse, eujus suæ positionis meminit li. 1. Retract. 9. & 13. Mox quasi dicta limitans, *& tamen*, ait, *etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis authoritatibus legimus*, &c. in hac ipsa quasi exceptione invincibilem ignorantiam rejicit; tū quia per ignorantiam facta quædam, inquit, improbata: non ergo omnia; at si invincibilis non excusaret, non esset, cur omnia; tū quia immediatè ante unūquemq; convenit, & ait: *an fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? si ita est, nulla peccata sunt*. Quid adversus Jāseniū clarius? Quid fatalius? & quid plus dicere vel ego ipse possem? id circo inferiùs, quandò falsa pro veria approbādo inviti erramus, hoc dicit, non esse naturam instituti nominis, sed pænā damnati, non verò ait esse novū aliud peccatū, vel causa peccati.

Jam ex cap. 19. omnes transcribunt, quæ sequuntur

quuntur; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod volnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ita sua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire, utiliter quærere, quod utiliter, & humiliter confitendum esse imbecillitatem, ut quærenti, & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit (id est, ex toto, & invincibiliter ignorans) & quod rectè volens facere, non potest ideò dicuntur peccata; qoia peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solùm membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est formam, tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca; alia Latina; sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, quod à sciente committitur, sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est, &c. Hæc Augustinus, ubi obmutescere coguntur Jansenistæ.

In his postremis verbis de ea ignorantia, difficultateque, & concupiscentia loquitur, quæ peccatum Adæ consecutæ sunt: quas ideò eodem linguæ, & manus etiam, ut scripturam vocate motis est exemplo rem ipsam declarat: ipsamque concupiscentiam, ait, in renatis non esse peccatum; *sed modo quodam loquendi*, inquit, *peccatum vocatur, quod & peccato facta sit, & peccatum, si vicerit, facit: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura*: & alium locum dedimus ex lib. de perfect. justitiæ cap. 13. Omnia ergo, quæ vel ex ignorantia, vel ex difficultate. Vel concupiscentia peccati originalis consequuntur ex Augustino hoc impropio modo peccata sunt, quandiù consensum non damus; quia scilicet ex peccato sunt, & ad peccatum inclinant, ut demonstravimus exposuit. Non ergo ea, quæ hinc inviti ignotamus, sed quæ potentes quærere utiliter, non quærimus, sed negligamus, nostra peccata sunt, & ad culpam deputantur.

Hinc eo libro 3. de lib. arb. cap. 20. rursùs contestatur facultatem non habere, *ut anima adjuvante Creatore se ipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.* Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia, & difficultas, supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis, parvum est, accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat. *Quod si agere noluerit, peccati rea jure tenebitur: tamquam quæ non benè usa est facultate, quam accepit.* Hæc Augustinus; in quibus liquidò apparet, tum ignorantiæ, & difficultatis unam ipsam esse doctrinam; tum nos ex illis peccati reos non fieri, nisi quandò, quod naturale judicium agendum esse dictat, agere nolumus, & negligimus nobis adjuvante Creatore facultatem, sicut resistendi concupiscentiæ, ita expellendi ignorantiam. Ergo ex Augustino sola ignorantia vincibilis, ac removibilis est, ex quo juxe rei peccati efficimur, & peccamus.

Rursùs ad finem ejusdem cap. 20 *quandoquidem*, inquit, *etiam si eas ipse*, (id est animas) *misisset, quibus etiam in ipsa ignorantia, & difficultate liberam voluntatem petendi, & quærendi, & conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus, omninò extra culpam esset* (scilicet Deus). *Hanc enim ignorantiam, & difficultatem studiosis, & benevolis evincendam ad coronam gloriæ valere præstare, negligentibus autem, & peccata sua de infirmitate defendere volentibus non ipsam ignorantiam, & difficultatem pro crimine objiceret; sed quia in eis potius permanere, quam studio quærendi, atq; discendi, & humilitate confitendi, atque orandi ad veritatem, ac facultatem pervenire voluerunt, justo supplicio vindicaret.* Hæc iterùm Doctor ubi singulis verbis, ut quisque facilè differere potest: & catholicam veritatem de vincibili, id est, de evincenda ad coronam, & liberè non victa ignorantia non excusante statuit, & Jansenianas ignorantias invincibiles non excusantes minutatim effringit. Quæ cum ita sint perspicua, & manifesta, mitto cætera percurrere ex cap. 22. & 23. maximè quia ex cap. 22. in hypothesi magis, quod ignorantia, & difficultas pœnæ peccati non essent, & hoc Manichæis. Pelagianisque etiam dato, & concesso, incipit disputare, nec tunc quidem tradit, Deum fore culpandum. sed laudandum: quo in retractationibus alludit, & locum eum habet: quo uno multi Recentiores universam Aug. doctrinam de concupiscentia invertunt. Instituti nunc nostri haud est in hoc hærere, sed integrum relinquo illustrissimo Domino D. Michaeli Perez Arcadiæ Episcopo viro sapientissimo, & ex Thesauro Augustinianæ doctrinæ omnium, quos novetim, ditissimo. Certè Augustinus in hypotesi non eò it, ut Deum in immissione concupiscentiæ laudandum ostendat, sed quia hoc etiam adversariis dato, in usu ejus laudandus sit, & nequaquam culpandus: de cætero planum est in Augustino, rebellem concupiscentiam à Deo esse minimè potuisse.

Sed ad rem nostram redeundo satis, opinor, demonstrata est mens Augustini cōtra Jansenium: & quæ hoc §. dicta sunt, denuò multiplicier ex Aug. ac cæteris Patribus toto libro 3. constabunt. Ejus præterea impugnatoris afferant etiam locum alium manifestum ex lib. 6. contra Julianum cap. 16. ubi differtissimè distinguit saltem in renatis peccatum ignorantiæ, & malum ignorantiæ; & malum tradit remanere non reatum: quia scilicet reatus omnis culpæ per Baptismum ablatus est; undè in remanente ignorātia nihil prorsùs reatus primi illiuspeccati remanet, qui vel ignorantiam ipsam peccatū faciat, vel qui per ignorantiam transfundi in alios actus nostros possit, eosque aut peccata facere, aut aliquid reatus communicare: in quo porrò rei non efficimur, non peccamus. Atque hæc Augustini doctrina, & veritas clarissimè intelligitur, & fortissimè statuitur ex dictis quæst. 13. præsertim §. 5. ubi declaravimus, quomodò per pœnitentiam remanente ignorantia auferatur peccatum ignorantiæ: sicut enim per veram pœnitentiam reatus omnis culpæ præcedentium peccatorum tollitur; ita aufertur baptismo reatus omnis, & ratio culpæ peccati originalis. Ergo sicut voluntarietas, vel reatus peccati per pœnitentiam jam verè dimissi nequit ullum consequentem actum reddere voluntarium, & culpabilem; & quamquam remaneat ignorantia; quæ ex illa sunt, peccata non sunt, nisi deuuò libera reddita illa fit; ita repugnat, dimisso peccato originali, omnique ejus reatu culpæ sublato, ex relicta ignorantia quidpiā reddi, effici q; culpabile, & peccaminosum

m 2

Sic etiam epist.105.inter alia, quæ prætereo, expressissima est ea sententia; *quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt pœna peccati.* Dicet quidem Jansenius, hanc ignorantiam invincibilem non potentium ipsam non esse peccatum; sed tamen causare peccatum. Sed hæc fabula est ultrò confecta, quia vel in ea ignorantia superest quidpiam reatus, & voluntarii, & culpę ex peccato originali, sicut apud nos superest in ignorantia causata per negligentiam, & culpas proprias: si superest, sanè quo sensu ignorantia vincibilis est non solùm pœna, sed etiam peccatum, sic sua invincibilis erit peccatum. Si nihil in ea superest, ergo ex primo peccato per eam nihil reatus, voluntariive, aut culpæ transfunditur in actus sequentes. Prætereo alia contra voluntarium, implicansque dicterium.

§. XI.

Expediuntur ex quæst. 12. Jansenista, & Recentiores mixtim objiciunt, objicereve possunt.

TRitum est, errores per extrema contraria maximè dissentientes, ex eisdem sępè nasci principiis. Sic Pelagiani, & Lutherani, cum maximè dessideant, dum alii libertatem cōtra gratiam Dei, alii gratiam contra libertatem statuere moliuntur, utrique innixi sunt eidem principio de incompossibilitate gratiæ, & libertatis. Sic Ariani, & Sabelliani idem assumpserunt, alii ut tres personas solo nomine effingerent; alii ut tres trium naturarum comminiscerentur. Nestorianos inter, & Eutychianos idem visum est. Sic etiam Pelagiani ut longissimè à Manichæis discederent, effrænem libidinem, concupiscentiamque rebellem, cujus illi primam aliam causam quæsierunt, Deo Authori tribuerunt, nec peccati pœnam, vitiumve esse voluerunt, sed laudandam, afferendamque inter Dei Creatoris munera susceperunt, & Catholicos Manischæismi accusarunt, & Eutichiani Nestorianismi. Atque ita alii, & alii; nec mirandum est, si quod fuit, hoc etiam nunc sit.

Cum itaq; Moderni quidam (non certè omnes) Jansenium maximè fugiunt, & borrent, & per extremum contrarium dissentiunt, in eadem principia incidunt tum in impossibilitate pręceptorum Dei, ut lib 3 ostendetur; tum in ista de ignorantia quæstione, ut ex sequentibus accipitur.

Arguetur ergo pro Jansenio ex utrisq; mixtim sic. Ignorātia vincibilis non excusat à culpa actum ex ipsa factū: ergo neq; ignorantia invincibilis. Consequentia ista probatur; nam omnis ignorantia, quandò jam quis ex illa operatur, atque in eo instanti hic, & nunc est invincibilis; ut ponunt dicti Moderni: & tamen non excusat, ut est vox totius scholæ, & Theologorum. Concludunt Janseniani; ergo ignorantia invincibilis non excusat. Satis multa dicta sunt hoc libro, ex quibus ea per Modernos concessa majori, cætera concludunt Janseniani. Verùm apud Theologos tota quanta major propositio, ac novissima ignorantiæ invincibilis explicatio falsa, absurdaque est; atque omni ignorantiæ vincibili, invincibilique communis, ut ex quæst. 11. & 12. & ex toto libro patet.

Secundo arguetur pro Jansenio tum in particula ignorantiæ; tum in errore ponente, non requiri libertatem indifferentiæ ad peccandum. Posita conscientia erronea vincibili, & obligante ad mentiendum v. g. causa religionis, nulla superest libertas indifferentiæ ad peccandum, vel non peccandum; nam peccatur sive non mentiendo contra conscientiam; sive mentiendo contra legem Dei, in cujus quippe violatione non excusat à culpa ignorantia vincibilis. Ergo nec libertas indifferentiæ est necessaria ad peccandum, nec item est, cur ignorantia invincibilis excuset.

Hoc loco Moderni quidam à tota Theologia abeuntes, si liceret, dicerem, nescio, quid faciunt. Pontius per bonam sanè Logicam, & alter Terillus faciunt hunc casum, & omnes de conscientia erronea de subjecto non supponente; & hic posterior pronunciat, omne dictamen ultimum conscientiæ etiam, ubi ignorantia est vincibilis, esse verum, certum, & infallibile, & penultimum, vel nescio, quod aliud ad conscientiam certè non pertinens posse esse erroneum: undè delyrastis, o Theologi, dum conscientiam in rectam, & erroneam partiti estis; desipuisti S. Thoma, dum conscientiam errare posse toties ostendisti, ac etiam demonstrati. Alter, quem præreverentia non nomino, comminiscitur in Deo voluntatem quamdam consequentem sæpè contritam, qua ex suppositione erroris conscientiæ dispenset Deus in omnibus præceptis suis, voluntatesque omnes suas conscientiæ erroneæ nostræ subjiciat: undè potiùs, quod quæst. seq. tractabo, tamquam sibi indubitatum constituunt, opus, quod ex tali conscientia prodit, esse sanctissimum; sive quia juxta alios non errat omninò; sive quia solùm errat quoad objectum materiale. Hæc, & alia novissima mirabilia induxerunt. In eo autem omnes illi concordant, quod in casu posito cōscientię illius non peccetur propriè conscientiā sequendo, & mentiendo, sed impropriè & materialiter; undè articulus de conscientia erronea vincibili non excusante cum multis aliis connexis expurgandus sit.

His itaque relictis, argumentum pro Jansenio propositum pridem à summis viris sibi objectum, solutumque fuit, ut ea quæst. 12. visum est. Ad Logicam porrò remittendi sunt, qui absolutè talia, & ex suppositione talia confundunt; item qui quid absolutè sit, quid verò uno inconvenienti dato sequatur, non distingunt, & ex uno ad aliud argumentatur. Sic autem est arguere à necessitate, vel impossibilitate conscientiæ erroneæ vincibilis ad necessitatem, vel impossibilitatem, aut absolutè, aut conscientiæ erroneæ invincibilis. Scitur etiam, conscientiam erroneam invincibilem, seu ignorantiam invincibilem, ex qua illa formatur, dici, & esse antecedentem; quia scilicet antecedit, non quidem eum actum qui ex ipsa subsequitur; quomodò etiam vincibilis antecedit suum actum, sed omnem actum, & omissionem liberam voluntatis: undè necessitas omnis vel impossibilitas per illam inducta est antecedens: consequens verò, quæ per ignorantiam vincibilem inducitur. Ineptia est ergo ex hac ad illam arguere. Ostendimus autem ea quæst. 12. quasdam assumptiones, & restrictiones ad instans esse abs re: & fortè nec in rebus quidem maximè omnium liberis, qualis est sortem sedere, liber nō est, ut in instāti surgere incipiat, nam deliberatione opus est, &c.

Tertiò objicient, nihil differre conscientiam erroneam vincibilem, & invincibilem; sed vincibilis non excusat: ergo nec invincibilis. Moderni dicent, differre per remorsum. At dicent Jansenistę, conscientiam sic remordentem, & oblatrātem non

esse

esse erroneam, sed vel rectam, vel saltem dubiam, ut sæpè commonstratum. Dicit deindè hoc non esse reddere discrimen inter ignorantiam vincibilem, sed tollere vincibilem, & negare. Cum ergo nos remorsus istos à conscientia omni erronea abigamus, insurgent mixtim Jansenistæ, & Moderni illi contra Theologos hoc pacto, nihil utramque conscientiam differre: ergo vel utraque vel neutra excusabilis respondemus utramque conscientiam, qua erroneam non differre; nam erronea utraque est, & erat; & hoc supponitur; & sicut nullum genus per differentias tollitur, ita nec conscientia erronea tollenda est per differentias vincibilis, & invincibilis, ut Moderni faciunt. At differunt qua vincibilis & invincibilis, nam hæc necessario, illa voluntariè, & liberè contracta est, altera omnem actum liberum, & omissionem antecedit; altera secùs: quæ est explicatio plena Theologorum à principio. Declaravimus autem quomodò in ignorantia vincibili superfit virtualiter, mortaliter, ac interpretativè prior illa voluntarietas, per quam contra est, quandiù per pœnitentiam non tollitur. Redibunt ad sua instantia, & hic, & nunc, nam modò hoc teneant, prætereunt, quòd vel Cælestius in Ecclesiam restituatur; vel quòd in immensum Jansenius viribus augeatur. Sed de eo satis ea quæst. dilleruimus.

Replicabunt, de ratione conscientiæ erroneæ vincibilis non solùm esse, quòd liberè inducta sit, sed quod removeri etiam, & deponi possit, ut perpetuò locuti sunt Theologi: hoc autem cessat, si in ipso errore, & ignorantia discrimen non ponatur per remorsum, vel simile. Sed dictum, & explicatum est sæpè, de ratione omnis conscientiæ erroneæ vincibilis non esse, quod directè semper, atque ex intentione ad eam tollendam removeri, deponique possit. Et ergo de ratione omnis talis conscientiæ deponibilitas alterutro modo vel in esse erroris, vel in esse peccati, ut mox magis explico. Quod si de instanti obloquantur, demonstravimus, implicationem esse apertam, ut sit deponibilis pro ipso instanti.

Sed quæris, cur non sufficiet, ne excuset, quod ignorantia liberè contracta sit, etsi deponi deinceps non possit? quò Jansenius afferet impotentiam damnatorum, quæ removeri non potest, nec tamen excusat. Respondemus, de impotentia damnatorum altero forsitam die dicendum. Nunc ex eis ad viatores nulla consecutio, de quorum quà talium ratione est, ut possint salvari: repugnat ergo eorum statui omnis necessitas etiam consequens peccati irremovibilis. Quare omnis conscientia erronea vincibilis viatorum (de hac quippè est sermo) est removibilis vel in esse ignorantiæ, & erroris; vel saltem in esse peccati, vel causæ peccati; nam de cætero diximus, manente ignorantia, & errore, per pœnitentiam tolli peccatum, reddique conscientiam erroneam anteà vincibilem jam invincibilem: & Theologis, dum de deponibilitate loquuntur, hic est sensus, quòd vel ignorantia ipsa in se, vel voluntarietas ejus tolli possint; si quidem ipsi expressè contextantur, manente ignorantia tolli peccatum ignorantiæ per pœnitentiam. Undè de essentia, & definitione ignorantiæ vincibilis est, ut sit ignorantia rei debitæ sciri causata per culpam non ablatam.

§. XII.

Ex his ergo invicti manent Canones Theologiæ de ignorantiis.

EOs hic inter alios bonum erat, de Champs ex 2. sentent. dist. 25. & 29. & t. 2. quæst. 19. & 76. aliquorumque magnorum Theologorum dicta in reliquorum specimen producit. Primus canon est, quod ignorantia; & sic etiam conscientia erronea alia est vincibilis, & alia invincibilis.

Secundus est, vincibilem aliam esse directè voluntariam; aliam solùm indirectè: quæ duæ differentiæ multis etiam prætereà vocabulis significantur. Tertius canon est, ignoranriam invincibilem, & sic etiam conscientiam erroneam invincibilem excusare à toto. Quartus est ignorantiam vincibilem, & conscientiam erroneam vincibilem non excusare à toto. Quintus est, ignorantiam vincibilem, & sic etiam conscientiam erroneam vincibilèm solùm indirectè voluntariam, etsi non à toto, excusaret tamen à tanto. Sextus canon est, ignorantiam vincibilem directè voluntariam, & affectatam, & sic etiam conscientiam non excusare nec à toto, nec à tanto; quia quod ignorantia detrahere posset, supplet perversitas voluntatis.

Hæc de plano in libris omnibus cum Magistro, & D. Thoma legebantur. Venerunt sectarii, & dein Jansenistæ, & tertium canonem expunxerunt modo dicto. Venerunt etiam quidam Moderni, & omnes sex confunderunt, & primum, quartum, quintum, & sextum re ipsa, ut vidimus, sustulerunt, & aliqui omnes sex fecerunt de subjecto non supponente. Retinet verò illibatè de Champs cum aliis; quem si placet, Jansenismi arguere possunt.

QUÆSTIO XVIII.

Utrum ergo vitandum etiam sit aliud extremum dicentium; conscientiam erroneam invincibilem non solùm excusare, sed operationem etiam facere rectam, & bonam?

TRactavi de hoc latè t. lib. 3. quæst. 4. Ubi Doctore S. Thoma statutum est, voluntatem, & operationem conformé rationi invincibiliter, etiam erranti non esse bonam; expulsique multiplici quæstione vulgarem ex ratione errante in veram per reflexas conversionem. Quod porrò eatenùs nesciebam, ausurum esse aliquem ad tollendam omnem conscientiam erroneam cum magno sanè ludibrio Theologiæ, & Theologorum, vidi jam, ausos esse duos; qui satis eversi sunt. Eam itaque ipsam quæstionem pro doctrinæ recta serie, & ordine, non tam retractare, quam cursim percurrere visum est, ut simùl in conspectum appareant, extrema omnia, in quæ circa ignorantias, errorésque itum est.

§. I.

Authorum sensus, & quæstionis status.

JAnsenius dicebat, ignorantiam, & conscientiam erroneam invincibilem nō excusare in jure

naturæ: extremum contrarium est, eam non solùm excusare, sed prætereà etiam voluntatem, & operationem sibi conformem reddere bonam, & honestam, servatis cæteris servandis.

Hoc circa perscrutatus sum Theologos veteres, & Recentiores. In D. Thoma invenio de eo articulum expressum, quem exhibui ea quæst. 4. in quo negat: & rem totam exhaurit: in reliquis verò antiquis hoc unum, hoc solùm invenio, ignorantiam invincibilem excusare à peccato: utrum verò prætereà voluntas ex illa sequens positivè bona, & honesta sit, vel non tractarunt, vel non reperi. Ex posterioribus Theologis commentatores S. Thomæ eum articulum sine commentario prætermiserunt; & alii nihil de eo dixerunt: alii communiòs cur dixerunt, eam voluntatem, & operationem secutam esse bonam; quin rem nec tractarent, nec probarent; recentiùs verò pauci aliqui eam probarunt illa ipsa ratione, qoam sibi objicit, & dissolvit S. Thomas, ut ea quæst. 4. visum est: nuperrimè verò unus id ipsum asseruit, qui sanè, ut ubique alias, intrepidè pronunciat, Theologos omnes ritè sentientes unà cum S. Thoma in affirmativam sententiam conspirasse, est certè iste homo mirabilis in facilitare dicendi, & de S. Thoma locum aliquem significare nobis debuisset, ut discere possemus.

Sub aliis tamen æquivalentibus, convertibilibusque terminis invenio quæstionem latè tractatam à sapientissimo Viro Ruiz de Montoia, in de de vol. Dei disp. 41 cui titulus est, utrum materialem actionem peccati nulli creaturæ imputabilem (ut contingit in necessitato, vel in ignorante invincibiliter) possibile sit à Deo causari? Dixi quæstionem istam esse convertibilem cum nostra; nam de fide, opinor, est omnem voluntatem, & operationem bonam, & honestam non solùm causari posse, sed causari etiam à Deo.

Refert pro sententia affirmante plures antiqoos, & illustres Theologos Gregorium, Majorem, Almainum, Richardum, Holeot, Ochamum, Gabrielem, & alios; qui tamen ita dixerunt, odium Dei v. g. causari à Deo posse homine ipso nullatenùs, vel saltem non liberè concurrente, ut vellent, tuoc odium Dei non esse futurum odium Dei; & ita ipsas entitates actuum, & qualitates dicebant causari posse, quæ tamen, dum à Deo sic causantur, desinerent esse odium Dei, blasphemiæ, &c. Hi proindè Theologi nihil juvant, sed magis exceptione, explicationeque sua rejicient positionem Recentiorum, qui adstruont, ipsa Dei odia manentia odia, blasphemias, perjuria, sacrilegia in ignorante invincibiliter esse bona, & honesta; & quod consequens est, Demùm esse eorum causam, & Authorum.

Ipse verò Montoia cum D. Thoma, D. Bonaventura, Alexandro, Alberto, Durando, & aliis primò ponit sect. 1. n. 7. contradictionem involvere, materialem actionem odii separari à sua malitia, sive extra subjectum, sive in voluntate nihil ipsa concurrente, producatur, scilicet in eo sensu, quem Priores illi loquebantur; sermo verò est de malitia materiali, & inimputabili. Secundò ponit sect. 2. tres modos, quibus Deus earum actionum causa, Authorque esse possit, scilicet vel hominem sanæ mentis ad eas necessitando, vel si hominem amentem, phreneticum, ebrium, dormientemve, aut puerum ante usum rationis concursu particulari, ac rerum naturis indebito ad eas actiones determinaret; vel si Deus esset verè Author, & causa naturalis determinans quemcumque amentem, &c. ad volitiones turpes. Et ponit num. 5. nullo horum modorum, id est, omninò nullo Deum esse posse causam, & Authorem similium actionum. Et utramque positionem multiplici ratione statuit. Sic sine, mi homo, Theologi omnes ritè sentientes unà cum S. Thoma in tuam sententiam conspirarunt, & actiones has turpissimas in honestas, quæ necessariò Deum Authorem haberent, converterunt: quin Author nullus gravis, qui rem discusserit, & hoc etiam viderit, ac propofuerit, fore scilicet, ut Deus similium actionum Author, factor, assertorque sit, hactenùs affirmavi, similes actiones reddi posse honestas.

§. II.

Quibus rationibus præter adductas par. 2. stabiliri denuò possit pars negans, & verissima?

PArs negans, & verissima est ignorantiam quidem invincibilem contrariam legi Dei excusare à culpa tota, & à toto; non tamen facere, ut sequens voluntas, & actio sit bona, recta, vel honesta. S. Thomas non solùm hoc docuit, sed intelligentiam quæstionis suæ existimavit velle ex ea conscientia erronea rectitu linem depromere quæst. 17. de ver. ar. 4. *sed qui hoc dicunt*, inquit, *non videntur intelligere, quid sit conscientiam* (nempè erroneam) *ligare. Secundum hoc enim conscientia dicitur ligare, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurret: non autem hoc modo, quod aliquis implens rectè faciat:* & rursùs: *non igitur propter hoc conscientia dicitur ligare, quod si illud fiat ex tali conscientia bonum sit, sed quia si non fiat, peccatum incurritur.* Comprehensiva sanè sententia est: nam cùm conscientia erronea non sit conscientia, nec regula recta, sed erronea, videtur, terminos non intelligere, per conformitatem ad illam quærit rectitudinem scientiæ moralis, ac proindè etiam conscientiæ sumi ex fine, cujus gratia sunt, scilicet ex rectitudine operationis. In malo autem non sic est; nam cum actuum humanorum non una, sed duæ sint regulæ, altera divina, & suprema; altera humana, & subordinata, utriliber earum discordet, actio est mala, impurabiliter, sed voluntariò sit, vel imputabiliter, & materialiter, si fiat involuntariò; ut autem sit bona, utrique simul concordare debet, vel à neutra discordare, ut paocis, comprehensivè sancit ibi S. Thomas: & §. 5. de conscientia in indifferentibus errante, aliter statuemus; & nunc sermo est de contrariis legi Dei. Ubi multa alia in confirmationem doctrinæ ejusdem contulimus: quæ videnda sunt: nam hic quæstionem non tam explico quam percurro.

Alter meus Doctor Augustinus, & ab his duabus columnis, ut Bernardus de eodem Augustino, Ambrosioque loquitur, difficulter me avelli permittam. Dupliciter ergo eadem veritas ex doctrina Augustini plenissimè à fortiori statui posset Primò ex iis, quibus adversus Pelagianos probat, peccatum originale, ex malis secutis ignorantiarum, errorum, aliarumque miseriarum, quas Deus bonus nisi in pœnam alicujus peccati infligere, vel permittere non potuisset

tuisset, nec esse Author saltem aliquarum. Multò minùs ergo Deus bonus Author esse potest turpissimarum actionum etiam non imputabilium, & culpabilium, puta sui, blasphemiarum, mendaciorum, perjuriorum, fornicationum, stupri, adulterii, ac similium. At si ex ininvincibili ignorantia ista talia honesta sunt, Deum Authorem habent. Chimæra ergo est, quòd talia honesta, & bona esse possint.

Secundò ex Augustino in longum argui potest ex iis, quæ de pudenda libidine turpibusque motibus concupiscentiæ toties tradit, ingeminat, statuit, similium Deum non esse Authorem, nam quæ à Deo sunt, non pudenda, non erubescenda, sed laudanda, prædicandaque sunt. Ecce ergo in eadem materia exemplum ponamus, & quis ex ignorantia invincibili, ut adversarii admittunt, non solùm impudicos motus nolens patiatur, sed prætereà se se volens turpissimè polluat, & corrumpat. Hunc autem si bono fine agatur, honestus est, ac vitæ etiam æternæ meritorius, ut diciris. Jam ergo Deum Authorem, factoremque habet, Ergo num, Augustine, pudenda est libido, & turpium eorum motuum Deus Author esse nequit; & poterit tamen corruptissimæ libidinis? Horres, opinor, mi Doctor, faciemque avertis; nam hæc opera sanè tenebrarum sunt; desursum, & à Patre luminum minùs esse possunt, quam vel frigus ab igne, vel a sole tenebræ esse possint. Scio ex his duobus Augustianæ doctrinæ locis parùm quosdam movendos, qui pudendam libidinem in Deum etiam revocabunt: supersunt tamen in Ecclesia Dei Augustini veri cultores, & assertores, quod quos probasse mihi pro maximo est.

Eadem etiam veritas statuitur ex quæstionibus Theologorum: quærunt enim, utrum Deus immittere possit errores; aut quoquo modo fallere etiam in pœnam peccati, & quin homo peccet errando? Negant plerique, & sapientiores omnes, ut nos alibi latè probavimus. At quibus ostenditur, Deum non posse esse Authorem errorum, & mendaciorum, à fortiori commonstratur, turpium eorum actuum Authorem esse non posse, sed si boni, honestique fierent, Author est. Ergo honesti esse non possunt.

Item quærunt, utrum Deus dispensare possit in præceptis secundæ tabulæ? & plerique etiam eorum, qui in hoc loco nobis adversantur, jure meritò negant; quia ab actibus in ea prohibitis inseparabilis est dissonantia ad rationem; nequit proindè Deus dispensare. At plus est, eos actus reddi honestos, eorumque Deum fieri Authorem, quam dispensare: & in quibus Author esse potest, non est cur dispensator esse nequeat. Nulla ergo ignorantia invincibili simili reddentur, magis, quam panis malus fuit bonus, aut nox dies, aut distorta recta.

Hinc obiter cernes aliquorum Recentiorum pinguissimam, nisi fallor, inconsiderationem ponentium in Deo voluntatem quamdam consequentem, qua ex suppositione opinionis, vel erroris nostri dispenset, vel relaxet omnes leges suas etiam primæ tabolæ. Non intelligunt, opinor, quod loquuntur: & Deo impossibilia itæ vel dispensationes, vel relaxationes, derogationesve; de quo alibi fusiùs ago.

Prætereà eadem doctrina probari potest; nam si turpes illæ voluntates, & actiones, quandò quoad malitiam imputabiles non sunt, culpaque carent, honestæ redderentur, posset Deus ipsas suadere, & persuadere, ut in simili argui solet contra Prædeterminantes; quin à fortiori; quia ex terminis clarum videtur, bona quæque, & honesta, & sancta suaderi, promoverique à Deo posse. Consequens autem, & si fortè à puris Moralistis devorandum sit, qui nempè aiunt, posse me citra mortale aliquem prius benè decipere in re aliqua, & dein illi persuadere, ut juret; & si, inquam, ab his consequens devorandum fort. sit, tamen est absurdum, & Deus suasor esse nequit mendaciorum, perjuriorum, & similium.

Insuper probari potest; quia si illæ actiones honestæ redderentur posset quis posteà, quandò veritas esse cognovit, in eis complacere, Authorique Deo gratias referre, quòd benè mentitus sit, & blasphemaverit: nam in actione sua honesta complacere quisque potest, eamque approbare. At licet quidam juniores per levitatem quamdam complacere delectarique soleant, in hujusmodi transgressionibus per ignorantiam, ut putant, invincibilem peractis, rectè tamen Valentia disp. 6. quæst. 6. part 1. ait, non admitti à Doctoribus, quod liceat delectari in talibus; & hæc quasi ratihabitio illius transgressionis est voluntaria approbatio illius transgressionis; quod hic non prosequor. Solent quidem dicere de nocturna omninò involuntaria pollutione dormientium gaudere quem posteà vigilem posse; eò quod liberior pòst attentatione maneat. Ista ipse non probo, sed transmitto: at si quis in somnis aliquem occideret, aut alia ageret, in quibus motivum illud cessaret, non liceret gaudere. Minùs ergo licebit, si vigilans, & volens feram pessimam essetatus, hominem, Patremve occidens; quamquàm error fuisset prorsùs invincibilis. Ergo occisio ista non potuit esse bona, & honesta: nam in rectis, & honestis gaudere, lætarique possumus.

Dicent, has actiones esse materialiter malas; ac ideò non licere complacere, neque delectari. Verùm in primis qui ponunt voluntarem illam Dei consequentem nuper memoratam, qua lex omnis Dei pro ita operantibus derogatur; qui item dicunt pro similibus legem Dei non esse satis promulgatam, per consequentiam etiam tollunt malitiam materialem: quæ nulla est in non observatione legis aut derogatæ, aut non satis promulgatæ. Deindè malitia illa materialis non repugnat bonitati, & honesti ti ejusdem actus: ergo nec complacentiæ in illo: & honestas quoque secum necessariò trahit titulum complacentiæ, approbationisque simpliciter. Ubi quæro; vel Deus remuneratus est hos actus, vel non? si non. Ergo boni, & honesti non sunt. Sin verò remuneratus est; ergo etiam approbaturus; ergo etiam in eis complaciturus: ergo etiam ipse, qui propter eos cælo, demùm donatur. Quare quidam non ignobilis Author dicens hinc eos actus esse honestos; indè verò eos habere quamdam deformitatem, indignitatem, ac monstruositatem Deo repugnantem, profectò haud videtur sibi constare: nec satis est, quod ait, tales actus propter eam monstruositatem non posse esse supernaturales, sed naturales: nam si verò honesti, & boni esse possunt, cur non supernaturales? & deindè omnis honestatis naturales? verus Author est Deus Creator, à quo sanè, qui unus ipse est, eo;

dem jure absunt similes impuritates, ac monstruositates; quorum verus Author esse potest, nihil est cur, specialis author esse non possit.

Itaque hæ duæ propositiones videntur futuræ invictæ, altera, Deum omnis actus verè boni, & honesti esse Authorem, quæ fortissimè stabiliri potest; & alioqui in Manichæismum declinatur. Altera Deum prædictorum actuum non esse posse Authorem; quod præter insinuata ostendit multiplici disputationi Montoia. Concluditur ergo, eos actus reddi oon posse bonos, & honestos.

Quapropter tenendum est de plano, & in terminis, quod ab antiquo Theologi tradiderunt, nec dettahendum cum Jansenio: nec addendum cum Recentioribus; tradiderunt autem hoc unum, & solum ignoranriam quippè invincibilem in talibus excusare à culpa, peccatoque à toto. Quòd verò Recentiores addentes multi sint, nihil secundum ipsos præjudicat, quia rari quæstionem tractarunt, & obiter aliud agendo affirmarunt.

§. III.

Difficultas emergens, an Deus jubeat sequi conscientiam erroneam?

MOvent hanc difficultatem Authores, & negant communiter Deum ea jubere, quæ conscientia erronea dictat tamquam obligatoria. Primò propter defotmitatem, ac monstruositatem actuum intrinsecè turpium & malorum, ut inter alios loquitur Granadus contr. 2. de actib. hum. tract. 12. disp. 9. sect. 1. Deindè quia difficultas hic emergens non est peculiaris conscientiæ invincibiliter erranti, sed communis etiam vincibiliter erranti: Deus autem nequit jubere, quod istam sequamur; nam peccamus eam sequendo, & juberet peccare, & idem Granadus, aliique observant. Postremò quia si Deus juberet conscientiam erroneam sequi, conscientia esset erronea, ut supponitur; & non esset, quia concordaret, demòm cum præcepto Dei, & ipsa, & Deus idem juberent.

Ex his accipitur confirmatio datæ doctrinæ ex sensu Theologorum; quia si actus sequens ex conscientia invincibiliter errante esset bonus, & honestus, probari, præcipique, à Deo posset, & omnis actus honestus est conformis voluntati divinæ; imò ab ipso Deo est. At Authores refugiunt admittere similia præcepta, & ullam voluntatem Dei approbativam. Ex hoc ergo deprehenditur ejusmodi actus in conscientia quidem vincibiliter errante esse maloa; in errante invincibiliter non formaliter, ac imputabiliter, sed solùm materialiter malos: nunquam verò bonos, & honestos. Quantùmcumque enim erret conscientia, Deus persistit prohibendo, reprobandoque mendacium, adulterium, &c. neque quasi Pœdagogus errorum nostrorum mutat voluntates suas derogando, vel relaxando, vel alio modo, ut pauci quidem Recentiores commenti sunt. Ergo ejusmodi actus, ot potè semper prohibiti, & reprobati à Deo, nunquam boni, honestique evadunt, alioqui creatura esset causa prima, & unica positiva alicujus bonitatis, & honestatis.

Quamquam hæc sint, & posteris etiam Theologis communiter probata, emergit tamen sequens difficultas; nam Deus vult & jubet non peccare: at non sequi conscientiam erroneam est peccare: vult ergo, & juber eam sequi. Et confirmatur: quia posita ea conscientia, & ejus suppositione, quid est, quod volt Deus? nam vel vult, me eam sequi, vel non vult eam sequi, vel vult non sequi? Si primum; vult ergo, & jubet, eam sequi. Sin verò non vult eam sequi, vel positivè vult, eam non sequi: ergo non pecco eam non sequendo: non facio, & volo, quod Deus vult.

Respondent, Deum non velle, nec præcipere qood sequat conscientiam; me tamen existimare, & credere, Deum id velle, & præcipere: & sic ad quascumque replicas dicendum est distinguendo existimationem præcepti, & voluntatis Dei, à præcepto ipso voluntateque Dei: & pecco; quia volo agere contra legem Dei, quam existimo dari: quemadmodum, si sciens, nullam esse legem Dei prohibentem fricare barbam, ego tamen vellem fricare, & si esset contra legem Dei.

Tractat de hac difficultate S. Thomas quæst. 17. de ver. at. 4. & supersunt semper scrupuli. primò arguit S. Thomas; quia ut dicit Augustinus, peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei: sed conscientia erronea non est secundum legem Dei, neque contra eam agendo agimus contra legem Dei. Ergo non peccamus.

Tertio loco arguit: peccatum est transgressio legis divinæ, & cælestium inobedientia mandatorum, ex Ambrosio; sed conscientia erronea non affert ullam legem divinam, quin facit ab eadeviare. Ergo non obligat. Atque alia argumento proponit. Ergo vel agere contra conscienriam peccatom non est, quod est hæreticum; vel Deus adest conscientiæ erroneæ obliganti injungendo, præcipiendoque, ne contra eam agamus.

S. Doctor in corp. exponit, duobus modis conscientiam erroneam ligare. Prior modus ad scopum præsentem non pertinet. Posterior modus est: dico etiam, inquit, quod conscientia recta per se ligat; erronea autem per accidens; quod ex eo patet. Qui enim vult, & amat unum propter alterum, illude quidem, propter quod amat reliquum, propter se amat; quòd verò propter aliud, quasi per accidens: sicut qui vinum amat propter dulce, amat dulce per se, vinum autem per accidens. Ille autem, qui conscientiam erroneam habet, credens, eam rectam (aliàs non erraret) & inhæret conscientiæ erroneæ propter rectitudinem, quam in ea credit esse, inhærer quidem per se loquendo rectè, conscientiæ, sed erroneæ quasi per accidens, in quantum hanc conscienriam, quam credit, esse rectam contingit esse erroneam. Et exindè est, quod per se loquendo, ligatur à conscientia recta: per accidens verò ab erronea. Hæc S. Doctor, quæ confirmat ex Ethic. 7.

Ex his respondet ad argumenta: an primum, quod quamvis id, quod dictat conscientia erronea, non sit consonum legi, Dei, tamen accipitur aberrante, ot ipsa lex Dei: & ideò per se loquendo, si ab hoc recedat, recedit à lege Dei; qoamvis per accidens sit, quod à lege Dei non recedat. Ad tertium similiter respondet, conscientiam illam contrariam legi Dei dictare, eam esse legem Dei: & ideo transgressor illius conscientiæ transgressor efficitur legis Dei: quamvis conscientiam

ſcientiam ſequens, etiam mortaliter peccet, &c. Hactenus S. Doctor. Ab his ſanè curis, & difficultatibus exemerunt ſe, qui vel quæſtiones haſce de conſcientia erronea faciunt de ſubjecto non ſupponente; vel qui poſitis his erroribus conſcientiæ præſto habent voluntatem illam conſequentem ampliſſimam legum omnium quaſi derogativam, & injunctivam eorum, quæ conſcientia errans credit bona. Sunt novitates inanes, & falſæ, & ab omni Theologia exorbitant.

Sed ad doctrinam S. Doctoris replicabitur, eam totam eſſe falſam; nam in vino dulci, quo exemplo rem declarabat, re vera datur & dulce, & vinum: non autem ſic in conſcientia erronea contingit dari conſcientiam rectam, quæ per ſe liget, & à qua per ſe devietur; & aliam erroneam, quæ per accidens liget, & à qua per accidens devietur; ſed una ſola eſt conſcientia tota erronea: nulla ergo conſcientia recta, nulla lex Dei aut ligat, aut violatur. Et confirmatur; quia errans ligatur à conſcientia, quam habet; non ab ea, quam non habet, ſed vel aliàs haberet, vel alius habet: ſed quam habet, & ſolùm erronea. Ergo.

Præterea quia in conſcientia erronea de mendacio dicendo nulla intervenit lex Dei, ſed ſolùm exiſtimata, & falsò credita: ſed lex Dei magis quam panis exiſtimatus ſolùm, vel ſomniatus ſit panis: ergo nulla intervenit lex Dei; ergo violando conſcientiam non violatur lex Dei. Et confirmatur, quia aliàs oſtenſum eſt, ſolùm exiſtimatione talia non eſſe ſimpliciter talia cùm ergo nulla ſimpliciter lex Dei interſit, & violetur, ſola intervenit, violabiturque conſcientia cum ſua exiſtimatione; quod totum parvum quid, ut, propterea incurratur peccatum ſaltem mortale ut diſputare ſolent Theologi; ubi probant: ſine cognitione legis Dei non peccari ſaltem Theologicè loquendo. Ergo vel conſcientia errans non ligat; vel concedendum eſt præceptum Dei jubens, ut illam ſequamur.

Poſtremò, quia Deus dupliciter præcipere poſſet ſequi conſcientiam erroneam. Uno modo ex ſuppoſitione ejus in particula præcipiendo, ne mentiri; quia conſcientia ita dictat. Alio modo antecedenter, & in univerſali præcipiendo, ut conſcientiam noſtram ſequamur, ſive recta ſit, ſive erronea, quam tamen rectam eſſe credimus. Eſt itaque, quòd priori modo præcipere. Nam cum in ſcripturis ſuis Deus jubet non peccare, & peccantibus pœnas minatur, vel comprehenduntur peccata; quæ contra conſcientiam erroneam fiunt, aut fierent, vel non comprehenduntur? ſi non comprehenduntur, ſanè propter illa nemo damnari poterit: ergo non ſunt peccata. Si verò cum cæteris peccatis hæc etiam comprehenduntur: ergo etiam hæc jubet vitare, & non vitantibus pœnas præſcribit. Ergo datur ſaltem præceptum Dei univerſale, ac in univerſali jubens, ne contra conſcientiam etiam erroneam agamus: ſed contra eam non agere eſt ipſam ſequi: ergo datur præceptum ſaltem univerſale Dei jubens in univerſali, conſcientiam etiam erroneam: ex quo univerſali facile deindè probare aliud particulare.

Hæc, & alia negotium faceſſunt; ubi, & in ſingulis penè quæſtionibus planè vides, quam impares ſint Theologiæ morali tractandæ quidam Moraliſtæ, qui commentarios in Logicam vix, aut ne vix quidem auderent edere: & tamen in moralem Theologiam manus inferunt, & volumina edunt; quorum certè dictum nihil ſignificat. Nihilominùs difficultates iſtæ neminem movere debent ad dicendum; quia ad verbum probant etiam de conſcientia erronea vincibili: Deus porrò jubere nequit hanc ſequi; quia peccatum eſt ipſam ſequi.

§. IV.

Expeditur difficultas propoſita retinendo doctrinam S. Thomæ.

Cauſa quidem eſt omnium, in qua, ſi ea non placebunt, quæ dicemus, meliora quærantur. Dicebat itaque S. Thomas, in conſcientia erronea ligante conſcientiam rectam ligare per ſe; erroneam verò per accidens; & in deviatione ab illa per ſe deviari à conſcientia recta, & ab erronea per accidens. Quod nunc ex illis ejuſdem Doctoris, communibuſque principiis eſt exponendum, & ab objectis vindicandum.

Primò ſic. Conſcientia, ex S. Doctore, & juxta Theologos communiter formatur quodam ſyllogiſmo vel formali, vel virtuali, ſed reducibili ad formalem, nec una ſola propoſitione aut concludit: aut obligat. Diceret tibi tua conſcientia; hoc præcipit Deus: hæc ſanè propoſitio ſola non concluderet, nec obligaret; diceres enim. Deus hoc præcipit, ſed quia indè? ſicut ſi Petrus, qui tuus ſuperior non eſt, præciperet aliquid, diceret tibi, Petrus hoc præcipit, reſponderes, quid indè præcipiat quantum vult. Ut ergo propoſitio illa concludat, & obliget, ſumenda eſt alia propoſitio univerſalis dicens, Deo præcipienti obediendum eſt.

Hinc patet, in qualibet conſcientia erronea intereſſe interveniſſeq; partē rectam, nam conſcientia obligans ad mendacium ſic formatur, Deo præcipienti obediendum eſt, & faciendum, quod præcipit: ſed Deus præcipit nunc mentiri: ergo mentiendum eſt, Vides, in hac conſcientia totam propoſitionem majorem eſſe veram, & rectam. Hinc ergo conſcientia erronea ligat per ſe; & adjunctus error ſe habet per accidens, ſicut vinum in dulci: atque eodem modo non ſequens conſcientiam erroneam violat illam propoſitionem majorem, & partem rectam per ſe; & per accidens partem erroneam.

Ubi ſcitur, in ſyllogiſmis compoſitis propoſitione univerſali, & particulari vim, ac virtutem vel omnem, & ferè omnem conſiſtere in univerſali; particularem verò ſe habere per modum cujuſdam applicationis, determinationiſque; atque idcircò ex puris particularibus nihil ſequitur, aut concluditur, ut aiunt Logici. Undè in ſyllogiſmo conſcientiæ erroneæ tota, vel ferme tota vis, virtuſque concludendi, & obligandi reſidet in ea univerſali vera dicente, faciendum eſſe, quid Deus præcipit; & minor falſa ſe habet per modum cujuſdam applicationis; ac determinationis ad materiam particularem. Veriſſimè ergo conſtituebat S. Thomas, conſcientiam rectam eſſe, quæ per ſe ligat, ſeu erroneam, quà recta eſt, ligare per ſe, quà erroneam verò per accidens: & ſic etiam peccatur per deviationem à recta per ſe loquendo.

Quæ ut clariora fiant, ſicut conſcientiam in ſyllogiſmum reducimus, ſic etiam voluntas tranſgreſſiva

transgressiva conscientiæ resolvenda est in duos actus, quos virtualiter imbibit ea voluntas; nam quandò proposito per errorem præcepto Dei mentiendi, non vult quis mentiri; in hoc ipso clauditur voluntas non faciendi quid Deus præcipit; quæ est contraria illi propositioni universali conscientiæ dicentis; faciendum esse quidquid Deus præcipit: atque in hoc formalissimè peccatum consistit.

Et confirmatur, explicaturque ex sensu Theologorum. Nam quærunt ad quam speciem peccati pertineret transgressio conscientiæ erroneæ. v. g. non mentiri? Et certè nullam peccatorum speciem inveniunt, ad quam pertinere possit: & ideò dicunt, solùm pertinere ad generalem rationem inobedientiæ. Sumitur hinc: ergo transgressio illa non est peccatum, quia est non mendacium; alioquin pertineret ad speciem mendacii; sicut transgressio rectæ conscientiæ non mentiendi non solùm ad rationem generalam inobedientiæ, sed etiam ad particularem speciem mendacii. Ergo transgressio conscientiæ erroneæ mentiendi non est peccatum, sicut transgressio rectæ conscientiæ non mentiendi. Et discrimen est quia; transgressio rectæ conscientiæ non mentiendi non solùm opponitur conscientiæ in universali dicenti, faciendum esse, Deus præcipit; sed etiam in particulari verè dicenti, Deum præcipere non mentiri; seu meliùs transgressio rectæ conscientiæ non mentiendi non solùm opponitur legi Dei in universali, & universali, sed etiam in particulari, & particulari; transgressio verò conscientiæ erroneæ solùm opponitur legi Dei in universali, & universali; particulari autem potiùs conformatur. Ideò altera transgressio speciem peccati habet, quæ pertineat, & altera non habet, & solùm ad inobedientiam generalem, & omnibus peccatis communem pertinet, & sua species est non habere prætereà speciem.

Exponitur magis. Haberet quis voluntatem non faciendi quidquid Deus jubet, nullam determinando materiam, & sic in universali, & quasi in aere. Proculdubiò peccaret mortaliter: & hoc peccatum ad nullam speciem particularem peccati pertineret; & verè tamen esset transgressio divinæ legis non in particulari hujus, vel illius, sed in universali, & vagè. Sed in transgressione conscientiæ erroneæ obligantis clauditur, & imbibitur similis quædam voluntas non faciendi, quidquid Deus præcipit. Verè ergo erit transgressio divinæ legis in universali, determinata per accidens ad materiam per reliquum voluntatis non mentiendi: ex quo tamen non habet, ut sit peccatum, sed ex quo est voluntas non faciendi, quidquid Deus jubet, & præcipit.

Nec hujusmodi transgressor conscientiæ erroneæ dicere potest, se non habere ejusmodi voluntatem; nam convincitur habere dicendo, Deus jubet te mentiri (ita quippè ipse credit) sed non vis mentiri: ergo non vis facere, quidquid Deus jubet. Qui Syllogismus facilè propositione universali donatur. Ergo hic transgressor habet eam voluntatem. Ergo est verè transgressor divinæ legis. Atque ex his patet responsio ad ea, quæ contra doctrinam S. Thomæ objecta sunt.

Hinc etiam exponi potest, quo pacto in idololatria imbibitur aliqua cognitio verè Dei: item quo pacto juramenta per falsos Deos facta obligent, & falsa quæque religio, ut Judaismus, Mahometismus, obligent Sectatores suos juxta illud Apostoli ad Gal. 5. *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.*

§. V.

Quia nec in rebus quidem indifferentibus intervenit præceptum; operatio tamen conformis conscientiæ erroneæ est bona.

Non solùm Deus sibi conscientia, & à se prohibita, quandò conscientia in talibus errat jubere propter errorem nostrum non potest, sed nec in indifferentibus, quæ præter legem suam sunt, quando in eis errat, conscientia, & jussa esse credit, quæ jussa non sunt, ideò Deus novo quasi præcepto propter errorem conscientiæ ea præcipit: verè enim omnes viæ Dei sunt misericordia, & veritas; & Christus via simùl, & veritas est, & falsis nullis se commiscet, qui totus verus, & veritas ipsa est. Jam longè à via absunt Recentiores illi, quorum memini, qui Legislatorem Deum errorum nostrorum quasi Pædagogum effingunt, & si erramus circa jussa, jam desinet jubere, quod jusserat; & si non jussa credamus esse jussa, mox & hæc jubet ipse, & præcipit. Hoc quid, precor, est aliud, quam volubilem, versabilemque quemdam Legislatorem commiscisci, & Deum supremum Legislatorem non modò rationi nostræ, sed erroribus etiam nostris subjicere: nobisque Primatum usurpare, & ea jussa apud Deum sint, quæ jussa esse nos falsò existimamus, & non jussa, quæ arbitramur, non esse jussa? Et sic si Judæis credat, ut plerique eorum credunt, Judaismum esse jussum, verè illis Judaismum jubet, & sic verè legem Dei servant, & sic Turcæ, & hæretici, & errantes omnes, qui à sua conscientia erronea ligantur: quæ certè nobis somnia esse videntur.

Hæc, & alia longè à vero absunt, & sive erremus, nos, sive delyremus, Deus ipse idem est, & lex sua una, voluntas eadem, præceptaque. Supposuerunt proindè in his Theologi, sermonem esse de conscientia erronea sive contraria legi Dei, sive prætergressiva legis Dei. Quod si posito errore nostro, jam Deus id ipsum præciperet, conscientia desineret esse erronea per conformitatem ad hoc novum præceptum, & legem: undè quæstiones de conscientia erronea de subjecto non supponente. Ergo nec in contrariis legis suæ; nec in prætergressivis, & indifferentibus conscientia desinit esse erronea, quidquam jubet, quod de suo non jussisset, quia nos sic, vel sic erramus. Quæ desino amplius confirmare.

Nihilominus quia timere culpam, & ubi nulla culpa est, animarum est bonarum, ut dicit Gregorius: sicut non talium non timere etiam, ubi est, nos part. 1. quæst. 4. favimus harum bonarum mentium erroribus, ut diximus, earum voluntatem, & operationem conformem conscientiæ erranti in indifferentibus esse bonam, & meritoriam, remque ibi, ut potuimus, explicavimus.

Nunc verò ex dictis §. præc. declaratur; quia similes actiones, & voluptates in primis nulli legi Dei sunt contrariæ in particulari, aut ullo modo; aliundè verò sunt conformes legi Dei in universali,

universali est, in voluntate elevandi festucam, quia id à Deo præceptum esse creditur, claudituur voluntas illa universalis obediendi Deo. Sicut ergo transgressio conscientiæ erroneæ ex contraria voluntate universali non obediendi efficitur mala, & transgressiva legis Dei; sic voluntas universaliter obediendi per conformitatem legi Dei in universali, & nullam contrarietatem illi in particulari efficietur bona. Et confirmatur; quia in indifferentibus cessant inconvenientia, quæ in prohibitis, maximè verò in per se malis cernuntur: & in casu conscientiæ erroneæ de elevatione festucæ nihil apparet, cur Deus verus Author, & remunerator esse non possit voluntatis, & actionis.

Rursùs confirmatur; qnia in per se bonis error facti nihil derogat veræ virtuti, & honestati, ut cum pauperem quem credimus esse, qui non est, & eleemosinam elargimur, vel cum pauper esse creditur, & Christus ipse est ut, B. Martino, aliisque contingit. Horum porrò, & similium honestas non ex errore facti sumitur, sed ex recto, veroque judicio, quo dicitur, pauperi subveniendum esse. Sic ergo & indifferentibus exponi poterit rectitudo, honestasque operationis, & voluntatis conformis conscientiæ erranti.

Sed prætereà etiam par. 1. loco citato explicuimus, quomodò error quoque ipse in indifferentibus habeat aliqnid veri. Neque hæc sententia repugnare videtur D. Thomæ 1. 2. quæst. 19. ar. 4. ad 1. Nam licet bonam, ut ex Dionisio assumit, sit ex integra causa; malum verò ex singularibus defectibus; ideòque ut voluntas mala sit, ut sive legi Dei, sive conscientiæ opponatur (esto, invincibiliter ignoranti malitia non imputetur) non tamen, ut si bona, necesse est, nt sit voluntas boni, sed satis est, si sit voluntas rei indifferentis, & non malæ; nam de facto citra errorem ullum honestè operamur circa indifferentia. At error, & additio illa falsa, qua indifferentia pro ponit ut obligatoria, nihil videtur detrahere reliquæ voluntati: & error sehabebit per accidens, & materialiter, ut sup. §. declaratu m est. Non est ergo, cur voluntas & operatio honesta non evadat.

Et tota doctrina videtur etiam confirmari ex regula communi dicenti, bono etiam malè fieri posse; malo benè non posse; indifferentia verò & benè, & malè fieri posse. Ergo mala nunquam benè fiunt; indifferentia verò possunt; cum præsertim adjunctus error nihil deroget.

Sed dices ad hominem; nam diximns, intelligentiam esse quæstionis, quod in conformitate ad regulam non rectam, sed erroneam rectitudo voluntatis, & operationis quæratur; & forè alioqui, quod conscientia erronea sit, ut supponitur, & non erronea, sed recta; quia rectè regulat. Sed conscientia erronea etiam in indifferentibus est erronea. Ergo voluntas, & operatio ei conformis, non est recta, nec honesta.

Propter hæc, & alia facile tenere quis poterit, voluntatem conformem conscientiæ erranti, nec indifferentibus quidem esse bonam; & certius sanè nobis est. voluntatem sic conformem in malia non esse bonam, quam esse bonam in indifferentibus. Nihilominùs ad objectionem respondemus conscientiam erroneam, non qua erroneam, sed qua rectam reddere voluntatem bonam in indifferentibus juxta explicationem datam.

Quod si dicas. etiam in malis, & prohibitis eodem modo rem exponi posse. Respondemus, non posse; tum propter alia inconvenientia significata, tum quia in malis, licet voluntas conformis conscientiæ erroneæ sit voluntas obediendi, & conformis legi Dei in universari, est tamen contraria legi particulali; ideòque materialiter saltem mala: neque alia quæstio de ea superest, quam utrum malitia imputanda sit, vel non sit? id est, an excusemur, vel non excusemur? Et hoc est, quod S. Thomas dixit ex Dionisio, malum ex quocumque defectu, id est, vel ex contrarietate ad legem, vel ad conscientiam; at ad merendum opua non est, ut sit ex lege, ut patet in bonia superogationis, & etiam in ipsis indifferentibus.

Hæc intelliguntur exemplo. Haberet quis arbores, quarum partem sterilem quidem vellet cædi; aliam non cædi; nec tangi & conduceret aliquem, qui tamen per errorem omnes prorsùs arbores amputaret; profectò hic plusquam debuit, laboravit; stultitia tamen foret si non solùm excusationem, sed prætereà meridiem etiam vellet propter cessionem illam factam contra voluntatem Domini. Haberet autem alter totam sylvam abscindendam; & ad partem solùm aliquem conduxisset; qui tamen existimans per errorem se ad totam obligatum amputaret totam. Sanè ei ex justitia nihil deberetur, nisi pro parte illa, de qua contractum fuerat; nihilominùs rem Domino gratam fecisset, mercedeque aliqua dignns esset. In hunc modum qui contra voluntatem, & legem Dei ex errore agit, mercedem quærere non potest; secùs qui per errorem excedit. Atque hæc de hoc libro satis.

rò de his fit, syllogismis illis reflexis ex probabilitate, vel etiam ex ignorantia invincibili cudunt, & eliciunt dictamina certissima, infallibilia, & evidentia conscientiæ, quibus habitis evidens unicuique fit, se non peccare, quin honestè agere, quantum saltem attinet ad doctrinam. Ex quo fit, ut unusquisque privatus Doctor, Magisterque morum sit certissima, & infallibilis regula rectitudinis morum, & salutis.

Egi fusè ea *quæst.* 7. in istam philosophandi viam, atque ad extrema quædam, ut nobis quidem videtur, inconvenientia, absurdaque eam deduxi; ex qua scilicet fiat, & sequatur, parem, æqualemque esse autoritatem doctrinalem privatorum quorumque Doctorum, ac Magistrorum conscientiæ, & morum autoritati doctrinali Romani Pontificis Conciliorum generalium, Ecclesiæ, & Apostolorum, atque ipsi etiam autoritati Domini; sive enim Ecclesia aliquid morum definiat, sive Paulus Apostolus de Cœlo missus loquatur, & decernat; sive Dominus ipse casum conscientiæ infinita sua sapientia resolveret, hoc unum suis autoritatibus efficerent, ut certò, evidenterque nobis constaret, & nos non peccare, & rectè, honesteque operari eas autoritates sequendo. At hoc idem nobis certò, evidenterque constat, ut ajunt, quoties sequimur autoritatem privati cujusque Doctoris, & Magistri morum. Par ergo, & æqualis, ac proindè nimia, exorbitansque autoritas tribuitur Magistris, Doctoribusque privatis morum.

Dilieci autem eam solutionem, quòd Romanus Pontifex, vel concilium generale, vel Ecclesia, & Paulus, & Deus in doctrina morum errare non possint: Doctores autem privati quanticumque possint. Primùm enim, hoc dixi satis esse mirabile, quod Ecclesia, Paulus, & Deus nisi vera dicendo regulę indefectibilis conscientiæ nō sint; Doctores verò privati etiam errando, ac ubi errant, & falluntur, sint; atque tam recta operatio ex horum falso sequatur, atque ex vero Ecclesiæ, Pauli, & Dei. Illud item dixi mirabile, quod ut Ecclesia in doctrina fidei, & morum certa, ac infallibilis regula rectitudinis morum esset, opus fuerit privilegio speciali assistentiæ spiritus sancti eam donare; & tamen Doctores quique privati citra omne tale privilegium, & solo concursu generali Dei, quem solùm habent, quandocumque falluntur, ac falsas opiniones etiam probabiles, falsaque responsa reddunt, sint certa, atque infallibilis regula morum, id est, quos sequendo peccari minimè possit; quin quantùm ad doctrinam attinet, rectè etiam, ac honestè operetur.

Dixi prætereà, errare, vel non errare nihil interesse in doctrina morum, si errando, & non errando par, & omnimoda certitudo non peccati; par item, ac omnimoda certitudo, & evidentia rectitudinis, honestatisque morum superest, ostendique, minùs nostra, & Ecclesiæ interesse errores materiales morales, quàm geometricos, si in erroribus etiam beneficio reflexarum, vel alio privilegio salva est tota quanta moralis innocentia, & rectitudo morum, ut eo loco copiosè tractatū est.

Ostendi consequenter, quoad extensionē quasi bipedi viæ hęc duplò ampliorem autoritatem doctrinalē conferre Doctoribus privatis, quā Ecclesiæ, Paulo, vel Deo. Nam probabilia, quibus tot libri morales pleni sunt, cum constent assertionibus contrariis vel contradictoriis, pro medietate falsè, quod Logica demonstratione constat, indubitanter falsa sunt: in qua proindè tanta multitudine rerum Ecclesia, Paulus, & Deus in media duntaxat parte regula indefectibilis esse possunt, Patet hoc; quia solùm in veris regula esse possunt, neque Paulo morum scientia infusa, & beata conferro, neque Deo, qui falsitatem evidenter conspicit, est recursus ad reflexas etiam juxta adversarios; nec item Ecclesia est Judex reflexus, sed directus veri, & falsi, nec regula reflexa, sed directa morum. Ergo Ecclesia, Paulus, Deus in media solum parte regula esse possunt, scilicet in vera. At Doctores privati sunt regula quin certissima regula in parte etiam falsa, quæ quippè est probabilis. Ergo duplò amplior, certe longè extensior autoritas doctrinalis tribuitur Doctoribus privatis morum, quam Ecclesiæ, Paulo, vel Deo.

Ex his illud etiam intuli, in tota quanta doctrina morum nullo opus esse recursu ad Sedem Apostolicam; nihil item in ea necessariam solicitudinem, curamque Pastoralem: nam habita immunitate à culpa, & honestate prætereà, ac rectitudine, sanctitateque morum, nibil reliqua in moribus nostra intersunt, nec Deus aliud curavit, nec in alium finem Evangelium, Pastores, Doctoresque dedit, nisi ut honestè; sanctèque viveremus. At certò, infallibiliter ac evidenter, ut ajunt immunes à peccato sumus, & rectè, sanctèque etiam vivimus, quoscunque Doctores privatos sequendo, sive per viam probabilitatis sive per viam ignorantiæ invincibilis, sine ullo recursu ad Sedem Apostolicam, & Ecclesiam; etsi Pastores omnes curam omnem doctrinæ abjiciant, & dormiant, certissimè, & evidenter non peccamus, & quantum ad doctrinam attinet, sanctè vivimus alios quosque Doctores consulendo, vel quia illi graves sunt, & autoritate sua omne dictum suum continuò probabile reddunt; vel quia graves saltem esse quærentibus videntur, & ignorantes discernere non possunt; ex quo ipsorum ignorantia invincibilis fit: operatio autem conformis conscientiæ etiam, & rationi erranti invincibili, ut ajunt, recta, & sancta est. Nullo ergo recursu, nulla solicitudine, & cura opus est: quod utinam nimis in morum non abierit; nam videmus quidem magnam partem juris Canonici responsis olim Romanorum Pontificum constitutam; jam autem hodiè quis sedem illam supremam interrogat? & quorum sanę interrogem, si Theologi gravis habito responso tam certò, & evidenter non pecco, quin & rectè, honesteque ago, atque si expressa Sedis Apostolicæ, & Petri ipsius jussa, responsave exequerer. Prodeunt sanè bullæ Apostolicæ: at Theologi gravis; qualis fermè omnibus Theologus suus, Confessorque videtur, interpretatio quæque non minùs tuta est, atque bulla ipsa, hoc est; certissima evidentissimaque regula esse fertur.

Objeci huic probabilitatis, ignorantiæque quasi inconvenientia, quæ Ecclesiæ ordinem, Hierarchiamque à fundamentis quatere videntur: in quibus sanè si erto, plurimùm errem, ac facilè ab aliis deprehendar, & refellat, necesse est, & promptissimè accipiam: sin verò non errarem, quanta Sedis ipsius Apostolicæ, Pastorumque reliquorum solicitudine opus fit?

Ignorantia profectò mea ea est, ut post annos etiam nihil occurrerit, quo pro adversa parte respondenderem; scient sanè ipsi causam suam tu-

tius vindicare; quod cum fecerint, nihil disputatio ista nostra quemquam commovebit. Illud porrò inane est, quod à quibusdam teponi audivi ad quæstionem illam 7. eam scilicet elidi aperta, manifestaque instantia. Etenim quicumque Theologus, ajunt, qui eam docendi rcspondendique formam attiperet, ut semper, ac in omnibus aut singulis ad tutiorem partem obligaret, esset certissima, & infallibilis, evidentissimaque regula morum: ex quo par, æqualisque ejus autoritas foret, quibus suis quantiscumque Ecclesiæ etiam, & Dei Autoritatibus. Hoc opponunt, & dicunt: quid verò inferant, nescimus. Id inferendum sanè videtur, absurdum scilicet non esse, sed verum privatum Theologum esse certam, infallibilem, evidentemque regulam rectitudinis morum: nec consequentet absurdum esse, sed verum, privati hominis autoritatem doctrinalem esse parem, æqualemque autoritati Ecclesiæ, & Dei: quæ monstra, & portenta sunt.

Hæ responsiones, fateor, numquam nobis occurrissent; quas quippè objecta inconvenientia deglutiant; quod vel privatus ullus Doctor indefectibilis, evidensque regula sit rectitudinis morum; vel ei par æqualisque cum Ecclesia autoritas doctrinalis tribuatur: non enim quomodò his admissis, quæ admitti minimè possunt, responderetur; sed quomodò illa vitari possent, meditatum à nobis est, & à cordato quolibet faciendum esse, arbitrabamur.

Stulti igitur illius, quem opponunt Theologi non solùm par Ecclesiæ, & Deo non esset, sed nulla prorsùs esset autoritas doctrinalis; qui nimirùm non doctrinæ, sed potiùs non doctrinæ, quamque idiota quisque arripere æquè posset, viam docendi, respondendiq; arripetet hoc unum ad omnia, & singula dicendo, ut pars tutior sequeretur. Deindè non bonus, sed pravus hoc ipso Doctor esset, & peccaret gravissimè; nam addere, & detrahere; ad dexteram, vel sinistram declinare prohibiti sumus, ut sæpè dictum est, atque ad ipsam præcisè veritatem, hoc est, legem tenemur: undè ille esse tutiora quæque imperans, novusque Legislator peccaret per additionem. Peccare etiam in hoc quoque ipso posset, qui ex ejus hoc errore tam erroneam, sibique adeò periculosam conscientiam formaret, vivendique legem contra legem Dei institueret.

Numquam rursùs contra nos id consequentur, ut sive via doctrinæ, sive non doctrinæ ullus sibi, aut aliis sit irrefragabilis, & certa regula rectitudinis morum; ullus, inquam, privatus Doctor, vel non Doctor. Ecce enim ille, quem ponunt, Theologus decrevit tutiorem semper partem docere, & tradere; ille tamen in hoc ipso errate, fallique, & fallere potest, ut malum bonum, & bonum malum existimando, tutiorem eam partem habeat, quæ tuta non est, & intutam illam, quæ potius obligatoria sit. Atque hujus generis est omnis conscientia erronea vincibilis, & ligans, seu obligans, de qua tories S. Thomas ac graves quique Theologi scripserunt, quæ scilicet tamquam obligatorium proponit aliquid contra legem Dei: & peccatur hoc sibi visum tutius sequendo, quod præter quosdam Recentissimos nemo Theologorum ignoravit, ut constat ex lib. præc.

Et quoniam ista quasi nostra, & non sapientium omnium essent, imperitioribus peregrina videntur eisdem sæpè iteratis exemplis declaranda, ingerendaque sunt. Sic ergo Doctores primùm Judæorum tutiorem, & obligatoriam partem esse censebant, & docebant, tradebantque oppugnationem, atque persecutionem Ecclesiæ; & tamen peccabant ipsi, & peccabant sequentes: Arrianorum similiter Doctores, Episcopique expressam Dei, obligatoriamque doctrinam esse censebant, inæqualitatem, & inferioritatem Filii Dei, atque hanc ipsorum judicio tutiorem, atque obligatoriam partem tradendo peccabant Magistri: & sequendo discipuli: atque ita fermè est de hæresibus omnibus. Sic igitur etiam in moribus multa traduntur tanquam obligatoria, vel pro tuendo honore, vel pro recta administratione patrimoniorum, & similia: in quibus nec repugnat errare, nec repugnat vincibiliter errare, & docentes, & sequentes peccare, ut copiosè ex consequentibus quæstionibus constabit. Nulla ergo subtilitate id apud nos unquam obtinebunt, ut nullus privatus Magister, & Doctor conscientiæ, & morum sit indeficiens, certaque regula, vel servandæ innocentiæ, vel habendæ rectitudinis morum. Qui sanè Doctores si in Ecclesia essent frustrà esset, quod Dominus, aut Sedem Petri, aut Ecclesiam suam speciali, infallibilique assistentiæ suæ privilegio donaret.

Ratio porrò horum omnium in doctrinæ nostræ serie est perspicua. Nos siquidem sive religionis, sive morum regulam unicam constituimus sacro sanctam veritatem. Sed nullus quantuscumque privatus Doctor infallibilis in veritate; nam errare potest. Nullus ergo quantuscunque privatus Doctor est infallibilis regula sive religionis, sive morum. Confundunt quidem aliqui, quod pinguium nimis animarum esse videtur, regulam, & ignorantiam invincibilem, & jam alterum, quasi unum, idemque essent, reponunt; cum tamen nemo eo usque deciperit, ut vel quæreret utrum ignorantia invincibilis, vel conscientia erronea invincibilis esset regula morum? Et qui hoc quæreret, terminos certè non caperet. De conscientia itaque erronea, & de ignorantia nihil unquam de regula quæsitum est, sed id solùm utrum excuset, vel non excuset. His igitur duobus, quæ velut Cœlum, & terra distant, distinctis, dicent, Doctorem quemque privatum, quandoquidem errare potest, certam, indefectibilemque regulam non esse; at ei concedendum saltem esse, quod in omnia dicta sua falsa pro sequentibus illa inducat, effundatque ignorantiam invincibilem; quemadmodum Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Verùm nec hoc ferendum est; quia ex tota doctrina nostra una veritas est regula non solùm rectitudinis, & honestatis morum, sed etiam non peccati, & innocentiæ quasi negativæ. At quilibet privatus Doctor errare in veritate potest. Ergo nec effundit, & refundit ignorantia invincibiles in omnia dicta sua falsa: quod quia aliqui nimis repugnant, operosè item stabiliendum est.

Sed verò saltem quoad regulam eadem adest difficultas, & ratio fermè dandi apud adversarios. Nam ajunt, probabilitatem esse regulam. Ergo, quod nullus cordatus hactenùs pronuntiavit, vel dicere debent, Doctorum, & Magistrorum quorumque, quin etiam Confessorum dicta omnia esse probabilia; vel saltem de vulgaribus Magistris quales plerique sumus, fateri debent, non omnia, & singula dicta nostra, quia à nobis discunsur, esse continuò proba-

probabilia. Ergo regulæ saltem indefectibiles morū non sumus. Undè montē illū superare ipsi quoque debebunt, quomodò scilicet indocti inter Magistros graves, & leves, inter dicta probabilia distincturi sint, inventuri probabilitatem, & regulam? Quid ergo toties inclamant in nos, quomodò, & undè inventuri sint, & agnituri veritatem? De quo sæpè dictum est, & iterum, atque iterum dicetur; quia quod tam sæpè, & ad singula objiciunt, tam sæpè refellere necesse est. Alius nescio quis in Theologia Novitius, & pedestris ingenii Doctorellus respondit, gravem Theologum esse regulam indefectibilem per accidens Ecclesiam verò, & Romanum Pontificem per se. Terminos non intelligit; nam ad hanc qualitatem, *Theologus gravis*, & ad hos formales terminos tam per se sequitur, & inseparabiliter, indefectibiliter ea indefectibilitas; & impeccabilitas; quam ad hanc qualitatem, & ad hos terminos, *Romanus Pontifex, vel Paulus Apostolus*, & ad calidum calefacere: licet ipsi homines potuerint vel non esse Theologus gravis, vel Papa, vel Apostolus. Et hoc satis pro Novitio.

QUÆSTIO II.

Nullus ergo Doctor privatus ab excellentia sive status, sive ingenii, aut aliunde præservatus est à peccato in suo officio, & in docendo quoad doctrinam fidei. Nullus ergo, quem sequendo peccare alii non possint.

Hoc Magistrorum, Doctorumque quoad fidem exemplo, in quo Catholici omnes consensuri videntur; gradum faciendum existimavi ad Magistros, Doctoresque morum, ut indè cogam adversantes aliquos idem prorsùs admittere, faterique in doctrina morum, quod seq. quæst. tractabitur.

§. I.

Sensus quæstionis, & terminorum explicatio.

Loquor primum de Doctore, Magistroque privato. Est porrò valdè usitata locutio ista, ubi de Romano Pontifice tractamus, distinguimusque omnes, & dicimus aliud esse de Romano Pontifice tamquam de Doctore privato, aliud de eodem tamquam de Doctore publico statuere: atque primo modo errare eum saltem in doctrina morum posse: secundo modo non posse, verissima, indubitataque mihi sententia est: & qualiter, & undè utrumque intersit, & differat, est sanè explicatu satis facile.

Unū ergo hunc publicum Doctorem Ecclesiæ, cui specialem spiritus sancti assistentiam, ne docendo erret, tribuimus, sive veriùs à Domino concessam tenemus post consignatum totum novum testamentum, in quæstione excipimus, & singulos alios homines, & Doctores comprehendimus, id est, omnes eos, quibus specialis illa assistentia concessa non est.

Hinc comprehendimus omnes reliquos cujuscunque status, gradus, & ingenii Doctores sive in Academiis laurea donatos, sive librorum etiam plurimorum Autores, & quod plus est, eos etiam, qui in Ecclesia ipsa constituti sunt Pastores, & Doctores animarum, scilicet Episcopos, Patriarchas etiam ipsos. Item status omnes Ecclesiasticum, & sæcularem, & in utroque gradus quoslibet, & ingenii quanticumque Magistros.

Intulimus itaque, nullum horum præservatum esse à peccato in officio suo, & in docendo, nullumque esse, quem sequendo peccare alii non possint. Non dicimus, nullum esse, qui in officio suo, & in docendò non peccaverit; nec item dicimus, nullum esse, quem sequendo alii non peccaverint. Non hoc dicimus, sed de præservatione loquimur; atque de potentia peccandi, non de peccato: plures quippè in Ecclesia Dei extitisse arbitramur, qui nec ipsi quidem in docendo peccaverint, nec alii eos sequendo: quemadmodum plures graviter non peccarunt, tamen potuerunt.

Præservatio autem est duplex, alia, quæ ab actu solùm ipso, vel peccati, vel erroris præservat; alia, quæ ex aliquo privilegio, aut promissione Dei ipsa etiam potestas errandi, vel peccandi impeditur, & vi cujus saltem ex fidelitate debita sit præservatio ab actu. Et prima quidem præservatio est actus secundi; secunda actum etiam primum afficit. Atque de ista posteriori loquimur, eaque affecta primum est sancta Ecclesia, affecta Concilia Generalia, Romanus item Pontifex, & nullus alius post clausum, consignatumque Evangelium hoc est, novum testamentum.

§. II.

Veritas illationis ex dictis.

Constituimus hactenus part. 1. & opere nostro toto, unam veritatem esse regulam, & fidei, & morum. At omnes, de quibus tractamus, Doctores errare in primis possunt, & non verum, sed falsum in fide docere: & deindè facere hoc possunt, vel scienter, vel ignoranter ignorantia vincibili. Ergo peccare, in officio suo, atque in docendo possunt, peccat enim in docēdo, & in officio suo, doctor omnis, qui vel scienter, vel ignoranter ignorantia tamen vincibili regulam fidei mutat, & falsum pro vero docet. Quæ omnia videntur esse certa. Sed inquis: quid si res sit probabiliter de fide, & probabiliter non de fide? Peccabit etiam de quo tamen inferiùs. Nunc enim non tractamus, utrum Doctores privati peccare in officio possint in probabilibus, sed an absolutè possint.

Alirer sic illationem explicamus. Delibatum est quæst. præc. & ostensum latiùs part. 1. lib. 1. quæst. 7. Doctores privatos nimiam sibi autoritatem usurpasse, dum se regulas indefectibiles, & infallibiles constituunt vel non peccati, vel rectitudinis etiam, & honestatis morum: multisque ac multipliciter constat similium regularum excessus, & absurditas. Sed verò etsi has indefectibiles regulas circa mores adstruere quidam videantur, nemo tamen Catholicorum ausit, opinor dicere sub his terminis, privatum ullum Doctorem esse regulam indefectibilem fidei, sive quam tenendo, & sequendo peccari in fide non possit, sive rectitudo etiam ipsa fidei, & religionis habeatur.

Hoc, inquam, nemo Orthodoxorum aut tradidit, aut disputavit; quo videlicet posito, omnis necessitas recursus, & appellationis ad Ecclesiam Conciliave aut ad Romanum Pontificem caderet; atque omnis ejusmodi Doctor esset etiam visibilis, ac infallibilis judex rerum, & controversiarum fidei, everteretur que totus quantus ordo Hierarchicus Ecclesiæ. Dixit quidem non hoc sed minus de Hieronymo Cajetanus, dixisse fertur, Hieronymum quippè esse regulam fidei; qua de causa multi Cajetanum carpunt. Sed aliud hoc; & minùs est; non enim

repugnat, Hieronymum, similesque alios Doctores summos fuisse de facto ab omni errore in rebus fidei expressioris, ac etiam latentioris præservatos; quemadmodum alio opere, ubi de autoritate vulgatæ latinæ tractavi, prosecutus sum quæ fidei uniuscujusque integritas nobis ex judicio Ecclesiæ, approbationeque innotescat, & constet; quo etiam sensu Hieronymus ipse jussit, opera Hilarii in offenso pede decurrere. At hæc præservatio ab omni errore, quæ ad actum secundum magis pertinet, in primis de omnibus, & singulis dictis alicujus summi Doctoris certo, indubitatoque Ecclesiæ judicio nondum constat; quarè nullius opera certa regula, sicut Ecclesiæ definitiones sunt, sed potius Ecclesiæ judicio sunt subjecta: & deindè hi ipsi summi Doctores, etsi non erraverint, errare tamen poterunt, nec regulæ certæ, ac infallibiles fidei extiterunt. Quarè, quod tanquam primum Theologiæ principium S. Thomas tradit, nec autoritas Augustini, nec Hieronymi, si quandò desiderent, quidquam valet contra autoritarem Ecclesiæ; quæ sola est firmamentum, & columna veritatis, & quam unam Dominus invictam fecit adversus inferi portas.

Certa ergo, constansque conclusio est, nullum Doctorem privatum etiam summum esse certam, infallibilemque regulam fidei, quam scilicet sequendo vel peccare non possimus, vel certo & infallibiliter rectè etiam credamus, honestatemque, & meritum fidei consequamur. Cujus sanè totius dogmatis ea una causa est, & ratio, quam toto nostro opere prosequimur, quod scilicet una veritas sit regula; & fidei, & morum. Sed nullus privatus Doctor etiam summus est infallibilis, indefectibilisque in veritate fidei. Nullus ergo est certa, infallibilis, indefectibilisque regula fidei.

Undè quasi biceps illa doctrina, qua in doctrina morum quidam utuntur, jam probabilitatem, quæ regula sit; jam ignorantiam invincibilem, quæ à peccato excuset, usurpando, vel etiam commiscendo, saltem ad fidem applicari nequit. Primum enim dici nequit, esse Doctorem aliquem privatum, quæ autoritate sua omne suum de rebus fidei dictum reddat probabile; sit autem mox hæc ejus probabilitas certa, & indefectibilis regula non peccandi in fide, aut rectè etiam credendi.

Hoc nimirùm dici nequit; nam hoc est fermè idem illud pestilens dogma, quod plurimi sectariorum modò sequuntur, dicentes, quædam quasi summa, & capitalia de Deo, & Christo, in quibus omnes convenimus, esse prorsùs tenenda; reliquas autem controversias esse velut cõtroversias scholarum nostratum, nihilque interesse ad salutem, utrum sic, vel contrariè sentiatur. Ex dictis deindè arguendo nullus privatus Doctor ullius autoritatis est regula certa, infallibilis, indefectibilisq; fidei. Nulla ergo, qui autoritate sua omne suum de fide dictũ ea probabilitate donet, sit certa infallibilis, indefectibilisque regula fidei.

Atque hic videas reflexorum illorum syllogismorum robur. In primis enim cur non liceat similes etiam syllogismos de fide construere, & ex probabilitate evidentem, infallibilem, indefectibilemque regulam credendi depromere? Rursùs undè hanc propositionem *licet sequi opinionem probabilem in operando*, evidentissimam habent: hanc autem aliam, *licet sequi opinionem probabilem in credendo*, non evidentem, quin nec veram censent? Cur applicatio probabilis legis Dei prorsùs indifferens ad legem, & non legem per syllogismos reflexos in certam infallibilem, indefectibilemq; regulam rectitudinis morum converti potest, & eodem reflexo artificio applicatio probabilis verbi Dei prorsùs indifferens ad verbum, & non verbum in certam, infallibilem, indefectibilemque regulam credendi converti non potuit? Quam certè regulã si Ecclesia agnovisset, nihil opus fuisset veritatis eam adeò extitisse solicitam, omittereq; posse cõtroversias omnes de fide, ac nullã partiũ damnare: quo facto, superesset probabilitas, & indefectibilitas regulæ rectè credendi. Num ergo Deus gloriosus ipsam præcisè veritatem doctrinæ fidei haberi voluit; doctrinæ autẽ morum non ita? Sed de his hęc modò sufficiãt, & tota scriptura Dei repugnat.

Jam alia illa pars de ignorantia invincibili eodem modo repellitur. Etenim, ut est constitutum, nullus privatus Doctor est regula certa, infallibilis, indefectibilisque fidei. Nullus ergo, quem sequendo peccari in fide non possit. Nullus ergo, qui se sequentium, & errantium ignorantias, & errores fidei autoritate sua reddat, præstetque invincibiles, & ex toto à culpa excusantes. Domine alioqui Pastores possent, omnemque solicitudinem Pastoralem, ne oves mactarentur, perderentur; deponere, ut statim ampliùs demonstrabitur.

§. III.

Factis notoriis, autoritatibusque id ipsum demonstratur.

Immunitas illa, & quasi privilegium, quo Doctores privati sibi, & aliis certa regula credendi essent, vel saltem excusatio à peccato, sumi posset vel à præstantia ingenii, & dotium uniuscujusque, vel ex gradu aliquo in Ecclesia. Sed ex neutro capite sumi potest. Nuspiam igitur est apud Doctores privatos immunitas illa, & quasi privilegium; quo sibi & aliis certa regula sint rectè credendi, vel saltem à peccato excusent beneficio ignorantiæ invincibilis.

Et primò quidem à præstantia ingeniorum, & mentium ista privilegia desumi non posse, & si nihil ore clarissimo esset dicendũ, patet primùm, quia plerique Doctorum, Magistrorum non præstantis, excellentisque, sed vulgaris magis ingenii sunt, & ut Augustinus ex Tullio usurpat, magnorum ingeniorum, ac proindè paucorum est consuetudo non duci, scilicet magis quam vero, diximusque ex Aristotele, plerosque judicare, quemadmodùm consuevimus.

Deindè Hieron. in c. 10. Oseæ Proph. *Hæreticorum terra*, inquit, *fœcunda est, qui à Deo acumen sensus, & ingenii percipientes, ut bona natura in Dei cultum verterent, fecerant sibi ex his idola. Nullus enim potest hæresim struere, nisi qui ardentis ingenii est, & habet dona naturæ*, &c. *Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus: talis Bardesanes, cujus etiam Philosophi admirantur ingenium.*

Augustinus in psalm. 123. *Non enim putetis, fratres, quia potuerunt fieri hæreses per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreses nisi magni homines: sed quantum magni, tantum mali montes*, &c. *Venturi enim sunt homines*, & *dicturi tibi: magnus ille vir, & magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus? qualis est Maximianus? & nescis, Photinus qualis fuit? & ille Arius qualis fuit?* idẽ advertit. & notat in psalm. 35. & tract. 1 in Joan. sub initium, & alias. Non ergo sufficit ad immunitatem in fide: hunc celsissimę mentis magnũ virum sequor; ergo tutus sum; imò verò hæreses non nisi magni homines, quique à mundo maxime haberentur, invexerunt.

Rursùs

Rursus Augustinus epist. 52. *quadam acutissima, & excellentissima ingenia tantò in majores errores ierunt, quantò præfidentiùs tanquam suis viribus cucurrerunt, nec simpliciter ac veraciter Deum, ut viam sibi ostenderet, petierunt.* Basilius hom. 8. in exam. *quemadmodum nocturna aspectus, &c. sic secularium hominum, & hujus mundi sapientium mens acutissima quidem ad vanas res perspiciendas esse videtur; hebetissima verò, caliginemque referta ad ipsam lucem veram perspiciendam evasit.*

Egregium est hanc in rem totum aureum c. 22. Vincentii Lirinensis. *Dicebamus ergo in superioribus*, inquit, *quod in Ecclesia Dei tentatio esset populi error Magistri, & tantò major tentatio, quantò ipse esset doctior, qui erraret. Quod primum scripturæ autoritate, deinde Ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione, qui cum aliquandiù sanæ fidei forent habiti, ad extremum tamen, aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent. Magna profectò res, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria*, &c. ne scilicet fideles hac magna tentatione cadant, & se tutos arbitrentur, si Magistros privatos quantoscumque sequantur.

Sed, subdit, *ego ita arbitror, quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè sit, qui Origenis tentationi valeat comparari, in quo plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis facilè judicaret. Nam si vita facit autoritatem, magna illi industria, magna pudicitia patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio, eo nobilius, qui primùm in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio. Deindè pro Christo non solùm Patre, sed omni facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominica confessionis sæpiùs, ut ferunt, affligeretur.*

Nec verò hæc in illo sola erant, quæ cuncta posteà tentationi forent, sed tanta etiã via ingenii tam profundi, tam acris, tam eloquentis, ut omnes pœnè multum, longeq; superaret: tanta doctrinæ, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, pœnè fortassè nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitùs assequeretur, cujus scientiæ cum græca non crederent, hebræa quoque elaborata sint, &c.

Sed forsitan argumentorum tantummodò nexibus assertiones suas texuit. Imò planè nemo unquam Magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed credo, pauca conscripsit. Nemo mortalium plura, &c. Cui nequidquã ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabondavit æratis. Sed forsitam discipulis parùm felix. Quis unquam felicior? Nempè innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, Martyres exierunt. Jam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria quãta gratia fuerit, quis exequi valeat? &c. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantæ doctrinæ tantæ gratiæ verum facilè depoeeret aut non illã potiùs uteretur sententia, se cum Origene errare mallet, quam cum aliis vera sentire? &c.

Quamobrem hic idem Origines tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam christianæ religionis simplicitatem, &c. meruit, ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur: *si surrexit in medio tui Propheta*: & paulò pòst, *non audies*, inquit, *verba Propheta illius.* Hactenùs Lyrinensis.

Et cap. 24. de Tertulliano prosequitur; sed & *Tertulliani*, ait, eadem est ratio; nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facilè Princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis, atque humanis rebus exercitatius? Nempè omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, &c. mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pœnè ad expugnandum proposuerit, &c. & tamen hic quoque post hæc omnia, &c. meruit, ut de se quoque, & scripturis suis diceretur, *si surrexerit in medio tui Propheta*, & mox, *non audies verba Prophetæ illius.* Hæc inter multa de Tertulliano Vincentius.

Expresserat etiam cap. 16. quanti, quamque excellentis ingenii viri extiterint Photinus, Apollinaris, & Nestorius; atque hujus tentationis magnitudinem, & pericula exposuit c. 15. Regulam porrò huic tentationi resistendi, post ea, quę de Tertulliano memoraverat, confert cap. 25. Et voluot Moderni hoc, quod tentatio re vera est, in impunitatem convertere.

Patet ergo ex his simplici solùm rerum consideratione quadam, nullum esse in Ecclesia privatum Doctorem sive à præstantia ingenii, sive à copia doctrinæ præservatum à peccato, in doctrina fidei, & in docendo, quive sibi, aut aliis certa regula sit rectè credendi, aut in fide non peccandi. Quod idem Hæresiarchæ etiam, & hæretici ætatum nostrarum evidentissimè commonstrant; nam Lutherum, Calvinum, Bezam; ac multos eorum alios magnas quasdam animas fuisse, magnoque ingenio viguisse, qui nescit, valdè sanè ignorans est.

Hæc itaque cum ita sint, cum factis notoriis ætatum pænè omnium pateant, cum a Patribus etiam nostris annotata, tradita que tanta expressione fuerint, planè nescio, neque, opinor, sciam unquam, unde, quo jure, quo privilegio, aut providentiæ divinæ ratione, aut Dei promissione quisquam aut sibi, aut aliis in Ecclesia Dei eam autoritatem, immunitatemque tribuere possit, ut credat, se, aut alium quemque Doctorem in doctrina fidei regulam certam esse ritè credendi, vel saltem in fide non peccandi de quo iterum inferiùs, sive via probabilitatis, sive ignorantiæ.

Jam quod ad statum attinet, nullumque esse privilegiatum, luce clarius est factis publicis quin Hieronymus in Decreto allatus rectè annotat, si veteres historiæ considerentur, illud esse compertum, à Sacerdotibus, Episcopisque hæreses, atque errores inductos esse. Scitur scilicet à tempore ipso Apostolorum Nicolaum Hæresiarcham fuisse Diaconum ab Apostolis institutum, Arrium Presbyterum Alexandrinum, Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, Dioscorum Eutichianæ hæresis fautorem Patriarcham Alexandrinum, Eutychetem ipsum Monachum Archimandritam, Pelagium item Monachum; & ita de aliis; & nulla hæresis extitit, quam ex statibus omnibus aliqui secuti non sint; ac postremò demùm Lutherus religiosus, Calvinus Canonicus fuit; in quorum sectas, & errores regularium, & Sacerdotum, Episcoporumque plurimi abjerunt, qui & peccarent ipsi, & se sequentibus essent etiam causa peccandi. Quinimò non hi, aut illi, & quasi singuli seorsim, sed conjuncti, & in Conciliis ipsis congregati Sacerdotes Concilia reprobata, atque pro Arrianorum, Semiarrianorumque tuendo errore multa ejusmodi Concilia à multis Episcopis celebrata sunt, & Arimini omnes pœnè lapsi sunt, quandò ingemuit orbis terrarum intuens, se totum Arrianum esse.

§. IV.

Ex his, quæ negari non possunt, quædam inconsideratio-nes, vanaque confidentia removentur.

Illa in primis lib. 1. *quæst.* §. 2. remota, disjectaque est, qua credere quidam videntur fideles credendo, atque sequendo hos tantos & numero, & dignitate, & ingenio, doctrinaque Magistros, antequam etiam ab Ecclesia damnati essent, & quandiù intra Ecclesiam ipsam edocebant, minimè peccavisse. Hoc, inquam, est pura inconsideratio, omnisque expers fundamenti, ut ex Epistola Celestini ad Nestorium, Innocentii ad Patres Concilii Carthaginensis; & ex alia ad Patres Concilii Milevitani in reliquorum specimen manifestavimus. Contulimus etiam ibi ex Scripturis aliqua, & plurima alia adjici possunt. Sed in re notoria opus probatione non est; scitur enim Hæresiarchas primos singulos apud nos, & intra Ecclesiam errare cæpisse, atque ex nobis prodiisse; atque hac una de causa Concilia coacta fuisse, & ab Ecclesia hos seductores errantes, & in errorem mittentes, ejectos fuisse, quia non Pastores ovium erant, sed lupi rapaces mactantes oves, atque perdentes, & occidentes: quod in sequentibus de doctrina morum copiosè tractandum est.

Vellent sanè homines in rebus animæ dormire, & oscitari, ut aliis omnibus intenderent: quem in finem nihil utilius invenire possunt, quam existimare, se tutos, & peccati omnis expertes, si non magnos illos, quos memoravimus, viros, sed vulgares etiam quosque Magistros, & sæpè etiam non Magistros consulent, & sequantur. Sciant ergo, & resciant, prorsùs vanam, & nimis animam negligentium esse hanc, vel existimationem, vel inconsiderationem; saltem in doctrina fidei, atque hac inanitate, ut Augustinus refert & aliàs allegavi, Donatistæ sese tuebantur, ad suos Episcopos appellando, quasi hi, non autem ipsi rationem reddituri essent; reddent sanè, inquit Augustinus. Sed pessimam de morte vestra. Nullus igitur intra Ecclesiam etiam ipsam Doctor, aut Magister est, qui peccare ipse in doctrina non possit, & quem sequendo alii quoque peccare nequeant.

Alia, credo, inconsideratio est, quàm etiam lib. præc. rejecimus; existimare enim quidam videntur, nihil peccare fideles, neque oves perdi, si à Pastore suo, & Parocho audiant, & credant, errorem quanrumque, vel personas Trinitatis esse duas, vel filium non esse consubstantialem, paremque Patri, vel quidvis simile. Et ecce Arimini non Pastor, aut Parrochus unus, sed sexcentum Episcopi sustuletunt particulam; *homousion*, & in fide erraverunt, & se sequentes Arrianos effecerunt, ac proindè mactarunt, & perdiderunt. Num ergo Episcopos, Patriarchas, & summos quosque in Ecclesia viros, quin etiam sexcentum simul Episcopos sequendo peccare, perireque oves possunt; & unum indoctum Parochum sequendo non possunt? Magna professò inconsideratio ista esse videtur, ne cæcitatem dicam.

At inquis; docentes quidem ipsi, & seducentes peribant; sequentes verò nihil delinquebant. Sed hoc disjectum est, & quoniam magnus laqueus esse potest, denuò operosè revincendum est: & modò ad sacra Concilia omnia provoco, quæ ea de causa lupos ejecerunt, & sequentes etiam pertinaciter oves; quia scilicet & hæ reæ, & veneno infectæ jam erant, & ne alios inficerent, perderentque, separandæ fuerunt. At quid, inquis, rudes animæ, simplicesque oves faciant, siquidem Pastores suos sequuntur; ipsæ autem propter imperitiam nihil inter herbas sanas, aut noxias discernere possunt? Sed semper dico: hoc devorandum est, & credendum; & deindè solutio ab omnibus exquirenda. Quid enim, inquam ego, faceret populus Constantinopolitanus quandò contrà sacras imagines, ipso etiam Leone Imperatore Assertore à septingentis Episcopis decretum fuit? Anne populus in tuto erat, neque peccabat. Ergo & modò Londinensis immensus populus in tuto est, nec delinquit, si vel sacras imagines, vel Eucharistiam etiam ipsam conculcet. Inferamus itaque ad doctrinam nostram: multitudo illa populi Constantinopolitani peccabat septingentorum Episcoporum Concilium sequendo: peccat enim modò Londinensium populus. Ergo & Matriti, ac Parisiis peccare populus posset, si quid contra fidem acciperet; non solùm hunc, aut illum Magistrum quanrumcumque sequendo, sed plurimos etiam, & plerosque sequendo; nec ad impunitatem sufficit, Concilium Constantiense Patrum fermè mille, & tacentum Episcoporum, quæ parte ab Eccelsia susceptum non est., hoc, aut illud decrevit. Nam si septingenti Episcopi errare potuerunt, etiam Patres mille. Undè denuò vanitas illius defensionis conspicitur, quâ sive titulo probabilitatis ab extrinseco, sive titulo, & prætextu ignorantiæ invincibilis dicitur; Magistrum, vel Magistros consultavi, eosque sequor: ergo quidquid ipsi errent, ego in tuto sum, neque pecco. Verum scilicet hoc est saltem in fide; ex quo ad mores gradum faciemus.

Nunc ad Parochum redeundo, patet; quam sit vanum, ea illum, ipsumque sequentes immunitate donare, qua Concilia tot Episcoporum, eosque sequentes fideles caruerunt. Dices tamen; Concilia ista, Episcopi isti per malitiam, & scientes, volentesque erratunt; parochus autem montanus per simplicitatem, & ignorantiam & errat in fide ipse, & populum errorem docet. Quidquid ergo peccarent fideles Episcopos illos sequendo, non tamen peccant simplicem, indoctumque parochum auscultando, & sequendo.

Mirabilis est sanè ista consecutio, qua ignorantia, & rusticitas doctrinæ, ingenioque præfertur, & doctissimos, præstantissimosque viros, & Magistros ex officio suos sequendo peccare fideles possunt, rusticos autem, idiotasque sequendo non possunt, Et deindè, undè simplices fideles discernant, & deprehendant, utrum ex ignorantia, & simplicitate, an ex malitia pastores fallant? maximè verò, cum fideles non putent, eos fallere, sed potiùs verum tradere; alioqui decipi non possent, ut lib. 1. ostensum est. Undè rursùs in tot tantorum Episcoporum Concilium fraudem, malitiamque magis, quam in parocho quoque vel præsumant, vel timeant? Denuò falsissimum quidpiam in his assumitur, & commiscetur, scilicet hæresim, ac errores in fide docentes omnes per malitiam, scientesque, & volen-

volentes decipere. Nam contra potiùs lib. 1. demonstratum, opinor, est neminem corde esse hæreticum, qui verum non putet, quod ipse credit primùm, & alios deindè docet, quia nemo scienter fallitur, utque ex Salviano sæpè usurpo; *nobis hæretici sunt, sibi non sunt*; nos potiùs ipsis hæretici, aut decepti sumus. Postremò quandò etiam per malitiam quis alium decipit in fide, vel malitia est manifesta, & nota; & decipere non poterit; vel occulta, siquidem hi lupi venire solent in vestimentis ovium, & solùm intrinsecùs sunt lupi rapaces? Occulta autem malitia ipsi quidem deceptori obest; nihil autem decepto, ad quem non malitia, & fraus illa occulta transit, sed error solum: at hic idem transit à Parocho simplici, & ignotanti: ergo decepti eodem modo oberit, vel non oberit; quemadmodum lethalis potio ex ignorantia, vel malitia propinata.

Practice itaque ista consideremus. Materia dissensionis cum Arianis non minus, quam totam quantam difficultatem profundissimi mysterii Trinitatis involvebat, qui scilicet fieri posset, ut Pater, & Filius duæ personæ invicem distinctæ unius substantiæ, & naturæ, æqualesque per omnia essent? Nihil, credo, est in tota latitudine intelligibilium, aut credibilium, ubi via rationis, & ingenii errare, decipique facilius possimus. In auctoritate autem multa inveniebant, quæ sibi suum dogma continere videbantur, assertionem Domini dicentis, *Pater major me est*: item dicentis, se à Patre esse missum, se illi esse obsequentem, voluntatem ejus facere, ipsum orare, & alia, quæ inferioris esse videbantur. Ad hæc: Constantii saltem tempore, totus fere mundus Arianus erat, multitudo maxima Episcoporum faciebat: Concilia etiam plurimorum, & plura Arianismum stabiliebat. Fingebat modò, iis nos temporibus esse præsentes, ut de re tanta sententiam pronunciemus. Num tantis his stabilimentis, tantaque ista multitudine Doctorum, Episcoporum, Conciliorum, Regnorum populi primùm, ipsi deindè decepti Episcopi, & Doctores aut propter auctoritatem tantam apparentem, aut propter ignorantiam invincibilem in culpa erant, neque peccabant, & regulam fin minùs rectè credendi, saltem in fide non peccandi habebant, vel secùs? Etenim in eis nosmet absolvere vel damnare, necesse est; nullo siquidem privilegio vel ætates nostræ, vel Doctores magis nostri præmuniti sunt. At dici sanè, catholiceque non potest, eos vel populos, vel doctores singulos tot etiam aliis consentientes in culpa fuisse, aut peccavisse, aut regulam fidei saltem non peccandi habuisse, tantam illam apparentem, & ipsis quidem maximam auctoritatem, aut probabilitatem, aut invincibilitatem in errorem refudisse. Ergò & nobis, ut olim Hispaniæ toti accidit, idem, quod Deus avertat, contingere potest, quin salvet nos multitudo aut deceptorum, aut decipientium. Damnati erant, inquis, in Concilio Nicæno trecentum triginta octo Episcoporum. Verùm ibi hos tot Episcopos errare etiam Romanos Pontifices, ac demùm sibi liberium Pontificem consensisse falsò quidem censebant, tamen censebant: sicut nos, & verè quidem de ipsorum Conciliis arbitramur.

Atque ex his apertè cernitur, non modò Doctores quosque privatos regulas fidei non esse, & errare posse, & peccare, sed integra etiam, atque numerosissima Concilia Episcoporum: quæ sequendo peccent etiam fideles: quod, ut visum est, relictis metaphysicis constat factis notariis, & exemplo omnium Conciliorum reprobatorum.

Undè autem, & quomodò inter ipsa ista Concilia, alia vera, & legitima; alia falsa, ac pseudo Concilia discernantur, omnibus demùm perpensis, nihil superest, nisi approbatio, vel reprobatio Ecclesiæ, & illa vera indubitanter censenda sunt, quæ Ecclesia probavit; illa falsa, quæ reprobavit. Hanc rursus Ecclesiæ approbationem, & reprobationem, siquidem uniquique Hæretici apud se Ecclesiam esse comminiscuntur, indè indubitato signo agnoscimus, quod sedi Apostolicæ Romanæ probata, vel improbata sint; quod signum nec fefellit unquam, neque fallet. *Ad hanc enim Ecclesiam*, inquit Irenæus lib. 3. adversus hæreses; cap. 3. *propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique: fideles: in quo semper ab his, qui sunt undique: conservata est ea, quæ Apostolis est, traditio*: atque unionem, & unitatem Ecclesiæ; & cum Ecclesia citrà unionem, & unitatem cum Romana Ecclesia salvati, exponique satis non posse, argumenti id nostri foret, sanctorum Patrum pœnè omnium expressis monimentis commonstrarem: Irenæus certè; qui pro multis valet, *hanc traditionem, & annuntiatam hominibus fidem*, inquit, *per successiones Episcoporum* (scilicet Romanorum de quibus tractat) *pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo per sui malam placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam*, &c. Hoc itaque uno, hoc solo, quòd cum Romana Ecclesia non consentiat, nec conveniat, confunditur, & dignoscitur hæresis omnis. Abeant ergo politici quidam, & qui quasi Sedi Apostolicæ, & non sibi nocituri forent, minari etiam solent, & obmurmurare magnum illud, *negabimus obedientiam*. Quid verò indè? Hæretici sanè, vel schismatici evadetis, & peribitis. Sed quid, si totius Regni consensus, & Concilium Doctorum ejus omnium accedat? Hæretici sanè, vel schismatici evadetis, & peribitis. Adeò longè à verò abest, quod hunc, aut illum quantumcumque privatum Doctorem sequendo peccare in fide non possimus, & perire.

QUÆSTIO III.

Utrum ergò eisdem de causis in doctrina etiam morum nullus quantuncumque privatus Doctor sit præservatus, & peccare ipse in docendo possit, & alii eum sequendo.

Consilium est, asylum illum negligentium, vanamque persuasionem illam oscitantium, aut se fallere, & dormire magis volentium, dicentiumque *Doctorem consului, & sequor; ergo tutus sum*, omni molimine convellere Nunc porrò in hac quæstione solùm ex iis agam, quæ quæst. præc. de doctrina fidei constituta sunt; & examinandum, videndumque est, utrum iisdem

pet omnia de causis, quod de doctrina fidei ostensum est, sit ad litteram etiam tenendum de doctrina motum.

§. I.

Quæcumque in primis in doctrina morum allegant pro immunitate vel Doctorum, vel eos sequentium effringuntur ad verbum in fide.

AJunt itaque, Doctores privatos quosque saltem graves ea vel autoritate, vel privilegio esse præditos, ut in dicta sua refundant probabilitatem; quæ beneficio syllogismi reflexi certa, & infallibilis morum regula sit; vel si quandò in hoc stringuntur, abeunt ad ignorantiam invincibilem, ajuntque, eos autoritate sua conferre saltem, ut ipsos sequentium ignorantia sit prorsùs invincibilis, & excusans; quin, ut dixi, hanc ignorantiam invincibilem, mox etiam in indefectibilem regulam convertunt, traduntque ei conformem voluntatem, & operationem esse honestam, nec minùs honestam, quam si conscientiæ rectæ, legique conformi concotdaret. Jam hic quæstio esse potest de peccato vel Doctorum ipsotum in ducendo; & de hoc parùm tractant, & in ptobabilibus, & infrà videbimus, à mortali saltem eos liberant; vel de peccato ipsos sequentium; & de hoc ea docent, quæ modo referebamus: & uno verbo Doctores quosque saltem graves certas, infallibilesque regulas constituunt.

Nos una veritatem, eamque directam (de qua scilicet semper tractamus) regulam esse ruemur, ac falsum prorsùs dicimus, Doctores quoad veritatem defectibiles esse posse regulas indefectibiles morum, & unam censemus de veritate, & de regula quæstionem: atque hac via cuncta Ecclesiæ dogmata cohærere, Apostolicæ Sedis, Conciliorum, sanctæque Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum vetitatis, autoritatem, & necessitatem extate,

At multa in conttarium semper obloquuntur; quæ proindè nos quoque semper iteramus, ut sicut ubique obstant, ubique etiam reponamus, & respondcamus necesse est. Ajunt igitur, unam veritatem regulam haud esse, neque homines obligari posse ad eam quærendam; satis proindè esse, si viros graves consultant, eorumque dicta sequantur; & hoc ipso, inquirunt, prudenter, & modo humano possibili vivunt homines, & reguntur: atque hinc demùm eas quas oppugnamus, certas, infallibilesque regulas subinserunt: cum tamen apud nos ex hac una illatione totius dogmatis falsitas apertè deprehendatur, & tevincatur.

In primis itaque viros quidam gravissimos, quos memorare non licet, in mente sibi compingunt, & nominant, & siquidem eos sequendo in doctriua morum peccari posse, dicamus, desipere nos arbitranrur; ferreque vix possunt. At hic eis ex quæst. præc. reponimus magnas illas animas, magnosque montes, viros etiam ingenio, doctrina, nominis celebritate summos; integta demùm sexcentorum, & septingentorum Episcoporum Concilia, & Regna, quæ sequendo peccare possit in doctrina fidei: & precamur, ut pacatè dicant, quarè hi in sua dicta aut probabilitatem, aut invincibilitatem saltē erroris non refunderent; refundat verò hi gravissimi, quos nobis objiciunt, Doctores? Jam autem cavimus, ad damnationem Ecclesiæ non esse effugium; quia ante damnationem etiam mactabant, & perdebant oves; quin quia mactabant, & perdebant, damnati sunt, & quia resipisci noluerunt, ejecti, ut fuit ostensum. Undè ergo, ex qua scriptura, & Dei promissione; aut ex qua vel juris naturalis ratione ullis privatis Doctoribus eam autoritatem, indefectibilisque regulæ rationem, nisi prorsùs ultrò, citroque conferre possunt? Eos itaque magnos esse Doctores fatemur; at infrà certum, indefectibilitatem in regulando, infrà Ecclesiam scilicet, sedemque Apostolicam: ut quæst. præcedent. declaratum est.

Objiciunt prætereà, idque perpetuò populorum ignorantiam, ineptitudinem, rusticitatem, idiotismum, & barbariem, & si quod est aliud significantius nomen, quo simplicitas ista, rusticitasque exponatur, quasi positum esto. Ajunt igitur, hos populos, has ineptas. Simplicesque animas, si Doctotem quærant, & sequantur, excusandas esse, & contratium durum esse, quodque timore, mundum impleat. Nihil namque superest, quod idiotæ isti ultrà peragant. An enim opiniones veras, & falsas discutere, distinguereque eos jubeat, qui nec legere quidem sciunt nec ab aliis lecta intelligunt. Nihil igitur aliud hi agere possunt, quam Doctotem, vel Doctores consulere: qui si errent, erit eis error, ignorantiaque invincibilis & innoxia.

Cæterum hæc doctrina nec secum ipsa, nec cum veritate cohæret, In primis quippe inferius copiosè ostendemus, quo pacto ab omnibus veritas inveniri queat. Deindè sequitur, Doctores quosque esse populo regulas indefectibiles: quod miuimè omnium ferendum nobis videtur. Rursùs doctrina ista haud sibi constat; non enim ponit, homines quosque, vel vocetenus Doctores, sed graves solum esse regulas; neque eos quidem in omnibus, sed ubi gravi fundamento moventur. Iutrant ergo populi templum, vel domum, ubi plurimi ad sunt confessores, plerique Doctores non sunt; minùe porrò Doctores graves. Undè ergo discernant, & distinguant, undè rursùs, cum ipsos etiam Doctores graves adeunt, leviter, & graviter, & absurdè etiam dicta distinguant? Dicant igitur jam semel, Doctores cujusque, vel non Doctores dicta omnia levia, vel fundata, vel etiam absurda, & improbabilia esse populis certas, indefectibilesque regulas vivendi. Sed ista omittamus, & inpresentia illud ad verbum, atque ad literam reponamus, quid populus Constanstinnpolitanus, quid simplices rusticiqus illi qui suum Pastorem, & Episcopum Nestorium sequebantur; quid Alexandrini Patriarcha suo Dioscoro Duce, ductoreque cui Ephesina etiam illa Synodus adfavebat, delinquetent, An Theologi fierent, dogmataque discurrerent? Arianorum, Semiarrianorumque tot conciliorum: Origenis tanti Doctoris, Tertulliani tanti viri sectatores, quid, quæso, agetent? integer noster Hispaniarum populus sub Regibus, totque Episcopis Arrianis, quid, precor efficeret? Num ergo liberemus hæreticorum populos omnes? sed sancta Ecclesia, scriptura quoque Dei, sancti Patres, & Concilia obstant. Quid ergo his nos morantur, & vexant, quæ ab omnibus non prorsùs idiotis solvenda

venda sint? Arguimus itaque, & ut nobis quidem videtur, insolubili argumento sic: in doctrina fidei nulla impotentia subest, qua populi à peccato excusentur, etiam si Doctores & quidem magnos & Academias, ut Oxoniensem, Wittembergensam esse quin plurimorum qooque Conciliorum suorum dicta sequantur, ergo nec in doctrina morum. Namqoę de impotentia barbarie, idiotismoque allegant, ad litteram & ad verbum in doctrina fidei estringuntur. Quæ denuò Synagogæ etiam exemplo declarabimus.

Ex his conspicitur. Vanam illam quoque esse oppositionem, qoa objiciunt, istam nostram ex veritate vivendi legem, & veritatem invivendi obligationem esse impracticabilem. Nam arguimus sic: In doctrina fidei non est impracticabilis lex similis, & obligatio. Ergo nec in doctrina morum. Nisi velint, indoctrina fidei populos esse scientiores, aut doctrinam ipsam esse faciliorem; aut in ea patentiores esse Prophetas & Pseudoprophetas, quos tamen in vestimentia ovium venturos, Dominus denunciat. Nunc ergo impracticabilis horum Doctorum, & Pseudo Doctorum, interius omninò lupum gestantium discretio? quid ergo Dominus attendere, cavereqoe jubet? quod si in fide impracticabilis non est, utique non est; (alioqui sancta Ecclesia nullos unquam populos, & simplices peccati reos habuisset) planè practicabilis etiam erit in doctrina morum. Itaque vel omnibus in utraqoe doctrina salvum conductum concedendum est; vel non à nobis sed ab omnibus nodi hoc circa omnes expediendi, solvendique sunt.

§. II.

Ex non immunitate igitur in doctrina fidei non immunitas in doctrina morum infertur tam Magistrorum, quam eos sequentium.

ITaque arguitur sic: nulla est immunitas neque Magistrorom quaotorumcumque, neque ipsorum etiam Conciliorum scorsim auditio, & approbatio neque Ecclesiæ, neque demùm Academiarum indoctrina fidei, inquam immunitas qua vel Magistri ipsi, vel seqoentes immunes, præservatiqua, vel quasi privilegiatl sint à peccato, & culpa, sive titulo probabilitatis, sive titulo ignorantiæ invincibilis. Ergo nolls est similis immunitas in doctrina morum. Quæ nunc consecotio multipliciter ostendenda est.

Primum quia nulla est specialis Dei promissio; nullum scripturæ vel sanctorum; Ecclesiæ vetestimoninm, neque vestigium, quo vel conjectari quidem possit, Magistros, & Doctores in Ecclesia, in ipsa fidei doctrina deficere, peccareque posse: item peccare posse eos sequentes: In doctrina autem morum, neque Magistros deficere, peccare que posse, neque eos qui ipsos sequantur. Rursùs nullum superest uspiam privilegium, aut privilegii vestigium, quo ista immunitas, & securitas magis conveniat in doctrina morum, quam fidei. Valet ergo consecutio ex doctrina fidei ad doctinam morum.

Secundò à fortiori. Etenim ex Dei providentia, divinisque promissionibus expressius atque securiùs constat, servatam, servandamque esse integram incorruptam, intemeratamque in Ecclesia Dei doctrinam fidei, quam reliquam omnem doctrinam etiam morum; quæ infra, & citra fidem sit: at divinis his, expressissimisque Ecclesiæ suæ factis promissionibus non obstantibus peccare, deficereque inter Ecclesiám ipsam potuerunt in doctrina fidei Doctores quiq; quanticunque privati; peccare item qui eos sequerentur: & defacto summa ingenia, summi Viri integra Regna, atque integræ etiam per celebres Academiæ, ut Oxoniensis, & aliæ defecerunt, & peccarunt: & peccarunt etiam sectatores. Ergo à fortiori peccare in doctrina morum possunt, & Magistri quique & qui eos sequuntur. Undè sicut dato, & assignato, nominatoque quolibet Autore, vel Theologo non verum, sed absurdum est dicere, eum sequendo peccare in fide non potuisse modo explicato seu eum regulam in defectibilem asserite credendl; aut non peccandi; ita non verum, sed absurdum est, quolibet dato, & nominato, eum regulam indefectibilem morum dicere, hoc est quem sequendo chimęra sic peccare reliqoos.

Prætereà ne occoltis, privatisqoe rationibns, sed ex publicis, & authenticis principiis causam agamus, sic constat solam sanctam Ecclesiam, in se vel in capite esse visibilem, & certam, indefectibilemque regulam in doctrina morum; sicut constat & indubitatum est, esse in doctrina fidei. Quarè utraqoe doctrina cujuscunqoe quanticunqoe Doctoris subjecta est judicio Ecclesiæ, quæ examinare eam, & si errat, damnare etiam potest, & necesse fuit, quod Dominus Ecclesiam erigeret, quæ in utraque doctrina columna foret, & firmamenrum veritatis; quia scilicet reliqui privati quique Doctores aberrare, maleque dirigere, & regere, perdereque oves poterant. Quod verò dicere in præsentia possunt, Doctores privatos errare materialiter posse, populumqoe peccare materialiter eos sequendo, tractatum, contrirumque fuit *part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 7. Valet ergo consecutio ex non immunitate Doctorum, & ipsos sequentium in doctrina fidei ad non immunitatem, & non præservationem in doctrina morum.

Undè etiam conspicitur, rectos eos celebres syllogismos reflexos non esse, & sua ipsa positione destrui; sunt enim syllogismi privati cujuscunque Doctoris, vel etiam Doctoris: quorum naque majores ab Ecclesia approbatæ sint: minores autem sunt judicia particularia Doctorum, atque etiam non Doctorum subsumentium, hanc & illam opinionem esse probabilem. Ponunt autem doctrinam his syllogismis contentam esse regulam indefectibilem morum. Arguimus sic: hæc nota quanta doctrina horum syllogismorum est doctrina horum, & illorum hominum Doctorum, & etiam non Doctorum, & sic etiam argumentatio ipsa, & illatio, & forma. Ergo ipsa sui positione destruitur; nam ponit, & exorbitat dicando, se esse indefectibilem, infallibilemque regulam: quo apud nos nihil est falsius.

Denuò pro facta illatione, & consequentia arguitur. Ideò nullus Doctor privatus, nullum regnum, aot Academia, aut Concilium seorsim ab approbatione, judicio ecclesiæ est regula indefectibilis in doctrina fidei, & à quovis simili judicio appellari potest ad judicium Ecclesiæ in sa vel in capite: quia nullus Doctor privatus regnum

rò de his fit, syllogismis illis reflexis ex probabilitate, vel etiam ex ignorantia invincibili cudunt, & eliciunt dictamina certissima, infallibilia, & evidentia conscientiæ, quibus habitis evidens unicuique fit, se non peccare, quin honestè agere, quantum saltem attinet ad doctrinam. Ex quo fit, ut unusquisque privatus Doctor, Magisterque morum sit certissima, & infallibilis regula rectitudinis morum, & salutis.

Egi fusè ea *quæst. 7.* in istam philosophandi viam, atque ad extrema quædam, ut nobis quidem videtur, inconvenientia, absurdaque eam deduxi; ex qua scilicet fiat, & sequatur, parem, æqualemque esse autoritatem doctrinalem privatorum quorumque Doctorum, ac Magistrorum conscientiæ, & morum autoritati doctrinali Romani Pontificis Conciliorum generalium, Ecclesiæ, & Apostolorum, atque ipsi etiam autoritati Domini; sive enim Ecclesia aliquid morum definiat, sive Paulus Apostolus de Cœlo missus loquatur, & decernat; sive Dominus ipse casum conscientiæ infinita sua sapientia resolveret, hoc unum suis autoritatibus efficerent, ut certò, evidenterque nobis constaret, & nos non peccare, & rectè, honesteque operari eas autoritates sequendo. At hoc idem nobis certò, evidenterque constat, ut ajunt, quoties sequimur autoritatem privati cujusque Doctoris, & Magistri morum. Par ergo, & æqualis, ac proindè nimia, exorbitansque autoritas tribuitur Magistris, Doctoribusque privatis morum.

Disieci autem eam solutionem, quòd Romanus Pontifex, vel concilium generale, vel Ecclesia, & Paulus, & Deus in doctrina morum errare non possint: Doctores autem privati quanticumque possint. Primùm enim, hoc dixi satis esse mirabile, quod Ecclesia, Paulus, & Deus nisi vera dicendo regulæ indefectibilis conscientiæ nõ sint; Doctores verò privati etiam errando, ac ubi errant, & falluntur, sint; atque tam recta operatio ex horum falso sequatur, ac vero Ecclesiæ, Pauli, & Dei. Illud item dixi mirabile, quod ut Ecclesia in doctrina fidei, & morum certa, ac infallibilis regula rectitudinis morum esset, opus fuerit privilegio speciali assistentiæ spiritus sancti eam donare; & tamen Doctores quique privati citra omne tale privilegium, & solo concursu generali Dei, quem solùm habent, quandocumque falluntur, ac falsas opiniones etiam probabiles, fallaque responsa reddunt, sint certa, atque infallibilis regula morum, id est, quos sequendo peccari minimè possit; quin quantum ad doctrinam attinet, rectè etiam, ac honestè operetur.

Dixi prætereà, errare, vel non errare nihil interesse in doctrina morum, si errando, & non errando par, & omnimoda certitudo non peccati; par item, ac omnimoda certitudo, & evidentia rectitudinis, honestatisque morum superest, ostendique, minùs nostra, & Ecclesiæ interesse errores materiales morales, quàm geometricos, si in erroribus etiam beneficio reflexarum, vel alio privilegio salva elt tota quanta moralis innocentia, & rectitudo morum, ut eo loco copiosè tractatũ est.

Ostendi consequenter, quoad extensionẽ quasi bipedi viç hęc duplò ampliorem autoritatem doctrinalẽ conferre Doctoribus privatis, quã Ecclesiæ, Paulo, vel Deo. Nam probabilia, quibus tot libri morales pleni sunt, cum constent assertionibus contrariis, vel contradictoriis, pro medietate falsè, quod Logica demonstratione constat, indubitanter falsa sunt: in qua proindè tanta multitudine rerum Ecclesia, Paulus, & Deus in media duntaxat parte regula indefectibilis esse possunt, Patet hoc; quia solùm in veris regula esse possunt, neque Paulo morum scientia infusa, & beata conferto, neque Deo, qui falsitatem evidenter conspicit, est recursus ad reflexas etiam juxta adversarios; nec item Ecclesia est Judex reflexus, sed directus veri, & falsi, nec regula reflexa, sed directa morum. Ergo Ecclesia, Paulus, Deus in media solùm parte regula esse possunt, scilicet in vera. At Doctores privati sunt regula quin certissima regula in parte etiam falsa, quæ quippè est probabilis. Ergo duplò amplior, certe longè extensior autoritas doctrinalis tribuitur Doctoribus privatis morum, quam Ecclesiæ, Paulo, vel Deo.

Ex his illud etiam intuli, in tota quanta doctrina morum nullo opus esse recursu ad Sedem Apostolicam; nihil item in ea necessariam solicitudinem, curamque Pastoralem: nam habita immunitate à culpa, & honestate prætereà, ac rectitudine, sanctitateque morum, nihil reliqua in moribus nostra intersunt, nec Deus aliud curavit, nec in alium finem Evangelium, Pastores, Doctoresque dedit, nisi ut honestè; sanctèque viveremus. At certò, infallibiliter ãc evidenter, ut ajunt immunes à peccato sumus, & rectè, sanctèque etiam vivimus, quoscunque Doctores privatos sequendo, sive per viam probabilitatis sive per viam ignorantiæ invincibilis, sine ullo recursu ad Sedem Apostolicam, & Ecclesiam; etsi Pastores omnes curam omnem doctrinæ abjiciant, & dormiant, certissimè, & evidenter non peccamus, & quantum ad doctrinam attinet, sanctè vivimus alios quosque Doctores consulendo, vel quia illi graves sunt, & autoritate sua omne dictum suum continuò probabile reddunt; vel quia graves saltem esse quærentibus videntur, & ignorantes discernere non possuut; ex quo ipsorum ignorantia invincibilis fit: operatio autem conformis conscientiæ etiam, & rationi erranti invincibili, ut ajunt, recta, & sancta est. Nullo ergo recursu, nulla solicitudine, & cura opus est: quod utinam nimis in motum non abierit; nam videmus quidem magnam partem juris Canonici responsis olim Romanorum Pontificum constitutam; jam autem hodiè quis sedem illam supremam interrogat? & quorum sanę interrogem, si Theologi gravis habito responso tam certò, & evidenter non pecco, quin & rectè, honesteque ago, atque si expressa Sedis Apostolicæ, & Petri ipsius jussa, responsave exequerer. Prodeunt sanè bullæ Apostolicæ: at Theologi gravis; qualis fermè omnibus Theologus suus, Confessorque videtur, interpretatio quæque non minùs tuta est, atque bulla ipsa, hoc est; certissima evidentissimaque regula esse fertur.

Objeci huic probabilitatis, ignorantiæque quasi inconvenientia, quæ Ecclesiæ ordinem, Hierarchiamque à fundamentis quatere viderentur: in quibus sanè si erro, plurimùm errem, ac facilè ab aliis deprehendar, & refellar, necesse est, & promptissimè accipiam: sin verò non errarem, quanta Sedis ipsius Apostolicæ, Pastorumque reliquorum solicitudine opus sit?

Ignorantia profectò mea ea est, ut post annos etiam nihil occurrerit, quo pro adversa parte respondenderem; scient sanè ipsi causam suam tu-

tiùs vindicare; quod cum fecerint, nihil disputatio ista nostra quemquam commovebit. Illud porrò inane est, quod à quibusdam reponi audivi ad quæstionem illam 7. eam scilicet elidi aperta, manifestaque instantia. Etenim quicumque Theologus, ajunt, qui eam docendi respondendique formam arriperet, ut semper, ac in omnibus aut singulis ad tutiorem partem obligaret, esset certissima, & infallibilis, evidentissimaque regula morum: ex quo par, æqualisque ejus autoritas foret, quibus suis quantiscumque Ecclesiæ etiam, & Dei Autoritatibus. Hoc opponunt, & dicunt: quid verò inferant, nescimus. Id inferendum sanè videtur, absurdum scilicet non esse, sed verum privatum Theologum esse certam, infallibilem, evidentemque regulam rectitudinis morum: nec consequenter absurdum esse, sed verum, privati hominis autoritatem doctrinalem esse parem, æqualemque autoritati Ecclesiæ, & Dei: quæ monstra, & portenta sunt.

Hæ responsiones, fateor, numquam nobis occurrissent; quæ quippe objecta inconvenientia deglutiant; quod vel privatus ullus Doctor indefectibilis, evidensque regula sit rectitudinis morum; vel ei par æqualisque cum Ecclesia autoritas doctrinalis tribuatur: non enim quomodò his admissis, quæ admitti minimè possunt, responderetur; sed quomodò illa vitari possent, meditatum à nobis est, & à cordato quolibet faciendum esse, arbitrabamur.

Stulti igitur illius, quem opponunt Theologi non solùm par Ecclesiæ, & Deo non esset, sed nulla prorsùs esset autoritas doctrinalis; qui nimirùm non doctrinæ, sed potiùs non doctrinæ, quamque idiota quisque arripere æquè posset, viam docendi, respondendiq; arriperet hoc unum ad omnia, & singula dicendo, ut pars tutior sequeretur. Deindè non bonus, sed pravus hoc ipso Doctor esset, & peccaret gravissimè; nam addere, & detrahere; ad dexteram, vel sinistram declinare prohibiti sumus, ut sæpè dictum est, atque ad ipsam præciæ veritatem, hoc est, legem tenemur: undè ille cæce tutiora quæque imperans, novusque Legislator peccaret per additionem. Peccare etiam in hoc quoque ipso posset, qui ex ejus hoc errore tam erroneam, sibique adeò periculosam conscientiam formaret, vivendique legem contra legem Dei institueret.

Numquam rursùs contra nos id consequentur, ut sive via doctrinæ, sive non doctrinæ ullus sibi, aut aliùs sit irrefragabilis, & certa regula rectitudinis morum; ullus, inquam, privatus Doctor, vel non Doctor. Ecce enim ille, quem ponunt, Theologus decrevit tutiorem semper partem docere, & tradere; ille tamen in hoc ipso errare, fallique, & fallere potest, ut malum bonum, & bonum malum existimando, tutiorem eam partem habeat, quæ tuta non est, & intutam illam, quæ potius obligatoria sit. Atque hujus generis est omnis conscientia erronea vincibilis, & ligans, seu obligans, de qua toties S. Thomas, ac graves quique Theologi scripserunt, quæ scilicet tamquam obligatorium proponit aliquid contra legem Dei: & peccatur hoc sibi visum tutius sequendo, quod præter quosdam Recentissimos nemo Theologorum ignoravit, ut constat ex lib. præc.

Et quoniam ista quasi nostra, & non sapientium omnium essent, imperitioribus peregrina videntur eisdem sæpè iterata exemplis declaranda, ingerendaque sunt. Sic ergo Doctores primùm Judæorum tutiorem, & obligatoriam partem esse censebant, & docebant, tradebantque oppugnationem, atque persecutionem Ecclesiæ; & tamen peccabant ipsi, & peccabant sequentes: Arrianorum similiter Doctores, Episcopique expressam Dei, obligatoriamque doctrinam esse censebant, inæqualitatem, & inferioritatem Filii Dei, atque hanc ipsorum judicio tutiorem, atque obligatoriam partem tradendo peccabant Magistri: & sequendo discipuli: atque ita fermè est de hæresibus omnibus. Sic igitur etiam in moribus multa traduntur tanquam obligatoria, vel pro tuendo honore, vel pro recta administratione patrimoniorum, & similia: in quibus nec repugnat errare, nec repugnat vincibiliter errare, & docentes, & sequentes peccare, ut copiosè ex consequentibus quæstionibus constabit. Nulla ergo subtilitate id apud nos unquam obtinebunt, ut nullus privatus Magister, & Doctor conscientiæ, & morum sit indeficiens, certaque regula, vel servandæ innocentiæ, vel habendæ rectitudinis morum. Qui sanè Doctores si in Ecclesia essent frustrà esset, quod Dominus, aut Sedem Petri, aut Ecclesiam suam speciali, infallibilique assistentiæ suæ privilegio donaret.

Ratio porrò horum omnium in doctrinæ nostræ serie est perspicua. Nos siquidem sive religionis, sive morum regulam unicam constituimus sacro sanctam veritatem. Sed nullus quantuscumque privatus Doctor infallibilis in veritate; nam errare potest. Nullus ergo quantuscunque privatus Doctor est infallibilis regula sive religionis, sive morum. Confundunt quidem aliqui, quod pinguium nimis animarum esse videtur, regulam, & ignorantiam invincibilem, & jam alterum, quasi unum, idemque essent, reponunt; cum tamen nemo eo usque deflueret, ut vel quæreret utrum ignorantia invincibilis, vel conscientia erronea invincibilis esset regula morum? Et qui hoc quæreret, terminos certè non caperet. De conscientia itaque erronea, & de ignorantia nihil unquam de regula quæsitum est, sed id solùm utrum excuset, vel non excuset. His igitur duobus, quæ velut Cœlum, & terra distant, distinctis, dicent, Doctorem quemque privatum, quandoquidem errare potest, certam, indefectibilemque regulam non esse; at el concedendum saltem esse, quod in omnia dicta sua falsa pro sequentibus illa inducat, effundatque ignorantiam invincibilem; quemadmodum Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Verùm nec hoc ferendum est; quia ex tota doctrina nostra una veritas est regula non solùm rectitudinis, & honestatis morum, sed etiam non peccati, & innocentiæ quasi negativæ. At quilibet privatus Doctor errare in veritate potest. Ergo nec effundit, & refundit ignorantiam invincibilem in omnia dicta sua falsa: quod quia aliqui nimis repugnant, operosè item stabiliendum est.

Sed verò saltem quoad regulam eadem adest difficultas, & ratio fermè dandi apud adversarios. Nam ajunt, probabilitatem esse regulam. Ergo, quod nullus cordatus hactenùs pronuntiavit, vel dicere debent, Doctorum, & Magistrorum quorumque, quin etiam Confessorum dicta omnia esse probabilia; vel saltem de vulgaribus Magistris quales plerique sumus, fateri debent, non omnia, & singula dicta nostra, quia à nobis discuntur, esse continuò

proba-

probabilia. Ergo regulæ ſaltem indefectibiles morũ non ſumus. Undè montẽ illũ ſuperare ipſi quoque debebunt, quomodò ſcilicet indocti inter Magiſtros graves, & leves, inter dicta probabilia diſtincturi ſint, inventuri probabilitatem, & regulam ? Quid ergo toties inclamanr in nos, quomodò, & undè inventuri ſinr, & agnituri veritatem ? De quo ſæpè dictum eſt, & iterum, atque iterum dicerur; quia quod tam ſæpè, & ad ſingula objiciunt, tam ſæpè refellere neceſſe eſt. Alius neſcio quis in Theologia Novitius, & pedeſtris ingenii Doctotellus reſpondit, gravem Theologum eſſe regulam indefectibilem per accidena Eccleſiam verò, & Romanum Pontificem per ſe. Terminos non intelligit; nam ad hanc qualitatem, *Theologus gravis*, & ad hos formales terminos tam per ſe ſeqoitur, & inſeparabiliter, indefectibilitet ea indefectibilitas; & impeccabilitas; quæm ad hanc qualitatem, & ad hos terminos, *Romanus Pontifex, vel Paulus Apoſtolus*, & ad calidum calefacere: licet ipſi homines potuerint vel non eſſe Theologus gravis, vel Papa, vel Apoſtolus. Et hoc ſatis pro Novitio.

QUÆSTIO II.

Nullus ergo Doctor privatus ab excellentia ſive ſtatus, ſive ingenii, aut aliunde præſervatus eſt à peccato in ſuo officio, & in docendo quoad doctrinam fidei. Nullus ergo, quem ſequendo peccare alii non poſſint.

HOc Magiſtrorum, Doctorumque quoad fidem exemplo, in quo Catholici omnes conſenſuri videntur; gradum faciendum exiſtimavi ad Magiſtros, Doctoresque morum, ut indè cogam adverſantes aliquos idem prorsùs admittere, fateriique in doctrina morum, quod ſeq. quæſt. tractabitur.

§. I.

Senſus quæſtionis, & terminorum explicatio.

LOquor primum de Doctore, Magiſtroque privato Eſt porrò valdè uſitata locutio iſta, ubi de Romano Pontifice tractamus, diſtinguimusque omnes, & dicimua aliud eſſe de Romano Pontifice tamquam de Doctore privato, aliud de eodem tamquam de Doctore publico ſtatuere: atque primo modo errare eum ſaltem in doctrina morum poſſe: ſecundo modo non poſſe, veriſſima, indubitataque mihi ſententia eſt: & qualiter, & undè utrumque interſit, & differat, eſt ſanè explicatu ſatis facile.

Unũ ergo hunc publicom Doctorem Eccleſiæ, cui ſpecialem ſpiritua ſancti aſſiſtentiam, ne docendo erret, tribuimus, ſive verius à Domino conceſſam tenemus poſt conſignatum totum novum reſtamentum, in quæſtione excipimus, & ſingulos alioa homines, & Doctores comprehendimus, id eſt, omnes eos, quibus ſpecialis illa aſſiſtenria conceſſa non eſt.

Hinc comprehendimus omnes reliquos cujuscunque ſtatua, gradus, & ingenii Doctores ſive in Academiis laurea donatos, ſive librorum etiam plurimorum Autores, & quod pluaeſt, eos etiam, qui in Eccleſia ipſa conſtituti ſunt Paſtores, & Doctores animarum, ſcilicet Epiſcopoa, Patriarchas etiam ipſos. Item ſtatua omnes Eccleſiaſticum, & ſæcularem, & in utroque gradus quoslibet, & ingenii quanticumque Magiſtros.

Intulimus itaque, nullum horum præſervatum eſſe à peccato in officio ſuo, & in docendo, nullamque eſſe, quem ſequendo peccare alii non poſſint. Non dicimus, nullum eſſe, qui in officio ſuo, & in docendò non peccaverit; nec item dicimus, nullum eſſe, quem ſequendo alii non peccaverint. Non hoc dicimus, ſed de præſervatione loquimut; atque de potentia peccandi, non de peccato: plures quippè in Eccleſia Dei extitiſſe arbitramut, qui nec ipſi quidem in docendo peccaverint, nec alii eos ſequendo: quemadmodum plurea graviter non peccarunt, tamen potuerunt.

Præſervatio autem eſt duplex, alia, quæ ab actu ſolùm ipſo, vel peccati, vel erroris præſervat; alia, quæ ex aliquo privilegio, aur promiſſione Dei ipſa etiam poteſtas errandi, vel peccandi impeditur, & vi cujus ſaltem ex fidelitate debita ſit præſervatio ab actu. Et prima quidem præſervatio eſt actua ſecundi; ſecunda actum etiam primum afficit. Atque de iſta poſteriori loquimur, eaque affecta primum eſt ſancta Eccleſia, affecta Concilia Generalia, Romanus item Pootifex, & nullus alius poſt clauſum, conſignatumque Evangelium hoc eſt, novum teſtamentum.

§. II.

Veritas illationis ex dictis.

COnſtituimus hactenus part. 1. & opere noſtro toto, unam veritatem eſſe regulam, & fidei, & morum. At omnes, de quibus tractamus, Doctores errare in primis poſſunt, & non verum, ſed falſum in fide docere : & deindè facere hoc poſſunt, vel ſcienter, vel ignoranter ignorantia vincibili. Ergo peccare, in officio ſuo, atque in docendo poſſunt, peccat enim in docẽdo, & in officio ſuo, doctor omnis, qui vel ſcienter, vel ignotaoter ignorantia tamen vincibili regulam fidei mutat, & falſum pro vero docet. Quæ omnia videntur eſſe certa. Sed inquis: quid ſi res ſit probabiliter de fide, & probabiliter non de fide? Peccabit etiam de quo tamen inferiùs. Nunc enim non tractamus, utrum Doctores privati peccare in officio poſſint in probabilibus, ſed an abſolutè poſſint.

Aliter ſic illationem explicamus. Delibatum eſt quæſt. præc. & oſtenſum latiùs part. 1. lib. 1. quæſt. 7. Doctores privatos nimiam ſibi autoritatem uſurpaſſe, dum ſe regulas indefectibiles, & infallibiles conſtituunr vel non peccati, vel rectitudinis etiam, & honeſtatis morum: multisque ac multipliciter conſtat ſimilium regularum exceſſus, & abſurditas. Sed verò etſi has indefectibiles regulas circa mores adſtruere quidam videantur, nemo tamen Catholicorum auſit, opinor dicere ſub his terminis. privatum ullum Doctorem eſſe regulam indefectibilem fidei, ſive quam renendo, & ſequendo peccari in fide non poſſit, ſive rectitudo etiam ipſa fidei, & religionis habeatur.

Hoc, inquam, nemo Orthodoxorum aut tradidit, aut diſputavit; quo videlicet poſito, omnis neceſſitaa recurſus, & appellationia ad Eccleſiam Conciliave aut ad Romanum Pontificem caderet; atque omois ejusmodi Doctor eſſet etiam viſibilis, ac infallibilis judex rerum, & controverſiarum fidei, everterecturque totus quantus ordo Hierarchicua Eccleſiæ. Dixit quidem non hoc ſed minus de Hieronymo Cajetanus, dixiſſeve fertur, Hieronymum quippè eſſe regulam fidei ; qua de cauſa multi Cajetanum carpunt. Sed aliud hoc ; & minùs eſt ; non enim

repugnat, Hieronymum, ſimileſque alios Doctores ſummos fuiſſe de facto ab omni errore in rebus fidei expreſſioris, ac etiam latentioria pręſervatos; quemadmodum alio opere, ubi de autoritare vulgatæ latinæ tractsvi, proſecutus ſum quæ fidei uniuſcujusque integritas nobis ex judicio Eccleſiæ, approbationeque innoreſcar, & conſtet; quo etiam ſenſu Hieronymus ipſe juſſit, opera Hilarii in offenſo pede decurrere. At hæc præſervatio ab omni errore, quæ ad actum ſecundum magia pertinet, in primis de omnibus, & ſingulis dictis alicujus ſummi Doctoris certo, indubitatoque Eccleſiæ judicio nondum conſtat; quarè nullius opera certa reguls, ſicut Eccleſiæ definitiones ſunt, ſed potius Eccleſiæ judicio ſunt ſubjecta: & deindè hi ipſi ſummi Doctores, etſi non erraverint, errare tamen porerunt, nec regulæ certæ, ac infallibiles fidei extiterunt. Quarè, quod tanquam primum Theologiæ principium S. Thomas tradir, nec autoritas Auguſtini, nec Hieronymi, ſi quandò deſiderent, quidquam valer contra autoritarem Eccleſię; quæ ſola eſt firmamentum, & columna veritatis, & quam unsm Dominus invictam fecit adverſus inferi portas.

Certa ergo, conſtanſque concluſio eſt, nullum Doctorem privatum etiam ſummum eſſe certam, infallibilemque regulam fidei, quam ſcilicet ſequendo vel peccare non poſſimus, vel certo & infallibiliter rectè etiam credamus, honeſtatemque, & meritum fidei conſequamur. Cujus ſanè totius dogmatis ea una cauſa eſt, & ratio, quam toto noſtro opere proſequimur, quod ſcilicet una veritas ſit regula; & fidei, & morum. Sed nullus privatus Doctor etiam ſummus eſt infallibilis, indefectibiliſque in veritare fidei. Nullus ergo eſt certa, infallibilis, indefectibiliſque regula fidei.

Undè quaſi biceps illa doctrina, qua in doctrina morum quidam utuntur, jam probsbilitatem, quæ regula ſit; jam ignorantiam invincibilem, quæ à peccaro excuſet, uſurpando, vel etiam commiſcendo, ſaltem ad fidem applicari nequit. Primum enim dici nequir, eſſe Doctorem aliquem privarum, quæ auroritate ſua omne ſuum de rebus fidei dictum reddat probabile; ſit autem mox hæc ejus probabilitas certa, & indefectibilis regula non peccandi in fide, aut rectè etiam credendi.

Hoc nimirùm dici nequit; nam hoc eſt fermè idem illud peſtilens dogma, quod plurimi ſectariorum modò ſequuntur, dicentea, quædsm quaſi ſumma, & capitalia de Deo, & Chriſto. in quibus omnes convenimus, eſſe prorsùs tenenda; reliquas autem controverſias eſſe velut cõtroverſias ſcholarum noſtrarum, nihilque intereſſe ad ſalutem, utrum ſic, vel contrariè ſenriatur. Ex dictis deindè arguendo nullus privatus Doctor ullius autoritaris eſt regula certa, infallibilis, indefectibiliſq; fidei. Nulla ergo, qui autoritare ſua omne ſuum de fide dictũ ea probabilitate donet, ſit certa infallibilis, indefectibiliſque regula fidei

Atque hic videas reflexorum illorum ſyllogiſmorum robur. In primis enim cur non liceat ſimiles etiam ſyllogiſmos de fide conſtruere, & ex probabilirate evidentem, infallibilem, indefectibilemque regulam credendi depromere? Rursùs undè hanc propoſitionem *licet ſequi opinionem probabilem in operando*, evidentiſſimam habent: hanc autem aliam, *licet ſequi opinionem probabilem in credendo*, non evidentem, quin nec veram cenſent? Cur applicario probabilis legis Dei prorsùs indifferens ad legem, & non legem per ſyllogiſmos reflexos in certam infallibilem, indefectibilemq; regulam rectitudinis morum converti poteſt, & eodem reflexo artificio applicatio probabilis verbi Dei prorsùs indifferens ad verbum, & non verbum in certam, infallibilem, indefectibilemque regulam credendi converti non potuit? Quam certè regulã ſi Eccleſia agnoviſſet, nihil opus fuiſſet veritatis eam adeò extitiſſe ſolicitam, omittereq; poſſet cõtroverſias omnes de fide, ac nullã partiũ damnare: quo facto, ſupereſſet probabilitas, & indefectibilitas regulæ rectè credendi. Num ergo Deus glorioſus ipſam præcisè veritatem doctrinæ fidei haberi voluit; doctrinæ autẽ morum non ita? Sed de his hęc modò ſufficiãt, & tota ſcriptura Dei repugnat.

Jam alia illa pars de ignorantis invincibili eodem modo repellitur. Etenim, ut eſt conſtitutum, nullus privatus Doctor eſt regula certa, infallibilis, indefectibiliſque fidei. Nullus ergo, quem ſequendo peccari in fide non poſſit. Nullus ergo, qui ſe ſequentium, & errantium ignorantias, & errores fidei autoritate ſua reddat, præſtetque invincibiles, & ex toto à culpa excuſantes. Domine alioqui Paſtores poſſent, omnemque ſolicitudinem Paſtoralem, ne oves mactarentur, perderenturq;, deponere, ut ſtatim ampliùs demonſtrabitur.

§. III.

Factu notorio, autoritatibusque id ipſum demonſtratur.

IMmunitas illa, & quaſi privilegium, quo Doctores privati ſibi, & aliis certa regula credendi eſſent, vel ſaltem excuſatio à peccato, ſumi poſſet vel à præſtantia ingenii, & dotium uniuſcujusque, vel ex gradu aliquo in Eccleſia. Sed ex neutro capite ſumi poteſt. Nuſpiam igitur eſt apud Doctores privatos immunitaa illa, & quaſi privilegium; quo ſibi & aliis certa regula ſint rectè credendi, vel ſaltem à peccato excuſent beneficio ignorantiæ invincibilis.

Et primò quidem à præſtantia ingeniorum, & mentium iſta privilegia deſumi non poſſe, & ſi nihil ore clariſſimo eſſet dicendũ, patet primùm, quia plerique Doctorum, Magiſtrorum non præſtantis, excellentisque, ſed vulgaria magis ingenii ſunt, & ut Auguſtinua ex Tullio uſurpat, magnorum ingeniorum, ac proindè paucorum eſt conſuetudo non duci, ſcilicet magis quam vero, diximusque ex Ariſtotcle, pleroſque judicare, quemadmodùm conſuevimus.

Deindè Hieron. in c. 10. Oſeæ Proph. *Hæreticorum terra*, inquit, *fœcunda eſt, qui à Deo acumen ſenſus, & ingenii percipientes, ut bona natura in Dei cultum verterent, fecerant ſibi ex his idola. Nullus enim poteſt hæreſim ſtruere, niſi qui ardentis ingenii eſt, & habet dona naturæ*, &c. *Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctiſſimos legimus: talis Bardeſanes, cujus etiam Philoſophi admirantur ingenium.*

Auguſtinus in pſalm. 123. *Non enim putetis, fratres, quia potuerunt fieri hæreſes per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreſes niſi magni homines: ſed quantum magni, tantum mali montes*, &c. *Venturi enim ſunt homines*, & *dicturi tibi: magnus ille vir, & magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus? qualis eſt Maximianus? & neſcis, Photinus qualis fuit? & ille Arius qualis fuit?* idẽ advertit. & notat in pſalm. 35. & tract. 1 in Joan. ſub initium, & alias. Non ergo ſufficit ad immunitatem in fide: hunc celſiſſimę mentis magnũ virum ſequor; ergo tutus ſum; imò verò hæreſes non niſi magni homines, quique à mundo maximè haberentur, invexerunt.

Rursùs Augustinus epist. 52. *quædam acutissima, & excellentissima ingenia tantò in majores errores ierunt, quantò præfidentiùs tanquam suis viribus cucurrerunt, nec simpliciter ac veraciter Deum, ut viam sibi ostenderet, petierunt.* Basilius hom. 8. in exam. *quemadmodùm noctua aspectus*, &c. *sic secularium hominum, & hujus mundi sapientium mens acutissima quidem ad vanas res perspiciendas esse videtur; hebetissima verò, caliginеque referta ad ipsam lucem veram perspiciendam exsistit.*

Egregium est hanc in rem totum aureum c. 22. Vincentii Lirinēsis. *Dicebamus ergo in superioribus*, inquit, *quod in Ecclesia Dei tentatio esset populi error Magistri, & tantò major tentatio, quantò ipse esset doctior, qui erraret. Quod primum scripturæ autoritate; deindè Ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione, qui cum aliquandiù sana fidei forent habiti, ad extremum tamen, aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent. Magna profectò res, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria*, &c. ne scilicet fideles hac magna tentatione cadant, & se tutos arbitrentur, si Magistros privatos quantoscumque sequantur.

Sed, subdit, *ego ita arbitror, quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè sit, qui Origenis tentationi valeat comparari, in quo plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis facilè judicaret. Nam si vita facit autoritatem, magna illi industria, magna pudicitia patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio, eo nobilius, qui primùm in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio. Deindè pro Christo non solùm Patre, sed omni facultate privatus, tantùm inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis sæpiùs, ut ferunt, affligeretur.*

Nec verò hæc in illo sola erant, quæ cuncta posteà tentationi forent, sed tanta etiã vis ingenii tam profundi, tam acris, tam eloquentis, ut omnes pœnè multum, longeq; superaret: tanta doctrinę, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, pœnè fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quę non penitùs assequęretur, cujus scientiæ cum græca non crederent, hebręa quoque elaborata sint, &c.

Sed forsitam argumentorum tantummodò nexibus assertiones suas texuit. Imò planè nemo unquam Magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed credo, pauca conscripsit. Nemo mortalium plura, &c. Cui nequidquã ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forsitam discipulis parùm felix. Quis unquam felicior? Nempè innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacedotes, Confessores, Martytes exierunt. Jam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria quãta gratia fuerit, quis exequi valeat? &c. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantæ doctrinæ tantæ gratiæ verum facilè deponeret aut non illã potiùs uteretur sententia, se cum Origene errare malle, quam cum aliis vera sentire? &c.

Quamobrem hic idem Origines tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimiùm indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam christianę religionis simplicitarem, &c. meruit, ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur: *si surrexit in medio tui Propheta*: & paulò pòst; *non audies*, inquit, *verba Prophetæ illius.* Hactenùs Lyrinensis.

Et cap. 24. de Tertulliano prosequitur; sed & Tertulliani, ait, eadem est ratio: nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facilè Princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis, atque humanis rebus exercitatiùs? Nempè omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, &c. mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pœnè ad expugnandum proposuerit, &c. & tamen hic quoqne post hæc omnia, &c. meruit, ut de se quoque, & scripturis suis diceretur, *si surrexerit in medio tui Propheta*, & mox, *non audies verba Prophetæ illius.* Hæc inter multa de Tertulliato Vincentius.

Exptellerat etiam cap. 16. quanti, quamque excellentis ingenii viri extiterint Photinus, Apollinaris, & Nestorius; atque hujus tentationis magnitudinem, & pericula exposuit c. 15. Regulam porrò huic rentationi resistendi, post ea, quę de Tertulliano memoraverat, confert cap. 25. Et volunt Modetni hoc, quod tentatio re vera est, in impunitatem convertere.

Patet ergo ex his simplici solùm rerum consideratione quadam, nullum esse in Ecclesia privatum Doctorem sive à præstantia ingenii, sive à copia doctrinæ præservatum à peccato, in doctriua fidei, & in docendo, quive sibi, aut aliis certa regula sit rectè credendi, aut in fide non peccandi. Quod idem Hæresiarchæ etiam, & hæretici ætatum nostrarum evidentissimè commonstrant; nam Lutherum, Calvinum, Bezam; ac multos eorum alios magnas quasdam animas fuisse, magnoque ingenio viguisse, qui nescit, valdè sanè ignorans est.

Hæc itaque cum ita sint, cum factis notoriis ætatum pænè omnium pateant, cum a Patribus etiam nostris annotata. traditaque tanta expressione fuerint, planè nescio, neque, opinor, sciam unquam, undè, quo jure, quo privilegio, aut providentiæ divinæ ratione, aut Dei promissione quisquam aut sibi, aut aliis in Ecclesia Dei eam autoritatem, immunitatemque tribuere possit, ut credat, se, aut alium quemque Doctorem in doctrina fidei regulam certam esse ritè eredendi, vel saltem in fide non peccandi. de quo iterum inferiùs, sive via probabilitatis, sive ignorantiæ.

Jam quod ad statum attinet, nullumque esse privilegiatum, luce clarius est factis publicis quin Hieronymus in Decreto allatus rectè annotat, si veteres historiæ considerentur, illud esse compertum, à Sacerdotibus, Episcopisque hæreses, atque errores inductos esse. Scitur scilicet à tempore ipso Apostolorum Nicolaum Hæresiarcham fuisse Diaconum ab Apostolis institutum, Arrium Presbyterum Alexandrinum, Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, Dioscorum Eutichianæ hæresis fautorem Patriarcham Alexandrinum, Eutychetem ipsum Monachum Archimandritam, Pelagium item Monachum; & ita de aliis; & nulla hæresis extitit, quam ex statibus omnibus aliqui secuti non sint; ac postremò demùm Lutherus religiosus, Calvinus Canonicus fuit; in quorum sectas, & errores regularium, & Sacerdotum, Episcoporumque plurimi abjerunt, qui & peccarent ipsi, & se sequenribus essent etiam causa peccandi. Quinimò non hi, aut illi, & quasi singuli seorsim, sed conjuncti, & in Conciliis ipsis congregati Sacerdotes Concilia reprobata, atque pro Arrianorum, Semiarrianorumque tuendo errore multa ejusmodi Concilia à multis Episcopis celebrata sunt, & Arimini omnes pœnè lapsi sunt, quandò ingemuit orbis terrarum intuens, se totum Arrianum esse.

§. IV.

Ex his, quæ negari non possunt, quædam inconsiderationes, vanaque confidentiæ removentur.

ILla in primis lib. 1. *quæst.* §. 2. remota, disjectaque est, qua credere quidam videntur fideles credendo, atque sequendo hos tantos & numero, & dignitate, & ingenio, doctrinaque Magistros, antequam etiam ab Ecclesia damnati essent, & quandiù intra Ecclesiam ipsam edocebant, minimè peccavisse. Hoc, inquam, est pura inconsideratio, omnisque expers fundamenti, ut ex Epistola Celestini ad Nestorium, Innocentii ad Patres Concilii Carthaginensis; & ex alia ad Patres Concilii Milevitani in reliquorum specimen manifestavimus. Contulimus etiam ibi ex Scripturis aliqua, & plurima alia adjici possunt. Sed in re notoria opus probatione non est; scitur enim Hæresiarchas primos singulos apud nos, & intra Ecclesiam errare cæpisse, atque ex nobis prodiisse; atque hac una de causa Concilia coacta fuisse, & ab Ecclesia hos seductores errantes, & in errorem mittentes, ejectos fuisse, quia non Pastores ovium erant, sed lupi rapaces mactantes oves, atque perdentes, & occidentes: quod in sequentibus de doctrina morum copiosè tractandum est.

Vellent sanè homines in rebus animæ dormire, & oscitari, ut aliis omnibus intenderent: quem in finem nihil utilius invenire possunt, quam existimare, se tutos, & peccati omnis expertes, si non magnos illos, quos memoravimus, viros, sed vulgares etiam quosque Magistros, & sæpè etiam non Magistros consulterent, & sequantur. Sciant ergo, & resciant, prorsùs vanam, & nimis animam negligentium esse hanc, vel existimationem, vel inconsiderationem] saltem in doctrina fidei, atque hac inanitate, ut Augustinus refert & aliàs allegavi, Donatistæ sese tuebantur, ad suos Episcopos appellando, quasi hi, non autem ipsi rationem reddituri essent; reddent sanè, inquit Augustinus. Sed pessimam de morte vestra. Nullus igitur intra Ecclesiam etiam ipsam Doctor, aut Magister est, qui peccare ipse in doctrina non possit, & quem sequendo alii quoque peccare nequeant.

Alia, credo, inconsideratio est, quàm etiam lib. præc. rejecimus; existimare enim quidam videntur, nihil peccare fideles, neque oves perdi, si à Pastore suo, & Parocho audiant, & credant, errorem quantumque, vel personas Trinitatis esse duas, vel filium non esse consubstantialem, paremque Patri, vel quidvis simile. Et ecce Arimini non Pastor, aut Parrochus unus, sed sexcentum Episcopi sustulerunt particulam; *homousion*, & in fide erraverunt, & se sequentes Arrianos effecerunt, ac proindè mactarunt, & perdiderunt. Num ergo Episcopos, Patriarchas, & summos quosque in Ecclesia viros, quin etiam sexcentum simul Episcopos sequendo peccare, perireque oves possunt; & unum indoctum Parochum sequendo non possunt? Magna profectò inconsideratio ista esse videtur, ne cæcitatem dicam.

At inquis; docentes quidem ipsi, & seducentes peribant; sequentes verò nihil delinquebant. Sed hoc disjectum est, & quoniam magnus laqueus esse potest, denuò operosè revincendum est: & modò ad sacra Concilia omnia provoco, quæ ea de causa lupos ejecerunt, & sequentes etiam pertinaciter oves; quia scilicet & hæ reæ, & veneno infectæ jam erant, & ne alios inficerent, perderentque, separandæ fuerunt. At quid, inquis, rudes animæ, simplicesque oves faciant, siquidem Pastores suos sequuntur; ipsæ autem propter imperitiam nihil inter herbas sanas, aut noxias discernere possunt? Sed semper dico: hoc devorandum est, & credendum; & deindè solutio ab omnibus exquirenda. Quid enim, inquam ego, faceret populus Constantinopolitanus quandò contrà sacras imagines, ipso etiam Leone Imperatore Assertore à septingentis Episcopis decretum fuit? Anne populus in tuto erat, neque peccabat. Ergo & modò Londinensis immensus populus in tuto est, nec delinquit, si vel sacras imagines, vel Eucharistiam etiam ipsam conculcet. Inferamus itaque ad doctrinam nostram: multitudo illa populi Constantinopolitani peccabat septingentorum Episcoporum Concilium sequendo: peccat enim modò Londinensium populus. Ergo & Matriti, ac Parisiis peccare populus posset, si quid contra fidem acciperet; non solùm hunc; aut illum Magistrum quantumcumque sequendo, sed plurimos etiam, & plerosque sequendo; nec ad impunitatem sufficit, Concilium Constantiense Patrum fermè mille, & tacentum Episcoporum, quæ parte ab Ecclesia susceptum non est., hoc, aut illud decrevit. Nam si septingenti Episcopi errare potuerunt, etiam Patres mille, Undè denuò vanitas illius defensionis conspicitur, quà sive titulo probabilitatis ab extrinseco, sive titulo, & prætextu ignorantiæ invincibilis dicitur; Magistrum, vel Magistros consultavi, eosque sequor: ergo quidquid ipsi errent, ego in tuto sum, neque pecco, Verum scilicet hoc est saltem in fide; ex quo ad mores gradum faciemus.

Nunc ad Parochum redeundo, patet; quam sit vanum, ea illum, ipsumque sequentes immunitate donare, qua Concilia tot Episcoporum, eosque sequentes fideles caruerunt. Dices tamen; Concilia ista, Episcopi isti per malitiam, & scientes, volentesque errarunt; parochus autem montanus per simplicitatem, & ignorantiam & errat in fide ipse, & populum errorem docet. Quidquid ergo peccarent fideles Episcopos illos sequendo, non tamen peccant simplicem, indoctumque parochum auscultando, & sequendo.

Mirabilis est sanè ista consecutio, qua ignorantia, & rusticitas doctrinæ, ingenioque præfertur, & doctissimos, præstantissimosque viros, & Magistros ex officio suos sequendo peccare fideles possunt, rusticos autem, idiotasque sequendo non possunt, Et deindè, undè simplices fideles discernant, & deprehendant, utrum ex ignorantia, & simplicitate, an ex malitia pastores fallant? maximè verò, cum fideles non putent, eos fallere, sed potiùs verum tradere; alioqui decipi non possent, ut lib. 1. ostensum est. Undè rursùs in tot tantorum Episcoporum Concilium fraudem, malitiamque magis, quam in parocho quoque vel præsumant, vel timeant? Denuò falsissimum quidpiam in his assumitur, & commiscetur, scilicet hæresim, ac errores in fide docentes omnes per malitiam, scientesque, & volen-

volentes decipere. Nam contra potiùs lib. 5. demonstratum, opinor, est neminem corde esse hæreticum, qui verum non putet, quod ipse credit primùm, & alios deindè docet, quia nemo sciente fallitur, utque ex Salviano sæpè usurpo; *nobis heretici sunt, sibi non sunt*; nos potiùs ipsis hæretici, aut decepti sumus. Postremò quandò etiam per malitiam quis alium decipit in fide, vel malitia est manifesta, & nota; & decipere non poterit; vel occulta, siquidem hi lupi venire solent in vestimentis ovium, & solùm intrinsecùs sunt lupi rapaces? Occulta autem malitia ipsi quidem deceptori obest; nihil autem decepto, ad quem non malitia, & fraus illa occulta transit, sed error solum: at hic idem transit à Parocho simplici, & ignoranti: ergo decepti eodem modo oberit, vel non oberit; quemadmodum lethalis potio ex ignorantia, vel malitia propinata.

Practice itaque ista consideremus. Materia dissensionis cum Arianis non minus, quam totam quantam difficultatem profundissimi mysterii Trinitatis involvebat, qui scilicet fieri posset, ut Pater, & Filius duæ personæ invicem distinctæ unius substantiæ, & naturæ, æqualesque per omnia essent? Nihil, credo, est in tota latitudine intelligibilium, aut credibilium, ubi via rationis, & ingenii errare, decipique facilius possimus. In autoritate autem multa inveniebant, quæ sibi suum dogma continere videbantur, assertionem Domini dicentis, *Pater major me est*: item dicentis, se à Patre esse missum, se illi esse obsequentem, voluntatem ejus facere, ipsum orare, & alia, quæ inferioris esse videbantur. Ad hæc: Constantii saltem tempore, totus ferè mundus Arianus erat, multitudo maxima Episcoporum faciebat: Concilia etiam plurimorum, & plura Arianismum stabiliebat. Fingebat modò, iis nos temporibus esse præsentes, ut de re tanta sententiam pronunciemus. Num tantis his stabilimentis, tantaque ista multitudine Doctorum, Episcoporum, Conciliorum, Regnorum populi primùm, ipsi deindè decepti Episcopi, & Doctores aut propter autoritatem tantam apparentem, aut propter ignorantiam invincibilem in tuto erant, neque peccabant, & regulam saltem minùs rectè credendi, saltem in fide non peccandi habebant, vel secùs? Etenim in eis nos met absolvere vel damnare, necesse est; nullo siquidem privilegio vel ætates nostræ, vel Doctores magis nostri præmuniti sunt. At dici sanè, catholicèque non potest, eos vel populos, vel doctores singulos tot etiam aliis consentientes in tuto fuisse, aut peccavisse, aut regulam fidei saltem non peccandi habuisse, tantam illam apparentem, & ipsis quidem maximam autoritatem, aut probabilitatem, aut invincibilitatem in errorem refudisse. Ergo & nobis, ut olim Hispaniæ toti accidit, idem, quod Deus avertat, contingere potest, quin salvet nos multitudo aut deceptorum, aut decipientium. Damnati etant, inquis, in Concilio Nicæno trecentum triginta octo Episcoporum. Verùm ibi hos tot Episcopos errare etiam Romanos Pontifices, ac demùm sibi liberium Pontificem consensisse falsò quidem censebant, tamen censebant: sicut nos, & verè quidem de ipsorum Conciliis arbitramur.

Atque ex his aperte cernitur, non modò Doctores quosque privatos regulas fidei non esse, & errare posse, & peccare, sed integra etiam, atque numerosissima Concilia Episcoporum: quæ sequendo peccent etiam fideles: quod, ut visum est, relictis metaphysicis constat factis notariis, & exemplo omnium Conciliorum reprobatorum.

Undè autem, & quomodò inter ipsa ista Concilia, alia vera, & legitima; alia falsa, ac pseudo Concilia discernantur, omnibus demùm perpensis, nihil superest, nisi approbatio, vel reprobatio Ecclesiæ, & illa vera indubitanter censenda sunt, quæ Ecclesia probavit; illa falsa, quæ reprobavit. Hanc rursùs Ecclesiæ approbationem, & reprobationem, siquidem uniquique Hæretici apud se Ecclesiam esse comminiscuntur, indè indubitato signo agnoscimus, quod sedi Apostolicæ Romanæ probata, vel improbata sint; quod signum nec fefellit unquam, neque fallet. *Ad hanc enim Ecclesiam*, inquit Irenæus lib. 3. adversus hæreses; cap. 3. *propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique: fideles: in quo semper ab his, qui sunt undique: conservata est ea, quæ Apostolis est, traditio*: atque unionem, & unitatem Ecclesiæ; & cum Ecclesia citrà unionem, & unitatem cum Romana Ecclesia salvari, exponique satis non posse, argumenti id nostri foret, sanctorum Patrum pœnè omnium expressis monimentis commonstrarem: Irenæus certè; qui pro multis valet, *hanc traditionem, & annuntiatam hominibus fidem*, inquit, *per successiones Episcoporum* (scilicet Romanorum de quibus tractat) *pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo per sui malam placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam*, &c. Hoc itaque uno, hoc solo, quòd cum Romana Ecclesia non consentiat, nec conveniat, confunditur, & dignoscitur hæresis omnis. Abeant ergo politici quidam, & qui quasi Sedi Apostolicæ, & non sibi nocituri forent, minari etiam solent, & obmurmurare magnum illud, *negabimus obedientiam*. Quid verò indè? Hæretici sanè, vel schismatici evadetis, & peribitis. Sed quid, si totius Regni consensus, & Concilium Doctorum ejus omnium accedat? Hæretici sanè, vel schismatici evadetis, & peribitis. Adeò longè à verò abest, quod hunc, aut illum quantumcumque privatum Doctorem sequendo peccare in fide non possimus, & perire.

QUÆSTIO III.

Utrum ergo eisdem de causis in doctrina etiam morum nullus quantuscumque privatus Doctor sit præservatus, & peccare ipse in docendo possit, & alii eum sequendo.

Consilium est, asylum illum negligentium, vanamque persuasionem illam oscitantium, aut se fallere, & dormire magis volentium, dicentiumque *Doctorem consului, & sequor; ergo tutus sum*, omni molimine convellere Nunc porrò in hac quæstione solùm ex iis agam, quæ quæst. præc. de doctrina fidei constituta sunt; & examinandum, videndumque est, utrum iisdem

venda sint? Arguimus itaque, & ut nobis quidem videtur, insolubili argumento sic: in doctrina fidei nulla impotentia subest, quæ populi à peccato excusentur, etiam si Doctores & quidem magnos & Academias, ut Oxoniensem, Wittembergensem esse quin plurimorum quoque Conciliorum suorum dicta sequantur, ergo nec in doctrina morum. Namque de impotentia barbarie, idiotismoque allegant, ad litteram & ad verbum in doctrina fidei estringuntur. Quæ denuò Synagogæ etiam exemplo declarabimus.

Ex his conspicitur. Vanam illam quoque esse oppositionem, qua objiciunt, istam nostram ex veritate vivendi legem, & veritatem invivendi obligationem esse impracticabilem. Nam arguimus sic: In doctrina fidei non est impracticabilis lex similis, & obligatio. Ergo nec in doctrina morum. Nisi velint, in doctrina fidei populos esse scientiores, aut doctrinam ipsam esse faciliorem; aut in ea patentiores esse Prophetas & Pseudoprophetas, quos tamen in vestimentis ovium venturos, Dominus denunciat. Nunc ergo impracticabilis horum Doctorum, & Pseudo Doctorum, interius omninò lupum gestantium discretio? quid ergo Dominus attendere, caveteque jubet? quod si in fide impracticabilis non est, utique non est; (alioqui sancta Ecclesia nullos unquam populos, & simplices peccati reos habuisset) planè practicabilis etiam erit in doctrina morum. Itaque vel omnibus in utraque doctrina salvum conductum concedendum est; vel non à nobis sed ab omnibus nodi hoc circa omnes expediendi, solvendique sunt.

§. II.

Ex non immunitate igitur in doctrina fidei non immunitas in doctrina morum infertur tam Magistrorum, quam eos sequentium.

Itaque arguitur sic: nulla est immunitas neque Magistrorum quantorumcumque, neque ipsorum etiam Conciliorum seorsim auditio, & approbatio neque Ecclesiæ, neque demùm Academiarum in doctrina fidei, in quam immunitas qua vel Magistri ipsi, vel sequentes immunes, præservatique, vel quasi privilegiati sint à peccato, & culpa, sive titulo probabilitatis, sive titulo ignorantiæ invincibilis. Ergo nulla est similis immunitas in doctrina morum. Quæ nunc consecutio multipliciter ostendenda est.

Primum quia nulla est specialis Dei promissio; nullum scripturæ vel sanctorum; Ecclesiæve testimonium, neque vestigium, quo vel conjectari quidem possit, Magistros, & Doctores in Ecclesia, in ipsa fidei doctrina deficere, peccareque posse: item peccare posse eos sequentes: In doctrina autem morum, neque Magistros deficere, peccare que posse, neque eos qui ipsos sequantur. Rursus nullum superest uspiam privilegium, aut privilegii vestigium, quo ista immunitas, & securitas magis conveniat in doctrina morum, quam fidei. Valet ergo consecutio ex doctrina fidei ad doctrinam morum.

Secundò à fortiori. Etenim ex Dei providentia, divinisque promissionibus expressius atque securiùs constat, servatam, servandamque esse. integram, incorruptam, intemeratamque in Ecclesia Dei doctrinam fidei, quam reliquam omnem doctrinam etiam morum; quæ infra, & citra fidem sit: at divinis his, expressissimisque Ecclesiæ suæ factis promissionibus non obstantibus peccare, deficereque inter Ecclesiam ipsam potuerunt in doctrina fidei Doctores quiqs quanticunque privati; peccare item qui eos sequerentur: & de facto summa ingenia, summi Viri integra Regna, atque integræ etiam per celebres Academiæ, ut Oxoniensis, & aliæ defecerunt, & peccarunt: & peccarunt etiam sectatores. Ergo à fortiori peccare in doctrina morum possunt, & Magistri quique & qui eos sequuntur. Undè sicut dato, & assignato, nominatoque quolibet Autore, vel Theologo non verum, sed absurdum est dicere, eum sequendo peccare in fide non potuisse modo explicato seu eum regulam indefectibilem esse ritè credendi; aut non peccandi; ita non verum, sed absurdum est, quolibet dato, & nominato, eum regulam indefectibilem morum dicere, hoc est quem sequendo chimæra sit peccare reliquos.

Præterea ne occultis, privatisque rationibus, sed ex publicis, & authenticis principiis causam agamus, sic constat solam sanctam Ecclesiam, in se vel in capite esse visibilem, & certam, indefectibilemque regulam in doctrina morum; sicut constat & indubitatum est, esse in doctrina fidei. Quarè utraque doctrina cujuscunque quanticunque Doctoris subjecta est judicio Ecclesiæ, quæ examinare eam, & si errat, damnare etiam potest, & necesse fuit, quod Dominus Ecclesiam erigeret, quæ in utraque doctrina columna foret, & firmamentum veritatis; quia scilicet reliqui privati quique Doctores aberrare, maleque dirigere, & regere, perdereque oves poterant. Quod verò dicere in præsentia possunt, Doctores privatos etiam materialiter posse, populumque peccare materialiter eos sequendo, tractarum, contrirumque fuit *part. 1. lib. 1. quæst. 7.* Valet ergo consecutio ex non immunitate Doctorum, & ipsos sequentium in doctrina fidei ad non immunitatem, & non præservationem in doctrina morum.

Undè etiam conspicitur, rectos eos celebres syllogismos reflexos non esse, & sua ipsa positione destrui; sunt enim syllogismi privati cujuscunque Doctoris, vel etiam Doctoris: quorum neque majores ab Ecclesia approbatæ sint: minores autem sunt judicia particularia Doctorum, atque etiam non Doctorum subsumentium, hanc & illam opinionem esse probabilem. Ponunt autem doctrinam his syllogismis contentam esse regulam indefectibilem morum. Arguimus sic: hæc nota quanta doctrina horum syllogismorum est doctrina horum, & illorum hominum Doctorum, & etiam non Doctorum, & sic etiam argumentatio ipsa, & illatio, & forma. Ergo ipsa sui positione destruitur; nam ponit, & exorbitat dicendo, se esse indefectibilem, infallibilemque regulam: quo apud nos nihil est falsius.

Denuò pro facta illatione, & consequentia arguitur. Ideò nullus Doctor privatus, nullum regnum, aut Academia, aut Concilium seorsim ab approbatione, judicio ecclesiæ est regula indefectibilis in doctrina fidei, & à quovis simili judicio appellari potest ad judicium Ecclesiæ in se vel in capite: quia nullus Doctor privatus regnum

gnum nullum, aut Academia, aut Concilium seorsim ab approbatione Ecclesiæ est indefectibile in veritate fidei: & ratio regulæ, & ratio veritatis, causa una, eademque est; sed eodem modo nullus privatus Doctor aut regnum, aut Academia, aut Concilium seorsim ab approbatione Ecclesiæ est indefectibile in veritate morali. Valet ergo ex defectibilitate, & non immunitate, in fide ad defectibilitatem, & non immunitatem in moribus.

Obviam esse, inquis, solutionem: non in doctrina fidei circa veritatem ipsam non superest probabile, quod regula indefectibilia esse possit; & ideò in doctrina fidei causæ veritatis. Et causæ regulæ conjunctæ, connexæque sunt. At in doctrina morum citra, & prærer veritatem superest probabile; quod regulaa indefectibiles esse queat; ideòque neque causæ veritatis, & regulæ inventæ sunt, & qui sunt defectibiles in veritate, possunt esse indefectibiles in regulando.

Sed istam ex consueto magis natam solutionem vix diguam arbitror, quam oppugnemus propter dicta toties: nam hoc ipsum absurdum est, quod ponantur istæ regulæ indefectibiles. Deindè hoc posito, nihil opus esset Ecclesiam speciali, infallibilique assistentia spiritus sancti donare quoad doctrinam morum, sed solum quoad doctrinam fidei, nam ut par. 1. l. 1. quæst. 7. magis declaratum fuit, semel babitis infallibilibus regulis, quibua non peccent, quin etiam rectè operentur, nullo amplius opus est fidelibus, & ovibua; at negata & remota ea spiritua sancti assistentia, suppetunt ubique fidelibus, & ovibus infallibiles istæ regulæ, quibus sanè, salubtiterque pascantur, & non peccent neque venialiter, & vitam æternam mereantur. Rursùs hoc posito, nulla appellatio ad Ecclesiam utilis foret. Nulla item liceret; nam ex æqualiter infallibili non licet appellare pro veritate babenda. Denuò, quia, ut ea quæst. 7. explicatum fuit, satia foret, si Ecclesiæ quoque concederemus infallibilem assistentiam spiritus sancti, nō quo vera, sed quo probabilia doceret: nam quo ad mores ratio regulę & ratio veritatis, ut ajunt, conjunctæ non sunt, sed ratio regulæ, & ratio probabilitatis, & quod est infallibile in probabilitate, est, ut putant, in fallibile in regulando, satis ergo erit infallibilitas in probabilitate, Iterum hinc nullus privatua quantuscumque Doctor est indefectibilis in probabilitate; & sicut falsa, sic etiam non probabilia docere potest; ergo neque est regula indefectibilis.

Postremò capitaliter: quia prorsùs falsa est ea assumptio, qua regulam fidei cum vèritate conjunctam volunt, & indefectibilem regulam cum indefectibili veritate; secus autem in doctrina morum. Etenim de fide est, sicut verba Dei credenda, sunt, ita etiam exequenda esse etiam mandata Dei; inquam, mandata, quæ re ipsa Deus dedit, sicut verba quæ re ipsa ipse locutus est: & regulam supremam morum esse ipsa illa mandata, sicut regula fidei sunt ipsa illa verba. Sicut ergo omnis regula secundaria, & doctrina fidei cum verbis illis concordanda est, ita etiam cum mandatis illis; si autem concordat utrobique vera & regula est; si non concordat, nullibi regula est. Utrobique ergo ratio regulæ, & ratio veritatis conjuncta est, & omne fallibile in veritate est fallibile in regulando.

Expono: sicut jussi sumua, ea ipsa credere, quę Deua revera dixit, ita per uniuersam scripturam jubemur, ea facere, quæ revera præcepit; & absurdum est planè dicere, ea quidem ipsa esse credenda, quæ Deus revera locutus est, & non quæ etiam falsò opponimus, eum locutum esse, & ideò in fide causam regulæ, & causam veritatis conjunctam esse; at non ea ipsa facienda esse, quæ revera mandavit, sed quæ vel verè, vel falsò opinamur noa esse mandata. Concordanda est ergo, velimus, nolimus, omnis ratio regulæ morum cum ipsis mandatis, quæ re ipsa dedit Deus. At in hac ipsa concordia veritas consistit, ut patet, & nullus Doctor errana concordat. Ergo sicut in fide, sic in moribua causæ regulæ, & veritatis conjunctæ sunt, & omne fallibile in veritate regula fallibilis morum est.

Atque hoc supponit sancta Mater Ecclesia, & magnorum Doctorum, regnorum etiam, & Conciliorum modo dicto in fide doctrinaa damnavit: quæ sanè doctrinæ si ab ipso toleratæ fuissent, & prætermissæ, tanta, tantorum sectatorum multitudine probabiles habitæ, & existimatæ fuissent; & superfuisset in omnibus damnatis hæresibus hoc suum probabile impugnitaris, si sancta Ecclesia tacuisset, & tolerasset. At sancta Ecclesia non hoc putavit sufficere, ne oves perirent, ut exposuimus; propterea que illas damnavit. Eodem porrò spiritu ipsa mater Ecclesia plures morum opiniones damnavit, quasi toleratæ, omissæque fuissent probabiles à multis haberentur. Ex quibus demùm omnibua conficitur, valere eam consecutionem à doctrina morum. Et certè ego, etsi Theologiam docuerim, & hos quales etiam libros edam, in magna me cæcitate futurum existimarem. Si crederem, me sequendo peccare alios non posse. Advertat Deus factum, & tantam mentia cæcitatem.

§. III.

Omnes alii in Ecclesia Dei peccare possunt in officiis suis: ergo etiam Magistri, & Doctores, ergò & sequentes ipsos.

Videtur, istam ipsam propositionem terminorum satia futuram esse ad probationem. Omnes alii in Ecclesia Dei, hoc est fideles ipsi omnes peccare in officiis suis possunt, jam scienter, & ex malitia, jam etiam ignoranter, & ex ignorantia, Ecclesiastici, & laici possunt; regulares, & seculares, sacerdotes, Episcopi, Reges, judices, negotiatorca, conjugati, & cælibes, & omnea sine exceptione prorsùs possunt: quin status nullus est, nulla vitæ professio, in qua peccatum non sit, & ex qua etiam aliqui; vel aliquis non perierit, vel ex duodecim Apostolis unus; Ergo Magistri etiam, Doctores in Ecclesia, hoc est, fidelea, & catholici Doctores peccare in officio suo, & in docendo possunt, jam scienter, & ex malitia, jam etiam ignoranter, & ex ignorantia: ex quo statim consecutio secunda de sequentibus ipsos constabit. Facta porrò, illata que consecutio probatione opua non habet: nam per se notum in Ecclesia est, nullam esse præservationem, nullum privilegium, immunitatemque Magistrorum, & Doctorum præ aliis quibuaque; & etiam ultrò duci potest, reliquos status omnes præservatos esse, Magistros autem non esse,

esse, quam ultrò diceretur, Magistros præservatos, & in gratia quoad officium confirmatos esse, & reliquos non esse. At cœteri præservati non sunt, & in omnibus officiis peccari potest. Ergo etiam in Magisterio, & in docendo.

Rursùs in omnibus aliis officiis, & statibus Ecclesiæ, non unus, sed plures etiam peccare possunt: ergo etiam in Magisterio, & in docendo. Undè conspicitur, de quo iterum erit dicendum qualis sit defensio illa, & quasi privilegii allegatio, qua dicere quidam solent, Doctorem hunc, aut illum esse catholicum; quasi hoc habito, impossibile sit, eum in officio peccare: sicut catholicismus in aliis statibus, & officiis non pugnat cum peccato iu eisdem officiis, & potest esse Rex catholicus, & non servare justitiam distributivam, & mercator esse catholicua, & avarus, & injustus; atque ita in aliia: sic Doctor potest esse catholicus, & peccare indocendo tam in doctrina ipsa fidei citra pertinaciam, quam in doctrina morum.

Scitur itaque, nullam hujus magis officii esse præservationem, aut divinam promissionem, aut fundamentum, quo Doctores catholici fiant in eo impeccabiles magis, quam Reges, judices, regulares, & cæteri de singulis saltem, & de multia etiam loquendo: nam de omnibus, & quinam nomine omnium intelligendi sunt, tractamus inferius. Quo circa si quid uos latet privilegii, impunitatis hujus usurpandæ jus ullum superest, prodendom erit, & dicemus.

Vel ergo immunitas ita, privilegiumque status posset, quia à Deo promissum est quidpiam, vel quia omnes Doctoratum consequentes, vel sine Doctoratu etiam ducentes anatura apti, & à doctrina digni sunt, nec in studendo deficiunt, & eos libros, & tantopere evolvunt, ut in nullo prorsus desint, nec deesse possunt. Sed nihil horum est, & docendi munus arripere possunt. & qui a natura inepti sunt & doctrinæ inopes, & pigri, & negligentes, & quibus libros, quos scire oportet prorsus ignorent: sicut in aliis officiis. Nihil est ergo, ex quo munus illud, & officium præservatum, impeccabileque sit.

Quod illi etiam, qui probabilium vitam tenent, fateantur necesse est. Posito enim, probabilitatem esse regulam, nullus est, qui hanc mensuram, egredi non possit, sicut Mercarores mensuram justi pretii, quique sit confirmatus ad docendum solum probabilia, & cujus omnia dicta sint in defectibiliter probabilia, scienter, & ignoranter levia inania, absurdaque docere non possit, ergo & peccare, sicut reliqui. Quin eò facilius, quod reliqui sui uniquique officii obligationes, & jura scire solum debent; Magistri autem morum, & conscientiæ obligationes omniū quorum mores conscitientiasque tegunt; facilius ergo ignorare errareque possunt. Potest autem error, & ignorantia sicut in officiis cœteris, negligentiæ, passionis, amoris, & odii, & aliarum imptobarum matrum esse filia, ac pro indè non innoxia, neque excusana ex toto, ergo in Magisterio, & in docendo scienter, & ignoranter peccari potest, sicut in officiis, professionibusque reliquis, ubi sciens, prudensque alia subticeo,

Hoc unum addo, hoc quasi genus Magistrorum etiam catholicorum divisioni etiam formali dividi posse in bonos, & malos, sicut cætera omnia officia, vel obeuntes officia, & sunt boni, & mali conjugati, & laici, & Ecclesiastici, & sic de inceps, Ergo Magistri etiam catholici possunt esse boni, & mali; ergo peccare in officio.

Jam secunda consequentia tituli, eos etiam scilicet sequendo peccare reliquos eriam posse, probatur. Inquam, posse, non enim determino hactenùs utrum semper, & in singulis, in quibus Magistri in docendo delinquerent, & eos sequentes peccarent; sed universaliter, & in genere dissero, peccare reliquos etiam posse eos sequondo.

Hæc consequentia, contra quam probabilistæ docent, ita mihi est explorata, atque exploratum est, in reliquis officiis, & artibus, eorum peritos sequendo pati homines posse, & obire ægrotos ex malitia, vel ignorantia Medicorum, & chirurgorum. Nam in primis, ut fuit ostensum, ita est in doctrina fidei; ergo, & in doctrina morum; & quęcunque allegant pro immunitare sequentiu n; instantur ad litteram, effringunturque in doctrina fidei, ut visum est. Vellem deindè, ut ex Dei vel Ecclesiæ, vel sanctorum scripturis ostenderent hoc Medicorum corporalium, spiritualiumque discrimem, ut Medici quidem corporales ignoranres, & errantes noceant ægris & eos etiam occidant, spirituales verò id est, animæ, conscientiæque Medici, & si ignorent, & errent, nihil obsint nec occidant, sed potius sanent. Contrarium opinor quidem ego, sub his terminis, & utrotumque Medicorum in hoc paritarem quivia commonstraverit.

Multis itaque omissis, quæ consequentiam eam probant, nunc eo uno urar, de quo sæpè citata *quæst 7. part. 1. lib.* feci fundamenta. Etenim si fideles Magistros, suos sectando peccare non possent, nec Magistri ipsi peccarent in officio suo, & in docendo. At Magistri peccare possunt in officio suo, & in docendo, Ergo & fideles sequendo. Minorem satis statuimus, & majori modo est demonstranda ex ea quæstione.

Ibi scilicet assumpsimus, & declatavimus illud moralis doctrinæ principium scientiam quippè moralem, Philosophicam & Theologicam, & magisteria ejus, infallibilitarem quoque ipsam Ecclesiæ, ac cætera similia omnia esse propter agere, & propter immunirarem morum, à culpa, rectitudinemque illorum, & honestatem; atque hunc finem esse, & hoc totum, sicut in fide proprer rectitudinem ejus: quo consecuto, & habito fine, nihil intersint cætera. Undè intulimus falsas doctrinas pares veris futuras esse, si falsis ex ęquo conster, & à culpa immunitas, & rectitudo, ac honestas morum juxta celebratum ubique principium, quod finis sit mensuta eorum quæ sunt ad finem.

Sic si distortis mensuris rectè pares, vinum, & oleum mensnrarentur, pares illæ rectis mensuris forent, quin non distortæ, sed rectæ forent; atque ita in horologiis, & in omnibus est sic etiam si Medicus contra artem Medicam curans æquè sanet, & medicamento arti contrario ex æquo morbum arcet, salutemve restituit, non peccaret, quin bonus, excellensque Medicus foret medicamenta arti contraria præscribendo,

nec

nec melioris esset, qui juxta artem præscriberet: atque ita est in artibus omnibus, imò in ipsis etiam speculativis scientiis si Magister aliquis falsis cognitionibus ex æquo, atque veris discipulos redderet scientes, & sapientes, nihil peccare posset falsa ultrò pro veris docendo; nam media, & quasi media omnia ptia sunt, causæ item omnes æquè bonæ, si fines, & effecta pariter omninò obtinerentur, ut patet. Ergo in fideles Magistros morum sectando non peccant, sed honestè etiam agunt, Magistri officio suo, acin docendo, non magis peccare possunt; quam quiquam Medicorum peccent si eo privilegio esset insignitus, ut venenum porrigendo, tam tutò, certoque sanaret ægrotos, atque si ex Hypocrate ad verbum curaret, præscriberetque. Quarè eo loci in auditum anteà monstrum illud conspeximus, nimirum, falsam scientiam moralem, & non nisi pseudoscientiam, & totam quantà sophisticam, parem scientiæ ipsi dignitate, utilitate, præstautiaque futuram. Quæ., & alia, eum contra lumen ipsum rationis sint, valet profectò consecutio in genere ex peccato Magistrorum, & Doctorum ad peccatum eos sequentium, ut in sequentibus ampliùs declarabitur.

§. IV.

Magister ergo, & Doctor Catholicus offendi commoverique non debet, si ex Propheta, & aliis contra defectus ejus arguamus: sicut contra peccata aliorum officiorum arguitur.

Nihil est in Ecclesia Dei usitatius, quam fideles ex Prophetis, Evangelioque ex iis, quæ adversus Judæos dicta sunt, arguere, reprehendereque, expertus tamen sum, offendi aliquos & monstres factos fumigare si ex iis, quæ per Prophetas, & à Domino dicta sunt adversus Doctores, Magistrosque populi, arguamus, disseramusque adversus Magistros, Doctoresque catholicos; aut ex iis quæ adversus hæreticos sancti Patres objecerunt: quæ nunc, opinor, in considerationem arcenda est.

Quod est, hoc sanè etiam fuit, & nihil sub sole novum; jamque olim in considerationem istam sancti Patres annotarunt: ac in primis Augustinus serm. 49. de verb. Domini *quando illud audiunt, inquit, quidam mali clerici, quod in ipsos dicitur, volunt pervertere, quasi ab his Christi increpationibus, & documentis immunes sint christiani, & serm. 45. de verb. Dom. nam ista omnia facile est intelligere de judæis, sed cavendum est, ne cum illos nimis attendimus, à nobis oculos avertamus, & Chrisostomus hom. 45. in Matth. tractans de quadam doctrina morali scribarum; ergo ait, dum Judæos castigat Dominus, Christianos docet: & Hieronymus in Breb. væ nobis miseris, ad quos vitia Pharisæorum transierunt.*

Ex Prophetis itaque, & ex Evangelio citta audaciam, calumniam, vitamve aliud in alia quæque officia etiam catholicorum arguere possumus; nec illa sive exceptio, sive defensio cuiquam in mentem venit: & illa contra Judæos ambitiosos, vel cæcos dicta sunt; nos porrò Christiani catholici sumus. Inquam, nullius alterius officii, aut artis professores, vel hac exceptione utuntur, vel hac de causa offenduntur: neque irreverentia, crimenve aliud contra Reges etiam ipsos, & Principes est, quod his ex locis arguantur, & quæ de Regibus olim Hebræorum dicta fuerunt, in ipsos afferantur, aptenturque. Ratio porrò; quarè in officia quæque, artesque cæteras, & professiones adducì, aptarique ea possint, non alia est, nisi quod vera fides, & catholicismus non sit præservatio, & immunitas à peccato, & quasi impeccabilitas, sed peccare singuli possunt in officiis suis, sicut Judæi. Sicut etiam Magistri possunt. Ergo non est, cur quis quam offendi possit. A principio nempè operis ex Propheta dicebamus, non esse confidendum nobis in verbis mendacii dicendo, *templum Domini, templum Domini, templum Domini, quoniam si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra*; &c. hoc tunc erat dicere, templum Domini, templum Domini &c. quod modò dicere catholici, catholici &c. & omnia ad nostram doctrinam scripta esse testis est Paulus.

Neque verò cum ex his ad Doctores etiam catholicos argumenta facimus, quæ adversus Doctores Judæorum dicta sunt, aut quibus sancti Patres adversus hæreticos visi sunt, intentio est æqualem, paremque, culpam ostendere; nam culpa, & de peccato, non de tanto est quæstio: sicut in aliis. Quin in scholis quoque ipsis passim citra offensionem, hæresis aliqua quibusdam catholicorum opinionibus objicitur. Arguere ergo tuto potuimus, & statim plenius poterimus, sicut contra status reliquos, & officia ita etiam contra statum, vel munus Magisterii, quod scilicet impeccabilitatis gratia præservatum non est.

Est autem magnoperè de hoc dicere necessarium: nam in ipso hujus libri proæmio adstruebatur rectitudo pœnæ, & falsus statuum, officiorumque aliorum ex rectitudine Magistrorum, Doctorumque pendere qui quasi quædam, post Deum exteriora moventia, morum sunt. Tanto verò amplius de eo operosè tractare necesse est, quanto ea persuasio pluribus insedisse videtur, qua creditur, nec Magistros ipsos peccare iodocendo posse, nec alios sequendo. Hinc namque fieret, nec Magistros hoc jam habito privilegio multum laboraturos nec minus aptos consulturos sapientiores alios, sed dormituros, ubi nullum censetur subesse periculum; & reliquos etiam, qui se quemlibet sequendo tutos existimant, neque plures, neque meliores quæsituros, quos consulten, ut magis etiam declarabitur; & quod in nulla alis prohibitarum etiam artiù visum est, sequetur, omnes esse æquales, & pares, quin potentiores esse magis ignorantes, ut minus scientes, ut alibi disputatum est, & utinam apud aliquos multos vel paucos in praxim quoque conversum non sit.

Quemadmodum itaque si ratio, gensque aliqua decepta credidisset se nullo genere navigiorum, nullisque nauis rectoribus periclitari in mari posse, & mergi, sed quibusvis gubernatoribus, & quolibet navigio tutos esse, optimè degente illa morterctur quicumque errotis eam sui commoneret, modisque omnibus persuasum iret; ita nos haud parum in salutem animarum collaturo arbitramur, si omni studio suadere nitamur, & Magistros ipsos in docendo; & reliquos sequendo peccare posse, & damnari.

QUÆST.

QUÆSTIO IV.

Autoritativa, verissima est, ergo evangelica sententia qua dicitur, si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

QUamquam ex certis, authenticisque locis hactenus argumentati esse videamur, ne tamen in re, tanta quoquo modo à verò declinare contingat, scripturâ, sanctorumque autoritatibus nunc ostendendum, & in doctrina fidei, & in doctrina morum, & extra Ecclesiam, & intra Ecclesiam peccare Magistros posse, & etiam seqnentes, & utrosque damnari.

§ I.

Proposita Dominica sententia explicatio, & comprobatio.

INferius Theologorum his de rebus sententias proferemus; & ad probabilia saltem edocenda plerique omnes Magistros obligant; sin minus eos peccare graviter ajunt, & similiter de confessoribus doctrinæ necessariæ expertibus decernunt, quin Vasquez cum multis tenet, confessiones fore irritas, & nullas sapienter vero Corduba lib. 2. de ignorant. quæst. 2. de his agit, in qua nunc Theologorum exploranda mente hærendum non est.

Dominus itaque Matth. 15. de scribis, & Pharisæis, & de quadam eorum morali doctrina (de qua infrà dicetur) & universim de doctrinis hominum pertractans: *Sinite illos*, inquit, *cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Res autem significata, sensusque sententiæ adeò est compertus. Ut si ambigere voluerimus timendum planè sit, ne cum Petro explicationem querentes audiamus à Domino ibi: at ille dixit, *adhuc & vos sine intellectu estis.*

Tractat itaque Dominus de Doctoribus, Magistrisque morum, doctrinisque moralibus in terminis; & de Doctoribus non quidem gentium, sed synagogæ, & populi Dei, & quando nondum Ecclesia fuerat, nec vocatus populus gentium. Docet porrò palàm, & explicatè. Doctores illos cæcos fuisse, quia malis interpretationibus, pervertebant legem Dei; colebantque, & maximi faciebant doctrinas hominum, scilicet seniorum; atque hoc pacto, ut Chrysostomus annotat, addebant, detrahebantque legi Dei, contra quam per Moisem à Deo præscriptum fuerat. Maximè autem quod etiam Chrysostomus advertit, in eo peccabant Doctores Curiæ, scilicet Hierosolymitani? Docet item, non solum Doctores ipsos cœcos, sed etiam sequentes, & ductos peccare, temque ob oculos ponit exemplo cæci cæcum alium ducentis; non enim ducens solus, sed ambo in foveam cadunt. Et quanquam exploratum sit, hanc Domini sententiam eam etiam à fortiori comprehendere, qui in doctrina ipsa fidei, & religionis cæci, & duces cæcorum sunt; at dubitari intereà nequit sermonem interminis & ad litteram esse de doctrinis moralibus, Magistrisque morum. Neque rursùs ullis sacrorum interpretum, in mentem venit, hanc, sicut alias Evangelii sententias de aliis officiis, & statibus, in Doctores etiam morum, qui intra ipsam Ecclesiam docent, cadere non posse; quemadmodùm doctrinę Evangelicæ de divitibus, divites quoque nostros involvunt.

Rem tamen certissimam aliquibus autoritatibus, sensu nostro sapere, videamur, illustremus, in Decreto. 38. distin. cap. *quæ ipsis*, & per totam distinctionem traditur, quæ Episcopi, qui nempe ex officio Doctores sunt, scire teneantur, & citato capite asseritur, *quia valdè periculosa sunt Evangelica mina, quibus dicitur; si cœcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt;* ergo valdè superbum est existimare, hos cœcos ducentes, & cœcos ductos intra Ecclesiam esse non posse, sicut raptores, & adulteros.

Augustinus libr. de Pastoribus cap. 10. *Sed quoniam terret non solùm cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem (neque enim ait, cadit in foveam ducens, & non cadit sequens, sed cæcus cæcum ducens ambo in foveam cadunt) &c. & infrà securi, inquiunt sequimur Episcopos nostros. Dicunt hoc sæpè hæretici, quandò manifestissima veritate convincuntur: nonne oves sumus, illi de nobis reddent rationem. Reddent planè malam de morte vestra, & inferiùs hoc est, quod dico: si in catholica constituter Episcopus, non bonam rationem reddit de ove, si non quæsierit errantem, de grege Dei, qualem rationem redditurus est hæreticus?* &c. Sancti itaque haud dubitant, in hisce documentis comprehendi etiam catholicos argumento ducunt, & confirmamus; nam vera ista sunt de catholicis non tam doctrina, quam moribus, itaque errantibus, & ab errantibus; ut vel ex Ezechiele commentato, & Augustino commentante satis patet, nec est probandum, sed commonendum; ergo etiam de errantibus mente, sensu, & doctrina.

Rabanus in catenas Thomæ de Doctoribus legis ad litteram exponit: *cæci quidem sunt, id est, luce mandatorum Dei privati, & sunt duces cæcorum, qui alios in præcipitium trahunt errantes, & in errorem mittentes: Undè subditur, cæcus cæco &c.* Anselmus: *Plantatio ista. Doctores legis significat cum sequacibus suis, &c. cæci sunt id est, luce mandatorum privati pro traditionibus suis, & sunt duces cæcorum, qui non solùm sibi non prospiciunt, sed etiam alios in præcipitium trahunt.* Maldonatus *de hæreticis: hinc. ergo colligitur non solùm*

Magistros, sed etiam, qui eos sequuntur in foveam cadere; nec ignorantia excusari posse. Hæc ille. Ajunt, quid Matriti populus ineptus agat, si Magister erret? & quid, quæso, Genevæ, Witembergæque ineptior forsitam populus erroribus imbutus, versaque in naturam consuetudine agat? Solve & solvemus: causa enim, ut sæpè dicimus, una communisque est, & quid denuò populo Judæorum sub cæcis Magistris peragendum fuerat? Num pervertamus Domini sententiam, & dicamus, si cæcus cæco ducatum præstet, cæcus ducens in foveam cadit; cœcus ductus non cadit, & probabili ab extrinseco, aut invincibili ignorantia excusatur, quin etiam rectè agit? Sed hac populi nostri collatione quo adhoc cum populo olim Judæorum infrà.

Hic igitur ad doctrinam, salutemque nostram ponamus, vel si poni non potest, fingamus esse in Ecclesia Doctores aliquos, qui ut Anselmus loquitur, essent luce mandatorum privati pro traditionibus, opinionibusque suis, id est, qui traditionibus, opinionibusque suis, ac fenium toti dediti, intenti, & quasi immersi, veram ipsam mandatorum; lucem, id est, mandatorum ipsam veritatem, non viderent. Profectò essemus in ipso casu salvatoris: ergo etiam in sententia cæci ducentis, & cæci ducti, & sequentis item in sententia ibidem posita: *Sine causa autem (& frustra) colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum*, At sæpè illud fidenter usurpabo, omnes omninò, nulla excepta, Doctrinas morales falsas esse doctrinas hominum, & nullam Dei, aquo nulla falsa magis sunt, quam scelera: item usurpavi, doctrinis contrariis, & contradictoriis, ut est factum notorium, esse plenos libros, quarum proindè media saltem pars falsa sit, & quarum nulla Dei sit, & per quas omnes additur, vel detrahitur necessariò aliquid legi Dei. Eò sursùs magis respci, illud magis ab aliquibus considerari videtur, quid scilicet seniores tradiderint, & eorum magis allegatione quam Prophetarum, Evangelii, Apostolorumque, & sanctorum Patrum testimoniis opiniones, doctrinasque stabiliri viderint ergo alii, verum, & quantum ab Evangelii casu distent conscientiæ nostræ regulæ: neque sermo est de majori vel minori perfectione, sed de salute ipsa, summaque rerum.

Occurrit qui sententiam Domini ita exponeret, ut cœcus etiam ductos in foveam caderet, si videret cœcum esse ductorem: sin minus non caderet; quia scilicet ita, ex opinione sua sequitur. Verùm hoc non exponere est, sed Evangelium opinionibus subjicere; nam nemo cæcus ductorem sequitur, qua cœcum esse sciat, neque Judæi Doctores suos cœcos existimabant, neque hæretici suos, sed magis sapientes; falli alioqui ac decipi nec potuissent, neque possent: nobis quippè hæretici sunt, sibi non sunt. Cœcos itaque Evangelium ponit ductos illos, qui nec cæcitatem ducentem viderent, neque foveam animadverterent, sed cœci cœcos sequerentur, sicut gentes olim Philosophos Doctoresque suos, & omnes perirent. Hoc ergo de his sunt, quæ quidam speculantur quæ scilicet in humanis actibus nusquam contingunt, ut scilicet cœci duces sequantur, quos sciant esse cæcos, & ignorantes quærant eos Magistros itidem ignorantes esse, cœcosque noverunt.

§. II.

Idipsum Dominus alias quoque in Evangelio expressit.

Istam porrò Doctorum etiam intra Ecclesiam ipsam defectibilitatem alias quoque Dominus in Evangelio satis expressit & significavit, ut in parabola de semine Matth. 13. & in sermone de Doctoribus Matth. 5. in ipso nimirùm agro, & in Ecclesia ipsa, ubi bonom semem seminatum est, ibi cum dormirent homines ad quorum quippè curam ager pertinebat, inimicus homo veniens super seminavit Zizania.

Ista de vero semine atque super seminatis Zizaniis parabola valdè doctrinalis est, quam tamen hic data opera exponere visum non est. Per dormientes Episcopos, & eos, qui regendi in Ecclesiam curam habent significari; per Zizania item tam hæreses, quam errores alios quosque, & vitia, & quidquid demùm à Patre luminum non descendit, luculenter Sancti Patres interpretesque alii declarant. Arguere inde solent hæretici, hæreses, hæreticosque ejiciendos non esse, neque eradicandos servi enim dixerunt, *vis, imus, & colligimus ea*, scilicet Zizania. Et ait Paterfamilias, *non, ne forte colligentes Zizania eradicetis cum eis simul & triticum sinite utraque crescere*, &c. Siquidem ergo hæreses quoque hoc loco per Zizania significantur, videbantur, hæreses eradicandas non esse sed cum tritico commistas relinquendas, ut una utraque crescant, sive mors sive ejectio ab Ecclesia per eradicationem intelligatur.

Duas hoc circa egregias expositiones Augustinus contra. Epistol. Petil. libr. 3. capite 2. & Hieronymus in commentario ad hoc caput Matthei exhibent: dubitari enim haud debet, hæreses, & hæreticos, quos ab initio sancta Ecclesia fecit, rectè eradicari, ejicique ab Ecclesia solere juxta illud, *auferte malum de medio vestri*. Augustinus itaque hoc tunc faciendum docet, *quando de frumentorum stabilitate certa securitas manet, id est, quando ita cujus que crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsùs, vel non tales habet defensores per quos possis schisma contingere, non dormiat securitas disciplina*: Atque hoc ex Evangelio ipso accipit, ideò nimirùm prohibetur colligere Zizania, ne simul eradicetur, & triticum

cum, quæ etiam est expositio S. Thomæ 2. 2. quæstion. 10. art. 8. & quæstion. 11. art. 3. ergo ubi periculum non subest eradicandi triticum, par est colligere Zizania: quod exemplis etiam præsentibus declarare in promptu erat. De hæresibus sanè ejecit, eas demùm Ecclesia, eradicavitque, quandò restituendarum ab errantium Provinciarum post tot adhibita media, spes tunc nulla superat; reliquum autemEcclesiæ triticum eradicandum propterea non esse, pervidebat.

Hieronymus de iis erroribus exponit, qui vero similes sint: *Sed inter triticum*, inquit, *& Zizania, quod appellamus lolium, quandiù herba est, & nec dum calamus venit ad spicam grandis similitudo, & in discernendo aut nulla, aut aut difficilu distantia, Primò ergo monet Dominus, ne verbi quod ambiguum est, citò sententiam proferamus, &c.* Etenim si manifestè intersit triticum inter, & Zizania; periculum non superest confusionis, eradicationisque tritici. Quas & alias Zizania tolerandi causas Ecclesia sancta ipsa comprehensas habet, nec nostrum est nosse tempora, vel momenta, quæ Pater ejus judicio, autoritatiq; reliquit: nisi quod uniquique vellent sua, sic ubi errant, ab Ecclesia nec tangi quidem; aliena autem comburi, & si quid sedes Apostolica prome declaret, exulto, & clamo; & si quid contra, interpretor, atque etiam eludo, quasi alia, & alia sedes, illa, & non eadem unaque existeret.

Ad rem porrò nostram ex utraque Augustini, Hieronymique expositione constat, Zizania ista jam peccatorum aliorum, jam etiam errorum aliqua, & aliquandò ab Ecclesia intra Ecclesiam tolerari juxta textum, *multa per patientiam tolerantur*, &c. similitudo est quam diù in esse, & in discernendo, aut nulla, aut difficilis distantia, hoc est, quibus maxima quædam inest apparentia veritatis qualia proprimè sunt æqualiter probabilia falsa; sunt enim Zizania, & lolia, siquidem à Deo non sunt, nec bonum semem esse possunt, quæ à Deo esse non possunt; aliundè autem grandis eis subest similitudo cum veris. Et nulla, aut difficilis indiscernendo distantia, quandiùin herba sunt & æquè fundara videntur. Esse ergo intra Ecclesiam possunt falsarum doctrinarum Zizania hæc, & lolia; quas proindè qui docent, mali Magistri sint, & ovibus item pascendis obsint; nam si his falsis æquè pascerentur, essentque illa non noxia sed salubria, & ex qoibus triticum nascererur, profectò Zizania, ur supponitur, & bonum simul semem forent, quod implicat. Ex quo patet, quanta profectò sit aliquorum his in rebus inconsiderario, ajunt enim, has doctrinas in Ecclesia esse, ab eaque pervideri, & indè eas bonas esse mox colligunt; & sic de vitiis mulris, quæ in Ecclesia sunt, atque ab ea sciunrur, virtutes esse, concludere possent. Alii contra queruntur, cur Ecclesia Zizania toleret, esseque soler hæc magna tentatio, & hæretici quidam, ut Donatistæ, & alii propterea etiam se separarunt. Sed verò cum in Evangelio prędicta hæc sint hoc fidei scuto tentatio repellitur de quo subtiliter Tertullianus in proœmio libr. de Præscript.

Augustinus porrò, Hieronymus, & Thomas toletantiæ causas reddiderunt. In hoc tolerantiæ modo Honorium Papam excessisse, quidem voluerunt, dum nascenre Monotelitarum errore, ut contentiosum de uno, vel de duabus operationibus, prælium sopiret, prohibuit; nec unius, vel duarum operationum uterentur nomine, quo schisma resecandum existimavit; censueruntque à 6. Synodo propterea Anathema dictum Honorio cum Cyro, & Sergio. Nos verò hoc Anathema Honorii Græcorum commentum fuisse, maximis argumentis arbitramur, quæstio tamen ipsa supponit, peccari intolerantia etiam posse; nam alioqui Anathema fuisset de impossibili. Sapienrer verò Hieronymus notavit, interlolium, & triticum non discerni, vel œgrè discerni, dum herba sunt; nam ubi creverint, distantia magna est, & ab uno quoque dignoscitur. Et certè falsis humanisque doctinis oves non impinguari, sed extenuari, tabescereque, neqoe triricum colligi, ut latius infrà dicetur, facilè demùm dignoscitur. Hoc pacto etiam via probabilium doceri cœpit, nihil a tritico differre videbatur, parceque illa Autores quique graves usi sunt, & de vero, & falso integris libris directè disputarunt, & ea probabilium doctrina unius quasi quæstionis, non omnium sententia, compendium, summaque erat. Post verò adeò crevit, ut omni veri, vel falsi relicta cura libros multos ea una impleverint; quo tanto incremento, discerni, dignoscique, & à multis revinci facile potuerit. Nec de hoc nunc plura.

Matth. 5. post eam consignatam discipulis de beatitudinibus cœlestem, mundoque ex diametro contrarium doctrinam subdit; *vos estis sal terra, quod si sal evanuerit, &c. item vos estis lux mundi*; & mox denuò ingentem morum doctrinæ copiam confert, texitque. Hoc loco primum Apostolos intelligi; deindè etiam eorum successores Episcopos; & suo modo Doctores, demum quosque ex communi omnium sensu constat, & de Prælaris quidem Anselmus, aliique observant. Doctores porrò, quod observat, Maldonatus, dupliciter in fatuari contingit, aut malè docendo, aut malè ædificando. Quod si fatuentur, ad nihil valent ultrà, non quia ut idem Maldonatus loquitur, Doctor doceri, & emendari non possit, sed quod fieri non soleat, aut difficile possit. Undè & Hieronymus ad cap. 15. Matth. ad ea Domini verba: *Sinite illos: cæci sunt in hunc sensum, ait & Salvator præcipit, Doctores pessimos demittendos esse arbitrio suo; sciens, eos difficulter ad veritatem trahi posse, & cæcos esse, & cæcum populum in errorem trahere. Et in Breviario; si Doctore erraverit a quo alio Doctore emendabitur.*

Exploratum quidem est, in malum maximum, maximè intentos his Domini doctrinis usos sanctos Patres, & Theologos adversum hæreticos, quibus cum perpetuò dimicabant. At exploratum etiam est, Doctores intra Ecclesiam quoque ipsam, sicut moribus, & vita, ita etiam male docendo in fatuari posse. Idcircò idem Hieronymus hoc loco, *caveant ergo*, inquit, *Doctores, & Episcopi; potentes potenter tormenta patientur.* Multa hoc supponentia cumulat S. Thomas incatena: Ubi Chrysostomus inter alia; *non enim inquit pro vestra salute tantummodò aut pro una solum gente, sed pro universo prorsus orbe hæc vobis doctrina committitur, proindè non oportet vos adulari atque palpare; sed è contrario salis instar mox dicere. Quod si homines mordendo, & præstringendo, malè audientes gaudeto: hoc enim salis opus est. Jam quoque mox dicere, atque restringere.* &c.

Quamquam scilicet etiam addendo, & restringendo peccare, in fatuatique possit hoc tamen perrarum, & difficile est; quis enim & quid vel ad eas Domini beatitudines, & ad reliquam illam totius capitis moralem, ac de moribus doctrinam addat; Difficile sanè est excedere, & deficere est multò faciliùs & quod Doctores, & Hilarius loquitur, accepti sensus amisso sapore nihil salire, vivificareque valeant; quia nihil cœleste aut sapiunt, aut afferunt.

Itaque sicut quæ Dominus adversus mentientes dicit, adversus mendacium juramento confirmantes magis dicit, & quæ fornicatores, à fortiori, in adulatorea; & quæ insolventes minima à fortiori in solventes maxima, ita quæ de malis morum Doctotibus tradit à fortiori malorum in ipsa fide Doctores comprehendunt. At toto capire non de misteriis fidei; sed de moribus sermo est in terminis, in quo Doctores salem esse dicit, & lucem: atque hos ipsos Doctores in fatuari, posse supponit, scilicet vel doctrinam pervertendo, vel moribus quod rectè docent, destruendo. Jam ergo exploratum esse oportet, Doctores morum malè docere posse, atque malè vivere posse: & utrovis modo in fatuentur, malè vivendo quidem; & rectè docendo parùm prosunt, & juvant; malè verò docendo semper nocent, & Anselmus inquit, *si in vita sua mala Doctor evanuerit, & prædicatio fuerit bona, tolerandus est ab hominibus juxta illud quod dicunt, facite; quod autem faciunt, nolite facere.* Illud verò hic citra argugumentationem in comperto esse videtur, Doctorem quemque falsas quaslibet opiniones quamquam probabiles docentem, qua eas docet lucem non esse, neque illuminare, sed magis afferre tenebras lucemve tollere; hoc enim nunquam, opinor, dissolvetur, quæ falsa sunt, nulla probabilitate falsa esse desinere; & falsa omnia tenebris, non connumerari.

§. III.

Eadem veritas commonstratur ex illo Apostoli: coacervabunt sibi Magistros.

Paulus Apostolus plutima ubique tradit, quæ in hunc scopum afferri possint ex quibus nunc pauca deligemus. In utraque ergo ad Timothæum Epistola prædicit, futuros esse in novissimis diebus pravos Magistros multos: quos epist. 2. cap. 3. describit, & erunt, inquit, *homines se ipsos amantes, cupidi, elati superbi &c. & voluptatum amatores, magis quam Dei speciem quidem pietatis; habentes virtutem autem abnegantes:* neque enim nisi sub hæc ovina pelle contexti nocere multum possent. Jubet Timotheum, eos devitare; quod nisi intra ipsam Ecclesiam futuri illi essent, locum nòn haberet. Monet verò malos homines, & Doctores profecturos, *in pejus errantes, & in errorem mittentes, &* quibus ut obsistat, unum hoc Timotheum docet: *tu verò permane in iis, quæ didicisti; & credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris, & quia ab infantia sacras litteras nosti*; ut quippè infrà tractabitur, hæc una via est non errandi. Est & illud Epist. 1. cap. 1. *finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: à quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Omne enim falsi loquium in primis vaniloquium. Deindè videre facilè est, num in hunc legis finem, qualem Apostolus describit, ducant, dirigantque aliquorum libri, an magis ab eo aberrent Num item omne probabilis falsi loquium sit vaniloquium? Nam vanitaa doctrinæ est defectus veritatis.

Mox autem Epist. 2. cap. 4. Timotheum jubet arguere, obsecrare, increpare oportunè, importunè in omni patientia & doctrina; *erit enim, ait, tempus, cum sanctam doctrinam, non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate, quidem auditum advertent: ad fabulas autem convertentur. Tu verò vigila, &c. Ecce non unum, aut duos, sed coacervatos etiam Magistros nihil enim*, inquit, *hic hom. 9. Chrysostomus significantius dici potuit, quippè dum coacervabunt, ait, indiscretam, confusamque significat Doctorum multitudinem, & Anselmus, id est*, inquit, *acervum sibi congregabunt Magistrorum qui doceant eos ea, quæ desiderant.* Hoc ergo cum ita sit, cum passim hos tot coacervatos futuros Magistros, acervumque congregatum Magistrorum audiamus, in Ecclesia, planè haud capimus, undè ea existimatio irrepserit, qua credatur, Magistros in docendo delinquere non posse, neque aliis nocere, fidelesque tutos esse, si unum, aut duos Magistros sequantur. Etenim hi quicumque demùm erunt, qui hos coacervatos Magistros, Doctoresque sequentur, pecca-

peccabunt proculdubio ; neque alioqui tantoperè opportunè , importunè arguendi , obsecrandi , increpandi veniret innocentes ; quin rectè etiam operantes homines ; neque Timotheum, Ecclesiamve vigilare opus esset. Peccabunt ergò non unum , aut duos , sed in discretam etiam , confusamque Doctorum multitudinem , & acervum congregatum Magistrorum sectando.

Textum tantisper exponamus. Sanctus Thomas lection. 2. scholastissime inquit : *Sana doctrina est , quæ non habet ad mixtam falsitatem.* Ergo *sanam doctrinam non sustinebunt , dum veritatem nolunt audire* : Oseæ 4. *non est veritas , non est misericordia , non est scientia Dei in terra.* Ineluctabilis est planè glossa Doctoris ; solam quippè veritatem esse doctrinæ sanitatem , & sicut honestas sola est sanitas morum , neque eam sanam effici probabilitate , aut alio , quo falsitas non aufeatur, & veritas ponatur , tam est in comperto , atque sanitatem corporis , quo exemplo idem Doctor rem etiam declarat , nisi restituta humorum æqualitate , & proportione non restitui. Sed nos hoc unum toto opere ducemus , solas doctrinas veras esse sanas , & morum unicam regulam ; & si reflexis quas veras inquirunt , falsæ opiniones assumantur, non sanas , sed malas doctrinas assumi , quæ reflexis sanè fieri nequeant ; ergo si sanam doctrinam non sustinere est veram non sustinere , dum nos ex veris solùm vivendum asserimus , & hoc recusatur , & ex falsis quoque vivere licere , tenetur , metuendus videtur textus neque juvaret , plurimos esse , qui id dicant , nam plurimi hi quoque , de quibus agimus , Magistri sunt ! & ad immunnitatem , atque salvum conductum neque sibi, neque aliis sufficiunt.

Ambrosius in præsenti exponit : *tales enim futuros esse dicit , qui pro desideriis doceri velint, & à Magistris constantibus , & veracibus , ad hos convertantur , qui hæc illos doceant quæ libenter illi audiant ; quia veritas illis aspera videbitur* : & contestatur libr. 2. de officiis capite 8. Totum itaque ut vides , per verum vel non verum definiunt , veritatem quippè audire nolent , quia aspera eis erit , neque desideriis suis carnis , divitiarum , ambitus , pompæ, mundique quadrabit , Anselmus : *Sanam doctrinam , inquit , non sustinebunt , sed velut onus grave rejiciunt eam ab humeris suis. Nam non sustinebunt , sed ad sua desideria complenda coacervabunt , id est , acervum sibi congregabunt Magistrorum qui doceant eos ea , quæ desiderant , ipsi dico prurientes auribus , id est pruritum habentes in auribus spiritualiter fornicantibus , &c. Nam sicut caro , quæ prurit semper vult fricari , semper aures eorum sic cupiunt audire verba , quæ errores doceant, & ad delectationes illiciant : & à veritate &c. id est fugiunt audire sermonem veritatis , quæ illis erit aspera , quia non mulcebit eos , &c.* Similes scilicet homines libenter audient parvitatem materiæ in re venerea , amplexus nescio quos , & oscula , quæ ad delectationes illiciant , licere occasionem periculosissimam , his , & illis de causis domi retineri posse : ex pecunia mutuata , propter hoc , & propter illud cum pignore quidem octo , sine pignore decem, aut plus etiam ultra sortem tutò accipi , & hoc genus plurima libentissimè mundi homines audiunt , quæ secundum desideria carnis sunt. Illud etiam in Paulo significantissimum est : *erit enim*, inquit , *tempus , cum sanam doctrinam non sustinebunt.* Hoc enim non paucorum aliquorum , sed quasi universalem , ac ferè omnium pravam dispositionem significat ; Ut si diceres , erit tempus , in quo homines seminare nolent ; non enim , erit, erunt aliqui, sed erit , inquit , tempus , in quo sanam doctrinam non sustinebunt. Ut si dicas,erit tempus, in quo non pluet.

Sed hoc modo omittamus. Illud in præsentia vides , de quo tractamus , adesse scilicet hic Doctores , & Magistros permultos : & tamen peccare ipsos ; & peccare sequentes ; neque haberi ex tot Magistrorum dicto aut probabile ab extrinseco , quod regula sit , aut ignorantiam invincibilem , quæ in totam à pecccato sequentes excuset , sed cœcos sequentes cœcos alios , utroque in foveam , ut veritas dicit, cadere. Vides item, totum quantum , & in textu , & in glossa in hoc pauculo esse repositum , quod sanam , id est, veram doctrinam audire nolint, & alias quàm veritatis doctrinas quærant , & alios quàm veritatis Magistros , & Doctores congregant! neque vero eorum quantumcumque multitudinem excusare.

At inquis hoc de quibus Paulus scribit, ultrò scientesque ac mala fide hos Magistros congregaturos, quorum pro indè autoritate excusare se nequeant ; nihil porrò simile hactenùs saltem fidelibus nostris accidisse : qui propterea tuti sunt Magistrorum , quoscunque sequantur , autoritate , & testimonio : quos scilicet bona fide , simpliciterque adeunt. Rursùs illi sanam doctrinam , non sustinebunt; nostri omnes sustinent : illi à veritate auditum avertent ; nostri non avertunt , asperaque demùm eis veritas erit non nostris. Nulla ergo textus particula nostris hominibus congruit.

Sed verò ista frivola sunt : nam illi de quibus scribit Paulus , aliquid sibi profuturum existimabunt coacervatorum Magistrorum autoritatem ; alioqui quos sum eos coacervarent; nam si prorsùs mala fide peccari scienterque peccando desideria complere sua vellent, hoc sciunt omnes nullis Magistris , nulla eorum autoritate opus esset , ut patet. Hæc ergo contingent ; quemadmodum plus minus apud aliquos nunc quoque contingunt , qui habent desideria implicantia : nam ex una parte peccare , damnarique nollent ; ex alia vellent desideria explera sua , pecunias cumulare , non solvere gaudere , lætari mundoque frui, Ut itaque ista duo concilient , conscientiamque , vel sopiant , vel semisopiant & quantum possunt , se excusent , & abscondant, Magistros quærunt non qui vera, sed qui à se desiderata doceant. Atque hoc passim experimur , & si quod volunt , non respondeamus , alios adeant ubi quod volunt,

præsenti exorbitare videamus, Antonius de Corduba libr. 2. de ignorant. quæstion. 2. notas inquit, rectè, quod in hac, & in aliis propositionibus supponitur, sicut & verum est, quod propter peccata, & proptér hoc, quod homo non rectè affectus præ deliciis, avaritia, & ambitione, inquirir veritatem, &c, Deus sæpè, idque justè, permittit; talem hominem non solùm ampliùs cæcari, & in multiplicem ignorantiam, erroremque culpabilem induci, &c. Et infrà: nam sæpè Deus in pœnam peccatorum prædictorum hominum malè affectorum abscondit veritatem ab aliis Magistris, seu Prælatis, quos isti peccatores consulunt adeò, ut etiam si vellent docere veritatem, Deus non permitrat, &c. Hæc, & alia Corduba vir verè Theologus, qui scilicet non suis discursibus, sed sanctis scripturis causam agit.

Jam itaque his præmissis Ezechielis capite 13. ad §. sequent. remisso, nunc ex capita 14. non tam arguamus, quam Prophetam loquentem andiamus. *Et venerunt ad me*, inquit, *viri Seniorum Israel, & sederunt coram me:* venerunt quippè, & statim apparet, ut interrogarent; & non omnes, sed aliqui, ne cuncti, ut ait Hieronymus, viderentur errare. *Et factus est sermo Domini ad me dicentis; fili hominis, viri isti posuerunt immunditias in cordibus suis, & scandalum iniquitatis sui statuerunt contra faciem suam. Numquid interrogatus respondebo eis?* Jam quid Dominus decernat audiamus. *Propter hoc loquere eis*, inquir, *& dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: homo, & homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ contra faciens suam, & convenerit ad Prophetam interrogans per eam me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, ut capiatur domus Israel*, &c.

Iterum idem exprimit, inculcarque. *Hæc dicit Dominus Deus: convertimini*, &c. *quia homo, & homo de domo Israel, & de Proselytis quicumque advena fuerit, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo*, &c. *Et venerit ad Prophetam interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei per me, & ponam faciem meam super hominem illum*, &c. *Et Propheta cum erraverit, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Scitur porrò, quo sensu, & qualiter decipere dicatur, & possit Deus, & declaravimus lib. 1.

Manifestissimum hoc loco est, propter immunditiam cordis ejus, qui Prophetam, Doctoremve interrogat, & consulir, Deum in pœnam infallibili judicio permittere, ut male potiùs ei respondeatur, & erret magis, & decipiatur. Non ergo hoc Prophetæ, Doctorisve responso immunis evadit. At indubirarum est, fideles etiam habere in cordibus suis posse immunditias, & idola avaritiæ, libidinis, superbiæ, aliorumque peccatorum, Ergo quamdiù corda sua non mundant, nec ad Deum verè convertuntur, nihil eis ad immuniratem sufficir Doctores consuluisse; quin potiùs eos Deus in pœnam diriget ad Doctores mendaces; vel facier, quemadmodum hæc facere Deus potest, ut Doctores etiam recti, & boni non rectè respondeant, sed juxa immundirias cordis sui. Hæc expressè à Domino per Prophetam dicta sunt, & probanda magis non sunt: nisi dicatur, illud esse catholicorum privilegium, ut ipsis immunditias etiam suas in cordibus suis portantibus rectè à Magistris quibusque etiam falsis; vel si errent, & Deus etiam in pœnam eos deceperit, nihil eis obsint, & noceant ista Dei punientis judicia. Cæcitas esset.

Hæc eadem horrendè sanè per Isaiam quoque capite 29. dicta sunt: *obstupescite cæli, & admiramini*, &c. *quoniam misit Dominus spiritum soporis: claudet oculos vestros; Prophetas, & Principes vestros qui vident visiones, operiet: & erit vobis visio omnium, sicut visio libri signati*, &c. Et Jeremias 23. & aliàs plurima sunt contra Prophetas, & Pastores Israel. *Eò quod*, air Dominus, *appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me cor autem ejus longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & Doctrinis: ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo; peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur*: quod demùm in adventu Salvatoris, quando sui eum non receperunt, completum est.

Origo tamen, & causa malorum, cæcitatis tantæ tunc, & priùs illa fuit, quam Dominus prodit, quod populus ore, & labiis propè Dominum; corde autem longè esset. Ergo elongatio ista cordis, vel populi, vel uniuscujusque causa esse potest, cur sapientia a sapienre pereat vel absolutè, vel quoad ipsam: neque tamen propterea unusquisque excusatur, sed magis punitur, ut ex Propheta, atque etiam ex Evangelio, ubi Dominus ista resumpsit, constat.

Plurima itaque sunt in Prophetis, in quibus cernitur, populum ipsum sæpè causam esse, quarè Magistros malos habeat, & pereat; sæpè etiam Magistros ipsos esse potissimam causam malorum; nunc autem præcipuè loquimur, quandò populus ipse causa est. Quò & ea pertinent, quæ idem Isaias ingeminat cap. 30. *populus enim ad iracundiam provocans est* &c. *qui dicunt videntibus: nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt; loquimini nobis placentia*, &c. Ubi Hieronymus: *qui non audiunt interioris hominis auribus legem Dei, & Ecclesiarum loquuntur Magistris: nolite nobis videre, quæ recta sunt,, nec gehennæ flammas comminemini, sed promittite nobis regnum cælorum, ut post luxuriam, & delitias pandatur nobis paradisus. Quid mihi ostendis viam bonam?* &c. *Quod quidem & ad populum Ecclesiæ dicitur negligentem, si adversetur austeritatem Magistrorum, & adulatoribus faveat.* Videre sanè quisque facilè potest, utris Magistris populus faveat, an austeris, an sibi placentia tradentibus: an promittentibus multitudini, & vix non omnibus, an paucioribus regnum cælorum; an demùm manus ad omnia solventibus, ligantibus ne? Quod si ore, vel opere, factisque dicant; *loquimini nobis placentia*; hi Magistri conquirantur, hisque faveatur, planè non immunitas, sed iracundia potiùs Dei incurritur, nec autoritas similium Magistrorum proderir. Rectè verò Hieronymus omnia hæc ad verum, vel falsum resolvir dicens: *hæretici quoque, & omne dogma contrarium veritati confidunt in calumnia, & in mendacio.* De spiritu vertiginis atque alia idem Isaias cap. 19, ingerit

Hinc & Jeremias lamentat cap. 2. luget istam populi calamitatem: *Propheta tui*, inquit, *viderunt tibi falsa, & stulta; nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones.* Ubi rursus Hieronymus: *unde cavendum est, ne pro veritate sequamur mendacium, ne pro lumine tenebras: multa enim sunt via, qua videntur hominibus recta, & novissima eorum perveniunt ad profundum inferni*, &c. *& ut loquar, quod sentio, difficile hoc maledicto quis carere potest, cum & malu frequenter adulemur propter potentiam, & bonos despiciamus propter inopiam.* Et adduxerat illud Isaiæ 5. *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, &c. Dicit autem, quicumque falsam doctrinam moralem docet: de quo infrà. Et Dominus Lucæ 6. paucis, & clarissimè hos cunctis placentes Magistros describit, & damnat: *væ vobis*, inquit, *cum benedixerint vobis omnes homines; secundum hac enim faciebant pseudoprophetis Patres eorum.*

Nunc ex his; aliisque Propheris testimoniis illud ad præsens sumitur, populum in his casibus omnibus habuisse quidem Prophetas, & Doctores plurimos, quos sequeretur; neque proptereà illum immunem, innocentemque extitisse, ut patet in ipsis Prophetis, quin Deum ex populi nequitia ad iracundiam provocatum hac eum pœna punivisse. Sed contingere potest, easdem causas interesse etiam nunc, inveniri que in multis; nam & immundirias in cordibus habere nostrates possunt; item corda procul à Deo habere; item velle, loqui sibi placentia; item sibi pacem, securitatem, & regna cælorum annuntiare; gehennam verò non comminari. Ergo contingere potest, ut Magistri etiam multi sibi in pœnam deutur, quos sequendo planè pereant. Quapropter nescimus profectò, nec sciemus, credo, unquam: undè privilegium illud haustum sit; Magistrum, aut Magistros consului; ergo vel ignorantia invincibili, vel probabilitate salvus sum? Non est Theologia, non opinio, sed commentum, si scripturæ non mentiuntur. Frustrà verò ad probabile, vel non probabile hic quoque effugerent. Nam in Prophetis nuspiàm est hoc probabile, sed vero, & falso cuncta clauduntur, & dirimuntur; & nobis quidem Prophetæ illi falsi probabiles non sunt, nam judicati sunt; populo autem probabiles videbantur; nobis pravi sunt, populo magni erant, ut jam suprà de hæreticis quoque dictum est, & dicetur. Lex igitur Dei non nostra opinione, & existimatione, sed veritate constat; & rorum tunc malum erat, ut loco veritatis falsa, mendaciaque Prophetæ illi justo Dei judicio edocerent; nihil verò proderat, quod populo non falsi, & mendaces, sed veracissimi viderentur: *& tribulabo homines*, inquit, Sophon. 1. *ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*: & capite 4. Baruch. *quia declinaverunt à lege Dei: justitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per viam mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt.* Dicant planè, unum qui via opinionum falsarum quarumcumque gradiuntur, à lege declinent, per vias mandatorum ambulent, semitasque veritatis sequantur. Implicat sanè; opinor, falso quoque quantocumque à lege non declinare; vias mandatorum Dei, & opiniones falsas una ire, & congruere; semitasque veritatis cum falso ullo cohærere. Hoc porro erat populi malum quod malū Dominus etiam falsis magistris permissis mulctavit, cæcitatemque adauxit. Reflexæ verò illæ per falsas opiniones ducentes haud ducunt per vias mandatorum, neque per semitas veritatis, sed declinando à mandatis ipsis, deflectunt, & aliò prorsùs dirigunt: & eæneo eodem modo tunc populo illi obviæ hoc genus reflexæ: & indignæ sunt, quæ in hoc quasi interiori loco sapientiæ memorentur.

In his itaque adductis, expensisque locis peccata populi malis Doctoribus puniuntur, qui eum magis perdant, obcæcentque, atque populus primitus ipse causa est malorum juxta illud Oseæ 4. *& erit sicut populus, sic sacerdos*: & Gregorius hom. 17. in Evangelia: & qui modò subditorum culpas per Præpositos ulciscitur; & lib. 25, moral. cap. 20. secundum merita populorum disponuntur corda Rectorum: & hom. 12. in Ezechiele eadem fusiùs prosequitur de quo infrà.

§. V.

Aliquando etiam de suo Doctores mali sunt, & sequentes seperdunt.

NUmquam sanè populo nocet Doctor malus sine culpa ipsius; nam vel eum non fallit, & tunc scienter populus eum sequitur, & peccat; sin verò fallit, aut invincibilis erit ignorantia, aut culpa alia inest, populo, sequenti, propter quod puniatur, & sua sibi ignorantia obsit: nam lib. præc. ostensum est, primam culpam non posse esse ignorantiæ, & omne peccatum, quod peccatum est, & non simul pœna peccati, ut ex Augustino declaravimus, prorsùs liberè. à scienteque committitur.

Jam itaque, ut vidimus, Ezechielis cap. 4. docet Dominus, quomodò juxta immunditias cordis interrogantium, & consulentium respondeat per Prophetas, Doctores: capite verò 13. ad ipsos Prophetas, ac Doctores est sermo, & ipsi etiam causa maxima sunt errorum, cæcitatis, interitusque sequentium.

Fili hominis, ait ad Ezechielem Dominus, *vaticinare ad Prophetas Israel, qui prophetant*; inquam ad Prophetas Israel, & populi ipsius Dei; & non ad Prophetas infidelium: *& dices prophetantibus de corde suo: hac dicit Dominus Deus: væ Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in deserto Propheta tui Israel erant*: subdirque, eos vana vidisse, & mendacia, neque ab ipso missos fuisse. *Ideò ecce ego ad vos: dicet Dominus; & erit manus mea super Prophetas*, eorumque culpam, atque perditionem multipliciter exprimit: adeò de Prophetarum ipsorum peccaro ambigendum haud est.

Subdit autem: *eò quod decepseritis populum meum dicentes, pax, pax, & non est pax; & ipse ædificabat parietem; illi autem liniebant cum luto absque paleis. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura*, &c. atque multa subjicit de destructione similium parietum; & minatur, se ostensurum indignationem suam.

Mox contra falsos Prophetas sermonem convertit

vertit : hæc dicit Dominus : *va qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas populi mei,* &c. & rursùm ; *ut interficerent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Ipsum proindè etiam populum à Prophetis his, Prophetissisque deceptum peccare, atque perdi, quin propterea Dominum contra eos, & eas tantoperè irasci explotatum est.

Nunc aliquas expositiones subdo. *Ideò*, inquit Hieronymus, *ista patientur*, (Prophetæ scilicet) *quia deceperunt populum meum pro rigore pænitentiæ, & conversionis* injuria *pacem eis, & prosperanunciantes secundum illud, quod alibi dicitur* (Jerem. 8.) *pax, pax. Ubi est pax?* & inferiùs: *Propheta Israel, hoc est, pseudopropheta, qui prophetant ad Hierusalem, & vident ei visionem pacis; isti sunt causa peccati, ruinæ, & stultæ securitatis.* Et glossa interlinearis : *pax, pax, & non est pax, pro rigore scilicet pænitentiæ prospera nuntiantes.* Si namque fidelium plurimi revera viam justitiæ non ambularent, neque plerorumque, sed pauciorum via esset arcta illa via, quæ ducit ad vitam; & intereà Doctor eis prospera cuncta nunciaret, seque in Dei gratia nunc esse, & deindè paradisum consecuturos polliceretur, hic profectò diceret, pax, pax, & non esset pax, & videret divinatæque mendacium. Difficile porrò haud est ei, qui spiritum suum non sequitur, sed Evangelium, Sanctosque consultat videre, utrum multitudinum more fermè sæculi viventium, an pauciorum via sit illa, quæ arcta quidem sit, & ducat ad vitam.

Quæ verò per metaphoram parietis dicta, explicataque sunt, Hieronymus ex septuaginta, & Theodotione, Aquilaque multipliciter, atque in eundem sensum exponit; quod scilicet Deus per legis mandata, sanctorumqua Prophetarum eloquia murum firmum ædificaverit: mox verò populus alios sibi muros, eosque debiles extruxisset; quos cum Prophetæ, & Doctores destruere potiùs debuissent, liniebant luto absque paleis, id est, absque fortitudine, & robore : Theodoretus : *populus enim, inquit, ædificabat murum : isti verò per bonas prædictiones, & pollicitationes veluti quoddam linimentum, & unctionem adhibent; cum opus esset debilem ædificationem dissolvere, & operam dare, ut solida fieret.*

Sed tamen haud satis videtur intelligi, quo pacto non tam Prophetæ, quam populus ipse murum ædificare dicatur; Prophetas autem non nisi linire, asseratur. Ubi hæc expositio occurit, quam sapientiorum judicio committam. Exploratum namque in primis videtur, per muros istos, ac parietes falsas populi persuasiones, existimationesque, quibus vivebant, & in pace quidem vivere ei dicebatur, intelligi. Pridem porrò observo, falsas istas persuasiones, opiniones, & doctrinas, quibus populo pax falsa promittitur, haud primùm, & primitùs à Doctoribus, Magistrisque induci, à populo in primis ipso ædificari; deindè verò à Magistris liniri, & quasi excoli, colorarique.

Etenim priùs populus consuetudines quasdam invehit, varia contrahendi genera excogitat, atque in universa vita, morumque materia plurima introducit, quæ per multi sequantur. Dein verò vel ipsa, quæ talia facit, multitudo dubitat, an recta sint, vel non sint; & Doctores consultat; vel nihil ipsis, qui ea prosequuntur, dubitantibus, Doctores veniunt, & tractant, num ea recta, & licita sint an non sint. Haud raro autem accidit, Doctores aliquos per bonas pollicitationes; similia multa resolvere, atque decernere; dicunt enim, ut ex Augustino aliàs observatum est: *quam multi hoc faciunt? imò qui non facit? an ergo omnes perditurus est Deus?* Subsumunt itaque bonam pollicitationem dicendo; durum est hos omnes peccati mortalis reos pronuntiare, damnareque; indeque concludunt, ea peccata saltem gravia non esse. Atque postremò, quod populus facere nesciret, rationes etiam quæruntur, & adduntur quibus ea populi placita, factaque recta, & licita esse videantur; sicque liniuntur luto absque paleis, & absque fortitudine, rationeque apud judicem Deum valitura. Plurima in specie, & in individuo in hunc modum ex factis, moribus populi in opiniones, & doctrinas deindè conversa, & à populo quidem primùm ædificata, & deindè rationibus aliquibus apparentibus, delinita, pulchrioraque reddita adduci sanè possent: Nihil enim est, ait Cicero probabilista, tam horridum, quod oratione non emolliatur, & quasi excolatur, & dicendo probabile non fiat. Atque hoc pacto satis exponi videtur, quomodo populus quidem parietem ædificaret; Prophetæ verò linirent luto absque paleis, temperaturaque.

Prophetissas deindè redarguit atque metaphora rem exponit sexui satis accommodata: *va qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus,* &c. *ad capiendas animas* : ubi illarum, & captarum animarum culpa satis exprimitur. Theodoretus: *his per translationem molliores, ac mitiores innuit sermones; cervicalia enim, & pulvinaria, requietem afferunt membris; & molliora verba, cum falsa sint, ad tempus aures titillant, sed omnis generis eversiones animis afferunt.* Et Hieronymus : *va igitur his hæresibus, hisque doctrinis, quæ requiem pollicentes, omnem ætatem, sexumque decipiunt animas miserorum,* &c. Itaque pax, pax illa Prophetarum, & pulvilli illi Prophetissarum, atq; cervicalia, & illud Apostoli, prurientes auribus cuncta hæc idem sunt, & significant.

Omni porrò Doctori falsam Doctrinam consignanti congruunt proprietates illæ, quas Dominus Prophetis his falsis attribuit, quod scilicet de corde suo loquerentur, spiritum item suum sequerentur; quod vana, ac mendacia viderent, nec ab ipso missi essent. Nullus namque falsum docens sequitur spiritum Dei, sed suum, vel alterius, qui perindè fit : item de corde suo, vel alieno, quod perindè fit, loquitur : omne præterea falsum est vanum, & mendacium; nam plenitudo tota, & soliditas doctrinæ veritas est: ergo qui falsa vident, non aliud vident, quam vana, & mendacia, id est, non vident, sed comminiscuntur, & divinant. Nullus postremò à Deo mittitur ad docendum falsum, & ubi errat, ab ipso missus non est; atque de Filio, & de spiritu sancto, qui exemplar misso-

missorum sunt; Evangelium contestatur, eos ea nunciasse, quæ audierunt, neque de suo locutos esse; at omnis falsum docens, a de suo loquitur, neque annuntiat, quæ à Deo accepit. Omnes igitur proprietates Prophetarum illorum congruunt falsis quibusque Doctoribus.

Quod autem Prophetæ illi, & Prophetissæ felicitatem, pacemque præcipuè temporalem enuntiarent; Doctor verò nunc falsus gratiam in præsenti, & gloriam in futuro prædicat, annuntiatque, crimen haud videtur imminuere, sed augere.

§. VI.

Corollariis quibusdam dicta magis declarantur.

ILlud primùm tum in his, quæ allegavimus, tum per universam scripturam, ubicumque de Prophetia, Doctoribusque sermo est, planè videas, nullibi Doctores alios quasi tertios reperiri præter veros, & falsos; totam potiùs ubique divisionem factam esse in veros, & falsos; & hoc quidem malos, & pseudoprophetas, & pseudomagistros habitos, & compellatos: illos autem bonos, & simpliciter Prophetas. Ubi enim alios nobis quasi medios Doctores assignes, qui falsa quidem consignaverunt; nec tamen mali sint, sed magis boni, probatique? Quod sanè ex ipsa etiam scientiarum natura, Logicæque præceptis, ut par. 1. constituimus, compertum est; nam scientia, & pseudoscientia, seu Sophistica, hoc uno dist ant, & intersunt, quod altera vera sit; videatur autem altera, & non sit.

Esset verò à rebus humanis alienum valdè, si dicens, Prophetas illos, quos Dominus reprehendit, apparentias etiam suas, & rationes, & fundamenta, quæ ipsis quidem gravia viderentur, non excogitasse, atque attulisse, quasi ætáte nostra primum homines ratiocinari cœpissent. Hoc, inquam, est à rebus humanis valdè alienum, & nuspiàm, & nunquam Prophetæ, aut alii populos deceperunt, nisi rationibus, quæ graves, & dignæ populis etiam ipsis viderentur, neque aliter decipi potuissent. Deceperunt autem Prophetæ isti. Rationes ergo, & fundamenta attulerunt, quæ deceptis, populoque illi gravia, dignaque visa sunt. Et hoc planè, & non aliud est, quod dicitur: *illi autem linebant cum luto absque paleis.*

Prætereà verò ex dictis sequitur, aliquandò Doctores culpa potissimum sua malos existere, maleque docere; qui tamen eis, qui innoxii, innocentesque fuerint, nihil obsint: aliquandò autem propter peccata populi Doctores errare permittuntur; & tunc Doctores ipsi, si culpa eis alia itidem non insit, non peccant malè per ignorantiam dicendo, aut etiam tacendo, aliquandò item utique rei sunt; & aliquandò propter merita populi Deus Doctores bonos concedit, & dirigit.

Hanc fermè doctrinam prosequitur Gregorius hom. 12. in Ezechielem quod & in Concil. Aquisgr. latè traditur. *Magna enim consideratione indigent*, ait jure, *verba*, *quæ protinus adduntur: & linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans; quia domus exasperans est. Discernendum quippè nobis est, utrum pro solis malis auditoribus, an etiam aliquando pro vitio prædicantis prædicationis sermo subtrahatur. Quatuor enim qualitatibus res hac consideratia distinguitur.*

Nam aliquandò propter malos auditores bonis tollitur sermo Doctoribus. Aliquandò verò pro bonis auditoribus datur sermo Doctoribus, & malis. Aliquandò verò propter docentium, atque audientium justificationem bonis Doctoribus datur, ut & ipsi per meritum crescant, & auditores eorum intellectu, & vita proficiant. Aliquandò verò quia nec hi digni sunt accipere: nec illi doctrinæ verbum proferre, qui docendi locum tenent, prædicationis sermo tollitur, ut utraque pars districtè judicetur. Propter malos namque auditores bonis sermo Doctoribus tollitur, sicut nunc ad Ezechielem dicitur. Hactenus Gregorius, qui singulas propositiones ex scriptura confirmat. Sicut itaque sermonem veritatis subtrahendo punit Deus per ignorantiam populum propter peccata, immunditiasque suas; ita etiam Doctores falsa permittendo, verosque, & utiles auferendo; & nihil apud sanctos, & fideles etiam quosque magis in comperto est, quam Deum hæreses etiam ipsas permittere propter peccata.

Hic autem illud annotemus, necesse est, quod sæpè objiciunt, & sæpè solvimus, de quo indicetur fusiùs. Quasi enim Deus mundum non administraret, cordaque regeret Doctorum, & non Doctorum, nec eorum magis in manu sua, quam ipsi, haberet voluntates, movent, & objiciunt; quid facturi sint idiotæ, qui consulendo etiam Doctores sæpè peccant, & in foveam utrique cadunt? amplius enim facere non possunt: ex quo mox Jansenianum illud impossibile, & verborum planè ludum semper ad manum habent, quo imperitiores terrent, nosque vexent. Num ergo, & Jansenismus, quem, & qualem sibi ultrò in mente confingunt, pereat; erademus Evangelicam sententiam, si cæcus cæco, &c. Explicamus, inquis, Evangelium. Sed an & tuus Jansenismus explicari nequeat?

Disjecimus itaque primùm suprà hanc oppositionem exemplo hæreticorum, & infrà rursùs exemplo populi Judæorum in terminis disjicimus: & denuò etiam ostendemus universim, facienti, quod in se est, Deum non negare cognitionem legum, & obligationum suarum. Nunc non nisi excitanda, refricandaque est fides Divinæ providentiæ, neque in homine etiam Doctore spes præcipuè ponenda est, sed in Deo, qui dirigit pedes nostros, & faciliùs multò, consilium quærentes quosque mittit, quo vult, & ad quos vult, & quomodò, & quandò vult; & dignis quidem Magistros bonos providet, vel malos etiam benè respondere facit: & à consilio inquirendi avertit, si vult, custoditque suos; peccatores verò contrà punit, ac mulctat. Et quid, quæso, Recentiores nos morantur? Quid, ajunt, boni indocti facient? Non videntur credere, Deum, hos indoctos gubernare.

Propter hæc ergo tanta magisterii pericula inquit Jacobus Apostolus cap. 3. *nolite*, ait, *plures fieri Magistri, fratres mei, scientes; quoniam majus judi-*

judicium sumitis. Quod quasi à fortiori ibi evincit ex periculis, ac malis linguæ, prosequitur. Et porrò mirabilis glossa S. Thomæ præsertim pro Probabilistis, qui gloriantur in multitudine sua: *non ergo prohibet quantitatem, sed qualitatem; quam tamen nomine quantitatis* (id est multitudinis) *significavit; quia frequenter eam sequitur*, scilicet mala qualitas: frequenter enim non contingit, plurimos in una solùm ætate esse, & ingenio, & studio, aliisque debitis qualitatibus præditos. At sicut Propheta oculos Giezi fecit aperiri possemus & nos, & omnes retrò ætates viderentur, conspiceret quisque quantò plures pro nobis habeamus, non de his probabilibus, & similibus interminis disputando, sed doctrinas tradendo, in quibus hæ quæstiones sine de subjecto non suppponente, sicur siquis Theologus se caput Ecclesiæ somniaret, & discipulos haberet, eum dictis priorum in terminis oppugnare non possemus. Deindè satis multos dedimus in terminis.

Ad locum Jacobi redeundo Origines hom. 20. in num. *hoc si cogitarent homines, numquam ambirent principatum: non solùm pro suis arguuntur delictis*, &c. S. Augustinus ut ex proœmio apparet, hoc inter alia Jacobi textu motus fuit ad scribendas tetractationes: timuit quippè *falsiloquium*: non autem volgare improbahililoquium, quod mentis suæ magnitudine, & rationibus facilè removisset: quæ ergo non sunt sub uno Magistro nostro, id est; falsa, & adversa timuir, ut loquitur. Glossa ordinatia inquit, prohiberi à Magisterio, qui in scripturis docti non sunt. Et sic alii, & alii.

§. VII.

Ex his repellitur murmur, vel objectio adversariorum nolentium tangi probabilia, & alias atatis opiniones propter multitudinem, & qualitatem suorum Autorum.

Hic est verè lapis offensionis, atque hoc ex loco plerique commoventur, redduntutque relaxationis planè notoriæ impugnatoribus valdè infensi. Causas ipsi istas nihil vident, nec examinant, sed assumunt sibi multitudines istas vel Autorum, vel scriptorum, & aliquorum sanè insignem in moribus qualitatem; suosque sibi in mente sua confingant Petros, & fermè, & Paulos; Augustinos, & Ambrosios, quorum tamen doctrinam nihil hactenus Ecclesia sancta ullo suo decreto, vel simili probaverit. Et videtur sibi absurdum, & intolerabile, si sequatur, & concedatur, eos tot; talesque viros sequendo peccare, damnarique fideles posse. Undè hac una præscriptione aliorum, nostrosque labores improbant, exprobant, objurgant; quin intereà, id quo de gentium iniqua persecutione Tertullianus in suo Apolog. acutè, vereque conqueritur; norint plerique, vel legerint, vel discusserint, quid nos, & alii adversus palmarem relaxationem asseramus, & sic prorsus damnant, & in sequuntur, quod ignorant.

Dupliciter autem murmur hoc, vel præscriptio in argumentum etiam convertitur, Primò à multitudine sic, absurdum planè est, vel falsem falsum, fideles peccare, damnarique posse sequendo centum, vel ducentos Autores, summistas, & scriptores, sed pro usu licito probabilium; pro necessitate actualis advertentiæ ad peccandum, & pro aliis universalissimis, & quasi elementaribus opinionibus, quas nos toto opere pro viribus refellimus, sunt centum, sunt ducentum Autores, & Collectores, summistæ, & scriptores; & eos quasi hoc uno vincetent allegant. Ergo absurda est ipsa nostra intentio. Nam vel peccanr fideles eos sequendo? & hoc est absurdum, & sua ipsis affectio, & suitas monstrum videri facit: vel non peccant, sed salvantur? & tunc, ut par. 1. lib. 1. est ostensum, laboramus, & scelestè conscientias inquietamus.

Ad hoc, & sequens argumentum multa paulo post reponam. Nunc ex præcedenribus, & subsequentibus quæstionibus hoc unum dico, argumentum istud opponentes nescite, quid sit Theologia, & quid sit Ecclesia inqua scilicet quasi primum rudimentum est, præter ipsam Ecclesiam, vel dupliciter, ut quidam volunt; vel verè tripliciter acceptam, nullam esse in terris regulam visibilem indefectibilem rectitudinis, vel non peccati in doctrina fidei, ac in doctrina morum; & in materia cultus. Ergo quibus absurdum, vel falsum videtur, vel ducentos, (quorum plerosque nec Theologos quidem esse, constabit) Autores, Collectores, Summistas, & Scriptores sequendo peccare fideles non posse, & damnati, prima sanè Theologiæ rudimenta ignorant, & nesciunt, hos suos ducentum esse subjectos judicio Ecclesiæ etiam in regulando: quod in regulis indefectibilibus locum non habent. Patent hæc ex dictis.

Secundò arguent ex qualitate aliquorum similium Autorum, qui quantum privata fide seu opinione credere licet, sanctissimè vixerunt. Sed quoniam absurdum non est, hoc etiam quantùque sanctos sequendo alios peccare, ut dictú est, maximè cum illi sanctè non vixerint suas has, sed longè alias sequendo doctrinas, & maximas, argunt aliter dicendo sequi, ipsos hos Autores inducendo, & confirmando: sic enim induxerunt fideles in peccata gravia, & in condemnationem: sed hoc peccarum grave: ergo gravirer peccaverunt, & perierunt. Quæ certè, ut Lirinensis loquebatur, maxima quædam tentatio est, & turbate quemque potest. Et quia nobis de ea uberius §. sequenti disserendum est, nunc pro more contentionum respondeo brevissimè dupliciter. Primò per instantiam. Nam ante hanc natam viam probabilium, necessitaris advertentiæ ad peccandum, & similium fuere in Ecclesia Dei Autores. Alii non minùs sancti, quin etiam Ecclesiæ judicio probati. Hi ergo peccaverunt addendo, & stringendo, & sic multis laqueum inducendo, vel non? Utrumvis respondeant, suam sibi accipiant solutionem. Deindè respondetur ex doctrina data à B. Gregorio §. præc. & ab Antonio de Corduba. §. 4. ubi ajebar, sæpè Deum in pœnam peccatorum, deliciarum, avaritiæ ambicionis, aliorumque populi, & hominum malè affectorum, abscondere veritarem ab aliis Magistris, seu Prælatis, quos isti peccatores consulunt, adeò ut etiam si vellent docère veritatem, Deus non permittat, &c.

Hæc

Hæc Cordùba, & alia ibi dicta sunt. Undè tunc Dei punientis vindicta faceret talibus Doctoribus invincibilem veritatem, non prose, sed pro aliis; & sic etiam invincibilem, & inculpabilem ignorantiam.

Quod si de aliquibus unquàm Doctoribus est admittendum, maximè tenendum videtur de iis; quos Adversarii nobis opponunt; & eorum pietate odium conflant. Hi namque aliam prorsùs salutis viam in libris tradiderunt, & longè aliam moribus secuti sunt, & juxta Evangelium, juxta sanctorum doctrinam, librosque spirituales vixerunt; undè moribus suis doctrinam suam impugnarunt: & facta sua eversio doctrinæ suæ de universæ quasi viæ diversitate, & contrarietate loquendo.

Nec valet, si inane illud sæpiùs conterendum opponant, hoc scilicet viros piissimos eam moribus viam secutos esse, non præcisè, ut salvarentur, viam quippè non ad simpliciter, ut ajunt: esse, sed ad melius esse necessariam, hoc est, arctam illam viam, & paucorum non esse necessariam, Atque hoc fermè unum & Evangelium, & Apostolos, & sanctos, librosque spirituales à moribus christianorum relegare potest: de quo lib. 4. Respondeo itaque, quidquid de hoc sit, jam eos pios Autores excusaros esse paulo antè. Deindè respondeo, ipsos pios Autores, quos loquor, non ita censuisse; se scilicet suprà, vel præter viam necessariam salutis aliam præterea quasi ad abundantiam sequi; nam sic non timuissent de simpliciter esse saluris suæ, nec Dei judicium formidarent; essenrque certissimi de sua salute per illas regulas, quas aliis tamquam ad salutem sufficientes in libris tradiderunt, & videntes, se longè alia, & majora, & quasi genere diversa servare, quasi timere possim ergo, non me perventurum, quo perventuros etiam claudos, arbitros, aut de aquila timerem, quo censeo vel testirudinem perventuram. Dicamus ergo, vitas horum Doctorum esse impugnationes librorum suorum. Quod etsi longè dispar sit ratio, de benè etiam docentibus, sed non facientibus sancti docent. Sed dispar est ratio; nam potest quis ab his, quæ necessaria putat, deferre: at nequit quis non solùm, quæ necessaria putat, sed longè etiam alia, & majora, & quasi toto cœlo, & genere diversa ponere, & timerè & certus non esse de fine saltem, quamdiù talis est. Ex his ergo patet, quomodò Deus qui justus, & misericors est; his piis Doctoribus puris corde pro se veritatem suam manifestaverit; pro aliis porrò occultaverit propter immunditias cordis eorum.

§. VIII.

Iam altiùs proposita objectio, vel tentatio repellitur, & opponentium imperitia, & vulgaritas demonstratur.

QUid isti de locis his communibus sic opponentes, & obloquentes sibi velint, planè nescimus; & utrum vel ipsi sciant, ignoramus. Peccavissent viri piissimi; ajunt probabilium, & aliorum viam inducendo, ac stabiliendo, si hac via tuti fideles non erant. Volunt ne ergo, ut eos, ne peccasse, concedamus, regulas indefectibiles visibiles constituamus in Ecclesia Dei! & hoc si cuiquam Doctorum ipsorum Ecclesiæ tribuat aliquis, ferre nolunt, & tamen suis tribui velint? Num rursùs ne eos peccasse concedatur, tangi jam non potest, & in impugnabilis facta est via probabilium: in impugnabiles item omnes reliquæ ipsorum opiniones, quibus libros impleverunt? Eja ergo hærete Theologi, & silete; nam si quam eorum opinionē tangitis, sequetur continuè, eos peccavisse, hoc autem est monstrum horrendum ingens. Ergo tangendi non sunt. Hoc verò proprium librorum sacri canonis est, & Ecclesiæ. Nihil ergo superest, nisi ut vel in Canonem asciscanrur, vel tomis Conciliorum adjungantur. Non sequitur, ajunt, quia vera, & falsa docuerunt. Verùm hoc eversum est par. 1. lib. 1. quæst. 7. & veritas momenti esse nequit, ubi falsa quoque, ut volunt, indefectibilis regula, & canon sunt.

Iterùm ut §. sup. arguebatur; ergo neque hi viri pii veterum opiniones removere debuissent; ne sequeretur, eos peccavisse. Dein sequetur, in hoc ipso viros hos ipsos reos extituros; quia priorum opiniones refellendo eos peccati arguissent. Ajunt, in tolerabile jugum imponi fidelibus: si usus probabilium, & similia denegentur. Denegarunt autem veteres; & in sanctis Patribus in doctrina morum nulla est umbra hujus viæ bipedis, vel bicipitis. Num ergo peccarunt omnes; ac perierunt? Jam rursùs & hi ipsi viri pii, quos proponunt, quos se se vicissim impugnant, ac de peccato, & non peccato dissentiunt, planè peccabunt; nam cum quis eorum dicit esse peccatum, quod alter eorum negavit, eum peccati videtur arguere: quippè qui fideles in re gravi decepti, dicendo non esse peccatum; quod peccatum erat; & sic eos ad similes actiones illiciendo. Quod si vicissim sese oppugnare ipsi potuerunt, cur posteris non liceat suos ipsos exemplo, quo & se se, & priores rejecerunt, etiam rejicere. Obloquuntur Recentiores ad nos, & ajunt, num viam salutis tradere velimus, quam pii illi Doctores N.N. ignorarunt? Et vix non delyrare ipsis videmur, & aures occludunt. Sed verò non vident, hoc ipso jure pios illos Doctores N. N. conveniri potuisse, rogatique ab ipsis, utrum intenderent novam aliquam salutis viam eatenùs in Ecclesia ignoratam inducere, & sic tacere cogerentur? Nam si Ecclesia eatenùs omnis ignoravisset, ipsos etiam ignoravisse absurdum nemo sanus opinor, existimabit. Dixi, *eodem jure*; scilicet quoad terminos; non autem quoad rem. Nam nobis consilium haud est, novam aliquam viam inducere, sed quæ olim erat, & innovata dein fuit, & semper apud aliquos remansit, restiruere. Veldent hi Recentiores librum aliquem, in quo ante centum annos per omnes retrò ætates more illo: quo nihil est modo usitatius, conscientiæ regantur; hoc probabile est, & oppositum probabile est? & utrumque regula est, & probabilitas regula est; item ignorantia? Nuspiam hi libri inveniuntur; quod tamen unum volunt, esse modo regimen omne animatum.

Hoc

Hac eadem rursùs quasi præsumptione Alexandro 7. universi Christiani gregis Pastori obstruere os potuissent, quandò non pridem denunciari voluit omnibus Christi fidelibus, modum irrepisse de moribus, philosophandi ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina alienum, ex quo magna corruptela Christianæ disciplinæ eruptura esset in perniciem animarum, &c. Non enim has, & illas opiniones, sed ipsumet etiam philosophandi modum totum taxavit. Opponete itaque potuisse, tantam labem in viros pios cadere non potuisse; finminùs peccavissent; quod absurdum est. Sic etiam In posterum Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, ne quidquam in eis Authoribus tangant, eadem præscriptione silentium imponant.

Sic Prædeterminatos adversarios terrebit, & dicet, juxta ipsos Dominum Bannez virum piissimum, quemq; tot laudibus cœlestis virgo Theresia extollit, fuisse primum; ut aiunt, prædeterminationis assertorem. Num ergo non desipiant, qui prædeterminationem à Calvinismo nihil censent distare, deque tanto viro putant calvinizasse? è contrario exiliet etiam, adversa pars, & Franciscum suatez virum sanctitate insignem producet suæ doctrinæ vindicem. Et dicent, num furor non est existimare: eum tantum virum Pelagiani zavisse (sic etiam schola Scotistarum, si quando minùs benè vidit, & vel Christum peccabilem adstruit, vel ipsum qua hominem naturalem Dei filium negat, eximia sanctitate ora cunctis obstruet. Tantumdem in causa maxima de peccato originali Matris Dei allegari utrinque sibi, &c. Sedi etiam Apostolicæ, nec quid determinaret in tot piissimorum! Virorum præjudicium, proponi potuissent. Desinant ergo Recentiores hæc tam à discussione Theologica aliena, & loca communia populariter opponere, ac turbas ciere.

Sed verò hæc cum tanta sint, majora adhuc suppetunt, cur ista vel oppositio, vel tentatio relegari à disputationibus debeat: nam dissipat omnem prorsùs de fide etiam, & quamlibet pro Dei doctrina disputationem, ac prædicationem. Ecce enim primum verissimæ illæ laudes sunt, quibus Lyrinensis quæst. præc. §. 3. originem cumulabat, fatebaturque tentationis inde magnitudinem. Profectò majora de his, quos nobis opponunt, viris piissimis dici non possunt. Num ergo originis discipulis, & assertoribus una tanti viri eminentia omnem adversùs si disputationem evertere licebat? tangi ergo origines non debuisset. Tantumdem ferè est Tertulliano Latinorum Principe. Num ergo parendum & huic fuerat? Verum Lyrinensis non hoc concludit, sed quod ex Prophetis manifestum est; *si surrexerit in medio tui Propheta, &c. non audies verba Propheta illius.*

Deindè universalissimè; quia ut doctrinæ fidei, & cuicumq; doctrinæ Dei etiam morum obstreptur, & stopuli contra eum commoveantur, nec audire velint, nihil interest sive Prophetæ, Doctoresque sui sint revera sanctissimi; sive tales populis videantur, licet revera non sunt in se, sed ut sunt in intellectu nostro. Jam hoc, quod verissimum est, posito, videbis, lector mox quæst. seq. §. 1. qualem vitam agerent Pharisæi, quamque sancti, & justi populo illi videri potuerint, & visi sint. Ergo populus ille ea sibi vera visa præscriptione sanctitatis Doctorum suorum, & Prophetarum agere adversùs Dominum potuit, & haud dubiè etiam egit, & commotus est. Ergo hæc tentario à fundamentis Evangelium evertit. Idem deindè credendum est accidere tempore Prophetarum; nec defuisse in tanta falsorum multitudine aliquos valdè, & egregiè hypocritas; nec alioqui decipere populos potuissent. Quorum proindè sanctitate præterea austeros, verosque Prophetas Heliam, Isaiam, Hieremiam, Michæam; paucioresque everterent. Quid, oro te, hi Recentiores adversarii nostri tunc effecissent? Addunt modò contra nos centum, & ducentum. Scribere tunc quadragentos, & plures potuissent. Non ergo valet ista præscriptio, Sic etiam Hæresiarchæ percurri possunt; quorum aliqui suis sanctissimi visi sunt, & suos etiam Martyres numerant. Si ergo valet hoc genere præscriptionis agere, omnia pessum eunt.

Sin verò, o Recentiores, disputationem tunc omnem eò convertatis, ut vestros pios verè pios contendatis: eorum autem non sic; sed potuisse; videtis credo, tunc jam risum, jam rixam secuturam: & tantumdem adversarios repostituros. Hoc ergo genus disputandi cuncta evertit; & hoc omisso, videndum est, quæ doctrina sit vera. vel falsa: quæ Dei, vel non Dei: alioqui commotione, favoreque populi nunc vincere hæretici etiam possunt.

Universim denuò nulla religio est, quæ suos sibi sanctos non habeat; gentiles etiam habuerunt, & pestis illa hominum Diocletianus Romano imperio ultrò renuncians talis ipsis videri potuit. Ad Schismaticos Abilinos abi, & ad tot illa millia Monachorum austerissimam vitam agentium dic ibi, perire omnes cum Diabolo, & Angelis ejus, ut citra controversiam Schismatici omnes pereunt. Frement haud dubiè, & in furorem ibunt: & si præscriptione sanctitatis eorum tueri se velint, nec aliud audire, nemo proficiet. Inconsiderata est ergo ista defensio, & fit maxima sanè tentatio. Sic olim nobilissimus hæreticus, qui Dei gratia ad fidem conversus fuit, opponebat nobis avum suum, cujus etiam vitam referebat, quæ suis visa fuit sanctissima, pauperumque Pater audiebat; & matrem etiam viduam domi clausam, continuè scripturas legentem multaque misericordiæ opera facientem. Verè magna est tentatio, sed fortiter repellenda.

Certè Orthodoxi omnes ex sanctitate professorum pro veritate Religionis Christianæ omnium plausu arguimus. At supponimus, eos sanctissimos evasisse vivendo juxta doctrinam Religionis Christianæ. Recentiores autem nobis opponunt viros sanè piissimos, qui non quidem juxta opiniones morales; quas docuerunt, sed juxta alias longe, & toto cœlo diversas vivendo sanctissimi evaserunt. Nulla ergo est hinc argumentatio pro opinionibus illis, sed magis contra illas.

Et quandoquidem Recentioribus præscriptiones agere visum est, nos istam, quam nunquam fortè dissolvent, proferimus, qua tales opiniones suspectas reddamus. Nemo hactenùs fuit in Ecclesia Dei, nec Author ipsarum, nec alius; qui vel Ecclesiæ judicio, vel privato etiam, & inferiori opinione sanctus existimatus sit

qui juxta illas opiniones vixerit, qui v. g. in casu opinionem æquè, vel inæqualiter probabilium de peccato mortali, contra partem tutam agere ausus sit; qui cum religiosus esset; nullam regulam non obligantem sub peccato servaret, quin etiam nullam servare statueret: qui solùm semel in triennio actum dilectionis Dei elicere conatus sit: qui cum pecuniam mutuaretur, quinque, vel octo lucratus sit; qui eum, qui se percussit, fugientem insecutus, ut repercuteret; fœmina item ulla, quæ Scotaturis usa sit. Hæc est doctrina illa ab Evangelii simplicitate aliena, quæ nullos Sanctos edidit.

Adversus eam ergo sic arguamus præscriptione: omnis illa doctrina, juxta quam vivendo privat etiam opinione nullus Sanctus evadit. Bona non videtur, nec Evangelii, nec Christi: cujus quippè doctrina, ut omnes arguimus, Sanctos facit. Sed talis est doctrina controversiarum nostrarum, quam impugnamus. Ergo bona non videtur.

Nugas itaque, & factiones relinquamus, & summam causam coram Deo judice agamus. Per Prophetas suos nos quoque loquitur Deus, ex quibus aliqua attulimus, ac penè infinita omittamus:ibi cernitur,quid multitudo sola prosit, & quo in loco habeantur falsa omnia, mendacia omnia, spiritu proprio dicta omnia. Hieremias cap. 23. ait: *væ Pastoribus*, &c. *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur: non de ore Domini*: qualesevidentissimè sunt omnes opiniones falsas.. *Non mittebam*, inquit, *Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*: & pacem, ac prospera omnia annunciabant. Non utique mittebat eos; siquidem ipsis consilium erat, modò probabilia essent, falsa quælibet nunciare: quales nullos nec de sua potentia absoluta potest mittere Deus, nec loquitur ad eos; & ipsi currebant; quod extremam hanc nostram ætatem mirè explicat; inqua quilibet, & omnes currerunt ad edendos libros morales, quibus bibliothecas impleverunt.

Sed mittamus Prophetas. Ecce Paulus terrere nos potest: prædixit enim, in ultimis diebus futura tempora periculosa, quin fore tempus, in quo sanam doctrinam, id est, veram non sustinebunt; eunt etiam Magistri, ac coacervati illi, & plurimi. Vanum ergo est illud multi sumus, plurimi sumus. Rursus si doctrinæ secundum desideria carnis essent, ad ambitum, ad avaritiam, ac similia, & in relaxationem ducerent, nesciremus, quo in tempore essemus. Et jam stabiliendum est magis, & magis Magistros docendo, & populum sequendo peccare posse.

QUÆSTIO V.

Doctores Synagogæ peccarunt malè de moribus docendo: populus item sequendo. Ergo peccare etiam possunt Magistri morum Catholici, malè docendo, & populus sequendo.

MOvendum illud hic non est, imparem mille de causis fuisse Synagogam Ecclesiæ sanctæ Marri nostræ. At notavimus superiùs, indè non effici, quominùs in Ecclesia etiam non sint avari, raptores, adulteri, qui ex dictis pridem contra populum illum redargui jure possint, reprehendique, atque reprehendi similiter posse Magisteria malè administrata. Quæstionem porrò solùm movemus de peccato, non autem de tanto. De quibus quæst. 3. §. 4. quæ necessaria sunt, cavisse videmur,

§. I.

Quales, & quanti Doctores Synagogæ populo videri potuissent? Vbi de Scribarum, aut Pharisæorum modo vita.

HÆc hominum, Doctorum, Sacerdotumque legis modi vivendi consideratio & Salvatoris deinde de eorum vita, & doctrina judicia mihi, ut fatear ingenuè, in his moralis doctrinæ causis oculos potissimum aperuere, hæcreque coegerunt in ea moralis doctrinę via, quam eatenùs fidentissimè triveram. Considerari enim, tales in exteriori cultu omni ens homines fuisse, adeòque circunspectos Doctores extitisse, qui si apud nos vixissent, fallere nos quoque potuissent: hoc tamen nec ad ipsorum, nec ad populi impunitatem, & excusationem sufecisse, ut ex universu pœnè Evangelio conspicitur,

Scribæ itaque erant legis Doctores, atque in ea, ut Hieronymus declarat peritissimi. Pharisæi verò, ut ait Epiphanius mox referendus, & alii dicebantur, quia propter spontaneam superfluam religionem à cæteris separati etanr.

De utrisque plura memorat Epiphanius in suo Pannario lib. 1. cap. 15. & 16. Et primùm quidem de Pharisæis inquit, eos eadem cum Scribis sensisse *conversabantur enim*, ait, *cum eis Legisperitis*. De illorum vita mox subdit. *Quidam illorum, cum se exercebant, præscribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis, sive continentiæ. Et frequentiùs orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, ut ne videlicet corporale quid ipsis accideret, aut clandestinè per somnia tristis corporis defluxio contingeret. Et alii ex ipsis asseres sibi parabant dodrantis tantum latitudine, & in has se ad vesperam locabant, ut siquis dormisset, in pavimentum decideret, & rursùs excitaretur ad orationem per hoc, quo vigilantem vitam haberet, quantum ejus fieri posset.*

Alii lapillos ex aquis collectos sibi ipsis substernebant, ut dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur, sed vigilantiam, sibi ipsi parare cogerentur. Alii spinas pro strato habebant ob eandem causam. Iejunabant autem bis in sabbato secunda, & quinta die. Decimabant decimationes: dabant primitias trigesimas, & quinquagesimas. Sacrificia, & vota exactissimè evolvebant In prædicto verò Scribarum habitu progrediebantur, Phylacteriorum scilicet & fimbriarū. Atq; ista haud ego somnio, sed refert Epiphanius; eorumque errores apud ipsos toleratos prosequitur. Qui autem hanc horum hominum vitam videt; mox verò considerat, eos maximè omnium à Salvatore improbatos esse, scelestissimosque habitos, expavescat, si satis credit, necesse est.

Hæc vitæ institutum, disciplinaque in causa

fuit,

fuit, cur ut Evangelium prodit, in se confiderent, aspernarenturque, & contemnerent cæteros. Hæc item causa, cur peccatores, & publicanos longissimè vitarent, Dominumque hac de causa, quia cum eis manducabat, criminarentur: discipulos item accusarent, quod vellendo spicas, sabbatum violare viderentur; atque ipsum etiam Dominum, quia eo die, quod in aliis potuisset, sanaret ægrotos.

Eorum sanè decimationes, jejunia; phylacteria, magnificatasque fimbrias; prolixas, etiam orationes; prætextum item templi, legis Dei, religionisque zelum; atque circunspectam undique, austeram, & gravem vivendi orationem, Evangelium planè testatur, & libri quique sermonis vulgaris contestantur: quod totum Dominus Math. 73. satis expressit dicens: *væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intùs verò plena sunt ossibus mortuorum. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.* Justi utique non erant, sed tamen parebant; nobis iniqui, hypocritæque sanè sunt; sibi autem, atque populo illi non erant, sed justi, virique in lege docti, religiosique videbantur: ex qua virtutis eorum, atque pietatis opinione illud quoque nascebatur, quod Evangelium ibi commemorat: *væ vobis Scribæ, & Pharisæi, quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes*; quia viduæ maximè in his orationibus confidentes sua omnia faciliùs erogabant; causas porrò, cur potiùs viduæ, Chrysostomus aptissimè prodit; & Paulus quoque affirmat, eos zelum Dei habuisse quidem, sed non secundum scientiam. Dicis hic forsitam tu: si quidem ergo hi legis Doctores, & viri religiosi a foris justi parebant, & intùs solùm pleni erant iniquitate, cum quæ intùs sunt, cæteri noscere non possint, neque discernere, planè populus eis credendo haud peccavit. Hoc quidem tu: sed Evangelium eos cæcos dicit, & duces cæcorum: & item utrosque in foveam cadere: fieri etiam filios gehennæ proselytos, quos lucrabantur. Erit itaque locus alius dicendi, quo pacto dignoscere, discernereque eos potuissent: & nunc credendum est Evangelio Salvatoris.

Ut institutum nostrum prosequar, horumque leges Doctorum: Pharisæorum vivendi genus ampliùs declarem, scitur sanè, Salvatorem nullos alios, tantoperè reprehendisse, improbasseque; certè jure merito; nam ut in proemio libri hujus ac deinceps etiam dicebamus, ex Doctorum, Sacerdotum, Rectorumque populi rectitudine rectitudo quoque populi; statuumque reliquorum maximè pendet; atque eis corruptis populum etiam corrumpi consequens est. *& pravus Sacerdos.* ait Hieronymus, *excæcat Ecclesiam.* Non ergo Dominus; & si indè maximè passurus esset, Scribis, Pharisæis, & Sacerdotibus assentatus est, sed coram potius, & clarissimè reprehendit damnavitq; & credendum est, etiam maxima quæque illorum crimina patefecisse ut populum de periculo edoceret.

Nusquam autem eos, credo de homicidiis, de adulteriis, de furtis, atque hoc genus populo etiam ipsi notissimis peccatis accusavit: quæ sanè si committere soliti fuissent, nec justi a foris paruissent, hypocrisi tanta uterentur, seque contexuissent. Illorum ergo illa duo crimina potissima fuerunt superbia, & avaritia, & utrumque velo maximè hypocrisis tegebant. Ex superbia, otiebantur illa, quæ Dominus perstringit, quod universim operarentur, ut viderentur ab hominibus; in specie verò, quod ambirent primos accubitus in cœnis, primas cathedras in Synagogis, salvationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: id est, Magistri. Ex eadem etiam superbia pessimæ aliæ filiæ prodiere, prodiitque ingens illa invidia, & odium Salvatoris. Homines erant, & homines sumus: tamet ipse oro te, perpende: tecumque medicare, quid apud nos quoque accideret, si quos superbos Magistros quisquam sic coram, sic palam redargueret.

Avaritia etiam suas filias peperit, tum quod nuper dictum est. De comestione, & præda domorum præcipuè viduarum; nam reliquos etiam emungebant; tum opiniones quædam morales, de quibus statim dicemus, quæ ex avaritia natæ sunt, omnia tamen religionis, virtutisque, & honoris Dei, atque templi specie, & prætextu, ut dictum est, contegebant: & nunc quidem nobis jam à Domino judicati, indeque noti, & detecti sunt; tunc non erant; & ideo fallebant: in quorum Doctorum authoritate, eosque sequentium peccato, ut paulò inferiùs dicam, ad litteram, & ad verbum instantur, & effringuntur excusationes, quibus populum nunc nostrum immunem prorsùs volunt, si Doctores unum, vel plures, & idiotam etiam suum Parochum sequatur; & si negemus, de impossibili, & de Jansenio statim si superis placet accusant indoctissimi homines. Hanc certè oppositionem toties contemnimus; quia eam planè irrisoriam arbitramur, semper opponunt. Dicamus jam modò de opinionibus moralibus aliquibus horum, ut videbantur, justorum, religiosorum, scientissimorumque hominum: & populus: si vult, attendere facilè potest, num similes aliquos habeat.

§. II.

De opinione morali Scribarum, & Pharisæorum qua religionis specie parentes subsidio filiorum defraudabant.

EXtant hic casus conscientiæ Matth. 15. & Marc. 7. nec enim; quia in Evangelio traditur, desinit esse casus conscientiæ. Accusarunt primùm Scribæ, & Pharisæi discipulos Domini *dicentes, quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum: non enim lavant manus suas, cum panem manducant.* Non vocant, Maldonatus, traditionem suam quamvis ipsorum, sed seniorum, ut & majorum authoritate, & traditionum antiquitate Christum, ejusque discipulos gravent invidia. Mirum enim est, quanto in honore, quamque firma habere aliqui velint quæ à senioribus, suis majoribus tradita sunt, atque sua etiam fecerunt; ex quibus potius Scripturas Domini, & Sanctorum Doctrinam aut intelligi, aut corrigi volunt, & non contrà. Hac ergo & majorum authoritate, & traditionum antiquitate Christum, & discipulos invidia gravarunt: quod planè quam sit populo etiam odiosum ignorat nemo. Nos porrò pro antiquitate pugnaturi certè sumus; sed non pro qualibet, nam hæreses, & errores satis sunt antiqui,

sed prò eà, quam Ecclesia probaverit, de quo infrà.

Nihil modò differo de his scribarum, Pharisæorumque lotionibus, & purificationibus: & Dominus eam neque damnavit, neque probavit, sed prætermisit, atque ex hac levissime causa, & quæstione eliam longè graviorem introduxit, eos indè carpens, quod pluris hæc à senioribus tredita facerent, quem legem Dei: *quarè & vos*, inquit, *transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram*: Neque enim quæstionem divertit, quod pessimè disputantium sæpè esse solet, sed ex ipsa illorum quæstione quasi ex visceribus, ut aiunt, causæ graviorem aliam deprompsit. Erat scilicet in violatione treditionum & ipsa violetio, & erat traditionum ipsarum pondus, momentumque: atque hoc præcipuum, & maximum erat. Quantum verò pondus, & momentum harum traditionum apud illos esset manifestevit dicens: *quarè & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam Deus dixit*, &c. Scribæ profectò, & Pherisæi stupidi edeò non erant, qui ore, vel etiem corde signate, & explicete dicerent, pluris esse traditionee, opionionesque suae, quam mandete Dei; sed re ipsa, & praxi, & exercitè subjiciebant treditionibus, opinionibusque suie mandata Dei; nec adeo curabent, quid, & quomodo diceret Deue; sed quid, & quomodò dicerent traditiones, & opiniones suæ. Propterea Dominus transgressionis mandati Dei causam traditionee, & opiniones sues esse dicit; & exactissimè mox confert, quid, & quomodò diceret Deus; & quid, & quomodò dicerent ipsi? *nam Deus dixit; vos autem dictis*, &c. In quod sanè periculum labi uos quoque possumus; si mandatorum Dei obsetvationem, quid, & quomodò hic, & ille dicat, atteudamus; quid autem, aut quomodò dicat ipse, inquiramus nunquam; & aliundè quam ex scripturis Dei, aut quam ex libris scripturas ipsas Dei afferentibus scire eamue, quomodò sit vivendum.

Ait itaque Dominus: *quarè & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam Deus dixit; honora patrem, & matrem; & qui maledixerit patri: aut matri morte moriatur. Vos autem dicitis: quacumque dixeris patri, vel matri; munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificavit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias dicens; populus hic labiis me honorat; cor autem longè est à me. Sine causa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.*

Hic unus Domini textue, ut fatear ingenuè, plus me docet, quam plurimæ aliæ aliorum quæstiones morales; neque offendi quisquem debet, si eis colleti vix noe fungi simus. In tres textum partes commentatores distribuunt, & in prima quid honorationis nomine intelligatur, tractant; in secunda de sensu opiniouis, traditionisque eorum Doctorum: in postrema demùm, de sensu sententiæ Salvatoris de docentibus doctrinae, & mendeta hominum.

Atque de prima parte Sencti Petres, & cæteri, quod sciam, omnes conveniunt, honorem illum, quem Deue patri, & matri à filiis deferri jussit, non tam in verbis, salutationibus, similibusque officiis, quam in opere; & subsidio, atque in eis in senectute juvandis constitisse: idque ex scripturis conficiunt; ac ex ipso hoc Salvatoris textu liquet: & uisi Judæi traditionibus magis suis studuissent, quam scrutarentur scripturas, id apertissimè Eccle cap. 3. expressum erat: *qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt, in opere, & sermone, & in omni patientia honora patrem tuum*, &c. Atque hæc fuerat à principio vera intelligentie, & explicetio mandati Dei de honorendis parentibus; sed posteà hoc prætermissum fuit, & invaluit traditio, & opinio Scribarum, & Pharisæorum, que mandatum frustrebant.

De secunda parte textus, id est, quis sensus esset hujus prevæ opinionis, & traditionis, & quid his Doctores dicerent, filiosque docerent, sunt sententiæ non tot, qui plures magis diversæ, quam adversæ; quarum aliquae S. Anselmue, & Thomas tradunt, & plurimas, percurrit, rejicitque Maldonatus; quò lectorem remitto.

Illa sanè explicatio & textui, & avaritiæ Doctorum illorum, atque frustrationi mandati prorsùs quadrat, quam Hieronymue, aliique Sancti Patres consignatunt; & quam re ipsa Maldonatus in commentario, & Corduba lib. 2. de ignorantia quæst. 2. secuti sunt. Et est opinio quam à Scribis, & Pharisæis subtilissimè excogitata, megno honorie Dei, & religionie, pietatisque velo tecta, & personeta; & quæ fallere nunc etiam multos potuisset: quem sanè vellem, si cum ea opiniones nostræ aliquæ conferrentut.

Corduba ex Barnaba de Rosalibus sic inquit: Pharisæi ex avaritia extollentes voti dignitatem, ut potè magnum actum virtutis religionis, & ideò illum anteponentes pietati, & honorationi parentum in eorum subventione, dicebant; siquis ee, quæ parentibus præstanda erant, Deo voveret, qui præcipuus est Pater omnium, liberum esse ab eorum subventione, maximè quandò non premebantur extrema necessitete; nam corporalis honoratio parentum, de qua etiam ibi Christus agit, ad honorabilem eorum statum tendit; non ad extremam necessitatem, quæ extreneos etiam obligat. Hæc Corduba. Atque hæc etet summe opiniouis.

Quis autem sit sensus illius particulæ, quam ex treditione Doctorum filii pareutibus reponebaut, *munus quodcumque est ex me, tibi proderit*, alii assertivè, alii interrogativè accipiunt. Sed vulgata nostra nullam interrogationem, sed assertionem ponit, cætereque exempleria, ut aiunt, concordant; mihi præ omnibus prima est vulgata, nec correctiones plecent. Et si assertivè quidem intelligatur, sensus planus est, ea quæ filii parentum necessitati impenduri erant, si offerrent Deo, & templo, non filiis solùm, sed patribue etiam ipsie prodesse quoad animam, & spiritualiter, & apud Deum: prodesse etiam aliquid corporaliter; nam si quæ offerebent, holocausta non essent, vesci eis petres quoque poterant, ut notat Meldonatus. Hoc ergo ex Sacerdotum institutione, siquandò perentes conquererentur, filii respondebent: o petet, prius est Deus, quam tu: & si illi, quæ tibi impendere debuerant, obtuli, tibiquoque prosiunt munera mea, siquidem tibi debita erant. Sin verò interrogativè legendum est, sic etiam expeditus est seusus: compellebant enim, ait Hieronymus, filios,

filios, ut dicerent parentibus; *quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumo cibos, tibique prodest, o Pater, & mater, ut illi timentes accipere, quod Deo mancipatum videant, inopem magis velint vitam ducere, quam comedere de consecratis.* Et dixerat superiùs: *atque ita fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione Dei, & templi in Sacerdotum lucra cederet.*

Anselmus in eundem sensum ita exponit: *vos autem dicitis: o juvenes, vovete quantumcumque sitis pauperes,* &c. *& si non potestis parcere parentes, & Deo offerre, contemptis parentibus, Deo vovete res vestras; si pater voluerit eas accipere, dicite, quia Deo vovistis,* &c. *& o Pater, quod est devotum, proderit tibi. admirando,* id est, *cederet in tuos usus? certè non debes sumere, ne sis reus sacrilegii. Vel ita; munus, quod ego offero Deo, & mihi, & tibi proderit; & ideò non debes sumere,* &c. subaudiendum autem addit; *& sic complebit legem, vel erit dignus vita æterna.*

Utrovis certè modo legatur, in scopum nostrum perindè est; nam statim conficiebant Syllogismum, qui totus sanctus, & religiosus, piusque, non quidem esset, videri tamen posset, dicendo: prius. & sanctum est dare patri præcipuo, quam minus præcipuo: Deus autem pater præcipuus est, & multò post sunt patres carnales: ergo priùs, & sanctum est dare Deo, & illos prætermittere. Vel sic præferenda est potior virtus; at vovere, & offerre Deo religio est: offerre verò parentibus pietas; religio autem est potior. Ergo præferenda est. Melius est ergo vovere, & offerre Deo, quam præstare parentibus. Vel sic; præferendus est Deus parentibus quoad affectum: sed qui præferendus est quoad affectum; præferendus etiam est quoad res. Ergo Deus præferendus est parentibus etiam quoad res. Melius ergo est, filios offerre res suas Deo, quam parentibus. Questus verò parentum repellere aliis Syllogismis poterant dicendo: o Patres, meliùs est, prodesse vobis, quoad animam quam quoad corpus; sed præstando vobis res nostras, prosumus vobis quoad corpus; quoad animam verò præstando Deo. Melius est ergo præstare Deo. Vel sic: ô Patres, præferri vultis; sed hoc justum non est; ergo questus vestri justi non sunt æquum est ergo, ut Deo posthaberi velitis.

§. III.

In hunc opinandi modum in hac etiam materia incidere nunc quoque possumus.

Disgressionem istam è re nostra futuram existimavi. Et primùm quidem Hieronymus aptissimè hac in re philosophatus videtur dum censet, scribas, & Pharisæos has suas argutias, & opiniones à pietate ad justitiam etiam quodam modo protraxisse, argumento hac etiam ætate satis usitato ex una virtute in aliam. Docuerunt itaque, quæ parentibus præstanda erant, sanctissimè Deo offerri; atque indè de aliis etiam debitis justitiæ in eum ferè modum statuisse videntur Hieronymi verba sunt: *hæc pessima Pharisæorum traditio de alia veniebat occasione, multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi credita reddere, delegabant Sacerdotibus, ut exacta pecunia ministeriis templi; & eorum usibus deserviret.* Hoc enim pacto hæc justitiæ debita in religionem conversa contra debitum etiam justitiæ modum extorquebantur; nam aliter nihil mali opinio, & traditio habuisset. Et nescimus utrum ipsi etiam Sacerdotes tradidissent istam debitorum justitiæ conversionem in religionem: suis quippè illis fundamentis labi etiam ad hoc eorum cupiditas potuit, & dicere, melius esse, si Deo offerrent, quæ aliis debuissent.

Profectò nunc quoque impingere in hos scopulos possumus, nisi vigilemus, assumendo propositiones universalissimas, quæ sanctissimæ videntur, prætermissis, nec satis perpensis circunstantiis actuum humanorum, *quis, quid, ubi,* &c. propter quem defectum rationes Doctorum illorum honestæ videri potuerunt, & non esse.

Occurrunt ergo quæstiones multæ conscientiæ in confessionibus de solvendis debitis; utrum, & quandò illa converti in eleemosinas, missasque possint? Ubi religionis specie irrepere avaritia potest. Aliquandò alii, qui pecuniam regiam, aliorumve administrarunt, iniquisque modis, atque prætextibus largissimè furati sunt, satis se facturos existimant, si monasterium, piumve aliud opus fundent, & debitum justitiæ in religionem, aut pietatem convertant: quæ certè sotent opiniones Pharisaicæ, de quo egregiè Augustinus ser. 19. de verbis Apost. Similes etiam quæstiones occurrunt, quandò filii in religionem admittendi sunt, considerari quippè, & jure quidem solet parentum inopia. Sed duo hac in re ob oculos habenda videntur; alterum, ut notavit Corduba, non solùm extremam necessitatem attendendam esse, sed etiam minorem: alterum, quam curæ sit Deo hoc suum mandatum de honorandis etiam opere parentibus; fallere verò sub specie virtutis possunt propositiones, & assumptiones, illæ universales, prius esse Deum, quam parentes, & sequi Deum, quam juvare parentes, ut visum est; nec enim requeretur Deum, qui ejus mandatum irritum faceret. Ideò ubique errari potest; & omnia examinanda sunt; quæque nobis sancta videntur, secùs. Deo videri possunt: filiis scilicet illis magnum quidpiam se agere videri potuit, si quæ parentibus dare deberent, Deo, temploque ejus obtulissent.

Sed verò moltò periculosiùs fallere solent similes assumptiones, ubi de imponendis tributis, aut non solvendis debitis in favorem Principis occurrunt quæstiones: assumunt namque quasdam nudas, ac universalissimas propositiones, prius esse totum, quam partes; publicum, quam privatum: item Principem extrema necessitate laborare: atque ex his nudis citra omnem circunstantiarum curam, universalibusque propositionibus inferunt, nihil esse solvendum, adduntque, & addunt tributa sine fine.

Re vera tamen ex illis propositionibus nihil sequitur, nisi alia considerentur, nec ultro assumantur, sed verè sciantur. Primò namque quamlibet Principis necessitatem ultrò vocant extremam. Deindè facta ipsa Principum sæpè dicunt contrarium; nam eam in omnibus magnificentiam, munificentiamque exercent, quam in nulla necessitate, & in summa opulentia possent. Ex quo rursùs videndum sit, utrum voluntariò, voluntariaq; nimia profusione indigentiores quotidie, impotentioresque reddantur; prius q; est has necessitatis voluntarias causas tollere, quam

debita non solvere, aut tributa etiam addere. Videndùm rursùs superesset, utrum extremam subditi ipsi necessitatem patiantur? utrum item ista extinctione subditorum, facultatemque eorum non totum, ut dicitur, parti, & publicum privato præferatur sed regnum magis, & Rex unà pereant. Postremò & illud considerandum esset, utrum ista debitorum non solutio, aut tributorum additio ad tollendas ipsaa necessitates, an ad alia convertatur, convertendave sit? nam si unius, alteriusque anni experimenta demonstrarent, eam partium, subditorumque perniciem non in salutem Regni, & totius convertendam esse, sed in alia invertendam consulere, aut probare illam nemo potest. Quod si his, aliisque prætermissis propositiones illæ universales de toto partibus præhabendo assumantur, perdi indè, damnarique plurimi poterunt.

Exemplo certè nobis esse potest hic Evangelii casus conscientiæ. Etenim In universali nequit profectò videri sanctior propositio de anteferendo toto partibus, & Regno singulis: quam videatur illa de anteferendo Deo parentibus, præhabendaque religione pietati, atque anima corpori. Et tamen in hac ipsa assumptione fuit, quod tantoperè Deo displiceret. & propter quod Doctores illi audire à veritate meruerint: *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* & iterùm: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Neque enim sanctius quidpiam magisque privilegiati esse nobis Regea possunt, quam Deus & templum. Si ergo in hac ipsa Dei, ac templi cum parentibus collatione erratum, peccatumque est per excessum, quantò faciliùs excedere, exorbitareque in aliquo possumus.

§. IV.

De sensu ejus clausula: sine causa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.

IN Mathæo hoc pacto scriptum est. Marcus verò cap. 7. scribit: *in vanum autem me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum: relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum:* &c. In Isaia quoque, vndè textua sumptus est, habetur: *& timuerunt me mandato, & doctrinis hominum.*

Maldouatus explicationis causâ à septuaginta, & ab interprete Latino additum censent eam particulam conjunctivam *&*, ipseque sine conjunctione legit: *docentes doctrinas mandata hominum.* Nihilominuùs conjunctionem, particularemque conjunctivam retinendam censemus, cum non casu, & sine consilio, ac sensu ubique inveniatur, & extet; nec sine illa liquidus, expeditusque sit sensus: quid enim est docere doctrinas mandata hominum? Aliud quippè sunt mandata, & aliud doctrinæ.

Dicendum est ergo, utrumque doctrinas, & mandata hominum fuisse eppo[…]endum; & non quasi tem unam, sed quasi duas. Etenim hoc loco & mandata hominum, & doctrinæ hominum reprehenduntur, & in utroque scribæ, & Pharisæi deliquerant. Ad mandata hominum pertinebat illud, ex quo quæstio exorsa est; de lotione manuum, & quæ Marcus memorat, *baptisma*, ait, *urceorum, & calicum, & similia facitis multa:* in quo excedebant primùm in tot præceptorum multitudine, & deindè in nimia eorum observatione, & cura; quia hoc erat ipsorum præcipuum negotium, magisque curabant, quam misericordiam, & judicium, & reliqua, quæ mandatis Dei constant. Ubi nolim ad disputationem cum sectariis distrahi. Patet enim ex hoc quoque ipso textu, quem allegant, maudata etiam hominum servanda esse: hæc quippè maximè sunt illa onera gravia, & importabilia, quæ imponebant in humeros hominum: nec tamen Dominus cum Secretariis conclusit *servanda non sunt; sed quæ dicunt, facite*: qua in re dissentio est; utrum de mandatis Dei, an hominum esset sermo: & quidem D. Petrus de ipsa etiam ceremoniali lego Dei, legibusque aliis intellexisse videtur: & satius est, si utraque simul mandata intelligamus: de quo alias. Ad præsens certè nimia mandatorum hominum multitudo, curaque rejicitur, quâ scilicet his mandatis intenti homines, nimiumque eis tribuentes mandata Dei minùs colerent, atque hæc propter illa transgrederentur.

Ad doctrinas porrò hominum pertinet, quod Dominus ait: *Deus dixit; vos autem dicitis:* ac item: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*; qua scilicet seniorum, ex sua traditione, & opinione evertebant mandatum de juvandis parentibus, ut explicatum est. Aptissimè igitur Dominus utrumque, de quo disseruerat, connectit, & concludit; *sine causa autem, seu in vanum colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum:* nec enim de mandatis hominum solùm, ne de doctrinis solùm, sed de utrisque disputaverat. Rectè ergo de utrisque conclusit: quia mandata Dei doctrinis falsis eludebant: sua verò mordicùs, & ad literam servari volebant, plurisque faciebant: *quæ res*, ait Chrysostomus, *ad tantam pervenit nequitiam, ut præcepta ipsorum magis, quam Dei mandata custodirentur.*

Sunt certè, qui magis ex sua opinione, vel desiderio, quam ex Evangelio velint, hoc loco esse sermonem de mandatis hominum contrariis mandaria Dei. Sed profectò hoc loco de lotione manuum, de tot illis purificationibus, & ablutionibua; de baptismate item urceorum, & calicum est sermo expressus: patet autem, hæc non esse contraria mandatis aliis Dei. *Verùm quia non erat*, inquit Chrysostomus, *ea traditio legi Dei contraria*, &c. Quapropter etsi nihil contrarium Deo jubeatur, excedi potest, & nimium jubendo, plusque mandatis hominum tribuendo, & divina negligendo, ut ex hac Domini doctrina colligitur: de quo rursùs infrà.

An autem hic sermo sit quasi de inutilitate, & otiositate observationis mandatorum, & doctrinarum hominum, an de sola aliqua imperfectione, an contra de peccato gravi, meritoque damnationis, potest esse quæstio; quis quippè sit sensus illius clausulæ, *sine causa autem colunt me; in vanum autem me colunt*, &c? Et rursùs quæri potest, utrum, hic rei, pravique ipsi solùm docentes, & jubentes essent, an etiam sequentes.

Tenendum sanè videtur, de gravi peccato, & utrorumque, scilicet docentium, & jubentium, atque sequentium esse sermonem. Et de docentibus quidem, & jubentibus, ex ipsa Domini clausula, & sententia res videtur comperta: quia non in vanum colit Deum; qui aliqua aut inuti-

li-

lia, aut etiam imperfecta prosequitur. Rursus quia utrisque textus Propheticos applicatur habentium corda longè à Deo; atque ea via supponitur esse similium. Denuò quia in Isaia, in quo longior est de his sermo, de utrisque agitur, & tamquam de peccato gravi agitur. Iterùm quia Evangelium videtur tollere omnem ambigendi locum; nam dicit, *finite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæc ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*: quam Domini conclusionem quæst. præc. propugnamus. Postremò quia non inutiliter, aut imperfectiùs agentium, sed gravissimè peccantium est, & illa Domini ibidem contexta comminatio; *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cœlestis, eradicabitur*. Ergo hi docentes, & mandata hominum modo declarato, & sequentes, atque eo more, viaque viventes graviter rei erunt. Inter alias glosas affert S. Thomas ex Evangelio: *omnis enim falsa doctrina, & superstitiosa observatio cum suis auctoribus permanere non potest, & quia à Patre non est, cum eisdem eradicabitur. Illa ergo solà permanebit, quæ à Deo Patre est.*

Nunc ex his obiter de præsentibus doctrinis patet plantationem viæ probabilium, quæ quippè veras, & falsas doctrinas probabiles ex æquo accipi, commiscet, & approbat, non esse à Patre cælesti, & nunc, vel in extremo saltem judicio forè eradicandum, ac improbandam. Nulla enim plantatio involvens simul, & approbans falsa cum veris est à Patre cœlesti, qui scilicet nulla falsa etiam probabilia plantavit, ut patet. Sed via dicta est plantatio involvens simol, & approbans falsa cum veris, quin nihil curat, utrum vera, & falsa sint, sed solùm utrum probabilia sint. Ergo non est à Patre cœlesti: ergo vel nunc, vel post eradicabitur. Illa ergo sola plantatio, ut aiebat Remigius, permanebit, atque probabitur, quæ à Deo Patre est: hæc autem solas continet doctrinas veras, & nullas falsas etiam probabiles, & si à mille Doctoribus, vel universo etiam mundo, si fieri posset, approbarentur, & subscriberentur: atque hojusmodi, scilicet doctrinarum solum verarum, quæ à Patre sint, nos dicimos esse regulam morum, & viam salutis. Non est ergo, ubi opinamor, qui via veritatis gradimur, & falsa omnia quantacumque quorumcumque improbamus, & à via salutis, à recta, sanaque doctrina indubitanter repellimus. Rursùs hic. Qui docent falsas doctrinas etiam probabiles, haod docent, ut patet, doctrinas Patria, à quo fa sa esse neqoeunt, sed doctrinas hominum, id est, solùm hominum, & nullatenùs Dei. De his autem veritas ait; *fine causa autem, in vanum autem colunt me*. Videant ergo. Quamquam verò qui dicit, doctrinam aliqoam falsam docet, censere possit, eam veram, & Dei esse; & sic etiam excusari à peccato possit, si in quærendo qood debuit, fecit; atqui reflexè omnes doctrinas probabiles approbant, sciunt eas esse veras, & falsas, & ad medietatem plus minus commixtas. Scienter ergo falsa approbant, & scienter aiont, iis doctrinis, quæ Deinon sunt, sed solùm hominum, tam certè, & prorsùs ritè coli Deom. Veritas porrò non hnc dicit, sed, *fine causa colunt me; in vanum autem me colunt docentes doctrinas, & mandata hominum.*

De mandatis item illud obiter colligendom est ex doctrina Salvatoris. Diximus, hoc loco sermonem nonesse de mandatis hominum contrariis Deo, sed de excessu in multitudine, & de excessu in cura collativè etiam ad mandata Dei. Primum ergo universaliter peccari, & gravissimè quidem posset, si totum studium, aut quasi totum ad horum mandatorum hominum observantiam reducerentur; hæc urgerentur; his invigilarentur, eorum etiam violatio severè animadverteretur: mandatorum verò Dei axigua, & longè minor esset sollicitudo: de quo multa Bernardus dixit, quæ sciens, prudensque omitto.

Atqoe hoc loco illud addam, eos qui vellent pro mandatia Dei valere quidem æquè, & minus probabilia; pro suis non item; ac nihil ducant, si illa laxiùs interpretentur: velint autem sua sine glosis, & ad litteram custodiri: atque uno verbo me in servandis Dei mandatis tutum habeant, si unum, aut duos Theologos sequar; in suis verò, licet eosdem Theologoa sequar, si secus agam, quem ipsi voluerint, pœnis etiam mulctent; siqui sanè hujusmodi essent incunctanter eos in sententia Salvaroria clauderem.

Certè indubitanter omnea videntur accipere, haud tectos eos forè superiores, qui unum, qui duo, qui plurima mandatis Dei re ipsa contraria imperarent; & tota sanè resolutio aureæ epistolæ de obedientia est ad conformitatem voluntatis, & judicii subditi ad voluntatem, judicumque superioris; & hujus rursùs ad divinam voluntatem, & rationem, & sapientiam, & sic demùm ad veritatem; nam ub. ea concordant, inest veritas; ubi dissident, falsitas. In eos agitur, qui unum: qui duo, qui multa, qui non tot, quin plura mandatis Dei contraria jubereot, caderet haud dubiè Domini sententia *fine causa autem colunt me*, &c. At via probabilium docet unum, duo multa, & non tot, quin plura mandatis Dei contraria; nam docet, & approbat omnes doctrinas probabiles etiam falsas, quæ est media fermè pars librorum; constat autem demonstratione mathematicá, omnes falsas etiam probabiles esse mandatis Dei contrarias per additionem, vel ablationem, ut per se patet, & denuò retractabitur: ergo videant Superiores Probabilium Assertores, & vindices, siqui sunt, & timeant.

§. V.

De illa alia opinione morali Doctorum legit de mensis nummulariorum.

CAsus hic de cathedris vendentium columbas, mensisque nummulariorum habetur Math. 21. Marc. 11. & Joan. 2. Matthæus hic habet: *& ejiciebant omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit; & dixit eis. Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Joannes addit, quasi flagello etiam ex funiculis facto Dominum eos ejecisse, quamquam de alia vice Joanni, ut creditur, sermo sit. Marcus verò notat: *quo audito Principes Sacerdotum, scribæ quærebant, quomodò eum perderent.* Hieronymo visum est, nihil in tota vita Salvatoris legi hoc facto mirabilius. Notant autem S. Thomas, & alii communiter, hæc omnia non in interiori parte templi, sed in atrio, atqua in porticu Salomonis fieri solita fuisse: quo nihil sa-

etum locum prophanate viderentur: & ne rursus aliena, & secularia negotia ibi miscere existimaretur, solùm ea vendebantur, quæ templo, & sacrificiis, desecuerint prætextus porrò religiosus quisque videbatur cum namque undique innumeri ad sacrificia offerenda confluerent, & facile invenirent omnes quod possent offerre iis cathedris, & mensis, ac retumabundantia provisum fuerat. Nihil proindè inveniri videbatur, quod peccatum, crimenque foret.

Nihilominùs ambigendum haud est, aliquod hic crimen invenire. Num enim Dei Filius tanto domus Patris zelo arsisset in actionem innocentem, culpæque innoxiam? Mulctasset etiam flagello nihil mali facientes? Rursùs falsum, quod absit, fuisset, quod dixit: *vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Verba igitur,& facta omnia, & eversio cathedrarum, & mensarum; flagellum quoque, & zelus manifestè crimen aliquod probant.

Hieronymus itaque cum plausu interpretum reliquorum, in quo crimen interisset, manifestavit. *Hoc primum sciendum, inquit, quod juxta mandata legis augustissimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles offerebantur hostiæ, maximè festis diebus, taurorum, arietum, hircorum, pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, & turtures offerentibus; accidebat plerumque, ut qui de longè venerant, non haberent victimas.*

Excogitaverunt ergo Sacerdotes, quomodò prædam de populo facerent: & omnia animalia, quibus opus erat ad Sacrificia, vendebant; & ut venderent non habentibus, & ipsi rursùs empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, & non solùm hostias non habebant, sed nec undè emerent quidem aves, & vilia munuscula. Posuerunt itaque nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam.

Sed quia erat lege præceptum, ut nemo usuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fænerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum sortem perderet, excogitaverunt & aliam technam, & pro nummulariis collybistas facerent: cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos: quæ nos appellamus tragemata. vel vilia munuscula. v. g. fici ciceris, uvarumque passarum. & poma diversi generis.

Igitur quia usuras accipere non poterant collybista, qui pecuniam fænerati erant, pro usuris accipiebant varias, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coemuntur; quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicaverit, dicens: usuram, & superabuntiam non accipietis. O Deus, si hæc peccata sunt, & usuræ sunt.

Maldonato illud in his omnibus certum visum non est, à Sacerdotibus scilicet, stropham istam, moremque inductum fuisse. Sed primò nulla incertitudinis affert fundamenta. Adest autem pro certitudine tum Hieronymi, cæterorumque ejus commentum accipientium authoritas; tum quod maximum fundamentum est Sacerdotum illorum avaritia. Accedit, quod ex Marco notatum est; Principes Sacerdotum, Scribasque præcipuè, audiro Domino, irritatos fuisse; res ergo hæc erat, quæ ipsorum maximè interesset,& in qua ipsi potissimum reprehenderentur. Postremò quia nisi scientibus, consentientibusque illis, atque probantibus, nihil eorum effici potuisset, ut locus, resque ipsa loquitur.

Nunc quidem ego de usuris in specie non scribo; si tamen hoc loco rem cum re, causam cum causa conferre quisquam volet, facilè colliget, quales circa usuras opiniones quædam sint ex quibus vivunt sanè plurimi, nec levia munuscula & poma; vuasq; passas,sed ingentes pecuniæ summas maximo reipublicæ etiam detrimento corrodunt, & pecuniam rem natura sterilem avaritia nostra omnium fæcundissimam præstitit, ex qua non nisi monstra usurarum nascantur. Titulos illos, causasque allegant superabundantiæ, videlicet amittendæ sortis periculum; beneficium item mutuatario collatum; pecuniam præsentem plus valere, quam futuram, quod denique omnia sanet, salvetque lucrum cessans. Sed vides, opinor, christiane lector, hos titulos omnes adfuisse nummulariis illis, & collybistis; nec ausos tamen esse superabundantiam ullam in pecunia ipsa accipere, sed in levioribus illis rebus; & tamen à Domino, quidquid illud erat, speluncam latronum appellatum fuisse. Ut porrò idem Hieronymus in eadem usurarum materia alibi concludit, Dominus non irridetur. Forsitam inquis, Judæos ineptissimos sanè homines non propter eos alios titulos, sed propter ipsum illa incrementa accepisse. Sed verò hæc non responsio est, sed inverisimilis quædam evasio, ut facilè commonstratur. Deindè Dominus de hoc eos instituere debuisset, non lucra impedire, eosque irritare; modo enim lucrare liceret, patum cætera Sacerdotum interesset. Omitto rem puerilem pluribus refellere. Hoc igitur in hac materia considerate oportuisset, hos titulos, quibus superabundantiæ justificantur, non nunc natos esse, sed semper adfuisse. Non ergo tantopere à Deo usuræ prohiberi debuissent, sed modus ostendendus, qui demùm excogitatus est, copiosè lucrandi sine peccato, quin imò existimandum est, homines iis de causis incrementa semper accepisse; quas modò allegant, & quæ semper inter homines in mutuo adfuere, beneficium quippè mutuandi sortis amittendæ periculum, valor major, ut aiunt, pecuniæ præsentis; ac sæpè etiam lucrum cessans. Sed erit dies alius de hoc dicendi.

Ut ad institutum redeamus, insequitur Dominus Math. 23. alias opiniones morales de juramentis Doctorum illorum, & Sacerdotum: quod sanè caput plenum in primis est particula *va*, quod grave crimen arguit; ac deindè Doctores cæci vocantur; duces item cæcorum: cæcitas autem, & stultitia, quo etiam nomine Dominus utitur à peccato non excusat, ut lib. 1. ostensum est, & ex sacris libris cuique non prorsùs cæco est manifestum. Habemus ergo non solùm hæreses, sed opiniones etiam morales non unius, vel duorum, sed plurimorum Doctorum, & Sacerdotum; quas qui docebant, cæci, stulti, reique erant; & eos sequendo cæteri quoque in foveam cadebant.

§. VI.

Quæcumque nunc allegantur pro impunitate Doctorum nostrorum, & sequentium instantur ad verbum in doctoribus illis, & populo.

Ere maximè nostra Augustinus, reflexivus sanè, excelsusque Doctor serm. 49. de verb. Dom. cavit, *ne quis dicat nobis: prorsùs de Pharisæis dixit;*

dixit ; de scribis ,] *de Iudæis dixit : nam talis non habet Ecclesia* , &c. quam vanitatem superius , quoque ejusdem Augustini , Hieronymi , Chrysostomique reflexionibus repulimus; ostendimusque, non magis in Ecclesia præservata esse à peccato magisteria, quam cætera officia, & esse posse malos Magistros, sicut esse possunt pravi judices, & adulteri raptores, &c. Quapropter ex Evangelio , reliquaque scriptura dicere in ea tam sanctè licet , atque in cætera officia.

Nunc porrò excusationes illæ , & justificationes ad verbum instandæ , infringendæque , quas perpetuo dicunt , & dicent , obstendentque , ut Doctores , & sequentes à peccato excusent , medium terminum variando , & confundendo ; nam aliquando aiunt : quod unus , aut duo Doctores dicunt , esse probabile; supponunt autem, hoc probabile esse rectam regulam conscientiæ : Aliquandò verò loquuntur , ignorantias invincibiles, aiuntque , saltem eos , qui Doctorum aliquem sequuntur , excusari à peccato propter ignorantiam invincibilem. Adeò porrò pingui , ut aiunt , minerva disserunt , ut partim curent , utrum probabilitas, & regula , utrum ignorantia invincibilis; cum tamen adeò utraque intersit , ut nemo eò usque hactenus desipuerit , qui sub his terminis vel quæsierit , utrum ignorantia invincibilis sit regula conscientiæ ? sed id perpetuò de ignorantia quæsitum fuit , utrum excuset ? Jam autem omnia confusa sunt , & de ipsa etiam ignorantia invincibili docent , esse regulam , id est , actus ipsi conformes evadere rectos, & honestos. Undè quod aliàs ostendi , conscientia erronea invincibilis erit quidem , ut supponitur, erronea; erit item simul recta, scilicet rectè regulans, & sua regulata; & mensurata tam recta , facit , atque ipsissima conscientia recta : quod enim *de peccato materiali* dicunt , nihil ad moralem considerationem, moresque pertinet , ut alibi ostendi. Ineptierunt proindè sapientes omnes , qui à principio distinxerunt , & dixerunt , conscientiam aliam esse rectam , aliam erroneam , id est , non rectam , & hanc deindè subdiviserunt.

Aiunt itaque , quod unus , aut duo Doctores dicunt esse probabiles ; sed hanc vocem *probabile* , quæ nescio , quid virtutis habere in multorum mente videtur, relinquamus , & de re ipsa loquamur. Aiunt itaque , quod unus ; aut duo Doctores dicunt esse regulam tutam conscientiæ saltem eos sequentibus. Fieri ergo nequit , ut eos sequendo peccent, & non rectè operentur.

Dico, assumptionē, illam nihil plus fundamenti habere, quam si diceres ; quod unus, aut duo mercatores vendunt, est rectè venditum, aut quod unus aut duo artifices arguunt, est rectè factum, & est regula recta vendendi, & faciēdi; nā ut constituimus, magisteria non magis ab errore, & peccato præservata sunt , quam reliqua officia. Deindè facto ipso patet, Magistros plurimos errare: nam plurimis contradicunt; implicat autem in terminis, eos, qui errant , rectam regulam facere , sed potius contrarientur additione , vel ablatione primæ , & supremæ legis Dei , ut patet demonstrativè. Rursùs cum prædictum sit in terminis , fore Magistros malos etiam coacervatos , & multitudinem magnam malè docentium eam quæstionem miramur, quâ quærunt, utrum unus Scriptor, aut Author faciat probabile , & regulam ? Adduximus intereà instantias alias; & illam de Doctore jurista, &c.

Sed nùnc instantiæ Doctorum , Sacerdotumque legis insisto. Assumptio illa , *quod unus , aut duo Doctores dicunt , est regula tuta conscientiæ*; tunc erat falsa. Ergo & nunc. Antecedens patet; nam ostensum est, tunc non solùm unum , aut duos , sed plurimos etiam Doctores legis in docendo deliquisse , stultosque, cæcos fuisse , ac populum etiam peccavisse eos sequendo, non solùm in doctrinis de religione, sed etiam de moribus.

Consequentia patet multipliciter. Primò quia nulla Dei promissio , aut privilegium est , quo nostri exempti , præservati sint. Secundò quia expressis prædictionibus constat contrarium tam in doctrina fidei , quam morum. Tertiò , quia quod practicè , & apertis oculis considerandum est , id tunc erant Doctores illi , quod nunc nostri ; nec tunc nostri aderant , qui consuli possent , sed toto potiùs mundo in idolatria delyrante , illi soli in mundo supererant , qui sapientes esse , vel videri possent; erant enim verę legis veri Dei interpretes; & Doctores ; nec minùs , sed magis in genere suprà omnes tunc mundi Doctores eminebant. quam modò Catholici ; nam hæretici Christum saltem confitentur , & aliqua saltem eius præcepta accipiunt , & colunt , quin vix non totum Decalogum. Valet ergo consecutio , loquendo non de facto , sed de possibili ex illis Doctoribus ad nostros ; id est , sicut illi malè docendo deliquerunt , deliquere nostri quoque possent : & sicut illi dicto suo regulam tutam non dabant , ita nec nostri hoc præcisè titulo , quia ipsi ita dicunt. Ex quibus sic denuò vim argumenti demonstro. Sicut Doctores nostri assumunt , quod ipsi docent , esse continuo regulam tutam conscientiæ , id ipsum Doctores illi assumere potuerunt , & fortè etiam assumpserunt ; erant enim propriæ authoritatis amatores , & exaltatores. Falsò ergo etiam nostri assumunt , & excedunt. Ubi rursùs ; nam sicut modo offendi quidam videntur , quia dicimus , nec ipsos , nec nos dictis nostris regulam tutam continuò præstare, ita tunc quisquis iis Doctoribus dixisset , quidquid ipsi docerent , non continuò esse tutum , eos utique plurimum offendisset. Dixit certè palam , & coram Dominus : sed hæc origo maxima odiorum , & crucis. Nihil ergo superest, quo verè , & coram oculis Dei unus aut duo , aut decem etiam Doctores privati (de his enim semper tracto) assumere citra jactantiam possint ; nos dicto , authoritateque nostra , quidquid de moribus docemus , & dicimus , efficimus tutum. Ubi memoriam ex dictis refrico : esset id dictu stultum in materia religionis , & fidei , cum Concilia etiam sexcentorum Episcoporum non effecerint tutum , ut visum fuit suprà. Ergo & in materia morum est falsissimum.

Postremò causæ , propter quas Dominus Doctores illos improbavit , reosque ostendit , eædem nunc quoque proportionatè vigent , & urgent , in Doctoribus quibusque falsis. Nam ut illa omittamus , quæ de suo præter legis materiam de lectionibus addiderunt , & de ipsa mandatorum Dei materia tractando , totum eorum crimen ad hoc à Domino revocatum est , quòd falsis , fucatisque rationibus , & pietatis , ac religionis prætextu irritum facerent mandatum Dei , latrociniaque , & usuras paliatas probarent. Sed omnis Doctor nunc noster falsus , & errans in ipsa materia mandati , & legis Dei hoc idem facit ; nam evertit ,

&

& irritum facit mandatum Dei, si errar per ablationem; sin verò errar stringendo, & addendo, similiter in legem delinquit. Vanissimum porrò est dicere, Doctores nunc nostros rationes habere; eos autem non habuisse. Sunt certè quidam, quibus nunc primùm rationes, & ingenia in mundo nata videantur. Itaque rariones, & ipsis quidem graves habuerunt; alioqui nec ipsi decepti fuissent; nec alios decepissent. Dedimus suprà illorum rationes aliquas illæ, inquis, levissimæ sunt; nostræ gravissimæ sunt. Et ego quidem primam paitem fareor, & credo, ex qno Dominns earum Authores cæcos esse, & stnltos judicavit. Sed non de hoc est quæstio, & quales illæ rationes re ipsa fuerinr, sed quales tunc illis visæ sint, cæcis scilicet, & stultis; & utique graves visæ fuerunt; nam si leves esse agnovissent, cæci planè non fuissent. Deindè de iis Dominus jam judicavit; de nostris nondùm judicavit. Collatio ergo facienda est seorsim ab hoc Domini judicio, & videndum: qnantò magis, reales, & solidę plurimæ nostrorum rationes sint. Nam si rationes, erunr simillimæ, nec valdè impares, simile, nec valdè impar erit de nostris quoque judicium, etsi hactenùs Dominus nostras non judicaverit. Rursùs nemo cordatè dicere potest, nec dixir, nostros Doctores omnes esse graves; graves item rationes illas omnes, quibus libri implentur. Er hi quidem ipsi quibuscum modò disputo, nolunt omnia summorum etiam Doctorum Augustini, Thomæ, & similium fundamenra esse gravia, & solida: velinr ne ergo omnia cæterorum esse gravia? Hoc, credo, nemo volet, nec citra cæcitarem velle potest. Ergo salrem eorum, qui levibus rationibus irrirum faciunt mandarum Dei, & Doctorum legis causa una est.

Tandem de rationibus, & fundameutis universim ostendi par. 1. quod nunquam opinor, evertent, rationes prorsùs nulla excepta omnes adæquatè dividi, aut distingui in sophisticas, & in reales, seu non sophisticas: & sophisticæ quidem vocantur etiam phantasticæ, & captiosæ. Constitui etiam, rarionum sophisticarum hanc esse rotam naruram, essenriam, & constitutionem in Logica quidem sine dissentione cunctis probaram, quod vel peccent in materia, vel peccent in forma; & boc uno interesse, differreque, urrasque rationes, quod non sophisticæ vera assumant, & rectè inferant; sophisticæ verò vel falsa assumant, quæ vera videanrur, vel vera assumendo malè inferant, etsi benè inferre videantur: vel novam Logicam nobis cudant.

Jam itaque ne verbis, quibus assuevimus eludamur, capiamurque, relinquamus, has voces omnes, *probabile, grave, leve solidum, frivolum*, & similes, & agamus Logicè vocemusq; rariones omnes vel reales, ac scienrificas (pro modo uniuscujusque scientiæ) seu non sophisticas, & sophisticas. Si de sophisticis fermo sir, eas habuerunr Judæi, quæ ipsis reales viderentur; abundant etiam eis hæretici. Si de non sophisticis sermo sir nullus Doctor falsum docens eas habet, & repugnar, falli quamquam, falsumque docere, & illius rationes non esse sophisticas. Sint hominis Carholici; erunt sophisticæ. Videantur graves, & gravissimæ. Non erunt, sed videbuntur; nec ullam ullius generis scienriam, sed solam pseudoscienriam, sophisticamq; ingenerabunt. Dominus itaq; nihil inter rationes graves, & leves distinxir, sed utrum mandarum Dei everterent, consideràvit, supposuitque omnes eas rariones, quibus quodlibet Dei mandatum infringitur, & cassarur, esse planè sophisticas, captiosas: & malas quemadmodum omnes rariones, quæ contra fidem sunt. Ratio autem est ideuricè una; quòd scilicet quidquid contra verum pugnat, sophisticum est, & nihil prætereà. Concluditur ergo omnes prorsùs rationes quibus opiniones falsæ per additionem, vel ablationem in materia ipsa legis Dei constituuntur, ejusdem generis esse cum rationibus Doctorum illorum. At hæc illorum dicta falsa non fecere ruta, neque regulam constituerunr. Ergo nec nostrorum Doctorum dicta falsa ipsorum rationibus, aut regula fiunr; aut tuta redduntur.

De ipsa nunc illa etiam magnifica voce *probabile*, in terminis aliquid dicamus. Dividunt probabile in probabile ab extrinseco, & in probabile ab intrinseco, & utrumque regulam, eamque indefectibilem ponunr. Sed ecce in primis opiniones Scribarum, & Pharisæorum eo temporis, quando nulli alii erant verę legis veri Dei Doctorum ac intepretū, & non quidē opiniones unius, vel alterius, sed communes, & ferè omnium, quæ eriam ex senioribus robur, & venerationem haberent. Num illæ, & Doctoribus, & populo non erant probabiles, si quidem & Doctoribus, & populo communiter probantur. Erant, sanè, id est, videbantur; & id plus minos eranr populo illi sui Doctores. quod nostro nostri: & §. 1. visum est, quanta virtutis, pieratisque Specie Doctores illi exterius eminerenr: & aderanr non tot, quin plures docentes. Et ramen nullum adfuit probabile ab extrinseco, quod regula tuta esset; nihil, quod vel Doctores, vel populum excusarer, ubi contraria Deo inducebanr. Quo ergo privilegio Doctores nostri, ubi falsa dicunr, & contraria dicunr, efficiunr probabile ab extrinseco, quod tuta regula sit? Nuspiam hoc magis privilegium invenitur, & Doctores nostros, sicut illos inflari, infatuarique non posse, aur superbos esse vel avaros. Similiter rationes illorum, ubi contraria, Deo docebant, nullum efficiebanr probabile ab intrinseco, quod regula esset, & vel excusarenr quidem. Ergo idem erit de rationibus nostrorum, ubi Deo contraria dicunt. Er totum quidem Dominus eò reduxit, ut diximus, quod mandarum Dei frustrarenr, docerentque doctrinas hominum: hominum aurem sunr & nullatenus Dei omnes doctrinę falsę. Ergo eodē jure nostris dicere Dominus poreft ubicumque falsum docent, *quarè & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras*; ac iterùm: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*: atque Demùm *in vanum colunt me docentes doctrinas hominum*. Ubi plurimas librorum opiniones producere quisque porest conferreque in specie, & in individuo cum illis, quas Doctores illi tradiderunt, utræ fædiores sint; Er Dominus quidem adeò ægrè tulir, quod mandarum de honorandis parentibus, quod verbis saltem adeò expressum circa opera non fuerat, irritum tradirione, interpretarioneque Doctorum fieret. Quid, oro te, effecisset, si eam opinionem invenisser, quæ nullum esse speciale mandarum diligendi Deum à cęteris distinctum asserebar, quo nihil est divina lege expressius, frequentiusque imperarum: & tamen eo prolapsi sumus, ut opus fuerit Pontificia authoritate, quæ fieri fermè eam cum aliis opinionem exterminarer. Usuras

porrò

porrò quantò fœdiores docent in summa ingenti pecuniæ, & cum pignore.

Sed hoc loco cuidam gravi Magistro delyrare contra omnes visi sumus; dicimus enim, Doctores illos legis communes etiam opiniones docendo, & populum sequendo deliquisse: ergo dicimus, peccari posse opiniones etiam saltem ab extrinseco probabiliores sequendo: quod absurdum ipse putat, & contra omnes. Enimverò non nobiscum, sed cum Domino Magister iste contendat; nam ex Evangelio Domini hoc utrumque constat, & opiniones illas fuisse Doctorum eorum communes traditiones: & tamen tum eos, tum sequentes deliquisse, utrosque cæcos extitisse, ac in foveam cecidisse. Videat ergo, utrum quod Doctores communiter docent, sit probabilius ab extrinseco, vel non sit? si non est, malè nos accusat. Sinverò est, in Evangelium accusationem convertat.

Nos igitur toto opere distinguimus, esse, & constantissimè tuemur non probabilioritatem, sed nec certitudinem, & evidentiam, quæ videtur esse, & non est, regulam esse, nec à peccato quidem semper saltem excusare. Hujusmodi porrò erat illa major probabilitas, vel fortè etiam certitudo earum opinionum, & traditionum, quas Dominus insecutus est: atque hoc genus probabilitatibus certitudinibus, evidentiisque hæreses etiam ipsas refertas esse, scilicet sophisticis lib. 1. fusè ostensum est. Et quidem Magister iste meminisse saltem debuit epistolæ Pauli, quam toties relegimus, de Magistris coacervatis; quorum certè cum tanta futura, sit multitudine probabilius ab extrinseco apparens illud, & sophisticum sine re, & veritate: & nulla tamen regula, nec excusatio adiret. Quod de omnibus ipse dicit, hanc scilicet non nostram, sed Domini doctrinam esse contra omnes, distinguendum est, nam omnes quidem dicunt, & rectè dicunt, neminem scienter peccare sequendo id, quod vel probabilius, vel certum sibi videtur, & existimatur: at nemo Theologiæ non prorsus ignarus asserere potest; eum per ignorantiam peccare non posse, qui sequitur, quod sibi probabilius, vel etiam evidens videtur; malè tamen videtur: atque ita omnibus corde hæreticis, & infidelibus hæreses suæ, & religiones videntur.

§. VII.

Ejusdem instantiæ prosecutio, quatenùs aiunt, Doctoris dicto ignorantiam quamque mox reddi invincibilem.

Hic alter pes est viæ hujus; nam aliquandò, ut diximus probabilitate; aliquandò ubi illa claudicat, ignorantia invincibili gradiuntur; & hanc etiam deindè contra Theologiæ rudimenta in regulam convertunt. Rara sanè ætas, in qua pluris ignorantia invincibilis honestos facit, nec excusat solùm, sed etiam salvat, quam scientia Sanctorum; nam ista paucorum est: ignorantia autem plurimorum: rara sanè, & rarissima ætas. Quid ô Deus, nobis opus est scientia tua?

Aiunt igitur alii quidem Doctoris cujuscumque gravis dicto: alii Doctoris cujuslibet, vel etiam confessoris dicto mox pœnitentis, aut ignorantis ignorantiam invincibilem. At ignorantia invincibilis juxta Orthodoxos omnes excusat à peccato; juxta hos verò argumentatores operationem etiam sibi conformem facit rectam, & honestam; & sicut operatio contraria rationi erranti proponendo obligationem juxta omnes est mala, ita juxta hos omnis operatio, & voluntas concordans rationi erranti est bona. Alio deindè sensim gradu omnem prorsùs verè talem ignorantiam putant invincibilem. Ex quo demùm efficiatur, ut ignorantia, quæ à Conciliis, sanctisque mater cunctorum errorum, & vitiorum censebatur, jam mater fœcundissima sit omnis justitiæ. Quid ergo libros omnes: & scientiam, atque Academias non comburimus, ut ita ignorantissimi simus, & hac via expeditius salvemur, cœlosque impleamus?

Arguunt itaque pro sua ista invincibilitate. Nam pœnitens, & quicumque etiam ignorans, & petens consilium, ipse, ut supponitur, est ignorans. Ergo ad aliud teneri non, nisi ad consultandum, quærendumque aliquem professione sapientem: quo facto, si in ignorantia permanet, jam ignorantia culpæ tribui nequit; siquidem fecit, quod debuit. Sed in primis hoc argumentum non solùm de gravi, sed de qualibet professione tali probat; ergo nimium probat. Deindè habet instantiam in terminis superiùs adductam de hæreticis, & ibi magis declaratum est. Nunc porrò effringitur ad litteram, ad verbum in ignorantibus, & populo Judæorum tempore legis: quandò Doctores nostri non aderant. Vel ergo tunc ignorantia imperitorum reddebatur invincibilis ex dicto eorum Doctorum suorum: vel non? si reddebatur: fallit ergo Evangelium, dum eos culpæ redarguit. Si non reddebatur: ergo nec ignorantia nostrorum invincibilis fiet ex dicto suorum Doctorum.

Pergis, & instas. Si ignorantia fidelium, & ignorantium non fit invincibilis ex dicto unius Doctoris, planè nec fiet ex dicto duorum; pariter autem nec tuum, aut sex: nec numerus assignari poterit, quo expleto ignorantia reddatur invincibilis. Hinc nulla diligentia sufficiet, ut fideles tuti securique esse possint: indè in perpetua tortura, scrupulisque vivent: nec satis erit si omnes urbis Doctores circumeant: nam peccare omnes poterunt etiam illos sequendo. Undè demùm in Jansenismum relabimur: quæ, & similia connexa semper recantant.

Disjecimus nos ista ipsa, factis notoriis in doctrina fidei ostendimus, sexcentum etiam Episcopos sequendo perdi, perireque fideles posse, ubi hæ populares declamationes effringuntur: nec enim Deus impossibilia in moribus non jubet; in fide autem jubet. Nunc verò in Judæorum populo omnia ista ad verbum instantur nec enim unus Doctor ignorantiam populi faciebat invincibilem, non duo, non sex; nec ullus numerus assignari potest. Nulla ergo diligentia sufficiebat, quâ tuti, securique existerent, sed in perpetua tortura, viverent; Jansenismo etiam implicarentur, necesse fuit. Quid ergo ad ista reponunt? Num crudelior aliquis, & non unus, idemque est Deus Judæorum, & Deus Christianorum; Num in populo illo non erat distinctio Doctorum, & plebis indoctæ? vel tunc inveniri quidem ab omnibus veritas potuit, ac etiam debuit: Christianis verò temporibus nec debet, nec potest? Vel siquidem hinc nullus est exitus

exitus, deleamusne Evangelium, & Doctores quidem dicamus cæcos; non verò sequentes, & non hos, sed illos in foveam cadere? Sed verò ut alias tracto, Doctores etiam, ubi errant, ignorantes sunt accedebat etiam aliorum Doctorum suorum sociorum, & seniorum authoritas. Satiusque ergo, consequentiusque erit, ut Doctores quoque excusemus, atque Theologiam Salvatoris severam nimis, strictamque, & aflictivam dicamus, & emendemus, & Blasphememus. Tracto itaque lib. 4. de modis, quibus omnes depellere ignorantiam, veritatemque invenire possint. Nunc non in numero, sed in Domino primùm, & deinceps in qualitate Doctorum nos salutem ponimus; & qui culpa sua alia non laborat, veritatem inveniet, & Dominus gressus ejus diriget, & ad Doctorem bonum remittet, ut paulò superiùs explicatum fuit, & ex lib. t. accipitur: sin minùs turbæ etiam Magistrorum auribus prurientium errore eum amplius mulctabit, respondebuntque ei juxta immunditias cordis sui, ut quæst. præc. declaratum fuit.

Fatemur autem hic ultrò, nec Jansenismum, sed ipsissimam veritatem esse censemus, impossibilem prorsùs esse eam securitatem, quietem, & pacem, quam desiderare, quætere que videntur; & populo deindè promitere; scilicet ulla Doctorum privatorum consultatione prorsùs fideles securi, certique existant de suo non peccato. Hoc potiùs contra veritatem est, & dogmata christiana. Neque sequitur fideles in perpetuis scrupulis, ut falsò, ultròque loquuntur, sed in perpetuo timore sancto Dei, & humilitate citra justitiæ suæ certitudinem, securitatemque, & pacem vivere debere: quemadmodùm Judæorum populum vivere oportuisset.

Sed quoniam supersunt semper plures, qui nolint, ista, quæ de Doctoribus, populoque Judæorum constituta sunt in Evangelio, ad Doctores Catholicos, & fideles pertinere posse: quo uno, quidquid in Scriptura Dei extat, eludere possent; è re nostra visum est, si in præsentia, cum plurimos possem, saltem D. Bernardum exhiberem serm. 33. super. cant.

Va generationi huic à fermento Pharisæorum: quod est hypocrisis dici debet; quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ imprudentia non quærit serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ; & quo latius, eò desperatius, eaque periculosius: quò interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras, & aresceret; si violentius inimicus absconderet se forsitam ab eo. Nunc verò quem ejiciet: aut à quo se abscondet? omnes amici; & omnes inimici; omnes necessarii; & omnes adversarii; omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes, quæ sua sunt, quærunt Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo.

Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidiè vides, meretricius nitor; &c. olim prædictum est: & nunc tempus impletionis advenit: ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum: amarior post in conflictu hæreticorum; amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare non fugere eos potest: invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? & pax est & non est pax à paganis, pax ab hæreticis, sed nō profectè à filiis. Hęc inter alia melli fluvii os Bernardi. Sed dulciora forsitan, festivioraq; cæteri Patrum locuti sunt. Quis unquam, vel quandò, sed de hoc inferius. Atq; hæc ipsa in sermone quodam ad Patres Conci. Rhemen. denuntiantur.

Ne verò hæc Bernardi, aliorumque sanctorum seusa de aliis ætatibus, non autem de nostra Intelligenda esse ultrò, vanèque respondeant, dedi ab operis exordio magnum, omnique exceptione majorem testem Alexandrum 7. de quo facta Congregatio eminentis. Cardinalium anno 1665. aiebat, *Sanctissimus Dominus noster audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fides in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela,* &c. Hæc sanè sunt sensa Romanorum Pontificum etiam hodiè. Sunt etiam hodie complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativæ, & quæ perniciem animabus inferant. Sunt etiam hodie complures opiniones, quæ conferri jure queant cum opinionibus moralibus Doctorum legis, id est, quas qui sequuntur, in foveam cadant, & mali etiam Magistri sint, qui doceant.

Sed verò: quod plus est, de ipso etiam philosophandi genere testimonium habemus, alienum scilicet illud esse ab Evangelica simplicitate, doctrinaque Sanctorum. Quæstio facti est, in qua falli nemo possit. Multi libri morales aperiantur, testimoniaque numerentur Evangelii, & Sanctorum. Prorsùs aliud agitur. Ergo hunc modum ipsum philosophandi redarguere, ex Evangelio possumus, nec etiam offendimus, sed veritatem in causa summa vindicamus.

Jam porrò quod hoc §. versamus, patet, ex dicto Doctorum præcisè non reddi ignorantias invincibilea, nam complures hæ opiniones christianæ disciplinæ relaxativæ Doctorum utique sunt, & à Doctoribus planè dictæ, assertæque sunt, & tamen innoxiæ non sunt, sed perniciem animabus inferunt: ergo opiniones à Doctoribus dictæ, & assertæ perimere possunt: non ergo mox ignorantiam invincibilem præstant. Rursùs patet, longius, quam dici potest, à vero abesse, quod hæ complures opiniones non solùm ignorantiam invincibilem præstent, sed prætcrea etiam voluntatem, & operationem sibi conformem reddant rectam, & honestam. Stupor scilicet esset dicere, operationibus rectis, & honestis christianam disciplinam relaxari, aut perniciem animabus inferri, aut ingentem erumpere christianæ vitæ corruptelam, aut quod in eodem decreto subditur, *viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, actum esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti.* Operationes igitur compluribus iis opinionibus conformes: modo item philosophandi de rebus conscientiæ, qui irrepsit à simplicitate evangelica, doctrinaque Sanctorum alieno consentaneæ non solùm rectæ non sunt, sed nec ignorantia invincibili magis excusantur, quam olim operationes populi Judæorum. Quin cum ibi omnia sub nube, & imperfecta fuerint, minus multò apud nos ignorantiæ, & errores, quibus mandatum Dei rei ipsa evertitur, veniam merentur, & argumentum à populo illo ad nos est argumentum

gumentum à fortiori.

Alia etiam dicteria, quibus aliqui moralem Theologiam implét de magnitudine misericordiæ Dei, de salvandis pluribus; de lege suavi reddenda; de possessione, quæ stat pro libertate; de legibus non satis promulgatis, ubi sunt opiniones Doctorum; de duro, & blando; de reflexis; quod aliqui plurimi damnarentur; de peritis in parte; & similia habent instantiam palmarem in doctrinis, & in modo docendi Doctorum legis: nam ea cuncta assumere eodem illi jure potuerunt: & alibi contrita sunt; sed malunt quidam irasci quam legere.

Claudat ergo quæstionem Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 35. ubi tractat, quomodo traditio seniorum esset contraria legi Dei: *propter hoc & Esaias ait: caupones tui miscent vinum aqua, ostendens, quod austero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est, aggredientes adulteram legem, & contrariam legi* (ut est omnis prorsùs nulla excepta opinio falsa moralis) *sicut & Dominus fecit manifestum dicens: quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram. Et cap. 26. frustrà autem colunt me docentes doctrinas, & præcepta hominum, non per Moysem datam legem dicens præcepta hominum, sed traditiones presbyterorum ipsorum, quas confixerant.*

Magnum quid te præstitisse putas, si modum invenias, quo obligationem aliquam tollas, & si re vera erras, non nisi vinum aqua misces, & legem adulteras; nec aliud opinio tua erit, quam conficta, & quam quod traditiones illorum seniorum fuerunt. Videmur planè librum tradere signatum; nam hoc unum, hoc pauculum quidam intelligere aut nolunt, aut possunt, omnem opinionem moralem falsam esse legi Dei contrariam: & quemadmodum fuerunt opiniones Scribarum, & Pharisæorum; ne istæ aliquid mali habuissent, quã quod legem Dei everterent: repugnare autem esse rectam regulam secundariam, quod primæ, supremæque regulæ contradicit. Id porrò tum tempore Prophetarum, tum in adventu Salvatoris verissimum invenient, in eo populo peccarum non fuisse legem Dei stringendo, sed lavando; in laxitatem quippe & mundus, & caro ducunt. Idcircò Prophetæ, & Dominus stricti, duri, austerique in doctrina viri sunt, & passi etiam propterea sunt: contra verò Pseudoprophetæ pacem, & pacem, securitatem, & quietem perpetuò nunciarunt. Peccari quidem potest, fateor, etiam addendo; at mea quali quali sententia tam longè à simplicitate Evangelica, doctrinaque Sanctorum dictamus, ut ratum. Sit in hoc extremum declinandi periculum: mundus enim totus vult sibi indulgere, servire, & adulari: atque hoc est undè maximè periclitamur: & eodem etiam nos impellunt amor nostri, concupiscentiæque nostræ, quæ legi adversantur. Fieri ergo potest, quod Doctor in doctrina strictus, & tamen falsus sit; hoc fieri vix potest, ut laxus, dulcisque sit, & verus.

QUÆSTIO VI.

Verum ergo dictis obstet, quoe Dominus jubet: quæ dicunt, facite.

Videntur hoc Domini dicto improbari, quæ superioribus quæstionibus constituta sunt, ait enim Matth. 23. *super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim*, &c. Præcipit scilicet Dominus, ea omnia servari, & fieri, quæ à Doctoribus legis, Scribis, & Pharisæis, qui in cathedra Moysis sederunt, dicebantur: non ergo peccari poterat ea servando, & faciendo. Quod argumentum sibi objecit, & dissolvit S. Thomas quodlibet 3. ar. 10.

§. I.

Indubitatum tamen est, hoc Domini dicto nihil improbari, quæ constituta sunt.

Sunt qui ludo magis quodam aliqua aliquandò Evangelii verba attingere videantur, ut est illud, quod jam memoriter omnes, sciunt, *jugum enim meum suave est*: quod ad emoliendas, auferendasque obligationes plurimas, & ad salvandum plures contra apertum Evangelii ipsius sensum, & contra quam Sancti Patres fermè omnes jam pridem verissimè explicarunt; ac liori etiam sermonis vulgaris, ut Granata, & Guevara velut rem obviam, indubitatamque tradiderunt, ultrò intervertunt, & nulli horum facta mentione, & quasi nihil de eo esset scriptum, recantant semper, jugum Christi suave esse, hoc est, ut ipsi quidam vel putant, vel dicunt, ex ipsa rerum præceptarum paucitate, vel suavitate suave illud esse. In quocumque libro hoc ego in hoc sensu allegatum invenio, librum continuò ex bonis meis amando, animarumque Christi sanguine ademptarum planè misereor. Alterum illud est, quod nunc tractandum suscipimus; resumunt enim, *quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Non ergo peccant, dicta Doctorum sectando. Quid verò, si jocari nos quoque liberet, & diceremus, hæc non de Doctoribus nostris, sed de Scribis, & Pharisæis asserta fuisse. Num enim quæ in eorum favorem dicta sunt, pro nobis quoque, & à fortiori quidem dicta sunt: quæ verò ad ipsos, & contra ipsos denuociata sunt, ad nos minimè pertinent? ac prætereà etiam offendimur, si Scribatum, Pharisæorumque vitia ad nos vel transisse vel etiam posse cum Hieronymo mussitemus? Joanni Taulero, quod eximiæ conversionis illius irritum fuit, palam rusticus ille denunciavit, eum sibi non aliud, quam Pharisæum videri: nec iratus est, sed in virum planè Apostolicum ex consueto concionatore conversus.

Indubitatum itaque est, hoc Domini dicto illud constitutum non esse, Judæos tunc indoctos Scribarum, Pharisæorum, Sacerdotumque suorum dicta sectando, vel beneficio probabilitatis ab extrinseco, vel ignorantiæ invincibilis privilegio immunes à culpa exiisse.

Hoc primum constat ex dictis hactenùs. Dein etiam, quia hoc ipsum caput 13. Matthæi est, ubi Scribas, & Pharisæos pronuntiat duces, cæcos dixerat autem cap. 15. quid contingeret, si cæcus cæco dux esset? hoc caput est, ubi toties

q

eis denunciat *væ* : hoc : ubi docet, eos circuire mare, & eridum, ut facerent unum proselytum; quem tamen post redderent filium gehennæ : hoc, ubi opiniones de juramentis tamquidem cæcorum delyramenta confregit. Procul igitur abfuit, ut earum dicta vel à probabilitate, vel ab ignorentie invincibili tegulas tutas constitueret reliquorum. Quis enim vel recentiorum etiam ipsorum hactenùs dixit, stultorum, cæcorumque dicte sequentibus, se esse regulam tutam, formamque rectam vivendi? Dominus præterea hoc loco vel jubet, vel seltem consulit, ea Scribarum, & Pharisæorum dicta, de quibus trsctat, servare, & fecere. At nemo eorum, qui sdversari nobis possunt, dixit, Doctorum dicta esse de præcepto, vel de consilio; nam potiùs docent, tutiorem parrem esse saltem de concilio: ergo contrarium dictum Doctorum nec de præcepto est, nec de consilio. Rursùs quia si hæc Domini sententia ad præsentium Doctorum dicta servenda trsheretur, cum ipsi inter se dissentiant, & affirment alii, & elii negent, rogendum à Domino superesset, *quorum Domine*? Quæ dicunt, inquis, servate, & fecite. Non fanè quod utrique : nam utrumque. Quorumnam ergo?

Constat iterùm palàm, & expresse, Dominum nuspiam simile documentum, sed contrarium tradidisse; nam Metth. 16. inquit, *intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum.* Quod cum de panis fermento discipuli intellexerunt, exposuit mox dicendo *quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis, cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? tunc intellexerunt, quia non dixerit, cavendum à fermento panum; sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.* Ergo de elique Doctorum illorum doctrina haud docuit Dominus, eam sequimini; servate, & fecite; nem tuti est, sed docuit, jussitque, *intuemini, & cavete.* At quod innoxium, turumque est, ac præterea etiam sanum, & salutiferumque, est, & operationes nostras rectas, honestasque præstat, non megis cavendum est, quem sint cevendi innoxii, saluraresque cibi. Eret ergo pars aliqua doctrinæ Doctorum illorum, quam sequendo cæteri à culpe, & peccato immunes haud forent. Similiter etiem Dominus Metth. 7. attendere jussit *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Meximè verò Scribæ, atque Pharisæi? ut quæst. præc. §. I. visum est, vestimentis utebantur ovium, atque hac pietetis specie, pelleque decipiebant.

Dominum iteque prçteriit modus ille philosophandi: simplices, & ignorantes non nisi simplices, ignorantesque sunt, setis est, & nimium, si vestimentum ipsum ovis, vel lupi discernant; utrum verò intus lateat, ipsi dignoscere non possunt, nihil enim ipsi scientiam ipsam, ejusque causas, rationes, apparentiam, vel realitatem norunt, discernereve, & dijudicare possunt. Quarè tuti sunt, si eos sequantur, sive propter probebilitatem tantæ sibi epparentis euthoritatis; sive propter impotentiam, & ignorantiæ invincibiliterem; sin minùs Jansenìani mox sumus. Non ergo eis cum Domino; & ex Domino est dicendum, *cavete & attendite*; sed contra potiùs; nihil est, in quo periclitemini; peccare vos Doctores vestros sequendo non potestis: non ergo cavete, & attendite, sed oculos potiùs cleudite, & sequimini, ac quæ dicunt, fecite. Cum ergo ista apertè Domino contradicant, indubitetum sit, populum Judæorum suos tunc inquem, quendò Dei populus etet, peccare potuisse. Quomodò porrò simplices, & idiotæ quique inter oves, & lupos discernere, distinguereque possint, non huc pertinet; & lib. 4. fusè ex Domino ipso declaramus.

Jam hic obiter illud dixerim, hoc Domini exemplo de vestimentis ovium non incongruè inter alia intelligi posse probebilitatem eb extrinseco probabilitatis ab intrinseco, & veritatis, soliditatisque vacuam, & inanem; ut vacue re ipsa, & intus est omnis doctrina falsa, cujus plenitudo, & quasi corpus, & solidum veritas est. Pone ergo quamtamcumque voles exteriorem apparentiam suthoritatis, quæ intus sit veritetis vecua, & inenis. Planè quiquid intus nullus lupus lereat; at nec ovis certè latet, erimus ergo in vestimentis ovium, sine ove. At vestimentis solis fidere Dominus non docuit. Ubi omitto elia, ne disgrediar.

§. II.

Quæ sit concordia dictorum Domini: quæ dicunt, facite: & attendite, & cavete.

QUæstionem istam sapienter proposuit Maldonetus, non quidem, ut dubiteret, Judæos indoctos, etque plebem peccavisse Doctores tunc illos suos sequendo: de quo illi solùm forsitam dubitent, qui longè ab Evangelio, nec de eo tractando, de moribus Christianorum differere, & decernere volunt; non inquam, ad hoc quæstionem Maldonetus movit, sed ut concordiam iniret servere, & facere, quæ Scribæ, ac Pharisæi dicerent: eliundè verò jusserit cavere s Doctrina Pharisæorum, & Sedducæorum: & item Scribas, atque Phsrisæos cæcos, & cæcorum duces verbis clarissimis, expressissimisq; denunciarit?

Dues affert Maldonarus rem conciliandi vias, Augustini alteram, quam rejicit, Hilarii, Hieronymique, quam ipse secutus est, elteram. Cum Hilario iteque, & Hieronymo, quo Dominus ait, *quæcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite,* intelligendum arbitretur de Scribis, & Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus, atque ex ille, & in ills legem Dei ut moris eret, legentibus; ec sic legendo recitantibus, dictentibusque populo: sic eutem nullem, quæ foret cavende, sed ipsissimem doctrinem, & verba, non sua, sed Dei, ejusque sanctam legem dicebant, tredebentque: & omnia quamquem durissima viderentur, servenda erant, etque facienda.

Hęc doctrina tota quenta verissima quidem est: haud temen videtur satis textum explicare. Hoc enim loco aliquid honoris Dominus detulit Scribis, Pharisæis; *quia enim,* inquit origines apud S. Th. *accusaturus erat Scribas, & Pharisæos in sequentibus sermonibus, ne videretur apud stultos ex hoc eorum Principatum cupere, vel propter inimicitiam hoc facere primùm à se hanc suspicionem removit.* Et Hieronymus quoque, & Chrysostomus contestantur, At si rùnc solùm eudiendi erant, quandò legem ipsem legebant, & ea dumtaxst servenda, & faciende, quæ ex lege ipsa eam legendo non nisi recitabant, nihil eis honoris detulisset, & puet quilibet, & idiota ex cathedre, vel sine cathedra legens eudiendus est. Non ergo hic est sensus. Deindè qui hoc non est, *quæ dicunt, facite*; qui enim solùm legit, & non nisi legit, propriè loquendo

quendo non tam dicit, quam legit ut obviis exemplis præconis, & quorumcumque libros legentium constat.

Præntereà quia ut sup. quæst. visum est, Scribæ, & Pharisæi, & doctrinas suas in materia legis Dei habebant: & etiam habebant mandata sua de lotionibus, purificationibus baptismatibus, & alia. Dominus porrò, ubi ait, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, hæc etiam mandata sua vel omnia, vel aliqua comprehendit; subdit enim continenter: *alligant autem onera gravia, & impossiblia, & imponunt in humeros hominum*: hæc autem ea non sunt, quæ Deus præcepit, & in lege ejus continebantur; nam hæc non ipsi, sed Deus alligavit: nec ipsi, sed Deus imposuit super humeros hominum. Ergo non agit de Scribis, & Pharisæis legem Dei ex cathedra solùm legentibus, si quidem solùm legendo nihil ipsi alligabant, & imponebant. Nam autem ipsa etiam Dei lex cæremonialem quoque comprehendendo quadam tenùs importabilis fuisset, & ita Petro visum sit, non hic tractamur.

Postremò quia ut ex Augustino cap. 1. 65. & ex Bernardo, librisque spiritualibus passim constat, hoc Domini dictum de superiorum etiam hominum. & majorum mandatis intelligitur: quo sensu quotidiè locus hic subditis inculcatur. Non ergo intelligendus est de Scribis, & Pharisæis legem Dei ex cathedra solùm legentibus, sed prætereà de eorum doctrina etiam aliqua, & mandatis vel omnibus, vel aliquibus, quandiù superiores essent, Sinagogaque perduraret. Neque Hieronymus his contradicit, sed per cathedram doctrinam legis intelligendam esse, dumtaxat docet: Hilarium verò nunc videre non licuit.

§. III.

Una concordia ex Augustino.

Augustinus lib. 17. contra Faustum cap. 29. sic exponit: *super cathedram Moysi* &c. *In quibus verbis Dominus*, inquit, *utrumque debetus advertere, & quantus honor delatus sit doctrina Moysi, in cujus cathedra etiam mali sedentes bona docere cogebantur*, &c. quæ eadem aliàs etiam docet: atque ut paulò post videbimus, concordare etiam videtur Chrysostomus, nec cæteri adversantur.

Opponit porrò Maldonatus inquiens: at quis dubitat, ea ipsa falsa, quæ docebant, in cathedra, si in cathedra sedebant, aut in Synagoga, aut schola Moysis eos docuisse. Non ergo ex cathedra cogebantur bona docere. Cæterùm haud facilè est, Augustini stupendè ingeniosi, sapientisque sententias obviis adeò oppositionibus, exceptionibusque exuflate.

Tradit itaque Augustinus explicationem scholastissimam; quâ à fortiori pro cathedra Petri, ejusque infallibilitate tuenda uti possumus. In primis itaque oppositio Maldonati habet instantiam in cathedra Petri; vera enim illa est sententia, quæ ait, Romanum Pontificem errare quidem posse; ex cathedra tamen & in cathedra non posse; & verbi gratia Adrianus 6. si qua quodlibeta, reliquaque Theologiæ, quæ ante Pontificatum scripsit, nam Pontifex factus scripsisset, aut alia composuisset, errare certè in docendo potuisset, Theologumque tunc gessisset, non Pontificem, nec ex cathedra docuisset; de quo tamen eodem rectè tenemus, interea, eum ex cathedra non nisi bona, hoc est, vera docere potuisse, cogique eum ex cathed a bona dicere. Jam ergo fiat oppositio proposita eodem modo. Similiter etiam est de consil is Episcoporum, qui in eisdem illis sedibus, ex quibus sua suffragia in Consiliis conferunt, scribere etiam de suo possunt de fide, vel de moribus; & errare possunt; Concilium autem (loquor de generali, & legitimo) errare non potest: & quoad doctrinam etiam tenendum est; *quæ dicunt, facite*. Fiat ergo oppositio de his eisdem Episcopis concilium constituentibus, qui ex ipsis, & in ipsis illis sedibus falsa docuissent docere potuissent.

Quandò itaque de cathedra sermo est, non de cathedra materiali, aut loco, aut schola, quò Maldonatus respexisse videtur, loquimur, sed aliud quidpiam, quod instituti modò nostri explicare haud est, planè significamus: & Romani Pontificis infallibilitatem nulli materiali cathedræ alligamus, nec magis infallibilem Romæ, quam in Hispania, vel Avinione, aut in hac cathedra, quam illa comminiscimur, quod absurdum sanè, ridiculumque nimis foret. Num ergo existimandum est, Augustinum celsissimæ mentis Doctorem aliquam cathedram materialem, locumve ea virtute donasse, quæ cogeret ibi sedentes bona docere? Eo ergo sensu locutus est, de cathedra Moysis, quo de cathedra Petri loquimur omnes notione vulgari; & perindè intelligamus, Papam, sive Romæ sit, sive in Hispania, aut in angulo aliquo terræ, & sive sedeat, sive non sedeat sed stet, vel etiam ambulet, ex cathedra non nisi bona docere posse.

Fuit igitur Synagoga figura quædam, umbraque Ecclesiæ, utque in Cano lib. 6. de locis cap. 3. videri potest, multi suam in doctrina fidei, & morum infallibilitatem Synagogæ quoque tribuunt, quandiu Dei populus futurus esset Atque hoc promissum, ei videtur Deuter. 17. *si difficile, & ambiguum*, &c. *qui judicabunt tibi judicium, veritatis*: & aliàs. Et Hinc etiam Joannes respexisse videtur ubi, dixit; *& cum esset Pontifex anni illius, prophetavit*: quo loci particulam *cum* causalem esse intelligunt: ac meritò exclamat Chrysostomus: *vide quanta est Pontificalis virtus potestatis? nam vel annualis, simonacusque Pontifex coactus est vera dicere*. Instituti, ut dixi, modo nostri non est harum rerum exacta discutio, atque id unum è re nostra est aliquam in Synagoga doctrinam invenire, de qua ad literam dictum Domini intelligatur, *quæcumque dixerint vobis, servate, & facite*. Augustinus porrò de doctrina ex cathedra tradita rem accepit; cujus nunc explicationes sensum declaramus. Ubi qui cathedræ Petri minùs favent, discere à fortiori mentem Augustini poterunt.

Exemplo itaque Ecclesiæ, cujus umbram Synagoga gessit: distinguere in Synagoga possumus tres quasi gradus doctrinæ. Altera erat ipsa pura doctrina Dei in lege contenta, atque in toto veteri testamento tradita; & de ista, in primis ad litteram verum est, servandam, faciendamque esse, quidquid Sacerdotes ipsi, & Doctores non servarent. Altera erat ea doctrina, quæ non solùm in Synagoga esset, sed quæ ipsius etiam Synagogæ foret, facta sua, & modo aliquo authentico, & judiciali, & quasi ex cathedra approbata. Ha-

hebant scilicet etiam sua Consilia, sicut ex Evangelio constat, & si jam in Adventu Salvatoris & Concilia, & Synagoga ipsa propè interitum esset, blasphemaque tandem in eom sententia, & morte extincta, contritaque fuerit. De hac igitur Synagogæ propria, & ut ita loquamur, cathedrali doctrina locum habet explicatio Augustini. Neque enim tam ex toto corrupta, prophanataque erat Synagoga, ut præter Doctrinam Scripturæ alia etiam vera non haberet, quæ Synagoga maximè ipsa probavisset. De hac proindè etiam doctrina verum est, quod Dominus, ait, *quæcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite*: quemadmodum rectè ad nos diceretur, quæcumque ex cathedra Petri etiam citra fidem docentur, servate, & facite. Neque discordare videtur S. Thomas quolibet. 3. art. 10. *dicendum, quod ideò præmisit, super cathedram Moysi, &c. ut quod posteà subdit; omnia, quæ dixerint vobis, &c. de illis intelligatur, quæ ad cathedram pertinent; ad quam non pertinent, quæ sunt contra fidem, & bonos mores.* Totum porrò tum Augustinus, tum cæteri ad verum, vel non verum reduxerunt; nec medium illud probabilitatis, vel aliud Sanctorum ulli unquam innotuit, quo aut vera, & falsa conciliarentur, aut quo sine veritate salus in doctrina, bonitasve superesset. Et sic idem Augustinus tract. 46. in Joan. eumdem locum exponens, inquit: *sedendo enim super cathedram Moysi legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua verò illi si velint docere, nolite facere; certè enim tales sua quærunt, non quæ Iesu Christi.* At evidentissimum est, quod sæpè sub diversis terminis fidentissimè usurpamus, dissolventque nunquam, quicumque quanticumque falsa doceant quantum volent, illa probabilia fiot, per eos falsa talia docentes Deum non docere, sed sua potius ea cuncta esse. Concludamus itaque cum Augustino, *nolite facere*.

Jam postremò erat in Synagoga alia magna pars doctrinæ Doctorum, quasi privata, & falsa. Atque de ista non est intelligendus Dominus, dum inquit, *servate & facite*, sed magis *cavete, & attendite, & nolite facere*: contra quam scilicet primùm per Prophetas, ac demùm spiritu, & gladio oris sui fortissimè pugnavit. Frustrà enim est, quod tunc, vel nunc salvam velint ullam salutis doctrinam in falsitate, verissimum est, quod senex sanctus prophetavit dicens: *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum*: omnis quippè scientia salutis, ac pars omnis illius à Domino collata, dataque est: & quis, oro, ambigat? Nulla porrò falsa, nulla particula falsa à Domino collata, dataque est: & quis neget? Nulla ergo falsa, nulla particula, non vel una opinio falsa scientia salutis est, nec ad scientiam salutis spectat. Omnis rursùs falsa vel à mundo, vel à Dæmone, vel à carne est: nulla salutis à mundo, vel à Dæmone, vel à carne est: ergo nulla falsa salutis est, nec in remissionem peccatorum est. Cum talia omnia Doctores illi docebant, sua docebant, & cavendi erant: & nunc quoque qui docent, sua docent, non quæ Jesu Christi. Cavendi ergo sunt. Vel magnus tu Logicus accede, & distingue de probabilibus, & non probabilibus. Num igitur ullam scientiam falsam etiam probabilem Dominus dedit? Hære tantisper, oro te per Jesum Christum; & rogo iterùm, num ullam falsam etiam probabilem doctrinam, vel scientiam Dominus dederit? Haud credo, affirmabis: Dominus enim scientiam salutis dedit; falsis autem scientia non constat. Rogo te denuò, num ulla salutis doctrina supersit, quam Dominus non dederit, & quæ alterius, non autem Domini sit? Quandiù ergo resistes, & in falsis quibuslibet salutem quæres, ac libros illos salutares arbitraberis, qui veris, & falsis ex æquo constant, hoc est, ut clarè intelligas, qui doctrinis Dei, & mundi, vel Dæmonis; vel carnis promiscuè constant. Vel dicito tu, quis sit primus Doctor, & Author falsorum? O Domine, vias tuas demonstra nobis! omnes enim viæ tuæ veritas.

§. IV.

Vtilissima alia, ac valdè practica concordia ex Augustino.

HOc loco non nihil pro sacris Concionatoribus, & ad ipsos est dicendum. Tractat itaque Augustinus ser. 49. de verbis Domini de modo dignoscendi doctrinas bonas, quæ servandæ, faciendæque sint, & malas, quæ secùs: atque sententiam Domini practissimè exponit, & de Pastoribus, & Mercenariis latè disserit. *Fratres mei*, inquit, *numquid non ascendunt aliquandò aut Presbyter, aut Episcopus? non dicit aliud de superiore loco, nisi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne scelera admittantur. Non possunt dicere aliud, qui cathedram Moysi sedent, & ipsa loquitur de illis, non ipsi.* Et inferiùs. *Hoc autem inceperam dicere, quia de loco superiore non possunt dicere, nisi benè facite: nolite perjurare, nolite fraudare, nolite aliquem circumvenire.*

Atque hæc quidem, quæ mox magis declarabo de doctrinis, quæ dicunt, traduntque, ex alto, ex sacro suggestu, & in templis, Quid vero de privatis considerationibus? subdit continenter excelsus Doctor; *aliquandò sic vivunt, ut de tollenda villa aliena cum Episcopo consilium habeatur, & petatur ab illo tale consilium. Aliquandò nobis contingit, & experti dicimus: nam non crederemus. Multi à nobis consilia mala petunt consilia mentiendi, circumveniendi, putantes quod placeant talia nobis. Sed in nomine Christi, si Domino placet, quod dicimus, nullus talis non tentavit, invenit, quod volebat in nobis.* Haud intelligas, lector, de hæresibus fuisse à fidelibus consultatum Augustinum, utrum scilicet liceret mentiri sub his terminis, aut tollere villam, ut ait, alienam, aut fratrem circumvenire sub his terminis; nam termini ipsi, & voces malum, & illicitum, quin & apertam hæresim efferebant. Re ipsa igitur, & verè, & nunc quoque contingit, de villa aliena tollenda, de mentiendo, de circumveniendo, non sub his vocibus, sed magis sub prætextibus, terminisque aliis consilia petebantur; nullus tamen, quod volebat, in Augustino invenit. Sunt porrò qui maximi ducant, si quicumque veniunt, quod volunt, in ipsis inveniant, & hi se sapientissimos putant; sed ineptiunt.

Hanc Augustini expositionem, & concordiam arbitror non quidem necessariò ac semper veram: at veram sæpissimè; ac prætereà etiam idiotis, & omnibus obviam, & expeditam, ut scilicet ea tuta habeant, servent, & faciant, quæ audiunt ex alto; & quæ in privatis consultationibus dissentanea audient, suspecta magis habeant, ut magis statim declarare enitar.

Multa

Multa in confirmationem adduci possent, & regula Domini de malè agentibus, qui lucem oderunt, accommodari huc quoque, & explicari aptè posset. Favit verò ipse Dominus Joannis 18. de discipulis suis, doctrinaque à Pontifice: *ego*, inquit, *palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt; & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas?* &c. Rectè porrò & Synagogam, & templum connectit; nec enim alia in templo, & prorsùs alia in Snagoga, & schola, sed eadem ubique edocuit, non aliam, & aliam salutis viam. Favit etiam, quandò discipulos suos jussit, quæcumque in iis persecutionis, & paucitatis quasi tenebris audivissent: prædicare super tecta, & orbi universo denunciare.

Ex hac ergo ab Augustino constituta regula ea pleramque saltem bona, & facienda dicimus, quæ sacri Concionatores Præbyteri, aut Episcopi sedentes super cathedram Moysi ex alto prædicant; ea autem non esse fervanda, & facienda, quæ alibi præter aut contra dicerenrut. Illi nimirum honestissima, sanctissimaque plerorumque decernunt: diligendum esse Deum super omnia, diligendos instar nostri proximos etiam inimicos docent, nec glosis corrumpunt, aut dicunt, satis esse non odisse. Si in Dei futurum judicium incidant, tremendum illud, ut re vera est, sanctis ipsis formidandum statuunt; si de via salutis sermo fiat, non latam, illam, ac spatiosam, sed arctam, strictamque dicunt; tenet enim eos, ne aliter dicant, Evangelium, quod etsi non exactissimè, aliquo saltem modo commemorant, exponuntque, nec eo protsùs omisso aliis ex libris docent, Hæc, & similia passim de loco superiore ingeminant. Sunt certè a rerus & alterius educationis, scholæ, gentis, indolis, ingeniique homines; & tamen conveniunt, nec alii latam viam tutam, intutam alii dicunt, & dissentiunt.

Neque verò usquam audimus eos ex alto docentes, in magna occasionone proptet hæc, illaque præjudicia permanere posse: eruendum magis oculum aiunt, abscindendas potiùs manus ipsas, & pedes, si scandalizaverint, &c. Haud dicere solent, mutuo, non quidem propter alios rivulos lucrari quem posse sex, octo decem; & insuper pignus quoque accipere; sed vel omittunt ista, vel reprehendunt: nec item duellum fic. vel sic acceptari posse; beneficia Ecclesiastica ita renunciari posse, ut non quidem vendantur, eædem tamen, quæ in emptionibus solent, summæ, vel solvantur, vel dentur; res quippè eædem esse sæpè solent, & in omnibus formalitatibusque honestas omnis reponitur. Taceo de jejuniorum relaxatione, de vestium prophanitate, de impudicis multis; atque similibus; quæ sacri Concionatores vel prætermittunt, vel improbant, approbant verò ex alto nunquam; quod si facerent, autes planè offenderent fidelium; nec Evangelium exponere, sed prophanare censerentur. ipsa itaque cathedra, sanctitudo etiam loci, & ut ita loquar, publicitas, Evangelium denique ipsum, quod quoquo modo demùm tractant, & exponunt, nec prorsùs prætet dicere audent, eos tenet, ne aliter dicant, & doceant. Sapientet itaque Augustinus ad ista reflectens de his dictis Dominum explicavit, *quæ dicunt*.

Ex his plurimum dirigi possent, si vellent, Confessores in confessionario, & Consultores in cubiculo. Neque enim, opinor, ea lex Christianorum est, ut Concionatores quidem viam salutis ex Evangelio docere debeant; Confessores autem, aut Consultores non indè, sed aliundè debeant; aut Concionatores de omni verbo suo rationem redditurì sint; cæteri non sint; aut illis placere, adularique non liceat; Confessori verò, qui judex etiam sedet, atque judicis personam sustinet, non displicendi, sed placendi lex constituta sit. Nihil planè horum. Videre ergo, reflectereque Confessores, Consultoresque possent, si vellent, utrum ea, quæ clàm, & in occulto resolvunt, & docent, ausuri essent palàm, & coràm ex alto dicere, & quæ in aures ingerunt, prædicare super tecta? Quod si rubor esset, verecundia impediret: populus etiam fortè scandalizaretur, regula est, quæ dicunt, nolite facere.

Neque est instantia in libro, quasi dicas, ea, quæ tu in occulto doces, resolvisque, esse in libro aliquo, vel libris: libros autem, quæ etiam in lucem edi dicuntur, tam esse publicos, atque sunt ea, quæ ex alto in templis dicuntur. Non inquam, est instantia, nec par ratio est librorum, & eorum, quæ in templis ex alto dicuntur, sed occurrunt disparitates plures. Nam cum facer Concionator orat, ipse adest, non autem adest, sed abest author, cum liber legitur; quin magis scriptoribus illud congruit, *epistola non erubescit*. Deindè liber ab hoc, & illo seorsim legitur, sicut consultationes seorsim fiunt; Concionator ab omnibus excipitur: publica proindè est hujus dictio: & auditio; non autem libri lectio: & si quidem liber hic, aut ibi; his, aut illis displiceat, cum Author absit, ac fortè etiam obierit, parùm dolet. Omitto hæc; & alia: illud ad præsens est maximum, quod sacris oratoribus institutum sit evangelium exponere, atque ex illo de moribus dicere: multis porrò scriptoribus: qui de moribus luculenter tractant: non hoc est institutum, & exigua est, & rara Evangelii, scripturarumque mentio, & expressio. Atque hæc causa maxima est, cur ea magis, quæ præsbyteri, & Episcopi ex alto denunciant, servanda faciendaque sint.

§. V.

Optanda ergo esset utriusque quasi tribunalis, id est, Concionatorum, Theologorumque concordia.

Modò hæc duo quasi tribunalia, & judicia velut disparari; quin etiam, ut ex nuper insinuatis accipitur, dissentientia esse videntur. Primùm enim multi putant, aliud Theologum esse, & Theologum agere; omninò Concionatorem esse, Concionatoremque agere. Indè ulla vix Theologica doctrina Concionatori opus esse plures censent: subindè rursùs vix non quilibet: modò voce, pectore, ac cæteris corporalibus dotibus vigeant, habendis concionibus idonei non existimantur. Undè demùm minor, quam par esset, authoritas sacris Concionatoribus relicta est, atque ex eorum dictis vix non quasi igno-

rantium ad scientiores, vel etiam tamquam ad scientes absolutè intelligentesque ad Theologos appellatur; & ludibrii penè loco perindè fermè dicitur concionatoriè dictum, & aliquid ineptè dictum esse : quo dicendi genere quidam non verentur sacras etiam ipsas Doctorum Ecclesiæ homilias prophanare.

Moverunt hac ætate concionatores ipsi quæstionem longè dignissimam, qua scilicet de causa, cum Concionatoribus numquam magis Ecclesia abundaverit, fructus tamen colligatur exiguus, utrum in causa sit Concionatorum ipsorum vita & mores; quia quippè dicunt, & non faciunt; utrum doctrinæ qualitas, quia sua dicunt; utrum demùm corruptio, culpaque auditorum? Et certè hæc singula, & una omnia obstare in primis compertum est : omnium porrò minimè auditorum ipsorum mores, & delicta obstant; nam longè scelestiores auditores Apostoli, Apostolicique viri alii sortiti sunt; quos intereà in viros alios converterunt, convertuntque etiam modò; & si Doctores rum concionum, rum cæteri unà in unum omnes, vel plerique conspirarent, fideles sane magno metu percuteretur colligerenturque fructus immensus. Et sapienter, ut alia omittam, ab illustrissimo Mindoniensi Guevara notarum elapso sæculo fuit, in sacris Scripturis significantissimam illam particulam *væ*, haud quidem populo, sed Doctoribus, Pastoribus, Sacerdotibusque denunciari solitam esse.

Relinquam cæteras sterilitatis prosequendas causas concionatoribus ipsis: & duas hic significabo, quæ Theologicæ *planè* considerationis existant. Altera defectus, quem dixi, doctrinæ; altera est, quam etiam dixi, ea ad Theologos, Confessores, Consultoresque appellatio.

Dicam primùm de defectu doctrinæ. Sunt itaque duo, vel tria genera rerum, de quibus conciones habeant: & alia quidem omnium sensu, & consensu peccata sunt, & quoad nomen, & quoad rem etiam significatam, quam omnes intelligunt, & concordant, ut fornicatio, adulterium, homicidium, & pauca alia similia: alia sunt, quæ quoad nomen quidem omnium consensu peccata sint, ut fraudes, avaritia, ambitio, usuræ, simoniæ, injustitia tam commutativa, quam distributiva; at rem significatam non omnes sciunt, & intelligunt; quin de plerisque rebus sub his nominibus contentis sunt opiniones, & controversiæ, & affirmantes, & negantes. Postremò sunt res aliæ, quas concionatores insequi soleant; & tamen fideles haud credunt esse malas; certè esse mortiferas negant, ut est luxus, & prophanitas vestium, meretricia fermè nuditas fœminarum; quadragesimæ, & jejuniorum non observatio, & similia.

De primo rerum genere satis dignè Concionatores causam agunt; & cum nihil in his populum doceri oporteat, sed reprehendi, & moveri, nihil plus doctrinæ videtur desiderandum. At cum ad mores, vitamque Christianam non satis sit, ea vitare, quæ nomine, & re cunctis peccata nota sunt, quin nisi aliis etiam vitatis difficulter admodùm, nec à plerisque, sed à paucioribus ea quoque sic nota vitentur; sacer orator munus suum explere non potest, nisi cætera etiam illa à populo evellere possit. Scriptum utique est sanctum Evangelium contra adulteros, fornicatores, & homicidas: at non contra eos solos scriptum est, nec ad salutem sufficit hoc genus peccatorum vitare, si vel nomine, vel re avari simus, superbi simus, usuras, simoniam, fraudes, injustitiamque re ipsa sine nomine exerceamus. Hæc ergo & nomine, & re nosse sacri oratores deberent, nec aliis, qui causam definirent, remittere.

Videtur ergo hoc in genere rerum desiderari doctrinam. Dicunt certè, & plurima dicunt adversus malum regimen, & in injustitiam distributivam, dicunt in superbiam, in avaritiam, in fraudes, in ambitum: & nomina magis insequi videntur, quam res ipsas, quæ proindè in populo manent sicut prius; nemo enim sese eorum nominum reum censet, & usuras, & injustitiam exercet magis, quam fateatur.

Deberent ergo in primis scire definire significatum nominum, remque ipsam contentam, & contectam populo palàm declarare, ut scirent, intelligerentque, quid re ipsa improbetur, damneturque, cum usuræ, cum simonia, cum superbia, & cætera illa tam fortiter reprehenduntur: sin minus fructus colligi nequit: supponetque populus, se de rebus illis omnibus cum Confessoribus acturum causam, & vi concionum nihil prorsùs concluditur. Cum ergo non ex ipsis, sed aliundè maxima pars vitæ instituenda sit, quemadmodùm ex ipsorum dictis modus navigiorum fabricandorum non pendet, ita nec modus vivendi Christianorum pendere poterit, nec in aliena jam messi fructus colligi eorum opera, quæ ut supponitur de nominibus magis est; quam de rebus.

Atque hæc quidem ita quasi de conclusionibus, quibus palàm circunscribere, declarareque deberent, quas re ipsa res damnent, & insequantur. De probandi porrò genere, de quo boni quique vehementer dolent, quodque instituti nostri non est, nihil opus est, ut doleamus hic etiam nos. Probant scilicet alibi ex alienis, alibi ex propriis, sed sine sensu, & præter sensum. Ibi parùm scripturas versant; sanctos Patres prætereunt; dicta oratorum, & gentium maximè colunt; & mundum universum percurrunt, longisque descriptionibus implent. Quid ergo Christianum indè concludant. Alibi scripturas quidem, & sanctos nominant; sed quibusdam, ut vocant, conceptibus tam longè à vero, atque a verisimili divagantur, ut non oratoris solùm, sed nec Poetæ quidem locum teneant; quam Ecclesiæ cladem plangunt, planxeruntque ante nos plurimi: ubi alia nihil nunc ad nos pertinentia aliis relinquimus.

Tertium genus erat rerum earum, quas populus peccata esse haud credit, ut luxus vestium, nuditas jam pectoris, jam humerorum, & similia. In hæc etiam severiores Concionatores invehi vehementer solent; quin tamen vix certo ullo fundamento, vel serio collato in rem studio ipsis constet; utrum peccata sint, & utrum rursùs venalia, vel mortalia sint. Nam si nulla forent peccata reprehendi haud deberent: si rursùs solùm essent venialia, non tam atrociter. Periculum deindè subest fallendi; nam quandò tantopere exprobantur, jure existimare fœminæ possunt, mortalia haud dubiè esse, quæ tanta oratione improbantur; orator verò non dum dictamen de eorum gravitate formavit. Excedit ergo oratio ejus scientiam, & merita causæ. Deindè nulla fundamenta afferunt, quibus

quibus materiæ gravitatem commonstrent, & reprehendunt magis, quam probent.

Horum Concionatorum unum maximi sanè zeli hominem offendi, qui fortissimè hanc muliebrem vanitatem contereret. Quæsivi verò ipsum quid demùm de prophanitate ista censeret, an nullum esset peccatum, an solùm esset veniale, an mortale? ipse nihil Theologicè causam discusserat; & verè, & coram Deo nesciebat, quid, vel quale, & quantum demùm illud esset. Quid ergo, inquam tum ergo, improbat, & tantopere etiam improbat, quod nescit, quid, quale, & quantum sit. Hic itaque maximus defectus est doctrinæ; nec ministerium suum implere sic possunt; ut Paulus Timotheo jubet, quem in id circò lectioni, & doctrinæ, ut inferiùs tractabimus, attendere voluit.

Ex hac ergo doctrinæ inopia secuta est altera illa causa appellationis ex ipsorum dictis ad Theologos, & conscientiæ, & morum peritos. Atque ex utraque inter alia factum est, ut tot operariorum, Ministrorumque copiæ exiguus ideò fructus correspondeat, & ex aliorum magis doctrina, & regula, quam ex sua fideles vitam suam; & mores, contractus, emptiones, & venditiones: atque universam actuum seriem instituant, atque texant.

§. VI.

An idem de optanda utriusque hujus quasi fori concordia.

VEllem ego, quod maximam sibi sacri Oratores conciliarent authoritatem, nec ex ipsis ad alios, sed ex aliis ad ipsos esset in discordia appellatio: est enim; ut ex Augustino declarandum suscepimus eorum, quæ ex alto, & in templis ad concionem dicuntur, securitas major.

Ut itaque ex §. præc. sumitur, deficiunt illi magis in doctrina: quam peccent, & fallant; & sive satis conclusiones quas statuunt, aliquandò declarent, sive aliquandò non satis declarent, & nomina magis, quam res significatas insequantur: & sive conclusiones denuò satis probent, sive minùs probent, & magis, acuminibus quibusdam ludant, profectò conclusiones ipsæ plerumque tutissimæ & rarò falsæ esse solent, ut ex §. 4. constat. Quarè appellandum non esset.

Sunt prætereà Concionatores alii, quos etiam Missionarios Apostolicos appellamus, qui & conclusiones perspicuas ponunt, easque litteralissimis scripturarum, Sanctorumque restimoniis ita luculenter, ita clarè demonstrant, ut solutio alia non supersit, nisi nolo, & nisi dicti facti pœnituerit damnor. Hi populo palam denunciant, proximos inimicos etiam, ut sonat, & ad litteram esse diligendos; item denunciant, ex adultis etiam Catholicis plures damnari: ex quo illa moralis practicissima conclusio manifestissimè consequatur, plerorumque vitam, & mortem non esse vitam & mortem justorum. Hinc rursùs illa, non sufficere ad salutem vivere, & mori; sicut vivunt, & obediunt plerique; mutandam proindè esse vitam, & mores. Atque hæc, & similia tractantur, ac denunciantur, ubi, & quandò maxime fideliter, veraciter, & cum christiana simplicitate, & zelo causa salutis, & animarum discutitur, tractatur, & terminatur; de quibus nos lib. 4.

De his porrò iniqua est omnis appellatio ad aliud tribunal, & judicium Doctorum Theologorum, vel aliorum. Nihil enim in Theologia superest adversus illa, quin Theologia omnis, quæ verè Theologia sit, scilicet ex Dei Scripturis, sanctisque collecta eadem illa docet, statuit, & promovet: aliæ autem si quæ essent, doctrinæ hominum Theologia non sunt, & cavendæ magis essent. Si quidem ergo non sua, sed quæ Jesu Christi sunt, illi quærunt, & dicunt, & verissima dicunt, iniqua prorsùs sit omnis alia provocatio, & appellatio, necesse est.

Unus itaque, & idem est finis, & scopus Concionatorum, & concionum in templo & ex alto; atque Theologiæ moralis, & Consultorum conscientiæ. Finis remotus utrorumque est salus animarum proximus verò rectitudo, & honestas morum, vitaque Christiana. Ex quo uno principio permulta consequuntur.

Primùm enim consequitur, facultates concionatoriam, & moralem non esse res invicem divisas; quasi verò moralis leges conscientiæ præscribere debeat; quid rectum, quid pravum quid magnum, & grave, parvumve sit statuere, & scire; atque jura prosequi, quibus unicuique vivendum sit: agat verò concionatoria, de quo nescio, alio; de moribus quidem illa tractet, sed præter legum, obligationumque uniuscujusque, præscribendarum curam, & cognitionem; & conscientiæ regulandæ, obligandæque, vel solvendæ causas non suas habeat, sed aliis, id est, Theologis relinquat: sanctarum etiam scripturarum litteralem, exactamque scientiam non suam, sed scripturarum esse constituat, quibus sanè dempris facultas, nec statuat, nec doceat, contra quam Timotheo præscriptum fuit; *argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*; item; *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos: qui contradicunt, arguere etiam Theologos.* Quarè optandum esset, ut Concionatores quique scirent in primis ministerii sui definitionem, & essentiam, & plures fortè invenias, qui passim quidem conciones habeant; numquam verò exactè nòrint, quid munus suum sit, & ministerium. Evangelium, inquiunt verbum, Dei fidelibus ministrare hoc nostrum est hoc utiq; vestrum est. Hoc utique Dei illud vestrum: est sed Evangelium, opinor: & verbum maximè docere, atque præscribunt quomodò Christianis sit vivendum, quæque vitanda, quæ facienda sint, ut salvemur; quo dempto quid, quæso, superest. Hoc porrò ipsum, & nihil aliud est scopus, & finis, munusque Theologiæ moralis. Ergo coincidunt. Undè miratus valdè sum Concionatorem in toto orbe celeberrimum, quocum agendum mihi fuit de his moralis Theologiæ causis, quæ scilicet esset via salutis: atque promptè respondet: hanc non esse artem suam. Quæ est ergo ars sua, si fidelibus viam salutis ostendere ars sua non est?

Consequitur deindè, si quidem unus, idemque utriusque facultatis scopus, & finis, eadem

ab utraque adhibenda esse media. Quarè ex eisdem libris, & per eosdem libros esset causa agenda : nec enim rectè cum ægroris ageretur, si Medici quidem ex Hypocrate, vel Galeno medicamenta præscriberent : dein vero pharmacopolæ, & infirmarii non indè, sed ex libris prorsùs aliis medicamenta conficerent. At sacris Concionatoribus id suppositum est, sibi quippè ex libris Dei; & per libros maximè Sanctorum causam esse agendam. Ex his ergo ipsis, & per hos ipsos, non per omninò alios, & Theologus, & Confessor, & Consultor, Directorque conscientiæ uti deberent : ex qua planè concordia fructus ingentes colligerentur. Ut itaque in sacris concionibus, vix alii libri audiuntur ; Augustini, Hieronimi, Chrysostomi, Gregorii, ac similes perpetuò teruntur, hi noti, hi domestici familiaresque sunt : tractatur autem, quomodò sit vivendum ; profectò ubicumque de hoc eodem tractatur, per eosdem petitos esset determinandum. Cum porrò alii in templis proferuntur ; ex aliis verò dein vivitur, fiet planè, ut Sanctorum doctrina in templis maneat, haud verò transeat ad mores.

Ubi illud perpetuò quærere soleo, utrum quæ ex scripturis, & sanctis in templis efferuntur, vera sint, aut falsa ? si falsa, quod absit, nec quidem in templis esse ingerenda. Sin verò vera sunt, ut utique sunt ; ergo etiam in schola, & in libro morali, & ubique vera sunt. Fieri ergo nequit, ut aliud sit verum templorum ; & non hoc, sed aliud sit verum librorum moralium ; & uno modo ex suggestibus sacris instituendi simus de via salutis ; & prorsùs aliò alibi.

Dixi, eadem in eundem finem media à Concionatore, & Theologo morali esse adhibenda ; non alia, & alia ; nam cum utraque poni simul nequeant, alterutra omittentur, ut plerumque sanè contingit : quemadmodum si alter mihi dicat, Vallisoletum non nisi equo, aut nun nisi hac via esse eundem : alter verò aut cursu aut alia via eundem doceat, alterutrum omittatur, necesse est : & sanè ex Missionariorum, aliorumque similium doctrinis pauci sunt, qui vivant.

Quamquam, inquam, eadem sint adhibenda media, & eisdem libris maximis, doctrinis quæ utendum à Concionatore, & à Theologo, non tamen eodem modo. Etenim utriusque quidem est docere ; at hoc quasi unum, & maximum est Theologi : Concionatoris non hoc solum ; tria scilicet illa ad verbi Dei præcones pertinent, quæ Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 12. multa inter alia documenta tradit, & probat, *ut doceat, & delectet, ut flectat.* Subdit autem, docere necessitatis esse delectare suavitatis flectere victoriæ : quod si docere potens quis non sit, frustrà strepit, & clamat. At quoniam partes hæ quoque aliæ ipsorum sunt, non una est Concionatorum, & Theologorum dictio, & forma dicendi, sed laxior alia, & alia pressior, exactiorque, atque prætereà incitare, reprehendere, obsecrare, & alia præstare Concionatores debent, quæ instituti nostri non sint ; illud nos nostrum prosequimur, eadem ab u isque esse tradenda, eamdem ostendendam salutis viam, non ab his quidem arctam unam ; ab aliis aliam, eamdemque morum rectitudinem, & honestatem esse tuendam. Licet verò Theologi potissimùm sit docere, tamen reprehensio, persuasio, & motio alienæ non sunt à Theologia morali, ut Apostolorum epistolæ doctrinales de moribus, scripta Sanctorum, librique spirituales, & natura demum moralis Theologiæ, quæ est practica, & propter agere satis commonstrant

Ut itaque ad concordiam, unitatemque hujus quasi duplicis fori, & facultatis desideratam revertar, à principio planè non fuit sic. Neque enim Apostolorum in primis tempore alia ipsi in concionibus dabant : & alii deindè Theologi, ex quorum dictis esse vivendum, supererant : aut alia ipsi tamquam Ministri sermonum, & verbi Dei annunciabant ; & alia deindè tamquam Theologi epistolis suis, aut verbo edocebant. Neque Martyrum tempore, nec ætate Doctorum fuit ista sacrorum Oratorum Theologorumque divisio, aut alii quidem Theologi essent, & alii dein verbi Dei annunciatores, & alia, & alia utrique docerent : & Theologorum esset doctrinam tradere ; concionatorum verò nescio quid aliud ; & hi quidem ex Scripturis, illi autem aliundè differrent, causasque terminarent, atque ad hos ex illis appellarent.

Etenim ut loquar clarè, atque omnes, si velint, intelligant, nequaquam Augustini, Chrysostomi, Ambrosii, Gregorii, ac similes viri Dei ex alto quidem, & in templis dicebant : supererant autem deinde alii quasi Theologi, ad quos appellaretur : & ex quorum Theologia vita institueretur ; nulli uspiam hoc genus hominum erant. Neque rursùs illi ipsi summi viri quasi unam facultatem homilias suas & conciones, sermonesque tradebant ; ac deindè quasi rem prorsùs aliam morum disciplinam, moralemque Theologiam, ex qua viveretur, consignabant : sed conciones homiliæ, sermones, & Theologia moralis, morum disciplina, & hæc genua omnia unum, idemque erant : undè n lli nobis suppetunt eorum libri alii quasi concionatorii, alii verò prorsùs ali, qui Theologici morales vocarentur ; & opera etiam illa, quæ de concionibus non sunt, talia existunt, quæ ex concione dari possent, ejusdem planè naturæ, unius doctrinæ, ex eisdemque libris compacta, atque verbis Dei confecta. At modo utraque ista facultas differt adeò, & distat, ut nullæ vix duæ aliæ discrepent magis ; & Concionatores nihil sibi opus esse doctrina censere videntur, & nescio quid aliud agunt ; ac cum Theologia reliqua prætermittunt etiam velut minimè suam primam secundæ, & secundam secundæ : quæ de vitiis, & virtutibus in genere, & specie tam copiosè instituunt ; quam planè inconsiderationem Augustinus à cap. 16. repellit : & potens non est exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, & falsi dicti convincere, fallit in Ecclesia Dei Doctoris personam, & munus sine doctrina necessaria suscipiens. Utinam ergo conciones eas habeamus, quæ in scholis quoque valeant ; utinam Theologiam eam, quæ in templis etiam ædificet ? & utraque ista facultas in unum conspirans se se vicissim juvet, nec altera dissipet, quæ altera plantavit, rigavitque. Certè prolixiorem digressionem

disgressionem claudam, atque citra metum dicam, vitam christianam nusquam vel in templis, vel foris addiscendam, ubi omnium caput non sit Jesus Christus, & hic crucifixus.

§. VII.

Resumitur, & concluditur quæstionis propositum principale.

TRactabamus, nihil Dominum derogasse doctrinæ superiorum quæstionum, ubi dixit, *quæcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite:* cujus Dominicæ sententiæ cum reliqua sua doctrina duplicem ex Augustino concordiam dedimus, & profecuti sumus: & si qua alii aliam afferent, libenter amplectemur: modò illud non destruant, quod Dominus ipse constituit, peccare Magistros morum in docendo posse, & fideles etiam eos sequendo; & quorum quoad hoc, & nostrorum par est ratio, peccavisse Judæorum Doctores olim falsa docendo; peccavisse item populum eorum etiam plurimorum, & seniorum dicta, doctrinasque sectando. Non ergo profuit populo illi, nec proderit nostro, quòd secùs instituarut, & dicarur pax; sed magis illud sequitur, *populè meus, qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt;* nec enim opiniones nostræ ex non justis justos, aut ex amatoribus mundi reddunt, præstantque amatores Dei, & salvant.

Atque exhis etiam, quæ nuper de sacris Oratoribus disseruimus, ad Magistros morum argumentum ducitur. Fatentur namque omnes, periculosorum munus, ministeriumque esse sacrorum Oratorum; & peccare ipsos graviter in officio posse, nocereque populo; sin minùs ur superius argumentari sumus, peccare ipsi non possent: quinimò de facto plurimùm hac in te delinqui, multorum bonorum sensus, & dolor est. Ergo similiter Magistri morum peccare in officio possunt, & nocere, moresque dissipare. Quæ consecutio quasi à fortiori sequitur; si quidem in primis non magis Magistri, ut rectè doceant, in gratia confirmati sunt, quam Concionatores, & deindè magis ex Magistrorum, quam Concionatorum dictia populus regitur; ac postremò quia aliquo demùm modo Concionarotes Evangelia, Sanctorumque Doctrinam pertractant, & minùs eam Confessores multi versant. Si ergo illi nihilominùs deficiunt, & famia fermè tempus est verbi Dei, à fortiori de Magistria, & Consultoribus, qui proximè motes, conscientiasque regunt, id timendum est.

§. VIII.

Etiam ex morte Salvatoris, quam Iudæi per ignorantiam, & ex Doctorum suorum consilio urserunt totum intentum ostendi poterat.

INtegram de hac causa causarum scripseram quæstionem, in qua eam ab origine ducens de tota rei serie disserebam, & quo pacto, ac undè & Doctores, & populus excæcati sint, nec solem viderint, sed Dei filium morte turpissima condemnarint, exponebam, non quidem, ut probarem indè, quod oscitanter quidam arbitrati sunt, populum nostrum Doctores sequendo, & v. g. non restituendo, aut non jejunando, per facinus perpetrare; sed peccare posse; nec de tanto, sed de peccato quæstionem instituebam, atque ex populo illo Doctores, & Sacerdotes tunc suoa sequentes ad nostrum arguebam, ut excusationem istam modis omnibus convellerem. Post tamen visum est quæstionem prætermittere, atque ex causa illa tota unam, vel alteram consecutionem conficere.

Ex Evangelio itaque, ac fidelium omnium notitia exploratum est, populum Judæorum Doctores, Sacerdoresque suos secutum fuisse in ea causa. Legatur liber quilibet vulgaris etiam sermonis; legatur Palma, & res planè constat. Et tamen de fide est, tum populum, tum Sacerdotes ipsos, & Doctores gravissimè peccavisse; atque in hujus peccati pœnam Synagogam delectam fuisse, eversam Hierosolymam, dispersos Judæos; Prophetisque, & Sacerdote, & Rege, & sacrificio privatos, ut per Danielem prædictum clarissimè fuit.

Exploratum prætereà est, populum illum, ac Sacerdotes etiam, & Doctores per ignorantiam peccavisse, ut Dominus ex cruce testatus est dicens, *Pater, ignosce illis; nesciunt enim, quid faciunt:* Petrus quoque contestatur actu 3. *& nunc, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri:* atque etiam Paulus 1. ad Corinth. 2. *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sic enim plus minùs affecti erant; quemadmodùm Paulus; dum Ecclesiam persequebatur: qui tamen suam ignorantiam ad Galat. 1. & ad Timoth. 1. contestatur: quemadmodum item Judæi ipsi affecti erant in persecurione discipulorum; quam eorum affectionem expressit Dominus Joan. 16. dicens, *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, se obsequium præstare Deo:* quemadmodùm postremò vidimus ipsi nos, eorum filios, ac sceleris imitatores esse etiam modò affectos; qui haud quidem putant, Christum Dei Filium esse, sed seductorem; & legis Dei, & templi hostem, & inimicum, blasphemumque. Adeò ad innocentiam, impunitatemque satis non est, verum puratum, existimatumque sequi, si ex passione, pravaque nostra dispositione fallamut, sicut lib. 1. & etiam hoc libro ostensum est, & regula est, non veritas existimata, & putata, sed veritas ipsa: sicut lex ipsa; qua duo idem, vel connexa sunt.

Sunt tamen qui ad suas magis opiniones conversi credere nolle videntur Judæos in tanta rerum claritate, miraculorumque Salvatoris evidentia cæcutire, excæcarique potuisse. Sed hi planè, quid sit homo, non satis nosse videntur. Num ergo voces Salvatoris, Petri etiam, & Pauli expressa monimenta delemus? Num hanc ipsam Judæorum cæcitatem ipsi nos haud videmus, similesque alias hæreticorum, Mahometanorumque tenebras manibus pœnè nostris non contrectamus? supercecidit iraque ignis, scilicet superbiæ, invidiæ, avaritiæ, & odii, *& non viderunt solem.* Homines planè sumus, & quandocumque factiones, seditionesque contingunt, simili cæcitate rapi utraque, vel alterutra pars solet; & ea unicuique jura clarissima videntur quæ impensè diligit. Prosequebat hoc loco modos, & apparentias falsas, & fallacias, quibus Doctores, Sacerdotesque Judæorum se primùm

primùm, ac deindè populum decipere potuissent. sed prætermittere volui. Nolit Deus probare nos, aliquemque ad nos mittere, qui, quod Salvator fecit, Sacerdorum, Doctorum, Principumque ignorantiam, ac cæcitatem, & peccata, vel hypocrisim palam detegat, affirmet, ac asseverantissimè reprehendat: quid scimus; Certè experimento nobis esse possunt Stanislaus, & Thomas, qui non apud Judæos, vel gentes, sed intra Ecclesiam Catholicam gladiis impiorum occubuerunt veritatis tuendæ causa, nec stupendum miraculum profuit Stanislao Pastori sanctissimo. Nihil est homini Thomistæ Physica prædeterminatione evidentior; nihil homini Jesuitæ falsior: atque in rebus re ipsa clarissimis non tot, quin plutibus non unus, aut alter, seplurimi etiam passim decipimur.

Inversus ergo fuit apud Judæos ordo inquirendæ veritatis; non enim, ut pax erat, miracula Salvatoris tamquam antecedentia assumebant, ex quibus ejus veritatem, & à Patre missionem colligerent; sed contra potiùs usurpabant, eum legis, & templi, Sacerdotum, & Doctorum hostem esse, & inimicum: blasphemum item esse, quia Filium Dei se faciebat; similiaque antecedentia, ut ex Evangelio scitur, assumendo, illius miracula vana, præstigiisque plena esse, & quæcumque demùm ea forent, non in Deo, sed in Beelzebu principe Dæmoniorum peracta inferebant, & calumniabantur, fucisque, & exceptionibus rem claram offundebant. Quæstio ergo de ipsa etiam miraculorum veritate intererat.

Jam ergo in præsentia quærimus eos, qui nobis tantoperè adversanrur, urrumne ex omnibus mundi quæstionibus hæc una superfit in qua indocti Pastores tuto sequi non possint, in qua scilicet inquiritur, an facta aliqua verè miraculosa sint, neque præstigiis, neque Dæmonis ministerio, sed Dei virrute peracta? infinitis quæstionibus libri morales implentur: & ecce in nulla earum indocti tenentur videre, & scire, verane sit, an falsa ulla earum: satisque est, si Doctorem sequantur; ac si errent, ignorantia vel probabilis, vel invincibilis continuò est. In hac tamen una quæstione, in qua non de facti, sed de miraculi veritate tractatur, reus erit populus, si miraculi veritatem Doctorea etiam sequendo ignoraverit, vel negaverit. Nemo planè nescit, quæstionem esse Doctis etiam inter difficiles difficillimam hanc verorum, & falsorum, apparentiumque miraculorum discussionem, & cognitionem. Si ergo Judæi in cognitione legis suæ, quæstionibusque moralibus protsùs tuto sequerentur Doctorum suorum authoritatem, eadem planè ratione, & majori eisdem miracula Christi vana esse asserentibus tutò credidissent. Ex quo nihilsuperest, in quo, & quare populus ille peccaverit. At peccavit indubitanter. Non ergo in ea Theologia sumus, quæ ponit; indocti Doctores sequunrur; ergo tuti sunt; sed in ea, quam bonus utique Magister tradidit, *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*: item *sinite illos; cæci sunt & duces cæcorum*

Sed quoniam per miracula Domini solutionem quidam omnem parant, nec Judæos nescisse, ut veritas inquit, sed rem totam scivisse velle videntur, omissis aliis, unum membrabo, quo Sacerdotes Doctoresque illi tum pro se, tum etiam pro populo miraculorum veritatem eludebant: quo medio eò fidentius utor, quo & anteà prædictum illud fuit, ac Sancta Mater Ecclesia eodem utitur, Sanctique Patres annotarunt.

Itaque sapient. 2. ita prædictum est. *Circumveniamus ergo justum quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat*, &c. *Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, & præfert novissima. justorum, & gloriatur se Patrem habere Deum.* Dubitantium planè dispositio ista videbatur, utrumne verum esset; eum scientiam Dei habere; Patrem item habere Deum: quam dubitationem ut solverent, populumque sedarent & convincerent, hoc medium excogitaverunt.

Videamus ergo, inquiunt, si sermones illius veri sint & tentemus, quæ ventura sunt illi, & sciemus, quæ erunt novissima illius; si enim est vere Filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum: & mox morte turpissima condemnemus, eum, &c.

Ex his enim illud sumitur, Sacerdotes, Doctoresque ad populum recentium miraculorum memoria nutabundum hæc, vel similia perOrasse. quales nos scimus, o Judæi quanti legis. templique Dei cultores sitis vos. Credendumne ergo, nos ultrò sævire in innocentem, in Dei Prophetam, in Dei Filium, Messiamque illum tandiù à nobis expetitum, desideratumque? Ecquis infandum adeò scelus de tot sanis, piis, religiosis, doctisque Sacerdoribus credat? An enim nobis doctiores vos, religiosioresve; Indocti estis, simplices estis: nobis credite: legis, & templi hostis est sabatha violat; eversionem templi minatur, ac sursùm deque omnia rurbat; Regnum etiam affectat, ex quo Romani venient, atque in duram servitutem voa, & nos redigent. Seducit simpliciores vos prætextis miraculis quæ prastigiæ sunt: & quidquid demùm illud erit, satius est conscientiis id nostris relinquatis.

Quod si adhue de veritate nostra ambigitis, ecce ad manum experimentum. Vel enim se cùm non sit Filium Dei facit, & Blasphemus est, neque miracula vera esse possunt, atrocemque mortem meretur. Vel est verus Filius Dei? Et runc nihil mali sequetur? quin ut hoc sciamus; morte turpissima condemnemus eum, nam si verè est, suscipiet illum, & liberabit. Quid enim Deus. Filium suum permittet occidi, crucifigi, & vinci? Ecce vobis ipsis testibus contestabimur ei nos, ut si Filius est Dei, descendat de cruce; & nos quoque credemus. Profectò si alia majora potuit; mortuos etiam, ut dicitis, suscitare, poterit etiam hoc minus: volet etiam, si Messias est; nam venit ad liberandum nos; simus porrò nos prompti ad credendum. Quod si pauculum hoc efficere non valet, efficta profectò sunt ea, quibus vobis simplicioribus; illusit. Huc namque, ut ex Propheria adducta accipitur, Sacerdotum voces illæ ironicæ spectabant: *alios salvos fecit; se ipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus*

credemus ei &c. & quasi confecta jam causa, probataque subdebant : *Vah qui destruis templum Dei, in triduo reædificas illud.* Posset aptissimè S. Thomas : *hæc dicebant ejus miracula abolentes quasi ab eo secundum apparentiam perpetrata fuissent.* Et S. Augustinus Epist. 120. cap. 7. tradit hoc circa suæ sapientiæ digna plura.

His ergo aliisque modis Judæi decepti, ex cæcatique sunt; & cordis puritate, Deique illuminatione opus fuerat, & ne isti termini, *Deus homo*; *Deus crucifixus*, implicantes, chimericique, ac se se destruentes viderentur : quare adhuc etiam Christus crucifixus scandalum est Judæis; atque ex his miraculorum veritatem, roburque evertebant : quemadmodum si nobis in confirmationem rerum, quas implicatorias, chimericasque esse censemus, miracula facta esse dicerentur, ex rerum ipsarum implicatione miracula potius improbaremus. Constat itaque Judæos & sophisticis, apparentibus rationibus & Sacerdotum, ac Doctorum suorum authoritate, sua utique culpa, nescientes tamen Dominum gloriæ crucifixisse : quod unus Author homil. operis imperf. negare videtur; verus tamen Chrisostomus act. 3. & alias eum cæteris supponit.

§. IX.

Ex his consequentia aliqua ad causam nostram ducuntur.

PRimò sequitur ad litteram, indoctum populum peccare posse Doctores suos sequendo etiam plurimos. Nam Judæorum populos etat utique indoctus populus, nec doctior nostro, neque magis ad veritatem ipsam resciendam obligatus, quam noster : & præterea Doctores tunc suos saltem plerosque secutus salvatorem crucifixit : & tamen enormissimè peccavit. Peccare ergo & populus noster potest Doctores etiam plurimos sequendo. Atque omnes dabiles exceptiones; & disparitates superius atritæ sunt. Quare via probabilium verbi gratia plurimorum quidem est; neque tamen existimamus hoc sufficere ad salvum conductum : & de aliis quoque opinionibus multorum circa usuras, & amorem sæculi idem arbitramur : frustrà alioqui eas oppugnaremus.

Sequitur 70. quam verum illud sit, quod juramento etiam Augustinus par. lib. 2. quæst. 3. consignavit, & si juramentum ipsi in retractationibus non placuerit, quia fortè necesse non erat, se nescire prorsùs, quomodò adulter ille peccaverit, si quisque faciendo id, quod probabile sibi, videtur, non peccat : sequique præterea, omnia omninò scelera reddenda licita, hæc ratio probabilis actus nostros à peccato excusat. Haud dixit planè Doctor, omnia omnibus futura licita; non enim omnia omnibus probabilia videntur; sed dixit, nullum sanè scelus esse, quod his, aut probabile videri non possit ac deindè per consequentiam sequitur etiam de omnibus.

Ecce enim scelerum omnium gravissimum, opinor est occisio Salvatoris. Et tamen Judæis probabile ut minimum visum est, eum esse morte dignum. Ergo si hæc ratio probabilis excusaret, nullum planè scelus superesset, quod sine scelere, peccatoque committi non posset. Inquis forsitam, Judæis id probabile visum non esse. Sed nisi fallor, hac evidenti propositione, qua sæpè utor, refellitur : nam ex eo primo principio, quod intellectus est ad verum, sumitur evidenter neminem rei ulli assensum præstare, quam vetam esse non existimet. Sed Judæi rei, quod Christus esset morte dignus, assensum præstiterunt; nam alioqui nec decepti, excæcatique fuissent, neque per ignorantiam, ut supponimus, peccavissent. Ergo rem illam veram esse existimarunt. Ergo assensu demùm aliquo. Ergo ut minimum opinativo : nam hic est assensum omnium gradus infimus. At omni assensum opinativum habenti probabile, verisimile, credibile, fide dignumque, id videtur, quod assensu suo asserit, affirmat, menteque enunciat. Ergo Judæi probabile ut minimum visum fuit, salvatorem esse morte dignum. Inquam, probabile ut minimum; nam certum etiam, & evidens ex sua tanta cæcitate furoreque videri vel omnibus, vel aliquibus potuit.

Horrent hic quidam, & ut superius etiam notatum est, dicunt, sequi ex his, peccare quem posse probabiliores etiam opiniones sequendo; nam Judæorum casus est casus opinionis probabilioris; est enim casus opinionis Doctorum illorum fermè omnium. Verùm instantiæ istæ nihil nos tangunt; nam non falsum, sed verum est sequi id probabiliori, vel certo etiam, & evidenti existimato, sophistico, & Phantastico; quale fuit probabile, vel certum Judæorum; & est etiam hæreticorum. Non autem sequitur de probabili, vel probabiliori, vel certo reali, positivo, non sophistico, quodque scientiam perfectam, vel minùs perfectam, non autem pseudoscientiam constituat.

Ex his sequitur 3. quam sit necesse distinguere inter hæc vel probabilia, vel probabiliora, vel certa, altera sophistica quæ videantur esse, & non sint; altera non sophistica, quæ videantur esse, & sint. Atque sine hac distinctione probabilia omnia, Doctores item omnes probare est profectò Judæos, & hæreticos omnes à peccato liberare. Neque casus sanè Judæorum quod communem Doctorum suorum opinionem secuti sint, & tamen peccaverint, à nobis inductus est, sed ab Evangelio positus. Arbitramur verò numquam adversarios scituros esse, sophisticum, & non sophisticum nisi per verum & falsum, ut ab initio scientiarum factum est, satis distinguere. Vellent porrò citra veritatem, & in falsis, verisque commixtis sibi salvam esse provinciam regendarum animarum, & hoc esse non potest.

Sequitur 4. quam falsum illud sit, quod in plurimarum animarum perniciem excogitatum est, Medicos quidem corporales malos, vel bonos etiam, si errent occidere corpus : Medicos verò spirituales malos, vel bonos, ubi errant, animam haud occidere, neque nocere. Densis ergo tenebris caligasti ô Genevensis antistes sancte, ubi introduct. par 2. cap. 6. pronunciasti : *Avila ex mille unum ad Directoris manus*

munus, eligendum putat : ego autem ex decem millibus: quam enim dici possit, pauciores sunt tanto operi pares. Sed forsitam magnæ illæ animæ periclitantur, & tanro Directore opus habent, quæ omni consilio, & Spiritu Divinis vacant illis verò, qui sæculo immersi sunt, resque periculosiores pertractant, quilibet sufficit; & si errent Directores, & Ductores, nihil officiunt & turi sunt sive veritatem, sive errorem sequantur. Hoc planè unum est, quod omnia confudit, Doctores, Ductoresque, omnes bonos; & malos scientes, & ignorantes contra terminos ipsos æquavit, & quod in nulla vilissimarum artium mundus vidit, in artium arte regendarum animarum vel mali nulli sunt, vel boni & mali omnes boni sunt quod sanè satis demonstrat rerum statum miserandum. Quorsùm ergo Ecclesia Episcopos, Patachos, Confessores in doctrina probat? quorsùm digniores etiam præfert? quorsùm approbat, & reprobat alios: & alios?

Atqui his omnibus satis, arbitror, confectum est, privatos Doctores, qui scilicet privilegio veritatis carent, nullo privilegio, nullaque authoritate vigere: qua indicta, responsaque sua refundaot probabilitatem, quæ regula indefectibilis conscientiæ sit, aut ignorantiam invincibilem, quà eos sequentes à peccato mox excusati sint, ut illud de conversione ignorantiæ in regulam absurdum prætercam. Quæ veritas, ut firmiter retineri à quoquam possit, exempla Doctorum populi tempore Prophetarum, tempore item adventus Salvatoris, falsorum Consiliorum in Ecclesia populorum hæreticorum, & similia, quibus quali ancoris quisque inhæreat, præsentissima habenda sunt: recolendæ etiam evangelicæ sententiæ & illud de Magistris coacervaris. Certè Judæorum Sacerdotes, & Doctores, conciliis etiam hac de re habiti, unà authoritas excresceret, Salvatorem morte dignum pronunciarunt. Esset tunc aliquis, qui palam, fortiterque obsisteret; vel populus Sacerdotum, Doctorumque consensui, & Conciliis repugnasset: vel Doctor tunc aliquis eum ad id obligarent. Nonne durus, durissimus, intolerabilis furiosus, superbus, ac ipso etiam Domino forsitam detestabilior visus eis fuisset? Visi sanè sunt eis posteà scelerarissimi Petrus, & Paulus, cætetique veritatis Administri.

§. X.

Illustris doctorum confirmatio ex cælesti Virgine Theresia.

Nobis planè scientia moralis, rectaque doctrina morum alia non est quam scientia illa Sanctorum, quæ quoniam intereà non erat, *populus captivus ductus est* : pro ea porrò inveniendà ad nullos tutiùs imus, quam ad Sanctos ipsos, & fæminas, etiam, quæ ea utique polluetunr; maximè verò ad Theresiam, cujus cælestis doctrinæ pabulo nutriri postulamus.

Ista ergo sanctissima Virgo in vitæ suæ confessionem instar Augustini capit. quinto (quam etiam doctrinam in libr. mans. recantat) hoc modo superiorem omnem doctrinam complexa videtur. Degebat, inquit, eo temporis in co oppido persona quædam ecclesiastica satis quidem nobilis, intelligensque, qui litteris etiam instructus esset. sed non multis. Cæpi ego eo uti confessore; semper enim litterarum amantior extiti; & si plurimum detrimenti intulerint animæ meæ Confessores semi docti; quia non. ea, qua vellem doctrina præditos arbitrabor.

Experientia scilicet ipsa vidi, & didici, præstare eos, qui bonis, sanctisque moribus vigent, nulla, quam exigua doctrina esse instructos; hi enim, qui nullius doctrioæ sunt, sibi haud sidunt, sapientioresque, interrogant; uti nec ipsa mihimet siderem : nullusque verè, doctus me unquam fefellit. Hi alii, (scilicet. semi indocti, vel litteris magis delibuti, quam imbuti) nec ipsi, credo, tam cò ibant, ut deciperent, quam quod plus non scirent; & si ego scire eos existimarem, neque teneri me ad aliud, quam ut crederem ipsis, siquidem quod dicebant, laxum, liberiusque erat: misera enim adeò ego sum, ut si strictiora præscripsissent, alios quæsitura fuissem.

Quod peccatum veniale erat, nullum esse peccatum mihi dicebant; quod verò gravissimum mortale erat; esse veniale. Hoc tantum mihi detrimenti intulit, ut monendum hic ad aliorum institutionem fuerit pro tanto malo vitando, & benè quidem video, me non id circò coram Deo esse excusatum : sufficere enim debuerat, res ipsas natura sua bonas haud esse, vt eas declinarem. Arbitror, Deum hoc in peccatorum meorum pænam permisisse, ut ipsi primum deciperentur, ac me deio deciperent : & ego alias plures decepi id ipsum eis dicendo, quod ad me dictum fuerat. Atque in ista cæcitate ultrà septem-decim, opinor, annos permansi, donec quidam ordinis Prædicatorum Pater magnæ vir doctrinæ me in rebus earum aliquibus dedocuit; atque Patres societatis Jesu, ex integro eum mihi timorem incusserunt; adeòque tam improba principia improbarunt, ut referam post. Hæc satis planè consideranda sanctissima Theresia. Quàm potrò doctrina ista conformis sit veræ Theologiæ, id, ex Prophetis, ex Evangelio, ex Apostolis, sanctisque collecta, ex dictis, credo satis conspicitur.

Plura verò cælestis virgo hic tradit: primum illud, & instituri nostri proprium, semidoctos quosdam, vel Confessores, vel Conductores detrimenti plurimum afferre animabus; dicere etiam posse peccata venialia nulla esse peccata, & gravissima mortalia esse venialia, neque tamen hoc eos sequentibus, & si ipsis credendum elt arbitrentur, ad excusationem coram Deo suffecturum. Deindè quod super. Libro tractatum est Deum in pænam pec-

in pœnam peccatorum nostrorum permittere posse, ut Doctores, Rectoreaque animarum nostratum fallantur ipsi primum; & fallant nos deinceps.

Ruraus utilissimum illud, præticissimumq, notat, & cavet, quod utinam experientia non doceret, melius esse iis saltem, qui bonis moribus vigent, nulla quam exigua doctrina esse prædiditos; quia hi quidem sapientes interrogant; semi docti vero, litteris tincti sibimet fidunt, neq; interrogant, sed plenissima quadam autoritate casus quoque suos, & alienos resolvunt: quam semidoctorum, vel nec semidoctorum quidem potentiam auxit in immensum via probabilium, ut par. 1. tractatum est: auxit etiam ista alia, quâ modo convellimus, persuasio, qua creditur, Confessores Consultoresq; sequendo peccare nō posse.

Præterea sancta Virgo edocuit, quorsùm isti, qui falluntur, & fallunt, semidocti declinare soleant, ad lata scilicet, & liberiora, atq; peccata venialia non esse peccata dicant, & gravissima mortalia esse venialia. Quorsùm contra inclinent, qui in veritatem, rectamque viam inducunt: Pater ille ait, ordinis Prædicatorum de multis verum earum qualia peccata essent, ostendit; ex integro de inde Patres Societatis Jesu eum mihi timorem incusserunt, &c. Non ergo recta doctrina timorem excutit, sed infert: falsa quidem, ut jam dixi, aliqua metum afferre potest: at vera, & recta timorem sanè, qui initium est sapientiæ, non aufert, juxta illud psal. *venite filii, audite me timorem Domini docebo vos.* Et ut ait Tertullianus, ubi Deus non timetur, ibi Deus non est. Sunt tamen qui misereantur, ut putant, animarum, & prorsùs nolint eas tangi, & affligi, etsi scriptum sit, *affligetis animas vestras religione perpetua*; pro justitia agonizandum etiam esse, & hoc genus alia sine fine per universam Dei scripturam legantur: *mundus*, inquit Veritas, *gaudebit*; *vos verò contristabimini.* Lætativa ergo, ut ita loquar, doctrina non Dei, sed mundi est; contristativa vero Dei, & si eam servantibus: sequentibusque ille spiritualea deliciæ affluant, quales nullas novit mundus.

Denuò in cælesti virgine cernitur, eam per verum, & falsum; per falli, vel non falli causam omnem terminasse. Quid enim interest, si Sathan in Angelum ipsum lucis conversus splendidissimis etiam lucibus fallat, si fallit? quas proindè apparentes, effictasque luces, & lumina, quo majora, eò magis timuit, cavitque perpetuò erlitus edocta Virgo.

Hic haud difficile esset, etsi odiosū, dicere, utrū etiam modò sint aliqui multi, vel pauci semidoctorum: qui nihil scientiam ipsam moralem norunt, sed reflexæ opiniones aliorum colunt, semidocti saltem sint. Utrum scripturæ sanctorumque doctrinæ expertes docti esse possint? Certè S.Th. superiùs ex magna quantitate Magistrorum frequentet malam qualitatem sequi ex Jacobo colligebat. Omni verò jure, & ratione tenentur semidocti, & à fortiori ineptiorea alii quærere, consultareque verè doctos, & sapientiores; siquidem in doctrinæ, ignorantiæq; confinio sunt, & de utraq; participant: quo enim jure qua parte doctrinam habent, aliquid possunt, neque ignorantibus annumerantur, eademq; parte ignorant, & semidoctrinam solùm habent, inter ignorantes sunt, eorumq; lege interrogare tenentur: ut qui semivestem haberet, quæreret planè dimidiam aliam. Neque ignorant sanè plurimi, se in sapientiū corona, ubi de alia facultate tractaretur: cui etiam studuissent, oa aperire non posse; sola ars artium regendarum animarum, Theologiæ pars maxima, & difficillima adeò protrita est, in qua omnea, & quilibet, & hi ipsi, qui in sapientium conspectu de materia prima loqui non possent, absolutissimi Magistri sint omnium resolvendorum casuum, & quorum eumque etiam Regum gubernandarum conscientiarum; quod sanè rerum animæ, & salutis miserum statū, curaq; nimis apertè demōstrat.

Illud postremo relictis aliis, in doctrina sanctissimæ Theresiæ mihi, meique similibus oculos aperire potest, si mortui omninò non sumus, quod de sua tot annorum cæcitate commemorat, & alia, quæ eo ipso capite prosequitur humillima Virgo: sed superbi montes, si tangamus, mox fumigamus, quin furimus, si cæci audiamus.

QUÆSTIO VII.

Utrum ergo, quod de Magistris morum ostensum est, tene at à fortiori de consilio, Ministrisque, & peccare, & damnari Principes, & superiores Ministri possint inferiorum etiam multorum & Parlamenti, & Cameræ consulta sequendo.

Arripit avidè mundus omnes maximas & opiniones de *dormi securè*: ut ajunt, & has quidem regulas plerique nolunt pro domo sua: pro Republica verò, & bono communi, quod diligentius tractandum est, per libenter acceptant. Instituti planè nostri non tam salus Regnorum est, quam animarum: hac tamen de causa non solum Regnis insignia detrimenta inferri, sed multos etiam damnari posse arbitrantes, è re nostra futurum existimavimus, item, si qua est, persuasionem de Consiliis, & ministris per consequentiam ex dictis circa Magistros convellere.

§. I.

Quid ergo, & quibus fundamentis philosophari videantur.

Si thesis locus non fit hypothesis esto, & si nulli sint ita philosophantes, & existimantes, quæstio juvabit, ne unquam ulli ita existiment, & philosophentur. Principes itaque, superioresque Ministri existimare videntur, certè possunt, se clausis, ut ajunt, oculis sequi, probareque posse consiliorum, atque ministrorum inferiorum consulta: tutissimosque se eo ipso existere à culpa, & peccato. Mores deindè scholarum, & conscientiæ ad judicia, atque ad universum dein regimen transire facile possunt. Disputatur autem, ac etiam dicitur, posse Principes, & Ministros, ac cæteros omnes unius Theologi gravis (vel sint duo) responsum, consultationemque sequi etiam contra plurimoa, quin peccent, imò honestissimè operando. Hoc porrò facile ad judicia, regimenque transferent, & dicent, satis Principibus esse, si unius gravis Ministri, duorumve sensa etiam contra plores, & contra totum etiam Senarus consultum sequantur, atque prudenter, honesteque eos acturos, Motiva verò & fundamenta, quibus pro uno, duobusve Theologis causa agitur, transvehi huc ad litteram possunt.

Est sanè, vel esset modus iste philosophandi, opinandique Principibus, Ministrisque superioribus commodissimus. Imprimis siquidem eos à labore liberat veritatem inquirendi, utque de justitia distributiva, quæ tanta pars est regendo-

rum Regnorum, dicam, nihil Principes, nihil superiores Ministri scire tenerentur, qui & quales sint, quæ promovent; qui digni, qui digniores ad episcopatua, ad præfectutas, & ad reliqua pacis, & belli munia: qui & quales etiam illi, quibus universæ justitiæ commutativæ administrandæ Provinciam committunt; qui denique, & quibus præmiis, pænisve afficiendi sint. Deindè si de tributis, gabellisque augendis tractandum est nec Principes, nec superiores Ministris tenebuntur scire, nosseque statum Regni, & pauperum, utrumne plus ferre possint utrum ne laç duntaxat emungatur, an etiam sanguis exugatur, an lana nulla supersit, sed pellis jam evellatur. Commodissimum itaque eis est ad hęc scienda, taxanda, & accurate trutinanda non teneri, sed clausis oculis, & tuta præterea conscientia aliorum consulta sequi velplurium contra pauciorea, vel parium contra pares, vel pauciorum etiam imparium contra intelligentiores; ut placebit; quem neque obligari vel ad hos, ut sciant; uti consulentium meliores, integriores, intelligentioresque sint. Quo facto, vel posito, gaudere, fruique hoc mundo amplissimè poterunt Reges, & Principes, idque, quod optatissimum est, citra scrupuloa, conscientiæque discrimen: Undè etiam fortè natum est; nasci certè potest, ut universi regiminis rationem extra rationes, causasque conscientiæ ponant, & homines magis, ut ajunt, quam Reges, Principesque, & Ministri confiteantur; quasi Deus homines quidem legibus ligaverit, de verbo etiam otioso rationem nos reddere voluerit, prætermiserit verò totum; quantum est regnorum administrandorum negotium.

Hic præterea modus opinandi, ae philosophandi manus valdè solvit Principibus, ut quidquid voluerint, agant; nam experientia docet, magis numquam, quam raro eis Ministroa deesse, qui consultationibus suis ea probent, ad quæ ipsos viderint propensos. Undè visis hinc indè demum omnibus, ferè una ratio, lexqua administrandi regni sit voluntas eorum, utque dicemus statim; ea etiam bella omnia, quæ re sua fuerint, movere licitè, honesteque poterunt: augere similiter multiplicareque tributa; hos quidem extollere, illoa deprimere; expendere, effundereque ærarium, & sic prorsus ex libito magis, quam ex lege vivere.

Fundamenta porrò, quibus hæc regendi ratio statui potest, ea in primis ipsa sunt, quibus intenditur, & contenditur, neminem peccare posse unius Theologi gravis dicta, consultaque sectando; & quæcumque de prudentia, & prudenter, & de reflexis inculcant, hùc ad verbum trahuntur. Sunt enim hi Magistri v.g. status viri graves, & gravissimi, eminantioresque: ac in hac arte periti, & sapientes, sicut de Theologis in sua facultate dicitur. Quid ergo Princeps, vel supremus aliusrerum Administer peccet, periclitetur ve eorum consilia sequendo? quid non prudenter agat? sæpe, inquis, dissident inter se; præstantiores aliud consulunt; plurea dissentiunt; passiones habent; errant sæpè; placere volunt. Dicis, inquá, hæc, & alia: sed quæ instantiam in Theologis etiam habeant. Quemadmodum ergo error Theologi nihil eum sequentis, ut eis, conscientię obest sed materialis est, & conscientia materialiter recta alia reflexa cuditur, ut quidem novus errat, quin ex ipsa etiam erronea conscientia mox Theologus comminiscitur; ita etiam de errore Ministorum, vel Consiliorum quoad Principis conscientiam statuetur, & dicetur.

Sunt deindè alia fundaméta specialia probandi eam rationem, viamque regendi: quæ eo minus robur habere videantur, quo quasi in immensum superant rationis, & causæ Regum & regnorum rationes, & causas privatorum. Ecce scilicet si dicamus, utrosque teneri scire re ipsa, jura sua, & leges, & eos Doctores quærere, non qui quę libet etiam falsa doceant; sed qui vera, & legi Dei re ipsa conformia tradant, clamant, in nos continuò, & ajunt, nos ad impossibilia homines obligara. Sed hæc quæ singuli verè scire deberent, ferè nihil sunt, & sicut milium seu granum Synapis, comparatione montis Olimpi, si ad ea conferantur, quæ ad Principum curam, causamque pertinent: & fermè sicut Regnum hominem, sic causa Regis rerum multitudine, magnitudineque superat causam, rationesque, & jura singulorum. Erit ergo impossibilium, ut ita loquar, impossibilissimum, quod Reges, Principesque ipsam re ipsa veritatam scire possint. Satis ergo erit, si horum, vel illorum ministrorum plurium vel pauciorum, vel parium consilia sequantur, sicut de Theologis statuunt: materia scilicet Regum, & Principum est, ut diximus, in immensum amplior; privilegia verò, & promissiones Dei nullas ego in Dei libris inveni, quibus Ministri quidem in officio, & in consulendo peccare possiot, obesse etiam conscientiæ Principum; Theologi autem non possint.

Accedunt præterea alia, undè Principes excusari videantur: non enim aliæ hominum animę, mentesque sunt, aliæ vero alterius speciei, & pro magnitudine amplitudineque Regni ampliores, majoresq; animæ, ac mentes Principum. Pręstant aliquandò privati, aliquando æquant, nec æquát quidem aliquandò, sed vel ineptiorea sunt, vel etiam fœminæ. Si ergo privati ad pauculas res suas, seu verius reculas verescićdas, ipsamq; in eis voluntatem Dei nosse haud possunt, minus profecto Principes poterunt. Justa ergo conscientia sequentur magnum illud probabile, id est, consilium Ministri cujusque gravis, & prætermissis aliis, vel etiam eis consultis, dissentientibusque.

Rursùs materia potissima privatorum, & singulorum est jus; materia potissima Principum sunt facta. Nimirum justitia distributiva, & legalia ex factis pendent, qui scilicer, & quales, quantique sint uniquiq;, qui digni, indigni, qui meliores in moribus, in bello, in doctrina. Defensio ipsa Regnorum ad facta præcipuè resolvitur, ad statú resciendum ærarii, administrationisq; ejus item arcium, classium, armorum: ad sciendum denique statum subditorum, vel sufficientem, vel jam reductum ad inopiam. Omnes porrò sciunt, & ponunt propter multas obvias rationes; difficilius sciri facta, quam jua, ideoq; facilius, & frequentius ubiq; admittitur ignorantia invincibilis, & omnino excusana facti, quã juris. Si ergo totú pęnè negotiú singulorũ circa jus est, Principũ autem, & administratorum circa facta; singuli verò ad ipsá veritatem juris nõ obligantur, sed sufficit eis probabile, & dictum viri gravis, minua Principes obligandi sunt ad ipsa facta verè scienda, sed sufficiet eis probabile, & cujusvis Ministri gravia, consultatio, & approbatio, quæ numquam deest.

Postremò

Postremò quia si unios saltem integri Consilii, vel Parlamenti, vel plurium Ministrorum Consultatio Principes, Superioresve alios Ministros à culpa non excusat, sed peccare, damnariqoe possunt, pessum ire videtur omnis recta administrandi ratio. Nam si peccare possunt similes consultariones sequendo, tenebuntur tunc contrarium agere; ac meliùs, rectiusque agent, si contraria decernant, & exequantur: hoc autem damnare, non probare plerique solent: non ergo rectum est. Iterum hoc pacto via aperitur, ut Principes contemnanr Consilia sua, nec pensi habeant. Hinc rursùs manus ipsis solvuntur ut quod volunt, agant, & magis ex cerebro, & ex capricio, ut ajunt, gubernent. Deindè qood contra rectam rationem est, rectè factum esse nequit, est autem contra rationem, quod Princeps contra integri senatus consultum decernat, & agat; nam vel suam tunc rationem præfert, vel aliorum. Si suam contra rectam rationem est, ut unius ratio præferatur senatus consiliive iotegri rationi, & judicio. Si aliorum rationem præfert, & hi pauci fint, erit similiter contra rationem rectam, ut pauciores ploribus præferantur. Si pares fuerint, non est cur præferantur. Hanc deindè vel suam, vel aliorum rationem sequendo vel peccare Princeps potest, vel non potest? Si non potest, melius hoc privilegium senatui, Consiliove integro conceditur: & rursùs quæcumque probant Principem peccare posse senatus totius rotionem sequendo, probant iridem, peccare eum posse eriam suam, vel aliorum rationem sequendo. Si ergo & suam, & aliorum rationem etiam sequendo peccare potest, satius semper est, & consultios, Senatus, Consiliive integri sequi rationem: at quod satius, & consultius est, agendo peccare non potest. Ergo Senatus, vel Consilii integri rationem sequendo peccare non potest.

Quod confirmatur: nam Princeps totius consilii, Parlamentive rationem, Consultationemque sequens, facit, quantum potest, ne errer: at faciendo quantum potest, nemo peccat: Princeps ergo noster non peccat. Omnis rursùs peccans imprudenter agit: at Princeps sequens Parlamenti, Senatusve consultum imprudenter non agit, neque eum quisquam imprudenriæ accusabit, non ergo hæ consultationes præservativæ à peccaro sive propter probabilitatem; quis enim Senatus integri consultarionem probabilem non habeat? sive propter invincibilitatem ignorantiæ. Hæc autem, quæ de Parlamenro, Consiliove integro dicta sunt, propositione sua applicantur ad Consulta, & dicta Ministrorum gravium etiam paucorum. Iterumquia satis bonus, sciensque is Princeps esset, qoi haberet mentem, scientiam, cognitionemque non unius solùm, sed etiam plurium, Senatusq; integri, vel duorum; vel trium gravium Ministrorum; nihilq; desiderandum amplius videretur habito Principe adeò sciente, quiq, unus solus plurium mentem, scientiam, cognitionemq; æquaret. Ergo eorum rationem, & cognirionem, mentemq; suam faciens, & sequens satis bonus, sciensq; etit, non ergo peccabit. Atque hæc sufficianr in quæstione per consequentiam inducta; siquidem non de regimine Principis, de quo egregia opera edita sunt, sed de una consequentia per consequentiam tractamus.

§. II.

Hujus modi opinandi aliqua incommoda.

Consilium haud est hanc opinando viam ex instituto quatere, sed aliqua illius incommoda, absurdaque, quibus illius falsitas satis cuique innotescet, cursim delibare. Atque primum ex his, quæ de Principibus, Regibusve constiruebantur, idem per consequentiam sequitur de Episcopis, de Prælatis Religionum, de Patrefamiliàs, de Præfectis Provinciarum, & aliis; satis enim erit, si inferiorum aliorum, & Ministrorum dicta, consiliaque exequantur. Undè imprimis contra jus omne, & rationem nec digniores, nec digni quidem ad hæc suprema munia deligendi erunt, sed quilibet, ut dicemus qui suffragia numerate sciant, pares existent: Inferiores rursùs hos Ministros digniores esse oportebit; quorum scilicet ratione, & periria regimen constaret: atque postremò Principes, Episcopi, reliquique superiores quasi supremi non Rectores essent, sed exequutores mentis, rationisque inferiorum, & omnis inverterentur, & pedes capita fierent.

Prærereà hæc à peccato impunitas per Consilia Senatuum & Parlamentorum vel est solùm Christianorum Principum, atque inter eos catholicorum. Vel est omnium prorsùs Principum! Non sanè primum, quia fidei nullum simile privilegium, exemptionemve importat; quin sd majorem diligentiam, curamque Christiani obligator juxta illud: *Reges gentium dominantur eorum &c. Vos autem non sic.* Non item secundum; quia alioqui Tyranni persequutores Ecclesiæ sanctorumque occisores uon peccavissent, nam senatuum suorum, & Administrorum, atque Sacerdotum consulta secuti sunt. Neque est evasio ad miracola; quæ cuncta gentiles præstigiis tribuebant; & ut quæstione præc. dictum est, si Princeps in rebus omnibus aliis Senatus consulta prorsùs tutò exequitur, idem erit in judicio miraculorum; quorum discernendorum scientia minus Principem esse videtur. Nihil item peccarent. Reges Hæreticorum, qui parlamentorum suorum judicio & consilio Catholicam fidem proscribunt, & hæreses statuunt. Quinimò à fortiori argumentum convincit; quia minùs ad cognitionem, peritiamque Principum pertinere videntur causæ Religionis, quam pertineat cognitio rerum temporalium belli, pacis, triburorū meritorumqoe uniuscujusque. Et tamen in causa Religionis Gentium, Hæreticorumque principes peccarunt, & peccant Senatuum, ac Parlamentorum consilium sequendo; quidquid forsitam Recentiores aliqui contra fidelium quin etiā Doctorum Ecclesiæ communem sensum negaturi sint, excusaturique Dioclerianum, Maximianum, Constantium Julianum, humanique generis pestes alias. Ergo peccare à fortiori possunt in rebus aliis Senatuum, multo magis Ministrorum aliorum dicta Consiliaqne sequendo.

Undè patet, sufficiens illud non esse, quod cum causa aliqua spiritualis vel religionis emergit, Princeps, vel Ministri superiores manus mox suas lavare velint; & causam totam quasi non suam aliis committere,

eorumque sensa exequi. Nihil hoc ad impunitatem sufficit, & renentur diligentissimè videre, quibus illam committanr; & deindè ipsi etiam eorum fundamenta librare. Alioqui hos eodem modo evadere potuissent, atque manus lavare Tyranni, Regesque Hæreticorum dicendo, Theologia est, & Theologi viderint, nam nihil ad nos. Deindè hoc pacto, itaque approbata evasione, nullus unquàm Principum, vel Senatorum, nulla la uspiam fœmina, neque alius non Theologus, nisi conversis primum suis Theologis, seu qui in Theologorum loco apud eos sunt, converti legitimè potuisset, vel posset ad Evangelium, & ad Fidem: dixissent enim, dicerentque jure: istæ Theologiæ sunt, & ad Theologos, non ad nos pertinent: qua una evasione omnis Ministrorum Evangelii labor cassaretur, frustraretur que. Sunt ergo hæ evasiones dormire simul, & salvari volentium, & contra ipsas leges propagationis Evangelii, & fidei. Quamobrem, ut de hoc obiter doleam, frustra laicorum multi, cum istas de probabilibus, atque salutis via controversias vident quasi non de sua, sed de Theologorum salute tractaretur, aut de conscientia hominum alterius mundi foras omninò exeunt, & negligunt; cum interea eorum plures non solum his satis intelligendis causis, sed ipsis etiam Mathematicis demonstrationibus, difficillimisque aliis negotiis penetrandis pares existant. Sed jacet planè nimis, jacet anima, & conscientia; & quidlibet pro ea sufficit.

Sed ut ad institutum redeam, Principes hoc solo immunes à peccato esse nequeunt, quod consilii, Parlamenti, Ministrorumve consultationem sequantur: alioquin enim fieret, Principum omnium bella esse justa, & honesta formaliter; quod enim materialiter talia non sint, nihil eorum interest magis, quam volare, ut ajunt, passeres, ut par. 1. lib. 1. semel, & iterum ostensum est. Etenim ut exempla potentissimorum Regum, qui bellis suis universam pœnè Europam toties involvunt, rem declarem, nunquam Reges Galliarum bella ulla moverunt, moventve absque Consiliorum, Parlamentorum, Ministrorumque multorum approbatione. Nullum ergo numquàm moverunt, moventve bellum nisi formaliter justum, & honestum. Fatuum porrò foret, si nos Hispani diceremus, Galliarum quidem Reges Parlamenta sua sequêdo peccare posse nostros autem non posse Consilia sua, Ministrosque sectando; aut Galli dicerent, Regibus suis esse conscientiæ regulas indefectibiles Parlamenta sua; nostris autem non consilia nostra. Rex itaque istæ tales sunt, in quibus unaquæque pars, quantum usurpat sibi, tantum tribuere debeat adversario, & ubi causam suam agere videtur, agat magis sæpè contra se, hostique suo concedat jus, & impunitatem, se invadendo.

Nemo porrò est, qui quando bella moventur, non improbet impunitatem, præservationemque istam; atque libros etiam statim edunt contra injustitiam partis adversæ. Semel ergo sciendum esset, statuendumque, quæ sit intentio uniuscujusq; partium, num ostendere injustitiam materialem conjunctam tamen cum formali justitia, omnique morum, & belli honestate; num contra ostendere injustitiam formalem, & inhonestatem? Primum vanum quidpiam est, & quod neque aliorum interest, ut sæpè commonstratum est; quin ubi adest probabile, uti adest in autoritate Parlamenti, vel Consilii, gravissiorumque Ministrorum, leges, inquiunt, satis promulgatæ non sunt: ergo neque materiali injustitia ulla committitur. Intendunt ergo ostendere, partem adversam inique agere, injusteque vel urbes possidere, vel bellum movere. At adest autoritas Parlamenti, vel Consilii; atque hoc scit, & supponit unaquæque pars: Ergo supponit, non obstante autoritate, & approbatione Parlamenti, vel Consilii inique agi, injusteque urbes retineri, aut bellum moveri. Atque hoc, quod in bello, quæ clades maxima Regnorum est, declaravimus, in tributis, in gabellis, universoque regimine eodem modo contra sensum omnium est; ubi enim à recto, justoque deficitur, omnes obmurmurant, de actibus autem solum materialiter, vel nec sic quidem malis, formaliter verò, & absolutè rectis, & honestis obmurmurare deberet nemo, sed magis Deum, Principesque laudare. Sensus ergo communis, naturalisque hominum, quo ex loco Aristoteles omnem pænè suam moralem Philosophiam deprompsit, atque probavit, Principes male re ipsa gubernantes, & à recto, justoque re vera deficientes excusatos non censet, & si Consiliarios approbatores habeat, ut habent omnes, eosque sequatur.

Denuò quia hoc pacto omnia confunduntur, & pervertuntur; & ut dicebatur, capita in pedes, & è contra convertuntur, ac Regibus, & Principibus solum nomen sine re relinquitur, si hoc sit rectè gubernare, hæc eorum obligatio, aliorum quippè sensa, & consilia sequi, & exesiui. Frustra etiam scriptum esset Eccl. 10. *Væ terra, cujus Rex puer est*; nam si Regis hoc unum sit, numerare scilicet Consiliorum suffragia, & nihil præterea ipsi per se intelligere, scireq; tenentur, puer, & ineptus quisque ad regendum planè sufficeret: nec in Regnis electicis inspiciendum esset, quis in Regem eligeretur, modo velit senatus consulta prosequi. Nihil etiam Roboam deliquisset; nam quod seniorum Consilium post habuerit, & adolescentes secutus sit, excusare ex eo poterat, quod senes plerumque nimis sint timidi. Denuò Consiliarios ipsos Princeps ipse delegit: si ergo illi apti non sint, in ipsum potius eorum defectus resolvitur. Quod si dicas, Principem eos delegisse aliorum priorum Ministrorum sequendo consulta; ad primos tandem Ministros deveniendum est, quos Princeps aliquis delegit: his ergo tenebatur scire, quales eligeret: ergo tenentur omnes; nam eadem, parque est quod hoc Principum succedentium autoritas, & obligatio.

Principum itaque oculi, aures, mentesque sunt quidem Ministri, & consiliarii, sed non tanquam stipitum, sed tanquam primi moventis, & quibus oculis videant Principes etiam ipsi, quibus auribus audiant menteque intelligant; & insuper etiam sua: & sicut ratio est in homine, sic Princeps est in Regno, & sicut rationis est, errores sequi contingunt sensuum corrigere, & rationis superioris rationem inferiorem dirigere, sic Princeps est velut anima, & ratio superior Regni, cujus sit omnium inferiorum Consiliorum rationem, sensum, consiliaque dirigere, ut pote habentis omnium oculos, aures, & mentem. Atque hoc ita est in omni multitudine ordinata, in domo in civitate, in navi, in exercito, & in arte qualibet: est enim aliquod

primum

primùm, cujus non sit ordinari, dirigi, sequi, sed ordinare, dirigere, præireque autoritate, & ratione, ut in domo Paterfamiliâs, Prætor in civitate, Dux in exercitu, & sic in aliis; qui proindè & dignior esse debet: quæ longiori oratione prosequi, propositi præsentis non est.

Idcirco severe scriptum est: *& nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram &c. apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Salomon quoque Rex hanc Regum obligationem sanè intelligens 3. Reg. 3. ut populum regeret, cor docile, ac boni, & mali discretionem a Domino deprecatus est. *Placuit ergo sermo coram Domino: & dixit Dominus ad Salomonem; quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium; ecce feci tibi secundum sermones tuos &c.* Vana porrò ista forent, Vana etiam, quæ in lib. sap. idem Salomon pro sapientia, ejusque necessitate commemorat, si Principum non esset discernere judicia, ac inter malum, bonumque Regni distinguere; sed clausis, ut dicebatur, oculis, aliorum consilia sectari, subscribere, & decernere, quod utrum bonum, malumve sit, ipsi nesciant. Non ergo quies, sed immensus quidam labor, applicatio, & diligentia de obligatione Regum est, & horrerent planè, si onus suum, quantum sit, satis intelligerent. Clamet ergo ad eos Sapientia ipsa c. 6. *audite ergo Reges; discite judices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, & interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis Ministri Regni illius, non rectè judicastis; neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet &c.* Et paulò post. *Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam.* Quid plura: Neque adulatio sanè ulla adversus ista prævalebit. Gaudeant planè, & pauperes opprimant sed citò apparebit, nec Regibus solis, neque Ministris solis, sed utrisque durissimum judicium fiet; & conceptio ipsa naturalia satis statuit, periculosa esse ista munera, & facilius fortè est, viginti simul agricolas, quàm Regem unum salvari. Non ergo valet, constatque illud ex autoritate consiliariorum quæsitum salvum conductum & indemnitas.

Quarè jure illustris Arauso quæst. mor. select. tract. 1. quæst. 8. in append. num. 44. inquit, neque Principem ab hujusmodi piaculo excusat vulgaris sententia dicentium, damna, & vitia Regiminis, non Principi, sed ejus Administris, & Consiliatiis fore imputanda &c. non inquam, hæc excusatio, licet vulgaris ei prodest, eò, quod ipse non subest, sed præest &c. Hæc ille, ubi de confessariis Principum latè disserit, atque inter alia ex lege Regni demonstrat, quantus esse debeat confessarius quisque Regis, quod omnium pessuaso confirmat. At frustra hoc esset, si Reges totum regimen, ejus causas, & rationes, à conscientia sua abjicere, & in consiliariorum conscientiam rejicere possent. Non ergo possunt. Atque Dæmon (proculdubiò in Regnorum exitium, Principumque etiam ipsorum permitiem hanc dormiendi, negligendique viam excogitavit, atque in mundum invexit.

§. III.

Illatio in quæstione facta commonstratur.

Illatio fuit, quod de Magistris morum, & conscientiæ ostensum fuerat, tenere à fortiori de consiliis, Parlamentis, Consiliariis, Ministris que Principum; & quemadmodum Doctores, Magistrosque sequendo peccare, & damnari homines possunt, ita peccare, damnarique posse Principes sequendo Consiliarios suos, & Parlamenta. Quæ sanè illatio id deducit, quod omnes valdè exoptant, ut scilicet Principes laborent plurimum etiam ipsi per se, credantque non Regna propter ipsos, sed ipsos propter Regna, ejusque bonum datos, constitutosque esse.

Illatio ostenditur sic. Facilius est vitium, & peccarum in quacumque arte incurrere eos sequendo, qui artis ejus neque periti, neque professores quidem sunt, quam sequendo vel peritos, vel saltem professores proprios artis. At Doctores, & Magistri morum, & conscientiæ sunt vel periti, vel saltem professores proprii artis non peccandi, & honestè operandi; Consilia autem, & Parlamenta, & Consiliarii, & Administri neque periti, neque professores quidem ejus artis sunt. Facilius ergo est hos, illos, quam sequendo peccare. Ergo quod de illis habitum est, eos sequendo peccare, & damnari homines posse tenet à fortiori de consiliis, Parlamentisque, & de Consiliariis, & Ministris. Confirmatur. Nam ideò Magistros morum sequendo peccare possumus; quia non omnes Magistri morum boni Magistri sunt, sed alii boni, & alii mali etiam qua Magistri; quemadmodum in artibus, officiisque cæteris omnibus; & par est est stultitia dicere omnes Magistros morum esse bonos Magistros, atque dicere, omnes logicos, & omnes medicos, & omnes christianos, esse bonos logicos, bonos medicos bonosq; christianos. Et præterea ipsi etiā boni possunt nō esse boni semper & in omnibus. Sed hæc eadem ad litteram, & de consiliariis, & Ministris. Ergo hos sequendo peccare, damnarique Principes possunt.

Exponitur. Magna profectò inscitia esse videtur existimare, in ulla arte bonos, & malos illius professores pares esse quoad effectum, finemque proprium ejusdem artis: hoc enim statim destruit positionem ipsam, quod alio mali sint: nam ut artium omnium scientiarum, officiorum, & instrumentorum indefectibili inductione constat, nullus in ulla arte malus est nullum instrumentum, medium prorsus nullum malum, vel ineptum, si ille perindè, atque bonus effectus, & finis proprius artis, vel officii, vel negotii, obtinetur; & ratio à priori est etiam evidentissima, nam omnia, quæ propter aliud sunt, bona, vel mala redduntur, & sunt, quia eis aliud obtinetur, vel non obtinetur; & minus bona, vel mala, quia minus bene, vel minus male finis proprius consequitur. Quod totum ex coquis incipiendo ubique planè verum est. At posuimus; quod negari cordate nequit, non magis omnes magistros morum esse bonos Magistros, quam logici omnes, & Medici, & Christiani sint boni. Ergo illi pares bonis non sunt quoad finem proprii artis, qui est innescientia à peccato, & honestas morū. Sed similiter in dubitatū est, non omnes

Consiliarios esse bonos consiliarios, & alios esse in expertos, alios ineptos; amore etiam, vel odio duci alios, arripi alios ambitione, placendique æstu, & quærere, quæ sua sunt, non, quæ Jesu Christi, vel Regni, ut autoritate nequit obtinere innescientia, & rectitudo conscientiæ Principis.

Iterùm quia conscientia Principis est recta vel non recta ex recto, vel non recto Regimine; nam conscientia Regis quâ Regis est respectiva ad regimen, etsi rectè quidem regit, recta est qua talis; sin autem malè regit, est conscientia erronea, & solùm quæstio supererit, num ab ignorantia invincibili excusari possit, de quo mox. At ex malorum Ministrorum consilio, aut ex bonorum etiam malo consilio non resultat rectum regimen; Ergo neque recta conscientia. At neque ignorantiam invincibilem semper fallet, & necessario sequi ostensum est suprà de Magnis. Ergo perindè dictu est, Conciliariorum, Ministrorumque dicto Principis conscientiam immunem à peccato, & rectum etiam esse, atque dicere regimen esse rectum? & vanum prorsus est, velle avellere conscientiam ab ipso regimine recto, vel non recto, & Regem quoad cætera quidem Regem esse; quoad conscientiam verò non aliud, quam privatum aliquem esse; quemadmodum in officiis reliquis cernitur, & in vendente, & emente, in nautis, operariis, &c.

Rursùs prætensa ista immunitas perindè est, atque si Principes vellent in quocunque morbo sanabili sanandos esse se à quibuslibet Medicis bonis; & malis: & à bonis ipsis etiam si erraverint. Hoc sanè, & cætera quæque ad vitam istam pertinentia audita facilè credunt vel Principes, vel reliqui, sed ubi de anima est quæstio, cuncta confundunt, & bonos, & malos, Medicos, & consiliarios animæ, vel regiminis æquant. at. ostensum est nuper, sic in ipsis terminis implicare, bonos, & malos Magistros morum, & similiter bonos & malos consiliarios esse pares quoad finem suarum artium conscientiæ, & regiminis; atque medicos bonos, & malos pares constituere ad curationem. Ergo sicut ex malorum medicorum ignorantia, vel ex bonorum etiam errore victurus alioqui princeps obire potest, ita etiam peccare, vel damnari & malorum Ministrorum ignorantia, vel ex bonorum etiam errore, & habito etiam senatus consulto, sicut habito medicorum collegio, judicioque: nam neque senatibus ipsis integris hoc privilegium ab eo promissum est, qui concedere potest. Præjudicat autem opinio contraria plusquam dici possit, & Regno, & quibusque bonis Ministris; nam contra Lumen ipsum rationis æquat, confunditque omnes sicut Magistros morum, & quo Principum conscientia dormiat, & ubi id quibuslibet eadem, & totalis quædam securitas promittitur, nihil bonos inquirunt.

Dices, hoc illam sequi in nostra sententia; nam bonos etiam sequendo peccare Principes possunt. Sed certè ex nostra sententia ea solùm sequutus, quæ boni omnes desiderant. Fatemur quidem, bonos etiam consiliarios, quin senatum quoque integrum sequendo peccari posse, at eo hoc difficilius est, & rarius quo meliores consiliarii fuerunt, & ex bonis, quo plures, & senatus integer bonorum quasi supremum gradum difficultatis ponit. Atque hoc eodem ordine tenetur, obligaturque graviter Princeps bonos malis, meliores minus bonis, & plures paucioribus anteferre; quemadmodum latè par. 1. de Doctoribus ostensum est. Tenetur etiam eos nosse, & dignoscere, sed quoniam ut diximus, ipse omnium oculis, auribus, menteque intelligere, audire, videreque debet, ac præterea per se ipsum etiam scire, potest aliquandò, vel raro, vel sæpè meliorem cognitionem habere: atque tunc istam contrà consiliarios sequi debet: at si eam non habuerit, tenetur eorum consulta sequi dicto ordine bonos malis, meliores minus bonis, pluresque paucioribus præferendo; neque quia Rex est, invertere ordinem potest, & si v. g. Senatus, vel Consilium ex officio proponit quem nunquam digniorem ad Episcopatum, vel Præfecturam, & alium tamquam eo inferiorem secundo loco nominat, nequit Princeps, quia vult & ex autoritate secundum eligere: Sin verò ipse aliundè sciret, eum secundo loco nominatum, aut alium omninò prætermissum esse digniorem, tenetur etiam istum præponere, ut denuò exponemus.

Itaque ut ad propositum redeamus, prorsùs illud vanum est, quod multi multis latissimè persuaserunt, hoc interesse inter Medicos corporis, & animæ, & Ministros regiminis, quod ex Medicorum quidem corporis errore æger etiam Princeps pereat: error autem Medicorum animæ, vel Conciliariorum nihil Principi, vel aliorum animæ noceat. Hujus dicti patienrissima falsitas constat satis ex superioribus quæstionibus; & hoc est, quod plurimo in rebus animæ, & principes in regimine ad extremam quamdam negligentiam induxit; Hoc, quod contra terminos ipsos æquavit, & confundic bonos, & malos: cumque nulla prorsùs sit ars, in qua contrarium non cernatur, in hac una salutis animæ negligendi, dormiendique facultatem cunctis concedere placuit, Cujus planè erroris is alius error origo fuit quod iidem illi sustulerint re ipsa peccata ignorātiæ omnia: quāquam ignorantia eorum, qui sic omnia confundunt, vix ignorantia sit, vel sit saltem valdè affectata.

§. IV.

Nulla est ergo regula indefectibilis conscientiæ, quod non sit regula indefectibilis veritatis ergo neque Parlamenta, vel Consilia.

HÆc nobis ad omne capitalis ratio est quibus alia præter veritatem regula conscientiæ non admittitur, ut suprà de Magistris declaratum fuit. Ideò enim Magistri morum regula indefectibilis conscientiæ non sunt, sed eos etiam multi ab errare à veritate possunt. Sed consiliarii etiam possunt, & Parlamenta possunt, & consilia possunt, ergo regula indefectibilis conscientia non sunt. Quod porrò ratio indefectibilis regulæ, & ratio indefectibilis veritatis una sit, ex eo sæpè demonstravimus, quo in his sermo sit de regula secundaria, & subordinata: omnis autem regula secundaria & subordinata, in tantum est indefectibilis, in quantum indefectibiliter

liter concordit cum prima, & suprema regula legis Dei: ergo in quantum indefectibilrer concordat cum veritate: nam omne concordans re ipsa cum lege Dei necessario verum est, & cum veritate concordat, ut patet. Cum igitur, sicut Magistri, ita etiam Consiliarii à veritate, & à prima regula aberrare possint, & Deo contraria consolere, frustra in eis indefectibilis ulla regula inquiritur. Quod planè rem satis intelligentibus aliud non est, quam si diceremus, horologia quidem nostra aberrare posse à motu solis; & tamen ea esse regulas indefectibiles horarum.

Recurrunt jam ad ignorantiam invincibilem ex qua deindè rectam aliam regulam mox per reflexas compingant: & mirum est, quod hoc tam ingenioso artificio omnia etiam mala horologia bona non effecerint, & eodem cum bonis pretio non vendantur: Sicut Magistri boni, & mali &, vera, & falsa consilia exæquata sunt. Jam itaque de Magistris suprà ostensum, est, ex eorum dicto non sequi necessario ignorantiam ipsos sequentium esse invincibilem. Ergo neque ex dicto consiliatiorum ignorantia Principis necessariò invincibilis efficitur. Alioqui ut §. 2. differebamus, ignorantiæ Tyrannorum, qui Ecclesiam persecuti sunt: Principum item hæreticorum Parlamentorum suorum autoritatem sequentium ignorantia invincibilis pariter esse; & sic ingeniosum reflexarum artificium rescriverint, mox ex ignorantia rectissimam etiam conscientiam firmabunt. Oculos scilicet, & sensum communem nobis numquam eripient: nec negare possumus, hoc fuisse, & tantæ apud ipsos autoritatis Tyrannis olim senatum Romanum; & hoc nunc esse serenissimo magnæ Britanniæ Regi Parlamentum suum; quod Regi Christianissimo suum: & Regibus nostris consilia sua: & quemadmodum ulrrò quidem reflexas struunt, & per voces *prudē ter, & prudentes* omnia cohonestant, eisdem illi uti potuerunt, & possunt; nam consiliarii illi, & senatores in causa religionis nobis quidem imprudentes sunt: sed sibi non sunt. Neque interest, causas esse religionis, nam ad ejus cognitionem, ad eamque di judicandam Principes aptiores non sunt. Ergo ex dicto Parlamenti, & consilii ignorantia Principis necessario invincibilis non efficitur.

Nullam itaque aliam nos de his Theologiam scimus præter eam, quam ubi de fide tractamus, omnes dicimus, & docemus, & retinenda sæpè fateor ubi de moribus disputatur. Discimus, & dicimus ibi omnes, in doctrina, materiaque fidei, morum & cultus Ecclesiastici aliam in terris visibilem, indefectibilemque regulam reduri tam nobis haud esse præter Ecclesiam ipsam, tripliciter, ut plerique & verè docent, acceptam, scilicet vel in se tota, vel in suis capitibus, id est, in Concilio Generali legitimo; Vel in suo supremo interris Capite Romano Pontifice, & si alii non nisi dupliciter accipere eam velint, nec aliter infallibilitatem ullam, indefectibilemque concedant quo de in præsentia non disputamus.

Hinc nullus ibi dubitat Concilia etiam Provincialia, & nationalia regulas indefectibiles non esse; neque item plenaria non legitima mille etiam Episcoporum, ut suprà datis exemplis ostensum est. De Parlamentis porrò, & consiliis, & de multis etiam Theologis, & Ministris nemo ibi mentionem facit, neque ista digna sunt, quæ ibi in disputationem admittatur. Sciunt nimirum omnes, multa etiam Concilia non legitima erravisse in ea, quæ proprior ipsorum videbatur, causa; sciunt item Consilia, & Parlamenta defecisse; leges etiam multas Principum ab Ecclesia correctas, vel improbatas fuisse; Sanctum Thomam Cantuariensem in Regno etiam tunc Orthodoxo Regi & Parlamento ab errantri obstitisse, ac verè Martyrem extitisse: Martyres demum Dei suis plerosque Principibus, eorumque consiliis repugnasse, ac pro Christo obiisse. Ergo in his nulla superest indefectibilis regula conscientiæ, nec honestatis nec impunitatis à peccato.

Neque verò eo loci distinguit quisquam, & dicit, Ecclesiam solam modo dicto esse unicam visibilem regulam indefectibilem honestatis fidei, & morum, quasi positivam, hoc est, rectè credendi, & operandi, at superesse etiam alias indefectibiles visibiles regulas quasi negativas non peccati, & non damnationis per ignorantiam necessario invincibilem; & hujusmodi esse Parlamenta, & Consilia; quin & Theologum quemque, ut vocant gravem. Hæc, inquam, ibi nemo distinguit, & dicit. Sæpè deindè contra sunt, & evidentissimè falsa, & omnis Theologiæ umbræ expertia; sunt præterea implicantia; nam qui hoc dicere possunt, statim per reflexas ex ignorantia invincibili, & non peccato indefectibiles regulas positivas honestatis construunt. Deindè eisdem prorsus principiis, & eadem notorietate factorum constat, nullam præter Ecclesiam nobis relictam esse regulam visibilem indefectibilem, non peccati, & non damnationis, quibus constat, eam solam esse regulam visibilem indefectibilem honestatis; quod sæpè ostensum est; & certè si homines, regnaque alias præter Ecclesiam nanciscerentur quasi negativas indefectibiles regulas non peccati, & non damnationis, parùm judicium Ecclesiæ curarent: & Ecclesia erecta fuisset, eique concessa indefectibilitas non ad simpliciter esse salutis hominum sed ad melius esse; ut scilicet non habeant, non undè vitare peccata, & damnationem possent, quod jam aliundè habent, sed rectè præterea operari. Quæ omnia commenta sunt, & à primis Theologicis elementis exerrant.

Infestamus jam. Ergo Ecclesia sola, quæ sola est indefectibilis in veritate, est columna, & firmamentum veritatis, & indefectilis in regulando, sive quoad honestatem morum, sive quoad indemnitatem à peccato. Non ergo Parlamenta, neque consilia, neque quidpiam in terris aliud. Ergo Princeps in materia belli, & pacis; in imponendis tributis, in justitia distributiva, reliquoque regimine peccare, damnarique potest eorum dicta sequendo: quemadmodum peccavit Henricus 8. Angliæ Rex legitimam uxorem repudiando; peccaruntque olim Reges nostri suos tunc Arrianos Episcopos sequendo, & peccavit sceleStissimè Leovigildus ex eorum consilio, & autoritate Hermenegildum occidendo. Hæretici, inquis, erant. Sed sæpè respondi ex Salviano; verè erant, & nobis sunt, sed sibi non erant. Sic etiam peccant sæpè tam facilè bella ex quocunque umbratili jure movendo. Consiliarios, inquis, habent, & Academias habent. Respondemus, neque consi-

liarii, neque Academiæ indefectibiles morum regulæ sunt. Undè jure Christianus ille Historicus Philippus cominæcus notat, & plorat exiguam planè esse fidem inferni: nam cum passim Principes Principibus arces, urbes, & provincias vi auferant, nullam unquam metu inferni vidimus restitui: non ergo credunt, inquit ille, se damnandos nisi restituant: quod exemplo illustri declarat: stupor autem est existimare, omnia bella justè moveri, & si plurimi consiliarii consentiant.

Ex his itaque faciemus Syllogismum. Implicat Ecclesiam solam modo dicto esse visibilem indefectibilem regulam in materia morum, & aliud simul præter Ecclesiam esse visibilem indefectibilem regulam, ut est evidens. Sed sola Ecclesia modo dicto est visibilis indefectibilis regula in materia morum ergo implicat, aliud simul, præter Ecclesiam esse visibilem indefectibilem regulam. Sed aliud sunt Parlamenta, aliud Consilia, & Consiliarii, & Ministri. Implicat ergo, horum quidpiam esse visibilem regulam indefectibilem. Sed regulas defectibiles sequendo peccari potest. Ergo Parlamenta, & Consilia, & Consiliarios, & Ministros sequendo peccari potest. Atque hoc Syllogismo probabilistæ à causis reflexarum in apertum educantur: Vel dicant, aliud præter Ecclesiam artificio reflexarum esse visibilem indefectibilem regulam; & ipsas defectibiles regulas eo artificio converti in indefectibiles; quo posito, nulla superest appellatio, nulla subjectio ad Ecclesiam: nam æqualiter indefectibile æqualiter indefectibili subjectum non est, nec ex regula indefectibili superest appellatio. Et quid, quæso, simili artificio reflexo sanctos etiam non canonizant, & indefectibiles se regulas effingunt cultus omnis, & adorationis? & siquidem re ipsa error committatur, error sit materialis; cultus autem, & adoratio sit formaliter indefectibiliter honesta beneficio reflexarum, quæ per voces *prudenter*, & *prudentes* eodem modo fabricari possent; Ubi videt quisque his opinandi modis quati ipsa prima fundamenta Ecclesiæ. Etenim in Ecclesia Dei haud minus exploratum est, eam solam esse indefectibilem visibilem regulam in materia morum, quam ipsam solam esse indefectibilem regulam visibilem in materia cultus, & adorationis. At temporum planè calamitate inductæ sunt aliæ visibiles indefectibiles regulæ morum artificio reflexarum: ex quo omnis error materialis, & impertinens fit, nihilq; sanctitati morum deroget. Quod ergo ergo superest, nisi ut idem ad cultum transferatur, & omnes, quos salvos factos esse probabile fuerit, indefectibilibus reflexis cultu formaliter sancto colamus; atque inde Parlamentis, & conciliariis consequenter idem jus adscribamus, & Ecclesiam evertamus, ò Deus!

§. V.

Ad fundamenta §. 1. adducta respondetur.

Quamquam probè sciam, disputationem esse inter logicos, num primò rationes dubitãdi ponẽdę sint atq; ponendas esse ratio, & autoritas, praxisq; S. Th. ac aliorum magnorum virorum statuat, rarò tamen morem istum secutus sum, qui breviori scribendi generi magis congruat, neque eo S. Thomas usus est contra gentes. Cum enim longior, prolixiorque est scribendi ratio, ubi ad finem ventum fuerit, memoria vix ulla superest argumentorum objectorum: quarè vel denuò resumenda sunt, & bis idem faciendum; vel evolvendo denuò paginas relegenda iterùm argumenta, ut solutiones intelligantur; qui sanè nimii implexus labor esse videtur. Quæstionum tamen natura, & modus coëgit nos ad id aliquando.

Imprimis itaque ab Autoritate, quam sibi aliqui Theologi assumpserunt arguebatur fore, ut jure eodem senatus, & Parlamenta, & graves quique conciliarii sint Principibus indemnitas à peccato. Verùm cum nos eam autoritatem Theologis, & Magistris morum minimè tribuamus, sed asseverantissimè denegemus, à forriori, ut §. 2. argumentati sumus, neganda ea est Parlamentis, & Consiliis. Neque propterea Principes ad impossibile, sed ad maximum laborem, & crucem, ut veritas præscribit, bonique omnes vellent, obligamus: ex quorum scilicet desidia Regna sæpè ipsa pereunt, atque subditi opprimuntur, ac sequitur series quædam immensa malorum, & etiam scelerum.

Dicebant Principes sæpè non præstare privatis amplitudine mentis, rationisque virtute: quin neque æquos eos aliquandò; quarè si privati ad ipsam re ipsa sciendam, veritatem non tenentur, sed satis eis sunt aliorum consilia, multò magis sufficient Principibus consilia Ministrorum. Respondemus, sæpè certè Principes haud præstare cæteris magnitudine mentis: tamen tum ipsis, tum cæteris unam re ipsa veritatem esse regulam; & mala consilia sequendo peccare utrosque posse, ut ostensum est. Quo verò ineptiores fuerint, eò magis renentur laborare, atque diligentia, Ministrorumque delectu supplere defectum. Quod si impotentia rationis, vel ęgritudine, vel serio labori, & regimini par Princeps non est, ubi moris est, imperii socium; ubi id non permittitur; primum aliquem, ut vocant; Administrum constituere debent, nec Regnum regimine, primoque movente destituere potest magis, quam Dux exercitum, vel nauclerus navim. Utrum verò multis simul æque primis regimen committere possit, & Monarchiam cum Aristocratia, vel Democratia ad tempus confundere, nihil nunc ad nos,

Addebant, materiam potissimam à Regibus sciendam esse facta, ut §. 1. explicatum est: facta autem esse multò scitu difficiliora, quam jus. Respondemus, verum hoc quidem esse; & tamen veritatem esse regulam etiam circa facta, nec sufficere illud probabile quodlatissimè dominatur nihil eum veritate connexum: quo scilicet probabili regimen universum evertere

tur.

tur. Etenim hoc probabili vix ullus est in Regno non bonus, nullus non malus; & similiter dignior, & indignus, & omnia prorsùa confunduntur, & arbitrio, &, libidini potentiorum cuncta relinquuntur. Quis scilicet in Regno est multis primus, ad Episcopatum, ad Præfecturam, ad Senatum, & bellum, qui idem aliis multis nec dignus quidam censeatur: atque omnes habent laudatores, & vituperatores; & his probabilitatibus pro, & contra scatent regna, & aulæ. Hæc sanè via malis, & indignis omnibus desideranda est, qui scilicet hoc modo probabiliter boni sunt; timenda verò bonis, & præstantissimis quibusque, qui aliorum sæpè aliquorum dicto mali, & indigni sunt. Amore ergo, & odio fervent regna, & æstuant quam maximè aulæ: qui amor, & odium, hinc, & hinc pro, & contra quamlibet bicipites istas probabilitates parturiunt: etsi hæc est regula, dormire Principes possunt, & eligere quemlibet ad quidlibet; neque rationum usitatæ umbræ, approbatoresque deerunt.

Singulorum ergo, & Regni totius interest, Principes teneri ad ipsam re ipsa sciendam veritatem, dignosque, & digniores verè tales agnoscendos. Quod porrò materia factorum scitu difficilior sit, duo probat; primum, non quidam Principem ideò negligere, sed potius magis laborare, vigilareque debere: & quemadmodum qui justitiam commutativam administrant, libris vacare tenentur, legesque, & jurisconsultos nosse; ita justitiam distributivam, legalemque administrantium libri sunt facta, & notitia, & cognitio eorum; cui notitiæ, cognitionique veræ comparandæ diligentissimè studere haud dubiè tenentur; nec satisfaciunt, si quos digniores etiam putant, consultent, aut eligant, si diligentissimè veritatem non indagarunt: sæpè enim ex eorum omissione indignis re ipsa consultis plurimæ animæ pereunt, Provinciæque opprimuntur. Alterum est, quod post debitam, verum sciendi diligentiam adhibitam quæ certò taxari non potest, facilius, & frequentius admittendæ sint ignorantiæ invincibiles, quibus Princeps, & Consiliarii non quidem rectè agant, sed à culpa excusantur: rectè scilicet Philosophus 7. Polit. 1. tanquam notum supponit, impossibile esse *eos benè agere, qui bona non agunt*: bona quidem malè agi possunt; at mala benè non possunt, ut benè mentiri, aut perjurare.

Postremò dicebant, perturbari, invertique omnem rectè gubernandi rationem, si Princeps Consilia, & Parlamenta sectando peccare potest; nam tunc quandò scilicet peccaret, tenebatur contrarium agere: ex quo primum senatuum consulta contemnentur; & deindè non apparet, quam tunc meliorem rationem sequi Princeps possit; non enim suam, quæ unius est; neque aliorum, qui Integri consilii judicio, rationique sanè non præstant; atque alia ibi objecta sunt: illudque demùm additum, oculos, aures, rationemque Consiliariorum, & Ministrorum esse oculos, aures, rationemque Principis: satis ergo est, quod his oculis, auribus, rationeque utatur, & discernat.

Ad hæc omnia respondemus, unicam rectè gubernandi rationem esse rectam rationem, Consiliorum autem, & Parlamentorum rationem non esse, ut est ostensum, indefectibiliter rectum, sed approbare, consulereque posse iniqua bella, injusta tributa, & alia minimè bona. Consiliis itaque non subest, sed præest Princeps; cujus proindè non sit eorum sequi rationem, sed de ea, & super eam judicare. Atque ad hunc finem habet oculos, aures, mentemque Consiliariorum; prætereà etiam aliorum; & prætereà etiam suam, non quibus alii intelligant, & non ipse, sed quibus videat, audiat, intelligatque ipse; & sicut autoritate, sic etiam cognitione præstet, neque obedientium ad instar clausis oculis, cæceque sequatur, sed præcedat; eisdemque prorsùs terminis autoritas, rectaque ratio clauduntur, neque Legitima autoritas esse potest, quæ, & ubi limites rectæ rationi transgreditur. Ubi igitur Senatus, Parlamentumve deficeret, alibi rectam rationem quærere, invenireque debet; & si quod, & quantum tenetur, quærat, vel inveniet, vel ignorantia invincibili excusabitur, sicut dictum est. Atq; ex his patet solutio ad reliqua §. 1. ponderata. Sin verò Princeps munus suum explere nolit, sed torpere, aliorumque omnino ratione tanquam inanime quidpiam regere, minùs malè aget, si semper, clausisque oculis Consiliorum communem sententiam sequatur; quam horum, vel illorum, quorum rationem meliorem esse non novit: & si novit, deberet eos consiliis adjungere.

Quod itaque de conscientia universim constitutum est de scientiis particularibus Principum, Ministrorum, Prælatorum, & reliquorum qua talium tenendum est. Reflexæ imprimis omnes, quibus absque ipsarum cura conscientiam formare volunt, relinquendæ sunt. Dein, assumendam ex fida, de omni actu, vel omissione nostra, de verbo etiam otioso nos directè rationem redituros. Reddent ergo Reges directè de omnibus, & singulis electionibus, & decretis & non decretis, & actibus, & omissionibus. quibus constitutis, universalis ratio conscientiæ est, ut nihil imprimis agamus, absque dictamine rationis, non aliorum, sed etiam nostro, & sive præter, sive contra dictamen istud agamus, vel omittamus sanè peccamus. Dictarum verò de hoc esse debet, num quod agere volumus, vel omittere, bonum sit, an malum, an indifferens: & Princeps dictamen facere debet, & ipsa sua ratione judicare, tributa v. g. vel bella ista, quæ discernit, esse justa; hunc episcopatum eligit, esse digniorem. Habuerit decem Ministrorum consulta. Si vi eorum ipse non judicat, eum esse digniorem, absque dictamine rationis, & conscientiæ operatur, & peccat. Hoc dictamen formare nequit Princeps per Consultationes quorumlibet, sed scire debet, qualis quantique illi sint, sicut de Magistris, & Doctoribus fusè ostensum est, & eadem hic tenenda sunt. Vel ergo putat, sibi vera proponi, & probare debet, vel putat falsa proponi; & tunc reprobare debet; vel nescit? & tunc operari non potest absque ulteriori inquisitione; nam operatur absque dictamine suo. Postquam autem de omnibus, & singulis dictamen fecit, quæstio superest de peccatis ignorantiæ: & sicut de conscientia universim, ita de conscientia Regis qua Regis, seu de regia conscientia philosophandum est, & videndum, utrum negligentia, amor, odium, culpave alia per se causa fuerit suæ ignorantiæ, & erroris.

QUÆST.

QUÆSTIO VIII.

Utrum ergo Magistri omnes Theologiæ, maximè verò morum graviter ad veritatem ipsam docendam obligati sint? nec satis faciant per probabile?

NUnc clarissimè apparebit, cur à Jacobo Apostolo tam severè scriptum sit, *nolite plures fieri Magistri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis*: Vix enim aliqui putant, se damnari posse propter Magisteria malè administrata, & officiorum, ut nuper de Principibus, eorumque Administris disserebamus, sæpè conscientia nulla formatur. Indè etiam, quamquam magnam Magistrorum multitudinem mala qualitas ut S. Thomas advertebat, frequenter consequatur, pauci tamen timent esse Magistri. Nunc ergo, cum ex Magistrorum præsertim morum, & conscientiæ rectitudine, rectitudo etiam reliquorum statuum Ecclesiæ, ut jam annotavimus, plurimum pendeat, & sale infatuato reliquus populus corrumpitur, ostendendum, est modis omnibus, quanta sit, quamque gravis Magistrorum Theologiæ, maximè verò morum ad ipsam rerum ipsarum agnoscendam, tradendamque veritatem obligatio.

§. I.

Quid hac in re visum sit Theologis.

NIsi certè probabilia regnum pænè omne occupassent, vix hic ulla superesset quæstio: nam verum & falsum in quæstione remansissent & omnea pro vero contra falsum sententiam planè dixissent. Sed jam nescio quid magnum, & illustre hac probabilitatis voce multi apprehendunt, & ut ab operis principio dolemus, veri, & falsi relicta cura, probabile, & improbabile libros implent. Antequam porrò Theologorum hac in causa judicia edam, id in præsentia ex Probabilistis etiam ipsis est annotandum, exiguam esse in quibusvis tebua eorum autoritatem, qui levitet eas attigerunt magis, quam tractarunt: de hoc aurem Magistrorum ad veritatem obligatione, vel non obligatione, deque cæteris ad rectitudinem magisteriis pertinentibus pletique data opera non scripserunt, sed leviter, cursimque attigerunt. Quarè eorum, qui obstant, autoritas movere non debet. Quibus animadversis, proferam modò, quæ dici, docetique solent.

Inprimis de Confessariorũ obligatione dicunt aliquid omnes, qui de pœnitentia, & conscientia scripserunt, docentque unà omnes, teneri eos sub gravi ad habendam sufficientem doctrinam, majorem, vel minorem pro qualitare pænitentium; ideoque ex communi reliquorum etiam sententia tradit Card. de Lugo disputat. 21. de pœnitentia sect. 4. num. 72. peccare graviter eos, qui sine scientia respectivè necessaria audiendis confessionibus se exponunt. Sed cum tanta sit confessariorum multitudo, vix ullus de hoc est solicitus, utrum habeat, nec ne hanc doctrinam necessariam.

Quinimò Confessionem extra necessitatis casum nullam, & irritam fore, tradit, Vasquez to. 4. in 3. pat. quæst. 93. art. 3. dubio 2. cum Silvestro, Cajetano, Corduba, Gabriele, Ricardo, Adriano, Medina, & Navatro, quos refert. Et qui, quæso, de hoc scrupulum habent? Hi certè Doctores supponunt doctrinam istam necessariam deesse posse, vel multis, vel paucis. Quod ergo harum rerum curam habentium oculos aperire deberet, ex Doctorum horum sententia possunt multorum, vel paucorum Confessiones esse nullæ ex defectu scientiæ confessorum atque ex omnium sanè sententia damnari saltem confessarii ipsi, propter defectum doctrinæ.

Quæ porrò sit ista scientia, & doctrina sufficiens, & necessaria, vix exponunt, hisque necessariæ, & sufficientis terminis rem definiunt, & expediunt. Sed hoc, ut lib. 1. de sufficienti diligentia disputabam, nihil est doctrinale quique dicit mihi, pro equo solvendum esse pretium sufficiens, & necessarium, nisi prætereà determinet viginti, vel quinquaginta, nihil planè dicit, & docet, remque relinquit inexplicatam. Ex quo fortè securum est, quod omnis confessariorum multitudo, quamquam alii satis sint natura inepti, alii libros parum evolvant, intereà se sufficientes omnes habeant. Idcircò inferius hoc exponendum magis erit. Certè Joannes Gorson tract. de arte audiendi confessiones testatur; paucos se invenisse, qui perfectè, & integre confessi sint, & causam esse negligentiam, vel ignorantiam confessorum.

Nunc ex his, quæ de confessariis docent satis accipitur, ex Theologorum sententia Magistros saltem morum, qui in libris, scholisve docent, esse graviter obligatos ad sufficientem, necessariamque doctrinam, & scientiam. Hoc a fortiori sequitur; tum quia Confessorea sunt Magistri particulares hujus, & illius; Magistri verò libris, in scholaque docentes quasi omnium; tum quia Confessores ex eorum doctrina instituuntur, & docent: quarè defectuum etiam Confessorum causa sunt. A fortiori ergo peccare graviter, damnarique possunt ex defectu doctrinæ, ac scientiæ sufficientis, & necessariæ: quam planè necessariam scientiam & omnibus concedere, & omnibus negare idem fermè ipsum esse videtur, atque quod ajunt, & vetant omnibus, & nulli credere: atque ex superioribus quæstionibus satis constat, genus Magistrorum, sicut aliorum officiorum non esse determinatum ad bonos, sed dividi in bonos, & malos, quos sequendo peccerut.

In ipsa porrò terminis de Magistris, quam quæstionem, ut notavi, levissimè, cursimque attigerunt, plutimi hodiè inducunt suam ad omnia patatam distinctionem probabilium, & improbabilium. Ajunt ergo universalissimè, Magistros Theologiæ teneri ad veritatem sub peccato veniali: ad probabilitatem verò sub gravi: & peccare eos graviter contrà justitiam, & charitatem, si improbabilia tradant. Hujus opinionia Autores non commemoro, qui tract. de conscientia videri ab uno quoque possunt. Limitant etiam de peccato veniali dicendo, nisi quem justa excuset, opinionem docendo, & à communi recedendo scandalum causet. Quæ sanè opinio commodissima est, nequis pro ve-

ritate

ritate, & justitia persecutionem ullam patiatur: tamen satis eversa ea est opere nostro, & denuò hic convellenda est, quoniam nimis in praxi invaluit, & ex probabilibus, id est, ex his, quæ in scholis, vel libris impunè defenduntur, ea sine scrupulo quidam docent, quæ sive ad cathedram, vel Episcopatum, obtinendum, vel ad amicitiam, vel ad pacem, plausumve magis à re sua sunt.

Summistæ olim nullam hujusmodi probabilium, vel non probabilium distinctionem facientes, verbo *Doctor*, & verbo *Magister*, peccati mortalis eos damnant, qui in sufficientes, & indignos approbant ad doctoratum, item doctoratos: quod multis juribus statuit Sylvester, & fatetur, paucos attingere ad Doctoratum, quemadmodum etiam ex S. Thoma dictum est, & scientiam, dicendi copiam, aliasque qualitates requirit: sufficeret autem quilibet, si probabilia dicta sufficerent.

Cajetanus, verbo *Doctor* contestatur tractando de Doctore Theologiæ, & Medicinæ, & approbare insufficientes, ast, inquit factum perniciosum. Probat verò de Theologo: quia Doctor Theologus est velut Medicus animarum, & eum approbando approbatur, quod omnes ad ipsum tamquam ad doctorem Theologiæ recurrere possint; & sic non solum populares, sed presbyteri quoque habentes curam animarum confidunt de scientia illius Magistri, & indè decidunturr erroneæ casua conscientiæ, indè docentur falsa, & dicunt pro autoritate, *Magister in Theologia dixit* &c. Quia ergo, quantum in se est, in periculum animarum agitur, & datur opera rei illicitæ constituendo Doctorem insufficientem, ideò factum perniciosum hic invenitur. Hæc ille. Et verbo *Magister* ait, peccare eos graviter, qui in pertinentibus ad perfectionem intellectus ex industria mentiuntur, item nolentes studere. Jam Cajetanus de vero, & falso loquitur, & falso quolibet etiam probabili casus erroneè deciduntur. Patet verò, mentiri ex industria eum qui non solum loquitur contra quod scit, sed etiam eum, qui quod nescit, docet, & affirmat.

Petrus Navarro lib. 2. de restit. cap. 2. num. 82. secundò mihi videtur, inquit, de aliis spiritualibus bonis naturalibus, vel supernaturalibus pertinentibus ad portionem intellectus, ut de scientia: artibus, memoria, doctrina, & omni alia bona cognitione, aut instructione, benè docuisse Ledesmam, & alios Autores, Cajetanum, Mercado, eamdem esse rationem, ac de corporalibus. Undè qui falsam doctrinam docuit, tenetur revocare proximum ab errore lege justitiæ. Et similiter qui habens docendi officium sua negligentia ignorantem discipulum parit. Hæc ille, qui certè non excessit bona portionis intellectus bonis corporalibus exæquans, & qui excessum esse putaret, quid intellectus sit, & quid homo, planè ignorat.

S. Thomæ perspicua mens est: nam 2. 2. quæst. 110. art. 4. expresè tradit, peccare graviter Magistrum mentiendo circa aliquid, *cujus cognitio pertineat ad hominis bonum, puta, quæ pertinet ad perfectionem scientiæ, & informationem scientia morum: tale autem mendacium, in quantum infert damnum falsæ opinionis proximo, contrariatur charitati, quantum ad dilectionem proximi: Undè est peccatum mortale.* Explico, inquis, loquitur de falsa opinione non probabili; hoc est, loquitur, de quo nihil loquitur. Patebit deindè damnum falsæ opinionis probabilitate non vitari.

Hæc quidem de eo, qui mentitur in prædictis rebus, vel in una sola opinione: de quibus etiam quæst. 7. de Malo art. 1. ad 11. docet, esse mortale adulari ad decipiendum juxta illud Isaiæ 10. *popule mi, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*: atque de ista adulatione intelligit textum 46. dist. ubi clericus adulator degradari jubetur: quò pertinent, qui multitudinibus nihil Christum sequentibus vitam æternam tam promptè pollicentur. Verum S. Doctor non satis censuit, scienter non fallere, & mentiri; sed intra probabilia ipsa, atque inter opiniones ipsas Doctorum Deum orat, ne se errare permittat in periculum animæ suæ, & in laqueum aliorum in proæmio opusc. 73. de usuris. Neque enim tantus Doctor ignorabat, sed nobis utique præstantius callebat præcedentium quæstionum doctrinam, & peccare populum posse Doctores errantes sequendo.

Ochamus in Diat. de potest. Eccl. putat, Doctores in Ecclesia juramentis, & horribilibus pænis adigendos esse ad veritatem docendum, & ducendum. Prætereo quæ hoc circa gravis planè Theologus Guillelmus Pariensis tract. de moribus cap. 7. & tract. de tentation. cap. 1. prosequitur. Qui in Academia Parisiensi Doctoratum accipiunt, jurejurando promittunt, se veritatem asserturos usque ad sanguinis effusionem. Academiæ sanè Cancellarius Joannes Gerson tract. de examinatione doctrinarum, in proæmio, protestamur, inquit nos in docĕdo, vel narrando nō esse dicturos intentione corrupta &c. Sed tamquam in articulo mortis positi coram judice Deo volumus cautelas insinuare contra falsas prophetiaś, suspectasque doctrinas, maximè diebus istis malis, quandò studium Theologiæ refriguit, quoniam magna ex parte dissipatum. Hæc ille, in quo opere, & in sequentibus Epistolis causas etiam profert. Tantæ sanè res istæ sunt, quas dicere nisi tanquam in articulo mortis positi, & coram Deo judice non debeamus. Omitto alia, nam hæc sufficiunt ad habendam Theologorum plus minus mentem. Sanctis porrò Patribus ea cura fuit, & distinctio, non quidem utrum probabili i traderent, sed num sua an quæ Jesu Christi, & vera, vel falsa.

§. II.

Opinio docens Magistros solum obligari ad probabilia, nescitur, cujus, vel quorum sit: & hæc est prima ejus eversio.

INquam, opinio obligans solùm ad probabilia; nam licet saltem sub veniali obliget etiam ad vera, at quoties justa causa adest, qualis ferè semper adest, veniale quoque tollit; ideoque absolute, visisque omnibus nullatenùs obligat nisi ad probabilia. Deindè inconsequentissima est ista obligatio sub veniali; ipsi illi, qui hoc ponunt, nec sub veniali quidem obligant ad ipsam veritatem, sed ad probabilitatem confessores, Consultores, omnesque omninò conscientiæ, & Anima-

animarum directores, & rectores; nulla porrò rationis umbra superest, cur magis obligentur Magistri; & ne prorsùs à scholis, & libris veritatem amandare viderentur, inconsequentissimè istam sub veniali obligationem, quam etiam tam facilè tollere possent, posuerunt. Divinatoria deinde est, ac omninò voluntaria ista positio de veniali; cur enim non de mortali: cur non dumtaxat de consilio. Ubi omitto alia & asserere & asserere nesciri, cujus, vel quorum sit ista opinio, Scitur sanè ab hoc, & illo autore, quos nominare etiam possemus, eam tradi: sed an sua ipsorum sit, an aliorum, & quorum, omninò ignoratur.

Etenim qui hanc opinionem tradunt, hoc sanè ajunt, Magistros, ac proindè etiam se non teneri nisi sub veniali ad ipsam re ipsa veritatem: ergo in rebus, quas docent, nisi sub veniali non tenentur scire, utrum veræ, vel falsæ sint: & rursùs licet unam partem veram censeant, ad eam solùm sub veniali obligantur contrariaque docere planè possunt: undè, ut inferius tractabitur, omnem sibi, dictisque suis fidem, atque autoritatem adimunt. Præterea verò hoc etiam veniale tollunt, ubi justa causa adest non vera ipsa, sed probabilia contraria docendi; tuncque ajunt, oportere docere contraria. Causam autem justam censent, si secuturum sit scandalum, neque distingunt, utrum activum, vel passivum, num parvulorum, pusillorumque, an Pharisæorum. Certè ex doctrinis Salvatoris satis, sæpèque Pharisæi scandalizati sunt, & eum etiam in crucem egerunt, & Prophetas, ac discipulos lapidaverunt, atque occiderunt.

Hoc sanè quale scandalum, vel offensio fere semper adest, quoties scilicet quis consueta ætatis suæ, & loci, & gentis, domusque placita non tradit; offenditque multos, maximè verò suos, quicunque unam veritatis legem sequens omnia alia veritati post habere pergat. Ergo vel semper, vel ferè semper adest causa excusans à veniali. Rursùs ipsa via veritatis ex genere suo offensioni multorum, & odio, & commotioni exposita est; ut experientia nimis probat, & superius quæst. 4. ex glossis sanctorum ostensum est; si ergo similes causæ in opinionibus particularibus justæ sunt, ne ullum veniale incurratur, quin oportet probabilia veris ipsis contraria edocere, profectò justissima causa universalissima adest, nequis in genere eam veritatis viam capessat, sibique præscribat. Vellemus deindè, quod magis explicavissent istos justas causas vitandi veniale. Vel enim justa causa est, quod quis verum tradens discipulis sit multis, passurusque proindè multum, vel non hoc est, sed quidpiam aliud? si hoc secundum sit, nescimus, quid illud sit. Si primum intelligant, hoc de plano illud ipsum Prophetæ esse Isaiæ 30. *nolite aspicere nobis, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores, adde tu probabiles* &c. Et dolendum cum plorimis aliis & illud Apostoli erit 2. ad Timoth. 3. ut de Magistris planè agens, *& omnes*, inquit, *qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patientur*. Certè si praxi ipsa aliquorum opinionis sensum satis explicat, one sub veniali se ad verum obligatos arbitrari videntur sub pœna tantæ etiam offensionis multorum.

In hac demùm particulari quæstione, in qua tractamus, utrum Magistri relictis omnibus probabilibus etiam suorum ad ipsam præcisè veritatem obligentur, justissima causa, sie ubi alias, adesse videtur, ne Magistri in ea veritatem consignare etiam sub veniali obligentur, qoin oporteat contrarium edocere, & dicere. Experti namque loquimur, probabilium sive ad operandum, sive ad docendum esse assertores, vindicesque acerrimos, quorum offensionem incurrat necessè est, quicumque illa non sufficere rueri volet, Ergo justa causa adest, nequis in hac quæstione, quod verum censet, sed contrarium probabile tradat, Accedit, in aliis quæstionibus edoceri; in ista vero Magistros ipsos, qui suum non putent doceri, sed docere. Ægrè ergo ferre possunt, quod ad hoc, vel illud à quoquam obligentur: quarè est quæstio plena periculo offensionis: adest ergo, si cubi alias, justa causa excusans à veniali, imò cur oporteat contra ignoratam, vel existimatam etiam veritatem sequi contrarium probabile.

Inferamus jam. Nescitur ergo, cujus, vel quorum sit ista opinio, de qua disputamos. Etenim nescimus, an eorum sit, qui eam ore, vel libro tradiderunt: nam ipsi primum solum sub veniali obligatos se censent ad docendum, quod re vera sentiunt: venialia verò levibus de causis multi admittimus, maximè ne displiceamus, & patiamur. Deindè ex ipsorum modo philosophandi adest hic justa causa excusans à veniali; imò cur oporteat docere contrarium. Ergo quod ore, vel libro istam opinionem docuerint, juxta ipsos non probat, hanc opinionem esse suam ipsorum. Nescitur ergo, cujus, vel quorum sit.

Declaratur; vel hujus, & reliquarum quæstionum eadem est ratio, vel alia hujus, & alia aliarum: & in aliis quidem ad veritatem sub veniali solùm obligamur, & justa etiam causa sæpè intervenit excusans à veniali, & consuleos contrarium: in hac verò una quæstione sub gravi renemur ad veritatem? Imprimis nihil hujusmodi distinxerunt, & dixerunt. Deindè factis contrarium dixerunt; nam quæstionem istam nequaquam tamquam gravissimam, aut cæteris graviorem prosecuti sunt, sed contra potius alias sibi tractantes istam brevissimè; & cursim expedierunt. Ergo sub universalissima sua opinione istam etiam quæstionem comprehenderunt; nec nisi venialis, aut levis obligatio in ea interest veritatem ipsam sequendi, quin justæ causæ adesse possunt excusantes. Ecce nimirum prosilit quisquam negans eam esse ipsorum. Undè precor, cum convincemus. Veniale opponimus; nec multum movetur. Causas dein profert excusantes. Ponamus rursùs, eos contrarium re vera sensisse. Hunc etiam docere licitè potuissent, quod de facto docuerunt. Ergo quod hoc docuerint, non probat, hoc suom esse. Quamvis enim directè censuissent. Magistros teneri sub mortali ad veritatem, reflexis mox qoibus cætera expediunt, in hocquoque cuncta facilè composuissent.

Dices, constare saltem de primis hujus opinionis Autoribus, qoi eam primo tenuerunt, & sua autoritate, & rationibus probabilem effecerunt, quam alii postea contra, vel præter sensum suom sequi poruerint, ad vitandam offensionem, vel dissensionem domesticam, vel ad fovendam amici-

amicitiam, & alia. Verùm neque de primis etiam Autoribus constare id potest, nam ut qu. 4. §. 54. ostensum est, sæpè non ii primi fundatores opinionum sunt, qui eas primo in schola, vel libro docent, sed ut ex Propheta dicebamus, sæpè populus primùm ipse ædificare solet parietes, & opiniones; quas non nisi liniant deindè Doctores. Consuetudine ergo Magistrorum cæpisse irrepereque potuit in praxi opinio ista; quam postea Autores, qui primi videntur, secuti sint contra, vel præter sensum suum. Quæ omnia nunc amplius declarabuntur. Deindè primus potuit esse aliquis unus, quem nescimus, quis & quantus sit & hunc potuit alius sequi non tanquam verum, sed tamquam solùm probabilem, & sic deinceps. Est ergo hæc opinio incerti Autoris, & filia sine certis Parentibus: & spernenda.

§. III.

Sequitur ergo præterea confusio doctrinarum, & opinionum omnium, & nescitur, quæ quorum sistit.

Clarius porrò sequitur ex ea positione ista reliquarum doctrinarum, opinionumque particularium confusio, si Magistri præter, vel contra sensum suum directum (de quo loquimur) docere possunt, quin nec vel veniale quidem committant, ubi quæ frequentissimæ sanè sunt, adfuerint dictæ illæ justæ causæ; neque quandò desunt, sciemus, utrum adfuerint, necne.

Occurrit itaque quæstio de restitutione, atque in ea legimus Autores affirmantes, & negantes. Fortè qui negarunt, re ipsa censuerunt restitutionem esse obligatoriam, oportuit tamen justis de causis docere contrarium, ut placerent, neve displicerent, vel quia suorum magis ea opinio est, aliisve de causis. Atque similiter qui affirmant, contrarium fortè ipsi existimantes, contra, vel præter opinionem propriam suam locuti sunt propter causas justas. Nescimus ergò, utrorum re ipsa ea opinio sit, vel an etiam neutrorum, quia nihil ipsi judicantes probabile reflexè secuti sunt: quia è re maxime sua erat ita docere, nec sine incommodo contrarium tradere tunc potuerunt. Quod autem est de hac quæstione circa restitutionem, est fermè de omnibus, & quanquam defuerint causæ illæ justificantes, nos tamen scire non possumus, quas, qualesve quisque habuerit ad sic, vel contrariè docendum. Sequitur ergo asserta confusio doctrinarum, & opinionum.

Magis vero in specie hoc sequitur in opinionibus communissimè receptis in ætate, natione-ve aliqua, etsi pessimæ illæ sint, atque in laxando vel stringendo nimium exorbitent. Nam communissimæ ætatis, rationisve alicujus opiniones ibi in primis probabiles vel sunt, vel habentur: aliundè verò qui talibus contradicit, plurimum offendit, ac patitur. Ergo etsi contrarium ei videatur, habet justam causam, undè non solum nec venialiter peccet, sed cur etiam oporteat contrarium edocere.

Hinc nihil opus fuerit, quin otiosum, vanumque erit veterum, sanctorum etiam Patrum, vel Consiliorum ulla scripta, vel libros nosse, sed regula est, ut Magister quisque sciat, quæ in ætate genteve sua communissimè tradantur; atque hæc docere debet; Etenim eum in finem veteres Doctores, Sanctive Patres noscendi essent, ut scilicet agnosceretur, utrum eæ opiniones veræ, vel falsæ essent. At hoc vanum est, & otiosum; nam licet eis Consultis quis deprehendat, eas falsas esse, tamen communissimas illas sequi debet; ad veritatem quippè solùm sub veniali obligamus; & hoc rursus veniale tollitur, quin contrarium docere oportet, ne perturbatio aliqua, offensionem sequatur. Undè consultius potius erit, veteres, & sanctos omnes præterire, ut minore remorsu, scrupuloque communissima ætatis, gentisve placita sequamur, & tradamus. Et utinam non hoc fiat.

Hinc rursùs nullus Doctor, aut Pastor, Rectorve animarum communibus consuetudinibus, vel abusibus resistere debet, ut in usuris, simonia, in scotatutis, quas vocant, ac meretricio fermè cultu reliquo fœminarum, atque similibus, quæ sine scrupulo agere solent, & Sacramenta etiam simul frequentant: quarè confessorum tacita saltem, ac sæpè expressa accedente approbatione, atque ipso etiam tantæ multitudinis suffragio similia omnia probabilissima censentur; ac plurimi, vel plurima hos mores & consuetudines nequaquam sequerentur si res improbabiles esse existimarent. Aliundè verò qui his ita communissimè receptis rebus contradicere volunt, paradoxi in primis, imprudentesque habentur: ac multi præterea etiam scandalizantur, dùm audiunt, tantam fidelium multitudinem sacramenta quoque frequentantium peccati mortalis redargui, ut non pridem in usuris experti sumus. Habet ergo Doctor quisque, & Pastor causas justissimas, non modò cur taceat, sed cur etiam sequens aliorum probabile consuetudinem omnem, abusumque approbet, ac honestissimè doceat: Et certè universalissimè loquendo de omnibus earum rerum usibus seu verius abusibus, quos peccata esse multitudo non putat, illæ omnes probabiles, probabilissimæque eis sunt; neque majori docentium, sequentiumve autoritate plurimæ librorum opiniones fundantur, & commendantur: quid enim duorum, vel quatuor Theologorum autoritas præstet integræ fermè civitati, vel Regni autoritati. In his ergo omnibus contra, vel præter sensum suum docere quisque illud debet, quod Civitas, Regnumve sequitur, maximè quia similia, nisi celerrimè comprimantur, incipiunt pro *legibus venerari*, ut loquitur Pelagianus Papa 8. dist. *mala consuetudo*; sicque, ut dicit Cyprianus, *consentiunt jura peccatis, & incipiet esse licitum, quod publicum est*; quò & illa frequentissima Recentiorum probatio, & velut suæ moralis scientiæ principium evocabitur; perpetuò quippè sumunt, durum esse tot fideles peccati mortalis condemnare. Paulus verò Apostolus sanè obstupuisset; dum jubet arguere; obsecrare, increpare adversus ea, quæ ex plurimorum Magistrorum autoritate multitudo operabatur. Cum ergo in talibus omnibus

versis jam in naturam passurus quis planè sit, si arguat, & increpet, multaque proindè patientiæ opus habeat, ut Paulus caver, plurimique offendantur, & commuveantur, reformatorque mundi, & vix non amens auditurus sit, profectò causæ illæ excusantes suppetunt: cur contra quam sibi videbatur, doceat. Quarè licet hic, & ille similia consueta in libro approbent, scire non possumus, quid re vera ipsis visum sit; dicereque poterimus, consuetudinis, & loci, vel ætatis eas opiniones esse magis, quam stultorum.

Exemplo jam pridem delibato rem istam, & confusionem doctrinatum declaremus. Diximus scilicet alibi, in rebus morum quampluri mis circulum vitiosum committi; quæ initio quidem habuerunt aliquos primos fundatores; deindè alii alios circulo quodam sequuntur, nec ullus superest determinatus directus approbator. Unaquæque v. g. fœmina ex tot millibus in hac Aula, & Regno videt, tot alias uti scotaturis. vestiumque quanta possunt prophanitate; & idem est in pretiis mutuis, in simonia, in venditionibus, infinitisque rebus aliis, quarum lex vix alia superest, quam consuetudo plurimorum. Nulla forsitam harum fæminarum ipsa per se, vel per examen directum aliorum scivit unquàm, aut scit, noscitque ullo modo, quid qualeve sit hoc prophanitatis: sequitur tamen, & probat, quia totidem aliæ eumdem morem gerunt; & quod dolosè iniquitatem quærentium esse sæpè ex Augustino notamus, nil aliud sibi dicunt, nisi hoc: num non omnes hoc faciunt. Et quæ non facit? an omnes perditurus est Deus? Hæc igitur est sua omnis probatio, & defensio: & nulla directè, ac per motiva directa rem statuit, probat sed singulis reliquæ per circuitum sunt sua defensio. In hunc fermè modum multæ opiniones invenientur, quas alii propter alios defendant, si ad veritatem non obligentur, sed probabile sufficit, & unusquisque videbit, eas defendi communissimè, defendentque, & docebunt hi, quia alii plurimi eas docent, & alii, quia alii circulum sine fine. Undè nescietur, quorum re ipsa illæ sint; & omnium esse videbuntur, cum nullius particularis existant; nam unusquisque eas docet, quia alii docent. Nec est recursus ad primos, qui in libris eas ediderunt, quia ut diximus, sæpè populus ipse primum suis moribus opiniones inducit; & prætereà potuit quis in libros edere opinionem per probabile, quia eam ab aliis accepit, quos nescimus, quinam fuerint. Profectò multitudo sociorum vim habet ingentem, ad auferendum unicuique metum, & sicut in itinere, in mari, in bello, atque aliis multitudo sociorum animos ingerit, ita sive in operando, sive in docendo vix, quidquam in his rebus timemus, quas plurimi vel operantur, vel docent: cum tamen via ad vitam non multorum, sed pauciorum sit, ut tractabitur. Undè ergo potius timere oporteret, argumentum securitatis sumimus, cunctaque invertimus.

Hoc eodèm jure in quæstione de probabilibus, utrum scilicet eorum usus liceat, nesciemus, an illi, qui eum usum nunc saltem propugnant, ita corde sentiant; nam ajunt, se non teneri ad veritatem, sed ad probabile in docendo, nec veniale quidem incurri, quin oportere docere contrarium, ubi suæ illæ justificantes causæ suppetunt: at suppetunt in hac quæstione; quia ipsi putant, & ajunt; eam esse opinionem omnium, demptis paucis quibusdam paradoxis, & magnæ certè offensionis est contrarium. Ergo eam opinionem docerent, & si contrarium sentirent, vel nihil saltem curabunt scire, quænam pars vera sit, eum supponant, se quæcumque demum illarum vera sit, docere debere id, ex quo offensiones, & scandala non sequantur. Scandalum porrò, ut dixi, non explicarunt, quid, & quale intelligerent: nec aliud intellexisse videntur, quam offensionem, & irritationem aliorum. Eo deindè in loco apud ipsos est probabile, ut insania fere eis videatur, probabilia operando, vel docendo peccare quem graviter posse. Cum ergò hæc sibi firmissima lege doceant, ipsumque etiam usum licitum probabilium tuentur, scimus quidem, ipsis hoc reflexè probabile visum esse; ignorabimus tamen, an etiam verum visum sit, & an sua, vel quorum sit hæc opinio. Undè frustrà erit, quod multitudines Autorum, vel scriptorum pro ea referant: est enim multitudo non quid sibi verum, sed quid probabile visum sit, docere profitentium.

Postremò divisionibus planè, & meo, & tuo plenus est mundus. Regna cum Regnis, scholæ, cum scholis & Potestas secularis, & Ecclesiastica secum in quam plurimis disputant. In his sanè omnibus utrarumque partium opiniones probabiles utique habentur, & censentur, & sunt Autores, & libri hinc, & hinc. Aliundè verò sine maxima, offensione detrimentoque suo nequit quis Regno suo, vel scholæ suæ contradicere, neque Regum Ministri, Consiliariique, ac Doctores Regnicolæ contra autoritatem Regiam opinari pro Ecclesiastica. Jam ergo ex positione illa nullus Doctor tenebitur veritatem inquirere: & si nolens etiam eam invenerit, ne Regnum, vel scholam perturbet, non eam, sed contrarium probabile docere debet. Ergo eorum assertiones nihil significant, & hoc solùm habebimus, omnibus sua visa esse probabilia; ipsæ tamen directæ assertiones suæ non erunt nisi ore tenus; corde verò quid quisque senserit, nesciemus.

Exemplum ponamus in speculativis. Visa fuerit vera hominis Thomistæ scientia Media; & homini Jesuitæ Physica Prædeterminatio, Scotistæ non distinctio ex natura rei; & sic in rebus aliis quam plurimis. Profectò instar monstri videretur homo Thomista docens scientiam Mediam, & Jesuita docens Prædeterminationem: atque in omnibus, quæ scholæ uniuscujusque communia; & propria sunt, adsunt causæ illæ excusantes, & justificantes.

Ergo

Ergo non quod ipsis verum videretur, sed contrarium probabile suum, & suorum docere quisque deberet, quique putaret, dari scientiam mediam, non hoc, sed contrarium scilicet non dari, ac vice versa in libro, vel schola traderet. Ergo ex eorum exrernis assertionibus mens, corque ipsorom non constaret; & sciemus quidem has, & has opiniones esse hujus scholæ, vel Regni, & cujusdam quasi fictæ personæ communitatis: quid verò in ea unusquisque in eorde habeat, ignorabimus. Haud sanè dico, hæc ita esse, sed sequi ex ea opinione, cui probabilitas, non veritas est regula docendi.

§. IV.

Sequitur etiam, Theologiam non esse scientiam realem, & Cathegoricam, sed modalem, vel etiam de secundis intentionibus.

HOc non absurdum, sed verum visum est IllustriCaramueli in sua Apologia pro opinione probabili. Aggressus est scilicet, scholarum discordiam, dissensionemque conciliare, remque se coufecisse puravit, dicendo, eam non de rebus ipsis esse, sed de magis, vel minus probabili, & utra pars probabiliora tueretur: & licet de rebus ipsia loquantur, sensus tameu non de rebus sit, sed de modo probabilitatis.

Indè inter alia existimavit, quosdam Syllogismos rectè expediri, quibus ex eo, quod S. Thomas benè scripserit, ut Dominus ei contestatus est, concludi videatur, Scotum, Ochamum, & alios, qui illi ferè in omnibus contradixerunt, non benè, sed malè scripsisse; nam benè dicenti non benè sed malè contradicitur, & resistitur. Respondet itaque, utrosque, & omnes benè scripsisse, quia non de rebus ipsis dissentiunt, sed tantùm de modo, & singuli aliud non intendunt, quam partem suam esse probabiliorem. Atque hoc etiam modo, controversiam adhuc ipsam de inmaculata Matris Dei conceptione expedivit. Ubi mirandum planè est, aliquos hujus etiam Mysterii assertores offensos non esse hoc genere philosophandi, quo Mysterium funditus evertitur, si à rebus ipsis ad magis, vel minus probabile controversia tota revocatur; videnturque malle probabilium causam agi, quam Mysterii.

Cæterùm hac via non obtinetur, omnes bene, sed omnes potius malè scripsisse. Nam omnes affirmant, & negant res ipsas; si ergo eis iutentio de hoc non est, sed è rebus ipsis præsciudunt, nec nisi de magis, vel minus probabili pugnant, malè profectò dicunt, res ipsas esse, vel non esse, cum aliud sit rem esse; & aliud prorsùs probabilius esse, eam esse; ut nemo non videt in istis probabilitatibus, nullam cum rebus connexionem significantibus: quod si connexionem significent, alterutri malè scripsissent, & eadem, atque de rebus difficultas urgeret. Patet rursùs evidentissimè, eamdem superesse difficultatem de magis probabili; etsi alter benè dixit, unam partem esse probabiliorem malè ei contradicit alter dicendo contrariam esse probabiliorem; quarè ut omnes rectè dicerent, opus esset mutuam probabilioritatem, sicut mutuam causalitatem inducere; neque mirabor, si hoc quoque inducant: omnia enim istis probabilibus ita confusa sunt, ut vix constare jam possit, ubi simus de quove loquamur, & agamus.

Dixi ergo, ex ea opinione, & licentia probabilia quæque docendi, sequi præter dicta etiam hæc sacram scilicet Theologiam, tantæque Majestatis scientiam non realem esse, sed modalem, neque de rebus ipsis tractare, quas ore enunciamus, de Deo, de Trinitate, de fide, & charitate, de vsuris, simonia &c. de quibus sanè loquimur, sed de probabilitate tantum opinionum, quæ his de rebus existunt. Inquam, de probabilitate; nam ea positio, quam hic evertimus, nec ad probabiliora quidem docenda, sed tantùm ad probabilia obligat, & ubicunque illæ suæ justæ causæ suppetent, nec sub veniali quidem ad vera, vel ad probabiliora obligamur, sed satis est, quin oportet, minùs etiam probabilia tradere, docereque.

Ergo Magistrorum assertiones non significant, rem esse, vel non esse, sed tantum opinionem, quam tradunt, esse probabilem. Sed hoc est Theologiam non esse scientiam realem, & Cathegoricam sed modalem. Nam ea scientia realis & Cathegorica est, quæ de rebus ipsis immediatè, & directè affirmat, & negat, illa verò modalis, quæ de modo aliquo earum, non autem de ipsis affirmat, & negat.

Hoc patet exemplis omnium. Nam in primis juxta omnes Logica scientia realis non est, quia de rebus ipsis in se, primisque intentionibus non affirmat, nec negat, sed de eis tractat tamquam de cognitis, definitis, syllogizatis, &c. id est; tractat de cognitione, de definitione, syllogismo, de scientia, & opinione, quæ de rebus sunt. Sic autem Theologia tractat de rebus tamquam probabiliter, & improbabiliter opinatis, vel probabiliter opinatas affirmaret, & negaret improbabiliter opinatas, nec intentio, & sensus docentium, & dicentium aliud significaret. Ergo Theologia scientia realis non esset, sed de secundis intentionibus.

Rursùs alio omnium exemplo; nam juxta omnes hæ propositiones modales sunt, contingens est, Petrum currere; non est contingens, Petrum currere, & nihil cursus ipse Petri affirmatur, vel negatur, sed modus solum contingentiæ, vel non contingentiæ. Undè si inter duos conveniret, sibi cum de cursu, vel non cursu Petri contendunt, sensum & intentionem esse, non cursum ipsum, sed solùm ejus contingentiam affirmare, & negare, omnis planè eorum disputatio purè modalis foret. Hoc porrò exemplum non tam simile, quam idem est; nam ut alibi jam notatum est, probabile esse consueta probabilitare, & contingens esse unum, idemque significat; ideoque idem significamus, sive cum dicimus, probabile esse, Petrum eligendum Proregem; sive cum dicimus, contingens, esse Petrum eligendum Proregem; & sicut magis, & minus probabile, ita etiam magis, & minus contingens distinguimus, & effamur in rebus infinitis. Aliundè inter Autores positionis convenit, se, & reliquos Theologos, quoties saltem justæ illæ suæ causæ adsunt, non aliud, quam solam probabilitatem affirmare, vel negare. Erit ergo de plano sacra Theologia scientia purè modalis sive de modis primæ, sive de modis secundæ intentionis; & quamquam de rebus ipsis

substractis ipsis tota quenta loquatur, & enunciet, sensus tamen arit de probabili, vel non probabili, & de modo; non autem de rebus sermoni substractis: Eliminandæ sanè à mundo hominum essent hæ nugæ.

Declaro: si assertiones Theologorum de rebus ipsis essent immediatè, & directè, nulla posset dari causa nec propter liberandas quidam omnes unà damnatorum enimas, unde liceret, unam partem veram existimare, & contreriam docendo enunciare; nam esset formalissimè mentiri; quod sanè nulla de causa licet. At inquiunt, id licere, quin oportere, quando suæ illæ justæ causæ adsunt. Ergo assertiones non sunt de rebus ipsis immediatè, & directè. Putat quis v. g. lumen gloriæ esse totam rationem agendi; sed perturbanda est schola sua, vel domus, si hoc doceat: tunc, ut ajunt, sine peccato etiam veniali docere potest probabile contrarium. Ergo cum dicit, lumen gloriæ non esse totam rationem agendi, sensus non est; hoc ita esse; nem elioquin contra mentem loqueretur, & mentiretur: nec sensus est, ita sibi videri. Ergo sensus est, id esse probabile. Sic autem erit de cæteris quoque scholæ suæ placitis, & da moralibus quibusque opinionibus; in quibus sanè, quidquid unicuique videatur, opiniones omnes probabiles laxas doccre, tradereque oportebit propter eem edeo celebratam à Probabilistis causam, quam fœminæ etiam memoriter didicerunt; quia scilicet sic, quod tanti interest, tolluntur peccata, pluresque salvantur. Ergo sacra Theologia, & Theologorum assertiones, & si de rebus ipsis agere videantur, easque affirment, & negent, & intentione tamen, sensu docentium, non aliud, quam puram probabilitatem significant.

Nec dixeris, hoc ita fore, ubi causæ illæ justæ occurrunt: non autem in aliis. Nam illæ in primis causæ inquam plurimis occurrunt, in iis videlicet omnibus; in quibus gens cum genre, & regnum cum regno, & scholæ inter se, atque potestates diffident: adversus quas doctrinarum suitates inferius erit dicendum. Diximus etiam adesse alias causas, ut est ille universalissima de tollendis peccatie, selvandisque multitudinibus: adesse item unicuique docenti aliæ potuerunt, quas ignoramus, Non ergo superesit, undè dignoscamus, quænam determinatæ essertiones sint directæ, & Cathegoricæ, ac de rebus, quas efferunt; & quænam de modo, & sola probabilitate. Cum rursùs pars tanta earum sit solum de modo; omnes verò uno, eodemque modo proferantur, satius erit, omnium ut pote simillimarum eumdem constituere, & intelligere sensum. Ex quo sacra Theologia vel mendacissima, vel fallacissima facultas esse videatur; quæ cum tota de rebus ipsis eloquatur, & pronunciet, nihil minus, quas eas significet; da quo certè commonendi essent omnes ne fallerentur.

Dices, hoc sequi de eorum Theologorum assertis, qui se non eliud quom probabile docere obligatos censent; non autem de aliorum Theologorum doctrinis, Et ego certè minimè dubitaverim, longè plurimos absuisse ab isto genere per probabilia docendi; quorum proindè de rebus, non de modo assertiones sunt. At ex Theologorum horum positione sequitur, non solum sua, sed omnium Theologorum asserta eodem pacto fuisse, non de rebus, sed da modo; non enim ajunt, sibi licere; aliis autem non licere istam per probabilia docendi rationem, sed omnibus. Ergo ex ea positione sequitur de omnibus.

Hinc ad omnes Theologos, & se etiam ipsos interpretandos amplissimam nobis tribuunt sanè facultatem; & in singulis respondebimus, nihil eos nobis adversari; nam nos de rebus ipsis immediatè & directè affirmemue, & negamus; ipsi autem locuti sunt de modo, & de probabilitate. Ex quo inter elia non erit, cur multitudines Autorum, scriptorum Collectorumque: omnes eos setis quidem inscitè confundendo, in nos edant, atque magnificent. Etenim nihil eis adversamur qui quippè de probebili solum, & de modo locuti sunt; nam ipsi profitentur, henc esse suam docendi rationem: at nos de re ipsa tractamus, & enunciamus, nec opinionem contrariam probabilem esse negamus probabilitate fori exterioris, & impunitatis. Quapropter mirandum planè videtur, illustrissimum Ceromuelem qui omnes alias Theologorum dissensiones tam facilè per probebile conciliavit, ignorasse modum, quo se cum illustrissimo Fagnano conciliaret, & concordaret, & diceret, utrumque benè scripsisse; cum non da rebus, ut videri quidem posset, sed da probablli locuti sint.

§. V.

Item sequitur, probabilia doceri non posse. si doceri possent; & positionem destruere se ipsam.

VTemur & nos argumento mirabili aliquando. Dicunt itaque, veritatem probabilé deserere solum esse veniale; & ubi suæ illæ causæ occurrunt, nec veniale quidem esse, quin ita facere oporteret. Hinc intulimus Thaologiam modo declerato futuram asse scientiam modalem, vel atiam secundò intentionalem.

Modo inferimus ex hoc; ergo non licet docere per probabila; & minùs multò licebit operari: Hanc consecutionem probo; quia positio contraria se ipsam facit de subjecto non supponente: ergo non licet docere per probabile. Vel aliter sic. Positio ille se ipsam facit, ac reddit de subjecto non supponente: sed positio se ipsam faciens, ac reddens de subjecto non supponente, destruit seipsam; & perimit. Ergo positio illa se ipsem destruit, ac perimit.

Major syllogismi propositio probatur. Nam positio contraria ut non sit de subjecto supponente, indiget necessariò opinionibus probabilibus directis, cathegoricis, ac immediatis de rebus; nem ponit, has doceri posse; supponit ergo eas esse: si ergo illæ non fuerint, erit de subjecto non supponente: quemedmodum si ego assererem, homines doceri posse, & nulli essent homines, esset positio de subjecto non supponente, & Logica similiter, quæ tradit modum sciendi, si nullæ remansuræ essent scientiæ, esset de subjecto non supponenta; & sic etiam foret, si quis doceret modum, quo homines volarent; & an liceret, tunc eos orare, vel disputare. Ergo si nullæ sint, vel sciti saltem non possint opiniones proba-

probabiles directæ, Cathegoricæ, & immediatę de rebus, positio illa erit de subjecto non supponente. Quid enim liceat, vel non liceat edocere, si nulla sint, vel sciri non possint.

At ipsa illa positio facit, ut vel nulla sint, vel sciri saltem non possint opiniones directæ, cathegoricæ, & immediatæ de rebus. Nam §. prec, ostensum est, sequi ex illa, Theologiam esse scientiam modalem de probabili, Theologorumque asserta, & opiniones esse de modo; non autem de rebus: & si quæ sunt de rebus, eas dignosci non posse. Facit ergo, ut non sint, vel sciri saltem non possint opiniones directæ, & de rebus. Ergo facit se ipsam de subjecto non supponente, atque interimit. Quo factum est, ut sicut vestes suo usu consumuntur, ita via probabilium ipso suo nimio usu, quoad mores, ad scholam, & ad omnis obstrusus est, destruatur planè, & atteratur.

Explicatur. Quæsti o de usu opinionum probabilium ad docendum, vel operandum, supponit, dari sciriique posse eas opiniones. Hæ porrò sunt directæ, & Cathegoricæ de rebus; nam si reflexæ sint, & primæ aliquæ directæ non ponantur, imus in infinitum: quia omnis cognitio reflexa supponit aliam vel directam, vel minus reflexam; & sic deinceps: si ergo nunquam ad directas perveniretur, procederetur in infinitum, & sic part. 1. in appendice ex Aristotele demonstravimus, esse terminum in ascendendo, & descendendo. Quæstio ergo de usu opinionum probabilium, utrum liceat, supponit opiniones probabiles directae, immediatae, & primae, quæ de rebus ipsis sint. At has tollit, vel confundit positio. Ergo se ipsam, suamque ipsam quæstionem interimit.

Dicamus clariùs hoc idem. Primum itaque factæ sunt opiniones de usuris. v. g. multæ opiniones directæ probabiles, quæ de usuris ipsis in se decernerent, & statuerent. Mox Theologi alii supervenietes quæsierunt, utrum liceret eas sequi in operando, vel docendo. Quæstio ergo supposuit, dari eas opiniones directas probabiles de usuris in decernentes, & statuentes. At eas tollit de medio, vel confundit positio contraria; nam ponit, Magistros in docendo non teneri ad res ipsas; & ad verum, sed ad probabile, quin suis illis intervenientibus causis oportere, ut relictis rebus, & verò, tradant probabile. Neque opinor, volent, sibi, & nunc id licere; olim verò, ac tempore eorum Doctorum, quorum supponuntur esse illæ opiniones directæ de usuris, id ipsum non licuisse, & oportuisse. Ergo opiniones illæ non, ut supponitur, de usuris in se erunt, ac immediatæ, & cathegoricæ, sed modales, & de probabili, sicut nunc. Ergo redit quæstio de subjecto non supponente. Ergo etiam positio, quæ scilicet ponit, nos in docendo sequi posse eas opiniones aliorum de usuris in se, quæ nullæ sunt, vel nesciuntur.

Confirmatur. Nam Probabilistæ non refugiunt, quin singulis paginis, chartisque profiteantur, se incedere per viam reflexam; & adeò ea indigent, ut nisi reflexi vix unam unquam conscientiam accommodare, formareque sciant; tenent enim mordicus, conscientiam rectam nullam esse, nisi dictamine ultimo evidenti, infallibilique constet: hanc verò evidentiam, ac infallibilitatem solum reflexie inferunt, atque fundant. Ergo sua via est reflexa. Ergo pariter esse debuit via antiquorum Theologorum; siquidem aliter recta conscientia formari nec nunc potest, nec olim potuit. Ergo veteres Theologi fuerunt reflexistæ, sicut ipsi. Ergo reflexæ sunt de subjecto non supponente; nam supponunt opiniones directas. Iterum: Ergo desunt Theologi; nam planum est, Theologiam esse directam: ergo hinc denuò quæstio, & positio sunt de subjecto non supponente; nam utraque supponit, dari Theologiam, & Theologos; positio autem tollit Theologiam, & Theologos, de quo rursùs inferiùs. Infero iterum: ergo adversarii tamquam Theologi nesciunt accommodare, formareque ullam rectam conscientiam suam, vel aliorum: nam solis reflexis sciunt formare: cognitiones autem reflexæ super opiniones Theologorum, etsi hæ darentur, non magis Theologia sunt, quam cognitiones reflexæ super opiniones Philosophorum, sint Philosophia, & differunt objecto, & toto; nec Laërtii opus de placitis Philosophorum magis Philosophia est, quam strada de bello Belgico sit bellum Belgicum, o Monstra monstrorum? Dicant ergo palàm, se non Theologos agere, sed vel logicos, vel aliud nescio quidquam, dum vel rectam conscientiam formarent, vel alia de moribus docent.

Ne verò sciolus quispiam hic obstrepat, scimus, & sciunt omnes, Theologiam non solum de rebus extra animum, sed de ipsis etiam actibus nostris, virtutibus, & vitiis tractare. Utrum propterea hæc pars reflexa dicenda sit, nihil nostra interest; neque quisquam eam Philosophiæ partem, quæ de anima, ejusque potentiis, & actibus differit, reflexam vocavit; tractari enim potest directè etiam de rebus intra animam, sicut de rebus ad extra. Quidquid sit, non de hac reflexione locuti sumus, sed de reflexione super opiniones, id est, super ipsam Theologiam, & Theologorum asserta, id est, directa de rebus intra, vel contra animam, quę sunt Theologiæ objectũ. At hæc asserta directa, has opiniones directae tollit, vel confundit positio contraria: ergo sicut priùs.

Ecce enim movetur bellum Hispanos inter, & Gallos. Scribunt mox quinquaginta Hispani pro jure suo; quinquaginta Galli pro suo. Profectò nisi in hoc casu adsit justa illa causa, nuspiàm adesse potest. Age ergo; Hispani scribere debebunt, & sequi probabile suorum; & Galli vicissim. At hi sui nulli sunt; nam nulli directè, & de jure in se dicere debent, nisi quod occultum est, alicui verum visum sit jus sui Principis. Nulli ergo sunt directi scriptores, vel saltem nesciuntur; & reflexa manent in aëre sine fundamento directarum, vel potius cadunt. Ais: de jure ipso belli io se scribunt, & loquuntur. Verùm omnes etiam Theologi itaque loquuntur, & tamen positio contraria ponit, eos dicere posse, & debere solùm probabile, ubi similes causæ adsunt; non autem res ipsas, & veritatem. Horum ergo dicta ex sensu positionis reflexa sunt. Ergo etiam Hispanorum illorum, & Gallorum, & existimavimus quidem, quinquaginta Gallos esse pro eo jure in se, & nullus forsitan erit, & reflexa erit omnis locutio; nec aliud significabunt nisi. *ego Hispanus sum*;

Gallus ego: & sic etiam ego Thomista, & ergo Jesuita, dum hæc, & illa loquuntur. Nisi forsitam his visis, probabilitatem, viamque suam jam dicant directam; quod si dixerint, totidem alia supererunt, quæ in ipsos intorqueantur.

§. VI.

Alia ejusdem positionis incommoda.

PRimum illud, quod sicut de probabili dictum est universimdictum est, cessabit totum probabile ab axtrinseco. Hoc enim fundatur vel consistit in assertione sapientium, horum autem assertiones, non ut videbantur, de rebus sunt, sed de probabili, quin sæpè contrarium eis de rebus ipsis videtur. Ergo cessat probabile ab extrinseco. Jam verò diximus, nihil referre quod de rebus in se loquantur: sicut namque de nominibus accidenrium dici solet, ea aliud significare, & de alio dici, ita Autores, & si de rebus loquantut, non res, sed probabilitates significant. Undè libri nihil conficiunt, qui conclusiones ponunt, & mox Autorum allegatione paginas implent: probari enim non poterit, Autores eos ita de rebus illis sensisse, si positio prædicta teneatur. Ex quo denuò locus ab autoritate tollitur, siquidem constare non poterit, quid cuique de rebus ipsis visum sit.

Prætereà fiet, assertiones scholarum dissidentium. quo videntur esse plurium, eò futuras esse pauciorum, vel nesciendum. Nam multitudo illa assertionem quamque magis facit suam, & scholæ suæ propriam: eoque licebit minus contrariam edocere. Eò ergo major, honestiorque causa aderit, ut unusquisque, quidquid sibi videatur, sequatur, & tradat probabile suorum. Undè videbitur quidem, rem ipsam substractam, & assertam esse omnium scholam illam profitentium; & fortè nullius, vel paucorum aliquorum est; reliqui verò de probabili locuti sunt, ne scholam perturbarent.

Fiet etiam, ut par. 1. tractatum est, scholarum dissensiones, & bella esse interminabilia. Nam unusquisque unius scholæ honeste docet, & vendicar probabilem opinionem scholæ suæ, & contrarius contrariæ; & hoc semper, & sine fine. Ergo nunquam còntentio ulla terminari poterit. Indè omnes hæ disputationes, & lites erunt quidem; ut supponitur, honestæ; & erunt simul inhonestæ, & imprudentes: nam motus est propter quietem, & negotium propter otium, & bellum propter pacem, ut in libris Politicor. traditur: ergo imprudens est bella movere, vel habere, quæ finiri numquam possint. Stultum præterea est, res impossibiles aggredi: at si non veritas, sed probabilis est lex docendi, cum scholæ integræ placita nulla disputatione improbabilia reddi queant, ea oppugnare erit aggredi, molirique impossibilia; sunt enim hæ probabilitates bipedes, & bilingues, quæ in utroque, & pro utroque contradictorio adsunt. Undè finis erit non quidem doctrina, & scientia, & veritatis manifestatio, sed sua tueri, pugnareque perpetuò, & sine fine. Ubi sic t absurdum sanà foret, res nostras, fundos, domos, & agros in hoc statu interminabilium litium collocare, & Respublica esset in perpetua dissensione, & perturbatione: quod ut impediretur, Judices constituti sunt. Quo ergo magis scientiis rebus aliis præstant, eò erit absurdius scientias, & sacram etiam ipsam Theologiam eo in statu, perpetuoque motu, ac dissensione collocare, ut collocat ea positio. Quæ omnia par. 1. lib. 1. magis declarata sunt exemplo sectarum Heracliti, Protagoræque. Ecce quantopere sacra Theologia fædata, prostitutaque ab eis est, qui ejus sanè Majestatem, nec quid ipsa sit, non noverunt.

§. VII.

Sequitur postremò, positionem illam adimere Autoribus suis omnem suam autoritatem.

NOn dico, eos nullam autoritatem habere, sed sequi id ex sua positione, quin & cæteris autoritatem suam adimeret, si illi eamdem docendi rationem secuti fuissent. Diximus itaque lib. quæst. 1. qood pleniùs part. 1. disputatum fuerat, Probabilitas nimiam, Romanoque Pontifici, & Ecclesiæ parem, & etiam majorem autoritatem in doctrina morum, dirigendisque moribus sibi tribuisse; sed verè, ut inquit Tertullianus, qui ubique est, nullibi est, & qui omnia vult, omnia perdit: & ita dum suis probabilibus sibi nimium tribuunt, illisque omnia referciunt, factum demum est, & secutum per consequentias, ut omnem sibi autoritatem adimant.

Autoritas omnis quoad præsens ex Theologorum omnium consensu consistit in non falli, neque fallere, utque in scholis loquimur, in duplici veritate, altera in cognoscendo, altera in dicendo; sive utraque sit de constitutivo autoritatis, sive non nisi una; altera verò de connotato requiritur; utraque tamen necessariò requiritur, ex omnium confessione; in quibus sanè falli non possumus. Undè juxta omnes ignorantium quia nesciunt, vel falluntur, & mendacium, quia fallunt, nulla est autoritas. Atque hæc, opinor, non acuta, tamen sophistica sunt, sed vera, & realia: sumus enim, contra quam quidam obloquuntur, realitatum, & veritatum quam acuminum amantiores: & advertere sanè possent ipsi, realitatem, & veritatem rem esse vel unam, vel connexissimam: nos porrò pro veritatis necessitate, & regno ubique pugnamus, ipsi verò contra ejus necessitaté pro probabili causam omnem agunt; cum tamen sophisticum esse, & acutum, sed phantisticum esse aliud non sit, quam veritate: carere: cum item omne carens veritate realitate etiam careat, necesse sit.

Juxta ipsos itaque deest sibi veritas in cognoscendo: deest etiam veritas in dicendo saltem circa res assertas: nulla est ergo ipsis autoritas saltem circa res assertas. Prima pars antecedentis patet ad hominem; nam nos tota part. 1. aliud non voluimus, quam non probabilitatem, sed solam veritatem esse regulam conscientiæ, atque veritate ipsa esse vivendum. At hoc vix non monstrum ipsis visum est; & clamant, quasi nos constituissemus, ex cibis, qui transmare sunt, aut in profundo terræ latent, esse vivendum; & inquiunt, veritatem ipsam inveniri non posse, quin eorum plurimi Jansenismum incunctanter pronuntiant, hanc ad ipsas rerum, legumque

Verita-

veritates obligationem, id est, ajunt, esse obligationem ad impossibile. Quæro ergo, de quibus loquantur, an de quibusdam aliis hominibus, an de se ipsis? Si de aliis quidem loquuntur, ipsi verò veritatem nossent, facilè eam illis aliis planè communicarent. Ergo de se ipsis quoque loquuntur... Ergo ipsi non solùm veritatem ipsam rerum non agnoscunt, sed est hoc sibi vel difficillimum, vel prorsùs etiam impossibile,; & Jansenismus. Ergo carent veritate in cognoscendo. Patet consequentia; nem ubi se hac rerum harum contentione, & tanquam in loco proprio de veritate in cognoscendo tractatur, hoc nomine aliud non significamus, neque ponimus, quam res verè, cognoscere, seu cognoscere eas; ut re vera sunt. Ergo quibus est difficillima, vel impossibilis veritas, est difficillima, vel impossibilis veritas in cognoscendo. Sed sibi ex sua confessione, est difficillima, vel etiam impossibilia veritas. Ergo & veritas in cognoscendo: ergo carent illa.

Rem expouo. Omninò impossibilia numquàm contiugunt; difficillima verò contingunt raro, & in paucioribus, ut Philosophia omnis, experientiaque statuit. Ponamus ergo non prorsùs impossibilem, sed tamen difficillimam juxta adversarios esse veritaris ipsius, ac rerum ipsarum cognitionem, & invenrionem. Ergo ex sua confessione rarò in paucioribus eam assequentur. Rarò ergo, & in paucioribus consequentur, & habebuut veritatem in çognoscendo. Ergo nulla erit ipsorum autoricas; nulla siquidem est eorum autoritas, qui fere semper falluntur, & in quibus etiam non falluntur, nescitur, quænam illa sint. Iterùm quia præsumptio est eorum, quæ plerumque contingunt: sed juxta adversariorum sententiam sequitur, carete se plerumque veritate in cognoscendo. Ergo præsumptio est pro non autoritate. Rursùs quia sic est falli contra autoritatem, sicut non falli pro autoritate: Ergo ex plerumque falli magis sumitut non autoritas, quam ex non falli rarò sumatur autoritas. Postremò quia part. 1. lib. 2. ostensum fuit, eorum, qui plerumque falluntur, nullam esse autoritatem: sed juxta adversarios veritas in cognoscendo est sibi ut minimum difficillima, ac proindè rarò contingens: Ergo plerumque ea carent: Ergo nulla erit ipsorum autoriras.

Atque hæc de veritate in cognoscendo. Nunc, quod hujus loci magis proprium est, de veritate in dicendo breviter disseramus. Fiunt ipsi, atque hæc est sua professio, docere se posse, & consulere probabilia quæque contra, & præter opinionem suam directam, & circa res quin ita sæpè expedire. Opinio autem sua uniuscujusque directa, & circa res est sensus suus; mens sua, & intellectus suua directus, & circa res. Ergo ipsorum professio est, docere se posse, & consulere probabilia quæque contra, & præter sensum suum, mentem suam, & intellectum suum directum, & circa res; quin ita sæpè expedire. Opinio autem sua uniuscujusque directa, & circa res est sensus suua, mens sua, & intellectus sum directum, & circa res. Ergo ipsorum professio est docere se posse, consulere probabilia quæque contra & circa res? quin ita sæpè expedire. At veritas in dicendo directa, & circa res formalissimè consistit in conformitate oris, & cordis; sensus, mentisque, & verborum directa & circa res: nec aliud est veritas in dicendo, ut rusticissimi quique norunt, quam quod res dicamus, & asseramus, sicut, & quemadmodum ipsas novimus, ac in mente habemus. Ergo dicere, se docere posse, & consulere probabilia quæque, contra, & præter sensum suum, mentem suam, & intellectum suum directum, & circa res, quin ita sæpè expedire, est profectò dicere, se non teneri ad veritatem in dicendo directam, & circa res; quin expedire sæpè, ut eam prætereant. Ergo privant se veritate in dicendo directa, & circa res. Quoad res ergo, de quibus loquuntur, autoritate carent.

Declaro. Loquuntur de rebus præter, aut contra quam ipsi de eis sentiunt; nam docent, & consulunt præter, & contra opinionem suam de illis in se: certè aliquandò præter, & contra; aliquandò juxta docenc, & consulunt. Nescitur ego saltem ubi, & quandò sit conformitas oris, & cordis circa res; & solùm scitur, aliquandò eam dari, nō dari aliquandò aliquandò. De rebus ergo ipsis, de quibus loquuntur, credere poterit nemo; ná prorsùs nescitur, ubi præter, & contra sensum suum circa ipsas, & ubi juxta eloquantur. Ergo privant se veritate saltem ab eliis cognoscibili in dicendo. Ergo autoritate, fide & dignitate. Profectò ubi licerent, Imò etiam sæpà expedirent mendacia, quemadmodum commentus est Plato, nemo aliis credere posset. Demus itaque, Probabilistas liberari quidem à mendacio morali beneficio reflexarum: at ipsi dicunt, se docere posse, & consulere iu probabilibus de rebus, præter, & contra quam de eis in se sentiunt: imò expedire id sæpè. Ergo nemo ipsis credere de rebus poterit, quibus scilicet licet aliter de eis sentire, & aliter loqui, vel nihil sentire, & tamen affirmare; habere in mente, hunc contractum esse usurarium, & ore dicere non esse peccatum.

Confirmo exemplo omnibus noto. Dei profectò summa est autoritas; placuit tamen Theologis & de eo disputare, utrum Deus mentiri, decipere re positive aliquem possit saltem in pænam peccati? & affirmarunt quidem aliqui. At plerique omnibus verissimè visum est, hoc ipso cadere totam quantam autoritatem ipsius etiam summi Dei: quia nesciremus, utrum hic, & nunc falleret nos in pænam peccati. At abigamus à Deo glorioso omne mendacium, & demus solùm, eum nobis res aliquas revelere præter, aut contra quam in mente sua sunt. Profectò caderet eodem modo sua autoritas, & dubitaremus; nasciremusque utrum res, quas, revelat, & eloquitur, ita sint; vel aliter sint in mente sua, & an ad docendum, an ad puniendum verba faciat? Adversarii ultrò fatentur, se res sæpè affirmare, vel negare, non quemadmodum directè, & de eis in se judicant, & opinantur, sed præter etiam, & contra ex probabili contrario. Dubitabimus ergo, & nesciemus, quo sensu loquantur, nec dabitur, vel saltem nescietur ipsorum veritas in dicendo, cadetque sua autoritas.

Ais, ipsos animadvertere, quandò de suo, quandò solum reflexè, & ex alieno probabili eloquantur. Sed inprimis part. 1. ostensum est; in his involui multas contrarietates, & contra-

dictiones; item Theologiam reddi, efficique de secundum quid: atque alia tractata sunt. Nunc dico, id eos advertere quidem aliquandò, sed rarò, atque in scholis, & in docendo vix unquam: ubi enim, vel quandò audimus dicentem aliquem; ego quidem hoc sentio, & tamen contrarium doceo. Imò ex hoc argumentor; pudor esset hoc fateri, & hoc ipso suam ille sibi adimeret autoritatem in iis, quæ docet, fessus est, se contrarium sentire. Ergo nihil, vel vel aliud sentientium, & siquidem aliud docentium nulla est autoritas, positio, hæc fit Theologorum, & dissidentium scholarum professio, sua eis tolleretur autoritas. Mundum præterea regnaque fallerent; nam cum has, & illas res docent, ac etiam tam operosè defendunt, omnes credunt, eos ita de eis rebus sentire, sicut loquuntur; & sic etiam pro rebus ipsis in se, earumque veritate allegantur. Ergo gravissimè delinquerent in rebus tantis aliter sentiendo, & mundum, & regna re ipsa fallendo. Quarum sanè rerum absurditas ex eo tandem declaratur, quod si in scholarum ingressu, facieve librorum inscriberetur; hic quidem res ipsas affirmamus, & negamus; at juxta, vel præter, vel contra sensum ipsum nostrum, prout causæ postulant, loquimur, profectò tota librorum, scholarumque autoritas concideret. Sic ergo etiam erit, etsi nihil inscribatur, si re ipsa ita fiat.

§. VIII.

Ex his ergo, superioribusque quæstionibus concluditur gravis obligatio Ministrorum Theologiæ ad veritatem.

NOtamus sæpè, nos de ea veritate agere, quæ exteriori locutioni correspondet, ne nos reflexis ubique eludant, & si de rebus ipsis est locutio, qualis est Theologica, vel omnis, vel ferè omnis, veritatem directam; reflexam verò, si reflexa sit exterior locutio, significamus: cujus veritatis definitionem sciunt omnes, & dicunt, orationem esse veram, vel falsam ab eo, quod res est, vel non est, res, inquam, ipsissima illa, quam locutione exteriori enunciamus: & si dicimus, contractum non esse usurarium, si revera est usurarius, oratio est falsa, quantæcumque probabilitates, & reflexiones in contrarium adsint.

Jam ergo ex dictis in hac quæstione patet gravis Magistrorum Theologiæ obligatio ad istam veritatem. Nam si hæc obligatio non daretur, esset, quia satis esset docere probabilia. Sed non sufficit, quin ex hac probabilium ad docendum sufficientia gravissima præjudicia inferuntur & Theologiæ, & Theologis; ostensumque est, positionem de sufficientia probabilium esse plenè absurdissimam, ac indè Theologiam ipsam, & Theologos reddi plenè ridiculos. Ergo admitti nequit. Sed ea semel remota; perspicua remanet ad veritatem obligatio. Ergo hæc datur. Confirmatur; nam gravissimè obligamur, Theologiæ, & Theologorum autoritatem non evertere, qua quippè opus habet Respublica Christiana. Evertitur autem, probabilia docendi, veritatemque deserendi facta, concessaque licentia. Gravissimè ergo obligamur eam licentiam nec nobis, nec aliis concedere, sed veritatem ipsam docere, scilicet neque falli, neque fallere. Utrum nihilominus aliquæ ignorantiæ invincibiles admittendæ sint in Magistris, inferiùs disseremus: ac determinabimus.

Porrò superioribus quæstionibus omnibus hæc eadem obligatio colligitur. Ostensum scilicet fuit multipliciter, nullos quantoscunque Magistros privatos fuisse in actu primo præservatos, atque redditos impeccabiles in docendo, ac nullos factos regulas indefectibiles in doctrina vel fidei, vel morum. Undè multis notoriis factis Hæresiarcharum magnarum certè animarum, eminentisque dignitatis hominum, Conciliorum postea ab Ecclesia reprobatorum, Doctorum legis, Synagogæ, coacervandorum Magistrorum, & aliis verissimam in utraque doctrina sententiam Evangelicam ostendimus. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

In his autem exemplis, factisque notoriis non illud malum fuit, quod his cæcis ducentibus probabile non videretur, quod docebant, ut superius latè ostensum est. Ergo malum erat; quod non vera, sed falsa docerent, non Dei, sed sua, & Deo contraria, ut sunt utique falsa omnia etiam probabilia. Sed tenetur quis sub gravi, se, & sequentes se in foveam non trudere. Tenetur ergo sub gravi veritatem docere. Quæ in superioribus pleniùs declarata sunt, ostensumque, Doctoribus quidem Synagogæ traditiones & opiniones seniorum suorum, & suas sic visas fuisse honestas & probabiles: quemadmodum videntur nobis traditiones, opinionesque falsæ seniorum nostrorum, & nostræ: malumque illud fuit, quod eis irritum facerent mandatum Dei. At hoc idem nos quoque præstamus, si veritate relicta, falsam opinionem etiam probabilem doceamus, quæ re ipsa negat, quod Deus mandavit vel addidit. Ergo graviter, sicut, illi, delinquemus.

Magisterium itaque continet quasi substantiam actus docendi, & circumstantias. Atque ex circumstantiis quidem verum docendo, sed non ibi, & quando, & quomodò oportet, peccari potest. Bonitas verò, vel malitia actus quoad substantiam actus docendi sumitur ex verò, vel falso; quemadmodum bonitas, vel malitia actus vendentium ex pretio justo, vel injusto. Tota proindè peccabilitas Magistrorum quoad substantiam actus sumitur ex eo, quod falsa doceant. At possunt Magistri etiam quoad substantiam actus graviter peccare, & esse graviter mali, sicut cæteri homines in suis officiis, ut fuit ostensum, nec est ullum privilegium. Ergo fiunt graviter mali falsa docendo. Ergo graviter tenebantur vere docere. Quæ eodem vendentium exemplo explicantur. Sic enim differunt ex 1. Elench. falsa doctrina apparens, ac probabilis & vera, sicut differunt auricalchum, & aurum: ac vendens auricalchum, pro auro, nisi ab ignorantia invincibili excusetur, peccat graviter. Ergo etiam docens falsam doctrinam probabilem pro vera. Tu forsitan dices; aurum rem esse pretiosissimam, & magni momenti. At liber sapientiæ c. 7. dicit: & *præposui illam* (scilicet sapientiam) *regnis, & sedibus* &c. & omne aurum in comparatione illius arena est exigua. Sapientia autem Christianorum vera utique & doctrinam revelatam Dei, & ejus filiam sacram Theologiam

logiam complectitur; quamquam nisi accedat charitas, illa non ædificet, sed inflet. Quæ in sequentibus magis exponentur.

§. IX.

Magister ergo Theologiæ tenetur Theologiam docere, non dissipare: dissipat autem, & non docet falsis etiam probabilibus. Ergo tenetur ad vera.

SUb intelligo obligationem gravem, quam ipsa materiæ gravitas demonstrat, magis confirmabo. Nescimus verò, quam in argumento proposito nobis negaturi sint propositionem; nam omnes videntur manifestæ. Num fortè negaverint primam, qua diximus, Magistrum Theologiæ teneri Theologiam docere, non dissipare? Probamus itaque illam sic.

Magistri Theologiæ officium est docere Theologiam sicut officium operarii vineæ est colere vineam, & custodire; sicut architecti ædificare domum: judicis judicare, & ita de cæteris. Sed operarius vineæ tenetur (& quidem graviter) vineam colere, & non dissipare; & quasi dupliciter peccat non colens, & insuper dissipans. Ergo Magister Theologiæ tenetur (& quidem graviter) Theologiam docere, & non dissipare, & quasi dupliciter peccat non docens, & insuper dissipans.

Dixerint forsitàm, operarium vineæ esse mercede conductum: undè contrà justitiam peccat, si non excolat; Magistros autem non ita. Sed primo nulla etiam mercede conducti peccant contra justitiam, si vineam demoliantur, & dissipent: sed magister falsa probabilia docens non modo non docet, sed demolitur etiam, dissipatque Theologiam: ergo peccat contra justitiam. Deindè multi Magistri stipendiis conducti sunt: ergo hi saltem eodem modo, & à fortiori peccabunt, ac restituere etiam tenebuntur. Item omnes promittunt se docturos Theologiam; ergo saltem contrà fidelitatem in re gravi peccabunt. Postremò omnes contra justitiam peccabunt, & si stipendia nulla habeant; nam discipuli, ut ab eis Theologiam habeant, ac perdiscant, ipsis scientibus, & volentibus, ac tacite saltem, & facto ipso pascicentibus, faciunt expensas graves, & quantum, quæso, communitates regularium expendunt, ut adolescentes sui Theologiam addiscant? ergo Magister expensas has tantas, & tempus, & annos frustrana, & Theologiam non docens graviter contra justitiam peccat. Atque tandem, quod fortè maximum est Reipublicæ etiam Christianæ valde in re longè gravissimà, sibique necessaria præjudicat. Valet ergo à fortiori consequentia ab operario vineæ ad Magistrum Theologiæ, sive hanc non doceat, sive dissipet.

Sin vero dixerint, nihil sanè Theologiam, plurimi verò interesse vineam, contemnendi, miserandique planè erunt; & quid Theologia sit, quantum ejus momentum, & quid ratio, intellectus ve, nescirent. Constat itaque ex terminis ipsis, item ex intellectu, & objecto Theologiæ; ex Academiarum etiam erectione, ex Romanorum Pontificum, Principumque privilegiis, ex stipendiis, ex sensu omnium, & singulorum, Theologiam longè præstare vineæ, indignumque eum esse, qui de eo dubitaret, ut Theologiam nonmodo doceat, sed etiam ut audiat, & ad Epicureos mittendum esse. Ergo ex operario vineæ vineam non excolente, sed dissipante valet evidentissimè à fortiori consecutio ad Magistrum Theologiam non docentem sed dissipantem. Quod etiam jus Academiarum demonstrat; mulctant enim in stipendiis, qui desunt, nec docent. Verùm est igitur prima argumenti propositio, quod Magister Theologiæ, tenetur Theologiam docere, & non dissipare.

Jam secunda propositio quod qui docet falsa probabilia, Theologiam non doceat, sed dissipet, sumitur immediatissimè ex alia omnium propositione 1. part. quæst. 1. & in prob. Sent. quibus in locis omnium propositio est Theologiam esse scientiam. Est quidem dissensio cum Aureolo, & aliis, utrum propter defectum evidentiæ rerum, quoniam non ex notis, & claris, sed ex revelatis, & obscuris colligitur, perfectio aliqua scientiæ illi desit: at omissa hac evidentiæ particula de cætero Theologiam scientiam esse, omnes fatentur. Ex hac propositione ista immediatè colligitur ex ipsa definitione scientiæ 1 Poster. ergo Theologia est vera: nam omnis scientia est ex veris, & vera: maximè verò Theologia est ex veris, quia ex revelatis ab ipso Deo: proindeque est etiam certior omni scientia naturali; nam habet principia certiora prophetici sermonis. Nam subsumo istam propositionem innegabilem: sed verum dissipatur, & destruitur per falsum etiam probabile. Ergo Theologia dissipatur, & destruitur per falsum etiam probabile. Ergo Magister Theologiæ docens falsa probabilia non solùm Theologiam non docet, sed eam etiam dissipat, & destruit.

Quam rem, quoniam hujus vocis *probabile* ne fascinum dicam, tanta est vis tus, sic magis declaro. Sicut propositio vera, nequit esse in eodem intellectu cum alia sibi contraria, vel contradictoria improbabili, ita neque cum alia sibi contraria vel contradictoria probabili. Et rursùs qui cogitur contraria vel contradictoria etiam probabilia simul concedere, habetur pro convicto, nec juvat, ea esse probabilia; quia verum, & falsum etiam probabile sic pugnant, id est, omninò pugnant, & se se destruunt; sicut verum; & falsum improbabile. Sed Theologia est vera cognitio. Ergo destruitur falso etiam probabile. Eo quod per manifestam consequentiam hoc sequitur, in ejus intellectu nec unciam quidem esse Theologiæ, cujus omnes cognitiones sunt probabiles. Ergo falsum etiam probabile est dissipativum, destructivumque Theologiæ. Ergo quisquis falsa etiam probabilia docet, haud docet, sed dissipat, destruitque Theologiam.

Rei fœditatem, præjudiciumque magis explico casu Evangelii. Seminavit Paterfamilias bonum semen in agro suo, id est, Deus verbum suum, totum utique verum in Ecclesia. Post verò veniens inimicus homo superseminavit zizania. Nemo, opinor, ambiget, hoc inimici hominis factum non fuisse factum perniciosum, & diabolicum, atque gravissimè malum, ac fœdum. At hoc facit, qui falsa seminat in agro Ecclesiæ; quæ certè omnia de bono illo semine non sunt, neque nascuntur, ut patet. Ergo pertinent

nient ad zizania, uti pertinent utique falſa hæretica, & erronea, & ſcandaloſa quæque.

Nec poſſunt etiam non pertinere falſa probabilia; tum quia omne in agro ſeminatum pertinet vel ad bonum ſemen, vel ad zizania; nullum porrò falſum etiam probabile pertinet ad bonum ſemen: tum quia Hieronymus congruentiſſimè ad Evangelium rem exponebat dicendo: *ſed inter triticum, & zizania, quod appellamus lolium, quamdiu herba eſt, & nec dum calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo nulla, aut difficilis diſtantia*: proptereaque periculum erat, ne ſimul eradicaretur & triticum. Ergo grandis etiam ſimilitudo cum tritico, & cum vero non efficit, ne falſum quodlibet ad zizania pertineat. Ergo neque probabilitas, & veriſimilitudo etiam grandia falſorum; quemadmodum fictæ quæque virtutes; veris etiam ſimillimæ ad zizania, non ad bonum ſemen reducuntur. Ergo Magiſter in Eccleſia docens falſa etiam probabilia verè zizania superſeminat, bonoque ſemini officit, ac verbo Dei, indeque hauſtæ Theologiæ detrimentum infert, atque deſtruere pergit.

Itaque probabilitaa, & ſimilitudo cum vero excuſare forſitam aliquoties poteſt docentem; malum tamen ipſum, & præjudicium, cæteris paribus, majus, & inſanabiliua facit, faciliusque, & latiua propagatur. Nam falſa ſolùm ſimilitudine veri admitti poſſunt: quo ergo ſimilitudo erit grandior, eò faciliùs, & à pluribus malum admittitur, quia, ut ajebat Hieronymua, in diſcernendo nulla, aut difficilis eſt diſtantia. Undè hæres etiam ipſæ eò ſunt periculoſiores, quo verò ſimiliores; & opiniones morales falſæ, cæteris paribus, eò nocebant magis, quo acutius, ſubtiliusque excogitatæ fuerint, & majori docentium multitudine commendatæ, ut in caſu de Magiſtris coacervatis; & in caſu Doctorum Synagogæ in receptiſſimis illis ſuis traditionibus; & in caſu hæreſis Arianæ, quandò terrarum orbis ingemuit, & tot etiam Epiſcopi defecerunt. Longè igitur à verò abeſt, quod Magiſter docens falſa Theologiam non deſtruat, quia probabilia ſunt; quin ideò ea pluribus perſuadet, ac diutiùs firmat, & à plurium mente Theologiam, quæ vera eſt, eradit, & loco ejus malum illi contrarium, & zizania intrudit.

Profectò Deus glorioſus agnoſcit omnes librorum, & ſcholarum propoſitiones veraa, & falſas probabiles. Fingamus ergo, eum in pœnam peccatorum tollere à mundo omnes veras, & relinquere omnes falſas probabiles. Certè tunc nulla jam in mundo Theologia ſuper eſſet, niſi Probabiliſtis placeat libros Poſterio. corrigere, & ubi ſcriptum eſt, ſcientiam eſſe ax veris, & veram, ponere, ex veris vel ax falſis probabilibus. Sanè quidquid de libria Poſteriorum ſit facere non poterunt, ut in falſis illis probabilibus ſuperſit ulla Dei ſcientia in terris, quæ quoniam defuit, populus captivus ductus fuit.

§. X.

Melius, vel minus malum eſt ignorare, quam probabiliter etiam errare. Ergo Magiſter falſis probabilibus non ſatisfacit, ſed ad verum obligatur.

HÆc eſt propoſitio alia, ut nobis quidem videtur, notiſſima, & innegabilia, ſcilicet melius, vel minus malum eſſe ignorare, & neſcire, quam probabiliter etiam errare. Supponitur illa tanquam notiſſima ex Auguſtino in Echir. ad laurent, in Decreto 38. diſt. *quamvis*, ubi ait: *nam in una, eademque re & neſcienti ſciens, & erranti non errans recta ratione præponitur*, & Ariſtoteles ait, magis inter ſe diſtare contraria, quam contradictoria, & S. Thomam alibi damus in idem. Sed ignorans, & neſciens non errat: ergo erranti recta ratione præponitur. Errat autem veriſſimè qui probabiliter errat, niſi eidem Auguſtino lib. 3. contra Academ. cap. 15. riſum moveamus: *verè vobis dicam* inquit, *cum iſta cogitarem riſum tenere non potui, fieri per Academicorum verba, neſcio quomodò, ut erret ille, qui veram viam vel caſu tenet: ille autem qui per avios montes probabiliter ductus eſt, nec petitam regionem invenit, non videatur errare.* Hæc Auguſtinus, qui riſum poſteà in luctum propter probabilia iſta convertit.

Hoc porrò; quod ad riſum moverat Auguſtinum, neſcio quo modo ſequitur expoſitione contraria: quod ne diſgrediar prætermitto, & propoſitionem reſumo, & dico: meliua eſſe, vel minus malum eſſe, res quaslibet, & rem quamlibet prorsùs neſcire, & ignorare, quam circa eas, vel eam probabiliter etiam errare. Quæ propoſitio ex hoc primo omnium principio ſumitur, quod intellectus eſt ad verum. Ex hoc enim ſequitur, bonum intellectua eſſe verum; & malum intellectus non verum, ac etiam falſum. Quidam verò Recentior, hoc nuper negavit, delyrat deglutiens monſtra, quæ ſequuntur. At in, ignorante; & neſciente eſt quidem non verum non tamen falſum; in errante verò etiam probabiliter eſt, ſicut in neſciente, non verum; & præterea etiam falſum. Ergo majus, & quaſi duplex malum. Ergo minus malum eſt prorsùs ignorare, & neſcire, quam probabiliter etiam errare.

Explicatur; nam omnes duplicem ignorantiam diſtingunt, aliam privationis, id eſt, ſolius ignorantiæ; & aliam pravæ diſpoſitionis, id eſt; erroris atq; iſtam dicunt deteriorem: ergo in rebus quibusque pejus eſt errare etiam probabiliter, quàm ignorare, & neſcire. Et confirmatur: namque plua diſtamua à bono proprio, eò deterius habemus: intellectus autem etiam probabiliter errans plus diſtat a bono ſuo, id eſt, vero, quam ignorans; nam ignorans caret ſolum bono ſuo; errana verò tendit, & elongatur in falſum contrarium: & comparantur, ſicut hærens in via, quia neſcit, quò tendat in urbem; & errans, qui pergit in contrarium. Ergo deterius & errare etiam probabiliter; quã neſcire vel ignorare.

Atque hoc paret inductione rerum omnium, ut in voluntate, quæ minùs mala eſt, ſi virtutibua ſolùm per pigritiam careat, quam ſi vitiis poſitivia contrariis laboret. Et ratio, ut diximus, eſt manifeſtiſſima: nam privatio unum duntaxat

taxat malum ponit: error verò illudi, & insuper alitud positivum; quod privationem ipsam magis firmat, ac statuit; & prætereà est impeditivum, & restitivum boni inducendi: qua de causa facilius molto est ignotantes edocere, quam errantes: & errans quisque primùm dedocendus est, & deindè docendus, ac duplici opera, & labore opus est, utque Nazianzenus orat. 1. apol. inquit, *duplex labor suscipiendus erit, ut & priores litteras deleat, & probatiores, digmoresque, qua maneant, substituat.* Patet ergo multiplicíter ex his, pejus esse probabiliter etiam errare, quam ignorare, & nescire; quod & exempla agrorum nullis herbis malis, vel plorimis refertorum patet. Et utinam non satis, nimiumque experiremur, quanto impedimento sint tectæ, veræque doctrinæ inducenda opinio nec probabiles falsæ altissimè cõsignatæ; proptereaque ab initio ad adolescentes falsis nullis impeditos, & solum ignorantes opus hoc nostrum direximus; nam alii; ut idem loquitur Nazianzenus, *prius omnia projecerent quam opiniones, quas domo secum afferunt, & dogmatum, quibus innutriti sunt, consuetudinem.* maximè verò si de via spatiosa in arctam deducendi sint.

Sed inquis, errores esse probabiles. Quid verò? Num ergo proptereà errores esse desinunt, quia probabiles sunt? Probabilitas itaque sic malum nõ tollit, sicut falsum non tollit: at falsum non tollit: ergo neque malum. Rursus probabilitas verum non ponit: ergo neque bonum. Vocum igitur fucum, precor, relinquamus; nam nulla est virtus in verbis: & tunc probabilia falsa desinent esse mala intellectus, & hominis, & librorum, & Reipublicæ, atque bona fient, quandò desinent esse falsa, & fient vera. At probabilitas neque falsum tollit, neque verum ponit, & falsa probabilia sic falsa sunt, & non vera; sicut falsa improbabilia, & prius cælum, & terram transibunt, quá falsa probabilia vera fient, aut falsa esse desinent. Ergo sicut prius.

Ais, accutissimè, subtilissimè, maximis que apparentiis constituta sunt. Sed verò; dictum est, eò malum fit majus. Apparentię. Itaq; & subtilitates, sic malũ nõ tollunt, sed firmãt; sicut falsũ nõ tollunt, sed firmãt. Ergo quo majores sunt apparentiæ, eò pejus est errare, quã ignorare, vel nescire.

Sed adeò in naturam versa est vox ista probabilitatis, quasi bonum quidpiam apprehenditur; vix ut unquam dicturi simus satis. Magna certè miseria est, cæcum quem esse, qui ignoranti comparatur, sed est pejus in suo genere; nam ignorans discera potest; cæcus videre non potest. Nihilominus cæcò ipso miserior esset, qui apparentiis falsis eluderetur, larvisque, & umbris illusus videret; quæ non sunt; non autem, quæ sunt: ubi taurus, ubi præcipitium, cibus, & potus, & amici sunt, non videret esse; ubi autem non sunt, videret tauros, lupos, ursos, cibum, & potum; vel cui amicus leo videretur; leo autem quisquam amicissimorum. Cæcis ipsis miserior ille foret; & cito etiam insaniret. At maximis apparentiis eluditur. Nam ideò malum tollitur? Vel malum quidem est visum errare; malum tamen non est, aut minus est, intellectum errare? & cæcitate etiam ipsa deterius est, visum maximis etiã apparentiis, visibilia invertere; & ignorantia, quin etiam ipsa intelligendi impotentia, quand in durat, deterius non est, intellectum maximis quibusque apparentiis intellectualia invertere, affirmare, quæ non sunt; negare, quæ sunt; bonum dicere malum, & malum bonum; tenebras lucem, ac vice versa? Verissima ergo est assumpta propositio, minus malum esse ignorare etiam probabiliter. Advertant ergo, obsecramus, quid sit intellectus, quod bonum ejus, quod malum: quid verum, & quid falsum etiam probabile: & tunc bellũ deseret probabilũ contra verũ.

Consequentia erat, Magistros teneri ad verum relictis probabilibus vero, & falso communibus. Quæ consequentia patet; nam Magister qui liber vel propter stipendia, vel propter tacitum cum discipulis pactum, tenetur graviter, ut §. præc. dicebatur, docere, & docendo ignorantiam tollere, discipulosque ex ignorantibus scientes reddere. Ergo à fortiori tenetur graviter, eos non reddere deteriores quam erant. At qui ignorantes, erant, falsis probabilibus deteriores redduntur, ut est ostensum. Ergo Magister tenetur graviter non falsa probabilia, sed vera edocere. Quod exemplo Medicorum, reliquorumq; officiorum patet.

Si nauta aliquis etiam sine mercéde promittit vehere me Barcinone Neopolim transvehat verò in Angliam, peccaret graviter propter nocumentum illatum; quia longius Neapoli, quam aram; me posuit: & similiter agricola si gratia etiam loco tritici lolium, aliamus malam herbam tritico etiam simillimam seminet in agro alieno, peccat graviter propter magnum nocumentum: & ita alii. Sed hoc facit, qui ignorantem antea discipulum falsis probabilibus imbuit. Ergo peccat graviter. Magister itaque quilibet professione sua promittit, se ignorantiam ablaturum, scientiamque ipsam consignaturum. Dum ergo falsis probabilibus deterius disponit, & scientiam ipsam magis impedit, ignorantiamque firmat; atq; longiùs a vero, quam essent, discipulos trãsvehit, gravissimè sanè eis illudit, & præjudicat.

§. X.

Corollariis quibusdam doctrina præcedens illustratur.

EX dictis sequitur primo, melius esse, nullos habere Magistros, quam eos habere, qui probabilia, sed falsa consignant, vel quia vera neq; norunt; vel etiam si noverint, pro falsa contratio probabili divendunt. Etenim melius, est, ut probavimus, ignorare, quam probabiliter etiam errare. Ergo melius quid sunt non Magistris, quã Magistri probabilia, sed falsa venditantes, & docentes. Bonum tamen illud haud negamus. quod Augustinus etiam in peccatoribus agnovit, ut scilicet, boni per ipsos exerceantur. Sic quoque boni Magistri exercentur à Docentibus falsa.

Rursùs sequitur, eos Theologiam non docere quorum hoc opus ferè totum est, prolix è memorate, Rogabat Chrysostomus superius, ut relictis rerum opinionibus res ipsas, & regulam scripturarũ consequeremur. Sunt alii, inquit Gerson lib. 4. pros. 9. de consolat. Theolog. minus culpabiliter, nescio, si minus tolerabiliter errantes, quos ex doctrina, dum moralem quærunt, certitudinem nullum lumen rationis movet ad assensum cujusvis agibilis; tantùmmodò satis est, si dicere potuerint hoc scriptum est; hoc talis Doctor in lectura sua sensit; hoc alius ita posuit, similes aspicientibus verso ad solẽ dorso &c. hoc ergo totum reflexum est. nõ Theologia, sed de Theologia. Theologisq; est: sicut exemplo Laërtii do placitis Philosophorũ omnibus noto explicavimus.

Sequitur item, magis ad restitutionem stipendiorum teneri eos, qui falsa probabilia docent. aut præter, vel contra opinionẽ suã docẽt, quã eos, qui nihil prorsùs docent, sed domi manent, nec scholã

adeunt. Nam hi quidem discipulos relinquunt ignorantes, quales invenerunt: at illi reddunt errantes, vel eò saltem operam navant. Quantò ergo deterius est errare, quam ignorare, tantò amplius restituere coguntur, qui falsa quæque docent, vel quæ, num vera sint, ignorant. Non pauci, ais, ita faciunt. Sed jam sæpè ex Augustino dictum est, hanc esse solutionem dolosè iniquitatem quærentium; non enim eam quærunt, ut fugiant, sed ut excusent, & defendant.

Item illi qui, sine stipendiis docent, tenentur, ut Petrus Nevarra dicebat, ad recompensandum illatum damnum; nisi nobis disputatio sit cum hominibus intellectus expertibus, qui damna agrorum, & corporum damna, quidem esse dixerint; secùs verò damna animæ, & intellectus, vel negeverint, falsa sanè quælibet esse intellectus demne, & detrimenta: quibuscum profectò agendum non est, quibus scilicet credendum est nihil.

Ex dictis etiam illud sequitur, iis adolescentibus, vel laicis, vel regularibus; qui septennium fermè in Philosophia, Theologiaque ad discenda insumunt, meliùs forè, si ignorantes: ut erant, remansissent, quam si falsis probabilibus capita oppleverint. Nam ut constitutum fuit, longè melius est ignorare, quam errare. aut longè deterius errare, quàm ignorare. Sed inquis: falsis his probabilibus sciunt saltem loqui: sapientes item videri possunt; & populos conciliare. Verum hæc sunt vanitas vanitatum, Pharisæorumque ambitum sepiunt. Loquentur itaque, sed errores, & errantes ipsi alios dein in errorem mittent; & non Doctores Theologiæ, & legis, sed utriusque megis eversores erunt: nam ostensum est, Theologiam dissiperi, & averti falsis etiam probabilibus: quod scelus eò est Mejus, quo Theologiæ 1. part. quæst. 1. constituitur necessaria in Ecclesia: tendunt ergo, quantum possunt, in destructionem scientiæ omnium sine dubio præstantissimè, maximeque necessariæ. Hoc prætereà faciunt non tanquam hostes, sed tanquam amici, & defensores; nam profitentur, se Theologiam tredere; atque tueri; & Doctores ajus esse volunt: defectionis ergo, proditionisque ad instar est, si eam falsis destruant: quod exemplo eorum, qui libros sacros tradebant, traditoresque ideò appellabantur, illustrari magis potest, & confirmari. Expono, si Ignerus quispiam, ut Julianus, Theologiam à mundo tolleret, peccaret scelestissimè. Sed in primis, qui falsa docent eam tollont, quantum possunt; & deindè magis quam tollunt; nam deterior est falsa Theologia probabilis, hoc est, Sophistica Theologia, quam nulla, quia melius est ignorare, quam errare quantiscumque; apparentiis imò Magnitudo apparentium non tollit malum, sed reddit insanabilius, vel universelius.

Ex his cum in hoc educationis adolescentium septennio tantæ, & pecuniæ, & temporis, & salutisque, & rerum aliarum expensæ, seu dispendia fiant, videndum super erit, utrum superiores gravissimè obligentur examinare, quæ, & qualia adolescentes sui perdiscant. Nam si falsis onerantur, ac infestiuntur, vel veris etiam in utilibus, sed curiosis, & vanis, præstaret, eos in ignorantia sua, simplicitateque relinquere. Ubi è re est documentum Gersonis part. 1. de examinat. doctrin. consider. 5. doctrinis, inquit ex Apostolo, variis, & peregrinis nolite abduci: quod ut prudentius observari valeat, non minimam dabunt præmissæ considerationes occasionem, juncta sedulitate, solertiaque superioris in omni collegio, universitate, vel monasterio; sed providerint, non minori solicitudine, quales apud suos doctrinæ frequententur ad animæ fomentum, quam panis qualis epponatur ad corporis nutrimentum. Hæc egregius Cancellarius. Fieri enim videtur non posse, ut laxe, mundumque, & carnem, & sanguinem sapientes doctrinæ frequententur in Collegio, Universitate, vel Monasterio, & plerumque ibi mores mundum non sapiant, & carnem, & sanguinem. Nec Gersonis argumentum ab exemplo panis negeri potest, nisi plus intersit corporis, quam animæ nutrimentum, vel fomentum. Ecce quot, & quanta essent planè considerenda & quanto jure Jacobus præscribat, *nolite plures fieri Magistri, fratres mei scientes, quoniam majus judicium sumitis*; ex Magistris scilicet præter ipsius doctrinæ, ac scientiæ detrimenta, vita etiam, moresque hominum valdè pendent, saleque infatuato cuncta corrumpuntur. Viderint ergo superiores, utrum ad hæc considerande gravissimè obligentur, & num animæ subditorum, quæ laxissimis doctrinis relaxantur, & pereunt, de manu eorum requirendæ sint? Et num intersit magis curare, quali pane, quam quali doctrina pascentur.

Etenim hoc loco firmum, & invictum est principium sanctissimi, P. Ignatii, scilicet vires appetitivas plerumq; sequi vires apprehensives. Quotum ergo laxæ sunc vires intellectuales, & doctrinæ; laxa quoque plerumque erit appetitus, & laxa vita. Sed hæc omitto, vel differo in alium locum; atq; l. ult. ostendam, laxie non quidè omnibus, sed aliquibus solùm admissis in Monasterio opinionibus probabilibus ullam vix speciem religionis, observantiæ mq; remansuram. Hoc hic obiter dixerim, vires apprehensivas, & intellectuales tangere nolle, & observantiam velle, esse desidetium parum certè intelligentium effi. aciam vitium animæ in se se; quid enim, aut quando consequentur, ut subditus opinionibus pro carne, commoditateq; planus carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigere firmiter statuat crucifigatq; contra vires apprehensives? Magis fortè numquam, quam rarò, quiq; id in corde suo statuunt, similes opinionas, & sensa abjicere solent; & ex aliis libris vivunt.

Certè vir ille magnus Mutius Vitelleschi societatis Jesu præpositus generalis vidit olim mala hæc etiam morum liberiorum opinionum, morisque docendi probabilie, & gravissimè inquit: nonnullorum sententiæ in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum est, ne societatem evertent, sed ne Ecclesiæ etiam Dei universæ insignia afferent detrimenta. Omni itaque studio perficiant (scilicet superiores, ut qui docent, scribuntve, minimè hæc regule, & norma in delectu opinionum utentur; *tueri quis potest; probabilis est; Autore non caret*. Hæc inter alia vir ille tantus: ergo nisi totus obstupuisset, & desipuisset, maxima mala ea sunt, quæ ex probabilium docendi licentia consequuntur, & periculum est, ne non modo societatem ipsam evertant, quia mores nostri doctrinas nostras plerumq; sequuntur, & vires appetitivæ vires apprehensi-

prehensivas, sed periculum etiam est, ne universæ Ecclesiæ Dei insignia detrimenta inferant. Ergo hęc causa non est peccati venialis, quod etiam tantis de causis tollunt, sed longè gravissima: & si probabilia docere liceat, restingui malum nequit singulorum, & omnium simul malarum opinionum. Fucus porrò, fraus que illa est, qua librum quis scriberet, & in singulis quæstionibus severiorem partem, & quæ pietatem aliis, edoceret: principio libri statuisset, licere usum quarumlibet opinionum probabilium: id est, omnium earum, quas in singulis quæstionibus reprobaret. Nam adempta larva, suus deorum sensus est, ut fusè, & sępe par. 1. lib. 2. exposui approbativus in praxi earum opinionum omnium, & singularum, & cum in singulis quęstionibus negat, nihil significat, quod vitæ nostræ interesit: quod eo loci clarissimè commõstravi. Neq; terrere nos deberet, quod plurimi falsa probabilia deserta veritate docerent. Nam vir ille Apostolicus Avila epist. 35. inter alia ad pręsens apposita fidenter statuit, omnem doctrinã, quæ præter Romanæ Ecclesiæ regulam fuerit, perituram cũ autoribus suis; & si plures sint guttis maris, stellisq; cœli celsiores; quia omnis plantatio, &c. ut superius tractatum est, eradicabitur: agebat verò de doctrinis, quæ intra Ecclesiam ipsam tradebantur. Verè enim omnis doctrina falsa quorumq; & quantorumcumq; pręter regulam est Romanæ Ecclesiæ, quæ nihil falsum docet; & est plantatio, non Patris cœlestis, sed alterius. Et si juxta Evangelicam veritatem, *qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit*, cum evidentissimum sit, falsa docentes non docere cum Christo, cujus nulla falsa sunt, profectò contra ipsum sunt, & dispergunt.

QUÆSTIO IX.

Utrum ergo hæc propositio non addetis, neque detrahetis, *& hæc alia* veritatem docebitis, *sint vel una, vel connexa.*

Sed prima est de præcepto, ergo etiam secunda.

QUasi quod scriptum est, intellectum esse ad verum, scriptum fuisset, ad probabilitatem: & & quod dictum est, Deum veritatem suam mandavisse nimis, dictum fuisset, mandavisse probabilitatem, audito probabili conquiescunt plurimi tamquam in centro. Quamquam ergo superioribus omnibus quæstionibus hoc eversum fuerit, nũc visum est propositarum duarum propositionũ; ostensa vel identitate, vel patentissimã cõnexione aliquos forsitan excitandos, & movendos, ut cum admittant alteram de altera saltem addubitent; nam juxta dictum Augustini, eadem res uno modo dicta non movet, alio modo dicta movet.

§. I.

Earum propositionum identitas, vel connexio.

SErmo est de additione, vel detractione à lege Dei mandatisq; ejus, eas itaq; duas propositiones esse saltem mutuo connexissimas, sic non tam probatur, quod innegabile est, quã manifestatur. Nullus verũ docens addit, vel detrahit; addit autem, vel detrahit omnis non verum, sed falsum docens, inquã falsum etiam probabile. Ergo hęc propositio, *non addetis, neq; detrahetis & hæc alia veritatem docebitis* sunt saltem mutuò connexa, quorum alterũ sine altero esse nequit, nec vice versa. si ergo omnis verum docens non addit, neq; detrahit, & omnis non verum, sed falsũ docens addit, vel detrahit; seu aliter omnis addens, vel detrahens falsum docet, profectò nõ addere neq; detrahere, & verũ docere, saltem mutuò connexa sunt.

Antecedens etiam est innegabile: nam omnis verum docens concordat cum lege; & omnis non verum, sed falsum docens non concordat: vel aliter: omnis verum docens dicit id ipsum, quod dicit lex: omnis contra, qui non verum, sed falsum, dicit, non solũ quod non dicit, lex, sed dicit legẽ dicere, quod non dicit seu legem non dicere: quod dicit. Sed hoc est addere vel detrahere legi; ergo nullus verum docens addit, vel detrahit: omnis autem non verum, sed falsum docens addit vel detrahit. Similiter omnis addens, vel detrahens dicit, vel legem dicere, quod non dicit; vel non dicere, quod dicit. Sed hoc est non verũ, sed falsum docere. Ergo omnis addens vel detrahens, non verum sed falsum dicit & docet. Ergo connexa saltem sunt, obligari ad non addendũ, neq: detrahẽdũ, & obligari ad docẽdũ verũ.

Atque hæc mutuam illius duplicis propositionis saltem connexionem apertè ostendere videntur. Identitas vero earum ita conficitur. Etenim dum prohibemur addere, vel detrahere, sermo haud est de ablatione, vel detractione quasi Physica rerum in se; nam sermo non est de impossibili; impossibile porrò est, quod nos quasi physicè & re ipsa addamus, vel tollamus; nec facere possumus, ut mandata, præceptaq; Dei alia re ipsa sint, & vel plura vel pauciora: quam re ipsa sunt; & quamquam totus mundus cõtra opinaretur, & operaretur, præcepta Decalogi manerent re ipsa decem nec plura, neq; pauciora; & ita est de omnibus, & de uno quoq; mandato; quod nequit à nobis magis tolli: quam cælum, & terra, neq; fieri, ut sit re vera mandatũ aliquod Dei. quod nõ est. Non est ergo sermo de hac impossibili additione, vel detractione. Est ergo sermo de additione, vel ablatione in intelligendo, vel in dicendo & docendo. Ergo propositio, dicens, *non addetis, neque detrahetis*, & propositio dicens, *verum docebitis*, una, & eadem est propositio.

Ex his mirandũ est aliquos, adeò horrere doctrinam nostram, Etenim hoc lib. de Magistris edimus, & hoc docemus, Magistros teneri ad veritaté tradẽdam. Sciunt porrò omnes, à Deo eis jussum sæpe esse non addere, neq; detrahere: hoc autem utrumq; unũ est: item toto opere tradimus, veritate esse cunctis vivendum, Deus porrò centies jubet non declinare ad sinistram: & utrumq; idem est. Enim verò consuetudo plurimis velut murus lapideus est ante oculos mentis, & plerique judicamus ex Philosopho, quemadmodùm consuevimus. Illam verò rerum omnium glosam, *non addetis neque detrahetis*, id est, improbabiliter; secus autem probabiliter quã quã satis contritũ, iterũ paulo inferiùs destruemus.

§. II.

Prima autẽ propositio est de gravissimo præcepto. Ergo & secunda.

SÆpe intimatum est hoc præceptum, tamquam singulorum, & omnium mandatorum fundamentum, & cardo. Deuter. 4. *non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis.* Deuter. 12. *quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, ne addas quidquam nec minuas.* Atque hæc quidem, & alia; quæ, afferemus de docentibus specialiter intelligenda videntur.

Jam de omnibus sive docentibus, sive de operantibus, similiter jussum est Deuter. 5. *custodite igitur, & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis nec ad dexteram, neq; ad sinistram sed per viam, quam præcepit Do. Deus v. ambulabitis, ut vivatis & benè sit vobis.* Omnis autem addens, vel auferẽs declinat ad dexteram, vel sinistram, neq; ambulat per viã ipsam, quam præcepit Dominus, nec via aliud est quàm præcepta ipsa: & fortè is declinat ad dexteram, qui addit; is ad sinistram, qui tollit. Tenemur ergo neque addere, neque tollere. Josuæ cap. 1. *confortare igitur & esto, Robustus valdè, & custodias, & facias omnem legem, quam præcipit tibi Moyses servus meus, ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram aut intelligas cuncta, quæ agis. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam.* Ecce quantis modis jubet & exponit ipsam ipsorum præceptorum viam

tenere, neq; ad alterutram partem declinare;ut declinat evidentissimè omnis addens, vel auferens: omnis item non verum, sed falsum docens. Ubi eorum misereare, qui sine mentione etiam fermè ulla hujus voluminis, & libri Deiaudēt viā Dei,salutisq; docere qui juris sanè rigore nec probabile quidē facere possunt,idē rursùs injunctū est Josuę 23.& prov. 4.&c.sæpè sub his terminis per universam scripturā infinities intimatū est. Ergo tenetur etiam Doctor neq; in unam, neq; in alteram partem doctrina sua declinare. Hoc porrò ipsum est non addere. neque detrahere; & hoc rursùs ipsum est veritatem ipsam docere,& quicumq; non verum,sed falsum docens, planè docet declinare, ducitq;& divertit à recta via ad dexteram, vel ad sinistram. Tenetur ergo non addere, nec detrahere, & veritatem docere.

Hoc planè sensu Dominus per Isaiam cap. 9. de Magistris inquit. *Et disperdet Dominus caput, & caudam incurvantem, & depravantem in die una. Longævus, & honorabilis ipse est caput, & Propheta docens mendacium: ipse est cauda. Et erunt, qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur præcipitati; & non saturabitur.* Nostras etiam ætates significare sanè videtur; sunt enim plurimi,qui non solum falsa doceāt, sed etiam doceri posse statuant;quod profectò est docere mendacium; quidquid scilicet docentes ipsi, quod indulgemus, reflexarum privilegio non mentiantur, fieri nequit, ut falsum etiam probabile docentes mendacium non doceant. Beatificant etiam copiose populos: jactant enim se peccata tollere;atque omni fermè multitudini, & vix non omnibus vitā æternam promittunt, ac plerique etiam omnibus, quod statum gratiæ requirit,communionem,atque eam, si superis placet, etiam quotidianam præscribunt; sed declinabunt ad dexteram, & esurient; & comedent ad sinistram & non saturabuntur: pinguesq; virtutibus animas raras offendimus.Disperdet igitur Dominus incurvantes omnes Prophetas quantumque longævos, & honorabiles:omnes autem docentes falsum incurvant, & depravant. Disperdet item docentes mendacium, & sic populum beatificantes, & peccata, ut jactant, tollentes; omnes demùm,qui ad dexteram,vel sinistram ducunt; addunt, vel tollunt. Cum ergo quod illi olim Prophetæ, sint modò Magistri, ut ex Petro Apostolo, Hieronymo,& Chrisostomo superiùs,declaravimus, tenentur planè Magistri nostri non addere, neque detrahere, sed verum ipsum ipsorum mandatorum Dei & nosse, & notum fideliter consignare.

Quem postremò non deterreant verba illa Joannis Apocal. cap. ult. quæ licet de Apocalypsi dicantur, de tota Dei scriptura convincunt; *Contestor enim*, inquit, *omni audienti verba Prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & civitate sancta.* Par autem est facinus,sive Prophetis Dei, sive mandatis Dei apponatur, vel detrahatur. Non ergo peccatum est, sed horrendum etiam scelus est, mandatis Dei legiq; sanctæ ejus apponere, vel detrahere. Apponit autem, vel diminuit quicumque per strictum, vel laxum ab ipsa ipsorum mandatorum via egreditur, & non verum mandatis ipsis conforme sed contrarium falsum docet. Peccat ergo gravissimè,nisi ab ignorantia invincibili excusetur: de quibus iterùm infrà, ubi de interpretationibus antecedentibus,& consequentibus disputabitur. Vides hic exemplo materialissimo. omnibusque noto viarum, ex falsa doctrina tam sumi, effieique non posse ullis reflexis conscientiam rectam,quam is,qui in via errat, consilio etiam quantorumque,ut loqui adversariis placet, prudentissimorum, in via recta, constitui non potest ullis, reflexis quandiù errat. At enim via recta Matrito vallisoletum est v. g. hæc, quam vocemus *A*: & via recta salutis non est via ipsa mandatorum ipsorum, & veritatis? est sanè, ut per se notum est, multisque scripturæ testimoniis patet. Vestræ ergo reflexæ hæc sunt, & hoc valent:quod reflexę proficiscentis Matrito Vallisoletum, & abeuntis complutum, & deindè Cæsaraugustam.Dicet itaque ille sibi;ea via recta est, quæ Matrito Vallisoletum ducat,quam viri graves,prudentesq; docuerunt, Sed hanc mihi viam viri graves; prudentesq; docuerunt. Ergo via ista recta est. Sed errarunt, in quam ego, prudentes illi, qui me docuerūt.Rideret ipse,& diceret,errarunt materialiter; formaliter;non errarunt minus autē erro ego qui prudētes sequutus sum.Ridendus sanè esset ipse,&maximè miserandus.Num ergo,qui in via vallisoletan errat, prudens in eo non est:qui autem in via Dei, & mandatorum ejus errat,falsumq;docet, etiam in quo errat, ac præter viam ipsam docet, & ducit, prudens tamen est?Erratis, mihi credite.ipsi.

Sed revertamur ad additionem nostram,vel ablationem. Adderet Doctor quisquam verbū unum Apocalypsi Joannis,& auferret,vel adderet unum nō in toto libro. Esset plusquam falsarot monetarum; falsator scilicet verbi Dei, ac reus læsæ Majestatis divinæ. Comburendus etiam esset,& nullas pœnas non demereretur: quæ ubi de interpretationibus agam. latius prosequemur. Addit autem, vel aufert *non*; quicumq;falsum docet in lege Dei; nam docet, vel legem non dicere, quod dicit; vel dicere, quod non dicit:hoc est, ubi est in lege,*est*,ponit, *non est*;vel ponit, *est*, ubi est in lege, *non est*, vel ubi in lege nihil est parum autem ad scopum,finemq; Dei refert,sive machæra,sive stylo utaris:*neq; enim*,inquit Tertulianus,lib.de prescript.cap.39.*si Valentinus integro testimonio uti videretur,nam callidiore ingenio,quam Marcion,manus intulit veritati: Marcion enim exerte,& palam machæra non stylo usus est: Valentinus autem pepercit; & tamen plus abstulit,plus adjecit*, &c. Malum ergo præcipuum hoc est,quod manus inferantur veritati;& vel machęra, vel stylo auferatur,vel adjiciatur. Addjicit porrò,vel aufert omnis falsum docens; & si non adderet, nec tolleret; non certè falsum,sed verum doceret.ut patet,& ostensum est §.1.Deus ergo est legis Dei violatæ,adulteratæ,& falsatæ quicumq; falsum docet, nisi ab ignorantia invincibili excusetur.

Cujus etiam peccati gravitas ratione quoq; patet.Nam quicumq;addit,parem se facit Deo;qui verò aufert,superiorem,similem Antichristo,qui exaltavit se supra Deum,&c. Etenim qui addit, usurpat sibi authoritatem ipsam Dei, inducens legem, quæ non est,ut inferius Chrysostomus etiam annotabit; nequit porrò par paris leges revocare,& irritare:requiritur ergo superioritas. Omnis ergo addens,parem,omnis auferens superiorem se Deo comminiscitur. Quod qui signatè, & sub his terminis,& sub hac expressione,atq;intelligendo nemo forsitam ausit nec quidem eorum,fortè qui falsas religiones invehunt docendo scienter à Deo dicta esse,quæ dicta nōsunt,vel negando dicta esse,quę dicta sunt.Re ipsa tamen,& de ipso facto consideraro, omnis addēs, vel auferens,eam cum Deo paritatem,vel superioritatem sibi usurpat, ac lesæ Majestatis Dei propriæ reus est:nec satis ad innocentiā est non considerasse: tenemur enim res tātas cōsiderare Jure ergo 37. cap. 4.asseritur:*quicumq;scripturas non ita intelligit,ut res veritas habet; uvam acerbam comedit.* Alluditur ad Hie-

rem

rem 31. *sed unusquisque in iniquitate sua morietur; omnis homo, qui comedit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.* Et 32. dicit. falsi Prophetæ ii habentur, *qui aliter scriptur arum verba accipiunt, quam Spiritus Sanctus sonat:* hoc est, quam rei habet. Huc pertinent adulterantes verbum: hùc aliter docentes, hùc doctrinæ variæ, & peregrinæ: huc falsi nominis scientiæ, & alii, quos Apostolos describit. Nam omnes addentes, vel minuentes adulterant verbum Dei, aliter etiam docent, & doctrinas peregrinas, & falsi nominis scientiam inducunt, cum sine veritate nulla sit veri nominis scientia

§. III.

Evadent dicendo se probabiliter addere, vel tollere. Et evertitur.

Ecce non nos in causa sumus, sed ipsi sunt, cur ad probabilia ista sua, & ad idem fermè infinities hoc & illo modo revertamur; nã hoc unum ad omnia movent, hoc uno cuncta stabiliunt, & solvunt, & scientias omnes, & quæstiones, & argumenta refertiunt: quo planè uno dempto scientiæ fermè omnes constarent. Invertent fortè causam, & dicent nos quoque omnia, & singula veritate replere velle. Utinam consequeremur, nam non accusatio ea foret, sed locus, bonumque ingens.

Dicent itaq; esse quidem gravissimè prohibitam additionem omnem, & ablationem verbi Dei, legisque ejus: hoc tamen intelligendum de additione, & ablatione non probabili. Undè lex omis omnium fit probabilitas; & verbum ipsum Dei, veritatemque præterire, transilireque, sine scelere possumus, probabilitatem non possumus: adeò verbo ipsi Dei, veritatique ea præstat.

Exigenda nunc est solutio ista, vel evasio toties eversa. Jam ergo etiam addere possumus, sicut auferre, potest ergo unus eo consilio librum scribere, ut laxas opiniones probabiles omnes sine alio examine cumulet; alter eo ut cumulet, propagetque strictas omnes: si quidem additio, & ablatio nullũ crimen sunt. Quid si ætas una, vel familia ultro conspiret in docendis, tuendisq; strictioribus: Profectò ex probabilitatum opinione maximè animarum saluti præjudicarent hi tetri adeò additores, qui conscientias nimium onerarent: & tamen licitè addunt, sicut alii licitè tollunt

Imo verò consideratis omnibus, tollere omnes possunt; addere autem in probabilibus nemo. Schola integra addit & nihil efficit; scriptor unus, vel duo tollunt, & verè tollunt contra totum mundũ. Patet hoc; quia schola integra strictè, superest probabile contrarium, superque reflexa, quorum beneficio omnes, etiam opinantes contra eam opinionem strictam licitè operari possent, & docere. Re ipsa ergo & quod praxim, vitamque hominum addere nulli possunt; auferre verò omnes. Quod ex terminis ridiculum vel lugendum est, ut relaxarem quidem omnes, reformare nulli possint.

Patet rursùs, nos in docenda, intelligendaq; lege Dei errare posse, & auferendo, & addendo; errare enim possemus per excessum, & defectum existimando jussa esse, quæ jussa non sunt, & vice versa. Absurdum est ergo additiones nullas valere, valere verò omnes ablationes. Quin eo res est absurdior, quo frequentius est errare per ablationem; in quod quippè extremum, ut evidentissimè patet, caro, & sanguis, & mundus ducunt: diximusque juxta Evangelium, omnem quidem strictam viam haud ideò esse veram; veram tamen esse strictam, & arctam, ut veritas dicit, & sufficit.

Hinc patet, viam Probabilistarum non esse, ut videbatur, ablativam, & additivam, sed solum ablativam. Nam additio nulla valere potest; ablatio autem omnis valet. Potestatem proindè habet solvendi, ligandi vero nullam: nam contra ligantes superest contrarium probabile solvens manus omnium. Ex quo ad eam, quam boni omnes deplorant, motum relaxationem ventum est: & hoc quidem sine remedio erit, quandiu probabilium hoc canticum à mundo non tolletur. Atq; ad horum melius videndam fœlicitatem ponamus librum unum totum verum: alium totũ falsum probabilium: & eodem modo schola & scholam. Una neque addit neque tollit; altera in omnibus, & singulis tollit: & intercà ista prævalet in via probabilium; nam antea veritatis schola unu quisque per probabile contrarium liberatur. Desipuit ergo Esdras; desipuit etiam populus, dum clamavit *magna res est veritas, & prævalet.*

Ex eis argumẽtor. Addere practicè, & quoad praxim non possumus. Ergo neq; auferre. Consequentia probatur; quia non est cur alterum altero magis jure possimus: nam utroq; modo, ut dictum est, errare possumus, & frequentius, proniusq; auferendo, quæ est via placendi. Nullum autẽ jus, aut privilegium uspiam extat, ex quo auferre magis, quã addere possimus. Ergo neutrum jure possumus.

Explicemus, urgeamusq; ista amplius. Sicut jussum est, *non occidetis*, ita & magis jussum est; *non addetis, neq; detrahetis*, inquam, magis: quia illud unum duntaxat præceptum est: secundum vero omnia complectitur, & additione, vel ablatione unius unum tantum præceptum perit, ponitur: additione vero, vel ablatione universali omnia, vel multa pereunt, vel ponuntur: ergo quemadmodum tenemur non occidere, ita, & magis tenemur non addere, neq; tollere. At peccat graviter, qui opinatur, aliquem esse hominem, & occidit, & si alii opinentur non esse hominem, peccat etiam, qui nescit utrum, homo sit, quia alii, & alii aiunt, & negant, esse hominem: peccat demùm, & si opinando eum non esse hominẽ, occiderit, si vincibili errore propter negligentiam, sciendi, vel propter præcipitationẽ ita opinatus est, visumq, sibi probabile. Ecce in casibus his omnibus adest probabile, & probabiliter non homo. Et tamen peccat ille occidendo. Ergo etiam peccat auferendo, qui opinans legem esse, docet non esse propter contrarium probabile: aut nesciens, utrum sit, vel non sit, quia utrumque est probabile, docet non esse; vel qui demùm opinans legem esse docet non esse, sed tamen negligenter, aut præcipitanter opinatus est. Neverò in hęreamus, patet ex par. 1. l. 3. q. 10. & 11. sic auferentibus, aut addentibus ablationem, aut additionem esse voluntariam, & liberam: ergo est imputabilis: ergo scelus non materialiter, sed formaliter tale: quia imputabile, & voluntarium omne illud est cuique, quod contra opinionem suam, vel præter, & quadam casualitate sola peragit, ut in ludo: quæ latè ostensa sunt.

Ex his verò sumitur, aliis quidem falsis opinionibus hanc, aut illam particularem legem oppugnari: at via illa probabilium, & probabiliter universim auferẽdi, & addendi legẽ Dei universã universaliter, & à fundamẽtis quati: & quemadmodũ pręceptũ ipsum nõ addendi nec auferẽdi omnia, & statuit, & servat; ita via illa omnia, & singula vertit, tenditq; in dissipationem legis omnis. Undè hoc totũ vidit celcissimę mentis Doctor Aug. quãdò jure jurando etiam affirmavit, se nescire prorsùs, quomodò adulterium, aut quid piũ aliud pec-

catum sit, si quisq; id agendo, quod probabile videtur, non peccar: & nos quoq; id ipsum juramento sub tanto Doctore asseruimus: quia & si fortè tunc non omninò necessarium fuerit jurare, & ideo Augustino posteà displicuerit; quia tunc non Christianorum, sed Gentilium error is erat, nunc melius fortè, est jurare, & clamare nã cuncta pessum eunt.

Etenim vel loquuntur de probabilitaribua, & fundamentis sophisticis, & pseudoscientificis, vel loquuntur de realibua, de scientificis, atq; ad scientias ipsas perfectiores, vel minùs perfectas pertinentibus? Hoc nẽpe causa omnis resolvitur. Numquam porrò suia ingeniia efficient, ut probabilitates, & fundamenta, & rationea falsum probautes non sint sophisticę, & pseudoscientificæ, & nequaquaquam scientiam ullam conflantes. Cum ergo in falsis etiam salvent has suas probabilitates, & in ablatione, & addirione, quæ sine falsitate fieri nequeunt, profectò loquuntur de probabilitate præscindendo à sophistica, vel scientifica. Hac autem probabilitate probabilirer hęretici omues abstulerunt, & addiderunt. Nihil ergo deliquerunt. Ubi est illud mea quidem sentẽtia evidenrissimam memoro, probabilitates, & rationes omnes contra fidem non ideò formaliter sophisticas esse, quia contra fidem sunt, sed quia contra verum sunt, & fides est vera; & si semel rario aliqua contra verum posset non esse sophistica, posset etiam ratio aliqua cõtra fidem non esse sophistica. At rationes omnes, quibus aiunt, suferri, vel addi probabiliter, sunt contra verum. Sunt ergo sophisticæ omnes, nulla excepta. Si ergo hęc sufficiunt, licitę fuerunt ablationes, & additiones omnes hæreticorum. Ex quo sequitur, quod hæreses quælibet licitè admitti possint, & ita omnia agi sine peccato.

Magia porrò practicè ista considerãdo, de adulterio in specie erat sermo Aug. Jam autem adulteria licere, quin in optima quoq; republica omnia debere esse cunctis communia, & cõmunes etiã uxores, auferendumq; frigidum illud verbum, *meum tuum* quod bellorum omnium causa est, non fungi terrę aliqui, sed Socrates Platoq; docuerunt, quos vel ingenii magnitudine, vel nominis celebritate, doctrinęq; copia, & auroritate mulri nostri Autores non excelluisse; & si veritas de sapiẽtiæ essentis nõ fit, eos tam verè sapientes non fuisse, atq; falsa probabilia docentes, nec dici quidem vix ore potest. Hoc ergo, de quo probabilia loquũtur. eis tũc haud defuit scholarumq; tũc illarum integrarõ placitis. Vidimus etiam hoc libro, magnas animas, magna ingenia, magnosq; viros, & Patriarchas, & Episcopos hęreses peperisse, & intulisse; quorõ autoritas tãta suis erat, & revera erat; quanta nostrorũ auferentium, & addentium: hærerici sanè erant; sed nobis sunt sibi non erant. Hoc deindè ex Petro Apostolo fuerunt in populo Prophetæ, & Pseudo Propheræ, quod in Ecclesia Magistri boni, & mali quoad regendas dirigẽdasq; animaa, & hoc in Synagoga Doctores sui, quod in Ecclesia Doctores privati: & sicut modo nostri censent se probabilirer auferre, vel addere ita etiam illis videbatur, & tamen peccabant, & vę Prophetis Israel, scilicet falsia, & væ Doctoribus illis irritum ablatione facientibus mandatum Dei. Væ ergo etiam nostris anferentibus; addentibusve. Doctores inquis, sunt, & mulri sunt, & authoritate sua ablationem faciunt probabilem. Cætetum Doctores etiam illi eraut; & multi erant; Magistri etism coacervati plurimi erunt: ergo authoritate sua ablatioues suas efficient probsbiles. Nugæ sunt.

Omissis rursùs; aliis vidimus §. præc. caput & & caudam, longęvum & honorabilẽ incurvanrẽ, & depravantem destruendum à Domino. Ubi Hie. *& post caput, & candam* (ubi hæreticos, primum inrelligit) *incurvantem jungit, & depravantem, quod legis præcepta subvertant, & rectam depravent viam, longævum quoque, qui caput est, & Pseudoprophetam, qui in cauda ponitur, disperdet Magister pariter discipulos.* Num longęvi isti, & honorabiles Magistri probabile saltem illud ab extrinseco ipsa salrem sua bonorabilitate non faciunt: & faciunt quilibet nostri? Omnis ergo incurvans, legis ipsius rectam viam auferendo, vel addendo, quãtumcumq; honorabilia, & longævus Magister sit disperdetur, & cum illis Prophetis sors erit. Aliter etiam quam rei veritas habet, scripturam intelligit: ergo uvam acerbam comedit. Aliter item docet, quam tradirum nobia fuit; nam hoc totum verum fuit. Sed quid si Angelus de cælo? Anathema sit; ait Paulus. Num vero Angelus de cælo magnam apparentis lucis copiam non afferret? Nihil, ait Paulus, refert; si addit, si tollit, & aliter docet, cavendus est: & an non vitandua est, Sathan transfigurana se in Angelum lucis qui ipsissima lux, & veritas esse videtur? imò tunc est timendus magis. Transformet: ergo se Doctor quisque falsus in Angelum lucis. Fallax sanè, falsaq; & phãtastica est õnis lux ejus, incurvat, revera, & depravat, & adulterat, traditq; falsi nominis scientiam.

Postremò quia nulla additio, vel ablatio, quæ non Authore Deo, sed Authore potiua mundo, vel Dæmone ejus contrario efficitur, est bona, sed pessima. Sed omnis etiam probabilis additio, vel ablatio ita fit, ut patet, & falsorum omnium autor, & Pater non Deua est, & Pater luminum, sed Princepa tenebrarum harum. Ergo nulla etiam probabilia additio, vel ablatio bona est sed pessims, & scelus ingens; & solum superesse potest quæstio, num invincibilitas ignorantiæ aliquando excuset sic auferentea; & sddentes, sicut occidentes, & mæchantes. Volvant ergo se huc, & illuc; quandiu falsum non tollunt, malum, haud tollent, & quandiù pro falsis pugnant, non cum Deo, & pro Deo, sed contra Deum revera pugnant; & sicut probabilitas non tollit additionem, vel ablationem its neq; cõtrarietatem cum Deo. *A principio mundi*, ait S. Tho. *semper fuit pugna inter veritatẽ, & falsitatem*: in qua certè pugna Deus semper pro veritate est. Probant autem adversarii additiones, & ablationes; & sic falsitates, voluntq; eaa valere contra veritarem. Sunt ergo in pugna illa contra Deum: quis sanè, ut scriptum est, docet nos facere voluntarem suam. Hĩ autem docẽt facere probabiles additiones, & ablationes; additiones autem, & ablationes non sunt voluntas sua; non sunt lex sus, nec mandata sua. Ergo non quod Deus docet, sed contrarium potius docent. Quod expono; nam ipsi in his controversiis nobis contrarii sunt: ergo & Deo. Patet consequentia; nam id ipsum nos docendum dicimus, quod Deus docet, docendumq; esse dicit; nam docendum utiq; dicit, quod ipse docet, & cum ipso, & non contrarium: ipse porrò docet facere voluntatẽ suam: hoc autem idem est atque docere veritatem, nsm veritas, & voluntas Dei in præsentia convertuntur: item dicimus, nullo modo esse addendum, neq; detrshendum, nec ullas addiriones, vel ablationes esse docendas: quod idem est, atque docendam esse ipsam voluntatem, legemque Dei. Ergo qui aiunt, additiones, & ablationes doceri posse, sicut nobis coutrarii sunt, ita etism coutrarii Deo. Primus ergo Author sententiæ nostræ

est

est Deus; jam quærant adversarii, quis primus Author sit suæ.

Deus dicit *non addetis, neque detrahetis*: contrarii dicunt probabiliter addetis, & detrahetis. sed tò *probabiliter* non tollit additionem, & ablationem: sicut non tollit falsum. Ergo contrarium dicunt. Deo item prohibet declinare ad dexteram, vel ad sinistram: illi concedunt probabiliter declinare. Sed qui a via ita probabiliter declinat, verè declinat; ac errat; & alioquin ridebit, sicut suprà Augustinus, vel magis plorabit. Ergo Deo contrarium dicunt. Sicut ergo cætera mandata, *non occides, non mœchaberis* etiam non habent, ita nec universalissimum mandatum, & reliquorum stabilimentum glosam illam patitur.

§. IX.

Magna ergo inconsideratio esse videtur existimare nos auctoritatem doctrinæ levem illam habere peccata tollendi, vel addendi O Deus!

NOn de eo agimus, utrum ex conscientia erronea, & per accidens ignorantissimi etiam quique, imò illi magis peccat i addere possint, aut tollere, existimando peccatum esse, quod peccatum non est, aut non esse, quod est? In quo certè certè Theologorum omnium certissima sententia est, peccata addi posse, peccateq; eum, qui agit contra conscientiam erroneam dictantem peccatū esse quod peccatū non est: & sic conclusit S. Th. omnem voluntatem non concordantem rationi erranti esse malam. De ablatione idem hodie multi se falsissimo persuasum habent, ut latè lib. I. ostensum est; & S. Thomæ contrarium conclusit, & in terminis ipsis implicat, voluntatem concordem rationi erranti, seu conscientiæ erroneæ esse bonam: quin quoties ratio, & conscientia vincibiliter errant, nos non excusati, omnium itidem sententia est. ubi videbunt (hoc enim, opinor, hactenùs non dixit) in quam, debebût vires argumenti sui, aiunt quippe, agere contra constantiam, & peccatum: ergo agere juxta est bonum. Non valet, ut ostensum fuit. Deindè agere contra conscientiam erroneam etiam vincibilem, quæ tamen hic, & nunc dictat, esse peccatum, quod peccatum non est, profectò peccatum est. Ergo agere juxta conscientiam Judæorum est bonum: quod est contra omnes & hæresis nam conscientia erronea vincibilis non excusat.

Sed de his satis suprà; neque modò de hoc tractamus, sed de authoritate, sapientiæq; suæ magnitudine, qua se peccata tollere posse, indeq; animas etiam salvare, arbitrari videntur: quam certè existimationem, si suis res nominibus appellare licet; & debemus, insipientiamne, an audaciam an cæcitatem appellem, prorsùs nescio. Etenim iis etiam omissis, quæ utroque præc. §. data sunt, res ipsas in se considerantibus hoc aliud non est, quam se Deo ipso scientiores jactare, majoremq; quam Dei, authoritatem sibi usurpare, nam peccata tolluntur dicendo, ea peccata non esse quæ Deus dixit esse peccata; hoc autem est plus Deo scire affectare: peccata item tolluntur revocando, quæ Deus constituit, & nolendo ea esse peccata, quæ Deus decrevit esse peccata, & hoc porrò est superiorem authoritatem usurpare. utrumq; aurem vel stultitia, vel blasphemia est, vel nescio quid absurdissimum aliud. Ne aliud falsi Prophetæ, & Doctores legis faciebant.

Expono. Vel docent ea esse peccata, quæ Deus & scit esse peccata, & volunt, ea esse peccata, quæ Deus vult esse peccata; atque in hunc finem libros edunt: vel docent, in eumque finem scribunt, ut dicant non esse peccata, quæ Deus dicit esse peccata, & eo tendunt, ut nolint esse peccata, quæ Deus decrevit esse peccata? si primum respondeant, nec addunt, neque tollunt peccata, neque hoc est suum institutum. Sin verò secundum respondeant, se Deo superiores in scientiâ, & authoritate comminiscuntur, & desipiunt.

Rursùs, vel loquitur de ablatione à conscientia erronea, vel de ablatione a veritate? Hoc est, vel eò sunt, vel sunt, ut tollunt ea, peccata, quæ ex conscientia erronea, & ex errore censentur esse peccata; vel ut a veritate ipsa tollant, id est, doceant, non esse peccata, quæ secundum veritatem, & re ipsa peccata sunt; si primum: rectè, sanè faciunt, sed per se simpliciter loquendo peccata non tollunt, sed quæ ex errore talia censebantur, deprehendunt, & manifestant, non esse peccata, quæ re vera peccata non erant. Si vero à veritate ipsa tollere curant; hoc idem est, atque se Deo scientiores effingere, atque idem, vel connexum est, à veritate auferre, & auferre à scientia Dei, dicereque ea peccata non esse, quæ Deus scit, & dicit esse peccata: & similiter est de authoritate. Ergo sequitur affectata illa divinitas, quin suprà divinitas, stultissimi sanè, & à mundo abolenda.

Sed ut horum ita tollentium consilium innotescat, absurditasq; patescat, haud sanè videntur eò ire, & tendere, ut à conscientia erronea tollant, sed ut tollant à veritate ipsa, revocentq; & irritam præstent voluntatem Dei. Quod probatur; nam qui eo consilio scribit, & eò tendit ut tollat peccata à conscientia erronea, seu conscientię erroneæ, & quæ ex errore peccata esse existimabantur, eo cõsilio, eoq; fine, & consilio scribere, doceręq; non videntur: non enim volunt, sed ad veritatem in docendo, consulendo, vel operando esse obligatos; quin hoc maximè horrent, satisque habent, si tradant doctrinas probabiles etiam falsas. Nisi verò tota Logica rumpatur, error non tollitur, sed inducitur omni, & qualibet doctrina, & opinione falsa etiam probabili. Ergo suum consilium institutum nô est; tollere peccata conscientiæ erroneæ, manifestare ea peccata non esse, quæ ex ignorantia, & errore peccata esse censebantur, sed re vera non erant. Ergo suum, & institutum est peccata tollere etiam à veritate ipsa, & docere, etiam illa peccata non, quæ secundum veritatem, & scientiam, legemque Dei peccata sunt. Ergo suum consilium est scientiam ipsam Dei corrigere, ejusque voluntatem, & legem annulare, revocare causamq; reddere: quod quantum sit scelus, cæcissimi etiam quique videbunt. Ecce rursùs pericula magisterii; nam hoc sanè peccatum majus est, quam occidere, & furari.

Confirmatur, & declaratur. Nam qui ista ablationis peccatorum laude gloriantur, seq; ita animas etiam salvare jactant, eo consilio. Scribere solent, ut in unaquaque quæstione de peccato eam opinionem amplexentur, quæ peccatum tollit, vel si peccatum prorsùs tolli nequeat, doceant, saltem non esse mortale, sed veniale, quod alii mortale judicabant; atque in hunc finem rationes etiam ejus partis, quantum possunt, toborant; & alias quoque si possunt, excogitant, neq; per veritatem, sed probabilitatem totum negotium conficiunt. At mortaliter certum & evidens est, ex tanta multitudine opinionum peccata negantium, & tollentium, quibus libri implentur plurimas

esse falsas: quinimò sæpè diximus, cum in unaquaque quæstione sint utrinque opiniones contrariè vel contradictoriè oppositæ, demonstratione, vel mathemarica, vel Logica demonstrarl, earum saltem mediam partem esse falsam: ex qua sanè medietare ego quidem censeo plures esse falsas ex tollentibus, quam ex addentibus peccara: sed ne nimium petere videar, ponamus utrasque rursùs ad aliam medietatem esse falsas, vel nesciri, utræ plures sinr. Ergo omnis eo consilio scribens, ut tollat peccata, arque in hunc finem, opiniones probabiles vel plerasque eligens, quæ peccata tollunt, nescit quidem, quot re ipsa, & secundum veritatem ablarurus sit, scit tamen evidenrer si vult se plurima te ipsa ablaturum: idque vult. Scit ergo, & vult, plurima re ipsa, & secundum veritatem tollere: sed hoc est scire, & velle scientiam Dei, & voluntatem, ac legem in plurimis cassate, annullare, & revocate. Usurpat ergo sibi scientiam, & authoritatem, supra scientiam, voluntatemque Dei; quæ extrema quædam insipientia est.

Declaratur, urgeturque magis. Nam hi homines, siqui sunt, vel supponunt Deum scire artem veram salvandi animas, velleque ea re ipsa esse peccata, quæ oporret esse peccata, vel supponunt contrarium, scilicet esse quasi nimis strictum Deum, nec scire veram artem Salvandi animas, nec velle ea tautummodò esse peccata, quæ oportet esse peccata, ex quo necessum fuerit, ipsos nova arte à se ingeniosè injuncta ex nimio numero tollere aliqua, & salvare plures. Si hoc posteriùs ore, vel, corde dicerent, ore, vel corde blasfamerent, & utique perirent. Deus ergo scivit veram artem salvandi animas: item voluit ea solùm esse peccata, quæ oportet esse peccata, nec vel unum abstulit, quod addendum sit, nec addidit unum, quod auferre oportet. Ergo omne consilium auferendi vel addendi peccata, est pessimum: solùm ergo licet consilium, & intentio veritatis: nam sola veritate habetur concordia cum arte vera Dei salvandi animas & cum ejus voluntate de numero, & gravitate vel levitate peccatorum. Et hùc facit textus sæpe allatus; *non afferamus statéras dolosas* &c. Sunt autem dolosæ omnes aufetentes, & addentes: ergo quicumque uti vult in docendo stateris auferendi, ultrò dolosè agit. De aliquibus planum videtur, eos in decernendis peccatis haud quærere istam cum scientia, & voluntate Dei, & cum veritate concordiam: nam Deus gloriosus suam voluntatem maximè manifestavit in suo libro: at scribunt libros mulros sine ulla fermè mentione, & usu libri illius: quæ est quæstio de facto, & apertis libris constat. Consilium ergo scribendi non est, Dei re ipsam voluntatem scire, & nosse, atque per concordiam cum illa docere peccata esse, quæ revera & secundum scientiam & voluntatem Dei peccata sunr. Volunt ergo adddere, vel tollere, ut ipsis magnis quidem mundi Legislatoribus visum fuerit: quæ cæcitas est.

§. V.

Alia in idem ex dictis.

Omnis ablatio, vel additio etiam probabilis ad legem Dei est peccatum gravissimum, ut est ostensum; sed omnis ablatio, vel additio etiam probabilis peccati, & peccatorum, est ablatio vel additio ad legem Dei, ut patet. Omnis ergo ablario, vel additio etiam probabilis peccati, & peccarorum, est gravissimum peccatum. Ubi & illud urget, quod §. 3 dictum est de ablatione, vel additione, ad legem, non Deo, sed mundo, & Demone authore peracta: hujusmodi porrò est, omnis ablatio, vel additio etiam probabilis peccati: nam omnis illa est falsa, & mendacium, est proindè omnis volens addere, vel auferre plusquam falsator monetæ, & sigilli regii, ac læsæ Majestatis divinæ reus, & usurpator authoritatis ut dictum est, & peccatum adeò enorme, ut nisi per oscitantiam, extremamque inconsiderationem à non pessimis admitti vix possit.

Rursùs sic: homicidium voluntarium est peccatum grave: ergo ablatio, vel addirtio; voluntaria peccati est peccatum grave: nam ablatio, vel additio peccati, est ablatio, vel additio legis, quod ex objecto suo deterius est homicidio, nec parvitatem quidem materiæ habet: & si pennam vel pomum auferas proximo solum veniale est: sin verò legi levissimum, etiam quidpiam auferas & mendacium jocosum peccatum non esse asseras, gravissimè peccas. Longè ergo ex objecto suo deterius est auferre legi, quam aufferre vitam homini. At animarum, & mundi hi Sabbatores voluntariè peccata auferunt, & ex consilio, & in eum finem scribunt, ut peccata tollant, ac mundum salvent: de his enim loquor, siqui sunt. Peccant ergo gravissimè; potiusque multos decipiunt, & causa, cur peccant sicut Prophetæ olim falsi beatificanres populum.

Iterùm lex est omnium neque ad dexteram, nec ad sinistram declinandi, scilicet ab ipsa recta via mandatorum ipsorum Dei, id est à veritate. Ergo etiam Magistrorum in docendo lex est non declinandi neque ad dexteram nec ad sinistram. Ergo lex est non scribendi, nec docendi eo animo, & consilio, ut auferant, addantve pecccata. Rursùs: lex est non declinandi in docendo. Ergo lex est veritatis in docendo. Patet; quia utrumque idem est & omnis falsum docens declinat; & omnis item declinans in docendo falsum docet. Hæreant ergo, & advertant, utrum cum doctoratu acceperint privilegium aliquid declinandi in docendo, seu aliam viam salutis docendi, quam docet Deus? Porrò Deus non docet addendo, tollendove peccata ulla & tota quanta sua via est veritatis, & docet hominem scientiam.

Aliud itaque est auferre peccata; aliud auferre velle & hoc consilio, & animo docere. Demus ergo, quod longè, à vero abest laxas omnes opiniones esse veras, & nullum peccatum per eas auferri. Nihilominus velle auferre, & intentio hæc ipsa hoc animo docendi, gravissimum peccatum est contra fundamentale præceptum: sicut grave, & par homicidio peccatum est feram occidere, quam hominem esse arbitrabaris. stupor deinde nescio qualis, quantusque est homuncionibus nobis cogitationem istam, consiliumque subrepere potuisse, ac in mentem venite, quod numerum, canonem, catalogumq; peccatorum reformare, addereque vel tollere nos posse sine scelere existimemus, qui non judices, sed factores

ris legis esse justi sumus. In libro item vitæ scribere quos volumus, prædestinatisque à Deo numerum quemdam ingentem adjicere stultitia est. Quod sani nimis palam demonstrat, quo in loco fit scientia motum cum hoc, quod scelus sine dubio est, pietas quibusdam Videatur, quasi est nova arte peccata tollendo animas, mundumque salvandi modum invenerit anteà ignotum; non enim salvant, sed perdunt, & ipsis ducibus ducti in foveam cadunt ut ostensum est.

Denuò quia omnis ablatio, vel additio conscientiam erroneam causat, qui hoc per reflexas ullas tolli possit, ut sæpè ostendimus. De conscientia autem erronea hoc à principio Theologi omnes docuerunt, conscientiam erroneam voluntariam, qua contra legem Dei re ipsa operamur, non excusare à peccato: quod de fide esse libro 1. ostensum est. Horum porro Theologorum conscientia qui docent ut auferant vel addant est conscientia erronea voluntaria: erronea quippè, & quia contra præceptum; voluntaria, quia liberè protsùs, et ultrò hoc consilio, & proposito scribunt. Quod autem scrupulum non faciant, non sufficit, ut lib. 1. ostensum, & Paulus eis dicit: *testimonium eis perhibeo, quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*; nequit enim esse secundum scientiam, quod est contra præceptum: quin eo lamentabilius malum grassatur, & crescit, sicut ubi sine scrupulo homines se se occidunt, ut apud gentes barbaras, & apud Circumcelliones olim. Nec effugium est in sua probabilitate; nam ista voluntarietatem non impedit; sed potius per eam tamquam casualis & contingens in una quaque probabilitate præcognoscitur ablatio vel additio tanquam certissima verò, & infallibilis, quandò hoc consilio quis scribit, & omnes laxas opiniones, vel multas vult docere. Ergo protsùs voluntariò peccata addere, vel auferre. Volunt ergo volunt legem Dei corrigere: quod scelus esse qui non videt, planè non videt.

§. VI.

Similiter ergo inconsideratio esse videtur per durum & blandum & convertibilia, nihil alterius probando de doctrina morum dijudicare & docere.

Hoc est aliquibus principium aliud de moribus philosophandi, quod fermè in additionem, vel ablationem recidit, atque de eo alias par. 1. etiam dictum est. Quamquàm verò quæcumque falsa conclusio, opinioque morum, magna moribus detrimenta infert, plus tamen in immensum obstant falsa principia, quæ quippè plurimas falsas opiniones generant: ea autem plus omnibus, & scientiam fermè integram dissipant, quæ non ad hanc, vel aliam specialem materiam spectant, sed scientiam totam comprehendunt: cujusmodi sunt ista de peccatis tollendis, de duro, & blando, de suavi jugo præter, & contra sensum Salvatoris, & Sanctorum; atque similia. Dixi jam, quocumque in libro ista lego, hoc solo me librum à bonis meis relegare.

Quo sensu, & quibus sit suave jugum Christi, tractavi, par. 1. quæst. 2. ut limine ipso operis everterem falsissimum principium, matremque falsarum adeò tot opinionum, ostendique, quod experientia singulis demonstrat, jugum Christi non ex rebus ipsis præceptis, sed ex gratia, & adjutorio ipsius Dei præcipientis; nec non ex affectu virtutum, maxime vero ex dilectione, quæ mandatorum latitudo est, suave effici, ut Evangelii, & sanctorum, ac librorum spiritualium, experientiæque singulorum authentica sententia est: hac porrò suavitate prætermissa, ac per viam ablationis obligationum potius illud reddit impossibile. Undè non pii, mitesque, ut existimant, sed durissimi sunt qui peccata tollunt.

Jam hic ordo doctrinæ postulat, ut aliquid Breviter addamus, nam tractamus de ablatione, & additione ad legem; item de ablatione, vel additione peccatorum. Via porrò per durum, & blandum de moribus philosophandi ablationis, & additionis est, aut in eas recidit. Qui enim per blandum, & suave, & per non durum judicare pergit, in extremum ablationis declinat; additionis vero, qui per durum, & strictum causam agit, & decernit. Et si enim inter hæc duo extrema plurimum differat: & qui vera docet, necessariò demum viam quandam strictam, attamque, & paucorum juxta Evangelium tradere debeat; & qui speciosam edocet, procul dubio erret; & nihilominus veritas non in singulis strictiora præscribit: quarè illicitum est, hoc etiam animo strictiora docendi philosophari, & docere: clarius porrò à veritate exerrat, qui dura quæque improbat, & suavia, & non dura eligit, & est via non quidem Deo, sed mundo, hominibusque placendi, & magis Mahometi, quam Christi; quin vel Mahometus etiam ipse, ut religionis umbram aliquam servaret, dura quædam saltem pauca imperavit.

Ut itaque de his lenibus, misericordibusque dicam, peccatum grave est hoc principio de non duro de motibus differere, & statuere. Primò quia declinant in extremum ablationis; hoc autem peccatum grave est, ut vidimus. Deindè quia ea via universim docentes necessariò aliqua auferunt; nam vera via est arcta & paucorum. Quarè ipsorum modus is de peccatis decernendi, & dicendi, aliquid non esse peccatum grave, quia alioqui plurimi damnarentur, principium apertè falsum pro vero usurpat, & omnia invertit; nam veritas evangelica est, veram viam esse arctam, & non plurium, sed paucorum. ut lib. ult. Sanctorum omnium ore commonstrabitur. Et similiter est, quod de confessione usurpant, ut loco suo ostendetur, Hoc præterea, ut ex Augustino toties, jure tamen recantamus, non est odio habentium peccatum, & iniquitatem, sed dolosè eam conquirentium, & dicentium: num non omnes hoc faciunt; & quis non facit? num omnes perditurus est Deus?

Denuò quia omnis sua ex hoc loco probatio claudicat, nec probat, sed fallit. Aiunt enim: *hoc non*: quia esset durum, vel nimis durum. Hoc quasi entyméma in syllogismum convertendum est, ut constet; in syllogismo autem patet probationis falsitas, & absurditas. Dicere scilicet debent: Deus nulla dura præcipit sed hoc durum est: ergo non præcipit. Cujus sanè syllogismi major apertè falsa & stulta est, & contraria notoriè vera. Deindè quibus durum dicunt. Num Dei filiis qui spiritu ejus & dilectione aguntur? & his illa talia dura non sunt: vel loquuntur de aliis torpentibus, mundum diligentibus, & jugum

detrectantibus; utque Bernardus tract. de præcepto, & dispens. loquitur, recalcitrantibus, & his quidem dura sunt plurima, quæ præcepta sunt, & hoc omnes sciunt, & tales omnes experiuntur. Probatio ergo non probat, sed fallit, enormiter multitudines hujus suavitatis promissione. Rursùs & verè, & ad hominem demonstravimus propositionem istam; scilicet legem Christi ex rebus ipsis præceptis esse duram, & carni, & sanguini, & mundo repugnantem, profectò non esse conclusionem probandam, sed primum principium indubitatum. Adversarii scilicet ipsi hoc supponunt tract. de fide, ubi specularia est harum rerum consideratio indeque concludunt, & concludimus verè omnes, legem Christi sic mundo, & carni, sanguinique contrariam non divina virtute per mundum propagatum fuisse. Quorsùm ergo, quandò in Theologiæ parte practica sumus, & de moribus instituendis tractamus, contrarium adeò apertè falsum assumant, & per non durum judicant, legemque Christi quærant quæ ex rebus ipsis non dura, sed blanda sit? Quanti, oro te, similes scriptores haberi possunt. Num authoritatem ullam habeant, qui ista docent?

Num ergo, quia durum est, delebimus quod scriptum est: *propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras*, num sublatorem reprehendimus, quia durum est, quod dixit, angustam esse portam: *& arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per viam*? per arctam enim viam pauci, opinor, ambulare volunt. Num etiam, quod præscripsit, invertimus, quoniam durum est: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*? vel salvabimus etiam eos, qui non sequuntur Salvatorem? Num & illud eradimus, quia durum est: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos*? Rodenda etiam, credo, erunt quæcumque de beatitudinibus disseruit: quæ pro necessitate humilitatis. de virtutibus singulis, de inimicitia cum mundo decrevit; quia omnia dura, austeraque sunt. Quis deinde durissimum illud ferat, facilius est, camelum per foramen acus intrare, quam divitem intrare in regnum cælorum? sed quorsùm singula percurrimus? his enim plenus est liber Dei, & si principium de moribus philosophandi illud de non duro est silentium indicendum erit Prophetis primum, dein vero maximè Salvatori, Apostolisque suis, Paulo attestanti, *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*: & Joanni perhibenti, *qui dicit, se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare*: hoc enim signo dignoscitur. Utrum quis in Christo maneat. Cum ergo his, ac similibus, liber Dei, librique sanctorum scateant, miramur planè, & miramur iterùm, & gemimus morem illum de doctrina morum per durum & blandum dijudicandi, pluresque, vel pauciores salvandi. Nimirùm durum, & blandum non doctrinæ, sed lecti, & panis boni, & mali proprietates sunt, & in doctrina verum, vel inspiciendum est, & blanda falsa est mala, & probabilis falsa etiam, quamquam cæteris paribus non tam mala, quam improbabilis falsa; & utraque malo non bono, & malo, sed magis vel minus malo differt, & interest; ac minùs rursùs, distant, & pugnant falsa probabilia, & improbabilia; quam vera, & falsa probabilia. Undè ergo horrent tantoperè improbabilia: tamque amanter amplexantur falsa probabilia? Mallem sanè ego verum scire & improbabilis à mille Authoribus judicari, quam probabiliter errare.

Hoc loco duo movere possunt, alterum ex loco communi misericordiæ Dei: undè inferre solent, nos docere debere mitiora. Certè implere possemus paginas testimoniis sanctorum tradentium, plurimos damnari falsa ista promissione misericordiæ Dei, quam ipsi sibi comminiscuntur. Misericordiaque Dei major est, quam cogitari à nobis possit: atque illa plena est terra. Sed certè contra veritatem, ut loquitur Bellarminus super psal. contem suam nulla est misericordia; nam obviaverunt sibi, ac sese perpetuo commitantur. Illud incunctanter cōtra quoslibet affirmamus, nullam esse in Deo misericordiam, quæ vel doceat, inspiret, vel probet, vel quoquo modo foveat ullam vel unam opinionem falsam etiam probabilem. Stulta ergo est ista consequentia; Deus misericors est; ergo mitiora sive vera, sive falsa docenda sunt. An Salvator noster misericors non est, qui tot illa de se quidem durissima intimavit? quique quando vivos & mortuos judicabit, pro quibus crucem subiit, minimam vix partem salvabit; & omnes quaque versum gentiles, Judæos, hæreticos, Mahometanos, hæreticos, & plurimos etiam Catholicos cum Diabolo, & Angelis missurus est?

Alterum, quod movere hoc loco possunt, illud est, quod plurimi sapientes jubent, nos mites, lenesque erga pœnitentes, & erga alios, quos dirigimus, & severitatem, ac rigorem damnant; atque similia docent, quæ adversarii arripiunt, & longa serie retexunt. Sed hic distinguenda est doctrina, & distinguendus modus proximos quosque erudiendi, corripiendi, tractandique. Quod ad doctrinam attinet, invicta sanè est, natura veritatis, & nullus sapiens docere potest, tradendas, fovendasque esse doctrinas non veras, & docenda esse leniora, & si falsa sint: hoc enim ipso desineret esse sapiens, nam falsa omnia contra Deum sunt, & addunt, vel tollunt, adulterant, vel prophanant: sapientium itaque illud potiùs est documentum; nullum unquam falsum esse dicendum, & solum verum esse docendum, & si aliquando non totum. Quantum ad modum Apostolus quidem obsecrare, & increpare jussit, & utroque opus est, jam, uno, jam alio; & peccare possumus per excessum, & defectum, atque de medio inter severitatem, & remissionem differit inter alios Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 11. ex genere tamen suo lenitas, & mansuetudo præferenda severitati, exemplo Salvatoris, & Sanctorum, de quo accuratè dicendi locus hic non est: peccare sanè quasi potest absolutionem pœnitenti conferendo; item negando: similiter doctrinam, quæ & ubi; & quando, & cui non oportet, nec debito modo communicando: item relinquendo in ignorantiis vincibilibus de quo infra.

Profectò his ex fructibus ablationis peccatorum, suavitatis tuendæ, obtentæque Dei misericordiæ multitudo quædam opinionum emersit. Sed terret nos; cavereque cogit Augustinus super psal. 31. enarrat. *Verum tamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt. Qui natant* extinguit *in diluvio aquarum multarum non appropin-*

quant

quant ad Deum. Quid est diluvium aquarum multarum? multiplicitas, variarum doctrinarum intendit, fratres: multa aqua sunt varia doctrina. Doctrina Dei una est: non multa aqua, sed una aqua, sive Sacramenti baptismi, sive doctrina salutaris. De ipsa Doctrina, qua irrigamur per Spiritum Sanctum, dicitur: bibe aquam de tuis vasis &c. Pertristis mox variis doctrinis ad diluvium illud aquarum multarum pertinentibus, ut de fortuna, & fato, omnia uno perspicuo documento complectitur ostendens nobis aquam illam, quæ bibenda sit. *Quæ est illa aqua*, quæ sit illa vera, *qua manat, de intimo fonte pura vena veritatis*. Nam hæc una est quæ ad diluvium non pertincat.

Probabilista quidam recentissimus, omnium, qui hactenùs prodierunt, fortè laxissimus, doluit interea in prologo laxitatem nimiam, & multitudinem librorum, & opinionum, quibus multi triginta ab hinc annis bibliothecas impleverunt. Verè enim diluvii adinstar multitudo in primis ista est. Deindè verò nulla unquam doctrina multiplicior, variorq; esse potuit. Quid enim magis varium, quam verum, & falsum? & quam utrumq; contradictorium? & via interea ista utramque complectitur. Quid magis varium, quam hac ætate salutarem doctrinam esse, in sequenti non esse; hic esse, ibi non esse? Et hoc ponit via illa. Dei rursùs doctrinę istę non sunt; nam media pars falsæ sunt. Ergo diluvii aquarum multarum sunt. Ex illo demùm has omnes aquas reflexis suis assumentes super eas natare propriissimè videntur. Natant in diluvio aquarum multarum, falsarum scilicet, & multiplicium doctrinarum, quibus certè qua parte falsæ miscentur, haud irrigamur per Spiritum Sanctum.

§. VII.

Prabui persecutione eorum, quæ superius ex Prophetis data sunt, statuitur denuò gravissima Magistrorum ad veritatem obligatio.

Hoc libro quæst. 3. & 4. interclusimus illa duo evadendi ostia, vel dicendo Magistros Catholicos præservatos esse à peccato in suo ministerio; nam non magis, quam cæteri reliquorum officiorum, statuumve præservati sunt; vel dicendo, Prophetas locutos esse, de Judæis, eorumq; Doctoribus; neq; ea adduci posse ad Catholicos. Nam similiter status reliqui eludere possent Prophetas omnes. Suppono ergo ex dictis, hæc esse verissima.

Jam ergo primum in genere Prophetæ Dei, & non Dei; Prophetæ, & Pseudo prophetæ hoc differunt inter se, quod alii essent veri & alii falsi, atq; falsi omnes non Prophetæ erant, sed Pseudoprotæ. Eadem ergo distinctio facienda est, & tenenda inter magistros, & magistros; & veri omnes Dei erunt, & boni erunt simpliciterq; Magistri: falsi cõtra omnes non Magistri, sed Pseudomagistri. Cõsequentia constat; primum paritate Prophetarum: dein ratione; nam Pseudomagister is est, qui non scientiam, sed Pseudoscientiam tradit. Vel ducant nobis, quis alius sit. Sed omnis tradens falsum non scientiam tradit, sed Pseudoscientiam, & sophisticam, ut demonstravimus. Ergo &c. Ex quibus etiam cætera nobilissima nomina Theologi, Doctorisque distinguenda sunt, & exponenda. Dicis: hæreticorum magistros esse, qui Pseudomagistri appellandi; non autem cæteros. Et certè eos esse famosos, & antonomatisticè Pseudomagistros non negamus, qui falsa, eaq; omnium perniciosissima docent. Hoc autem non tollit, quominùs falsi quique eodem pertineant, ut pertinuere falsi Prophetæ morum: & quemadmodum de falso probabili, & improbabili dicebamus, falsa doctrina fidei, & falsa doctrina morum; atque earum etiam magistri non bono, & malo, sed magis, vel minùs differunt, & intersunt.

Omnis deindè causa falsorum eorum Prophetarum, vel Pseudoprophetarum ad hoc revocabitur, quod falsa dicerent, & prophetarent in materia maximè morum. Hieremias in lament. cap. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pænitentiam provocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones.* Baruch cap. 4. *quia declinarunt à lege Dei. Iustitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorem ipsius, nec per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt.*

Utrumque rursùs caput illud Ezechielis 13. & 14. in summa continet, quod falsa, & mendacia, erroresq; prophetarent, ut quæst. 4. visum est. Dicebant enim *pax, pax; & nõ erat pax*: aspiciebant non quæ recta sunt, sed quæ placerent; sequebantur spiritum, non Dei, sed suum, ut facit omnis falsum docens nihil videbant, ut utique nihil vident, qui vident falsa, & quæ non sunt divinabant vana, & mendacia: falsa quæque vana sunt, & mendacia? & si enim qui docet, propriè non mentitur propter ignorantiam, mendacium tamen est, & vanum quod addit. In extremum verò relationis, & ablationis declinaverunt, ut pulvilli illi, atque cervicalia, glosæque sanctorum demonstrant, atque prosperis annunciationibus populum decipiebant. Undè Prophetis falsa dicentibus, populoque sequenti factum est, quod Oseæ 4. dicitur: *& erit sicut populus, sic sacerdos.*

Miraculum deindè illud grande, & stupendum quod se facturum esse minatur Dominus, ad hoc unum resolvitur *peribit enim* inquit, *sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium ejus abscondetur.* Demonstravimus autem, sapientiam perire per falsum. Quare si plerique, vel omnes, qui sapientes habentur, falsa docerent, in hac sane eadem pœna essemus, & propriè sapientia à sapientibus periisset. Probabilia, inquis, sunt. Verùm si falsa sunt, sapientia nulla superest. Dominus prætereà, ad quod cælos obstupescere jubet, minatur, missurum se Prophetis, & principibus spiritum soporis, clausurumque oculos eorum. Clausos autem oculos habent, quicumque non cognoscunt, & vident, quæ sunt, sed potius contraria, nec qui semper, vel ferè semper errat, & quæ sunt, non intelligit, oculos apertos habet. Probabilia, inquis, videt. Cæterum hoc est phantasmata, & apparentias, illusionesque & larvas; non autem res ipsas videre; apparent enim ipsi esse, quæ non sunt, & non esse, quæ sunt: quod sopore laborantium, dormientiumque, & somniantium est. Quarè si plerique, vel omnes Prophetæ, & Sacerdotes hoc modo viderent, quod Prophetis olim illis fermè eis accideret. Nec enim eorum oculos ita clausit Dominus, ut nihil omninò viderent, & docerent; videbant quippè plurima, sed vana, & mendacia, & quæ non sunt pacem scilicet, & Dei gratiam, & fælicitatem, beatitudinemque, quæ non erat, nec futura erat. Proptereà & illorum hoc scelus perstrinxit Dominus: *popule mi qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*: Item: *& erunt beatificantes populum istum seducentes, & qui beatificantur*, præcipitati. Profectò haud Prophetæ tum

tunc res quasdam summas tractabant; tractant verò Magistri nostri inferiores alias; nam illis potius sermò præcipuus de beatitudine temporali erat; nostris autem est de beatitudine æterna. Quatè si populus fortè noster labiis Deum honoraret; cor autem ejus longè ab eo, neque viveret doctrinis Dei, sed falsis hominum, & cum revera pauci salvandi essent, vix non omnibus regnum cœlorum pollicerentur, non minùs, sed magis populum beatificarent, & deciperent. Totum ergo reducitur, ad veritatem, vel falsitatem dictorum. At Doctores omnes tenentur non esse in populo illo. Tenentur ergo ad veritatem; qua omnia vitari possunt, quæ illis objecta sunt; & aliter non possunt.

Undè per Isaiam etiam totum reductum est, ad verum vel falsum: *væ vobis, qui dicitis bonum malum, & malum bonum &c.* ut sæpè dictum est. Nec uspiam in scripturis Dei: de probabili, vel improbabili, sed de vero, & falso certum est, nec tres claves, ordinesque Prophetarum, vel Doctorum distincti, verorum aliorum, & aliorum falsorum; atque horum deindè aliorum probabilium, & improbabilium aliorum, sed omnia vero & falso distincta, clausa, judicataq; sunt, ut quæst. 4. dictum est. Et quis sanè, vel quandò improbabilia ea esse persuaderet, quæ tanta multitudo Prophetarum, edocebat, ac populus sequebatur? Experire simile quidpiam, in populo aliquo nostro; & subsanabetis. Dolebat Helias se relictum solùm Prophetam Dei: Prophetas verò Baal esse quadringentos, & quinquaginta: nec sanè ad probabile, vel improbabile, sed ad verum, vel falsum provocavit, & unus verus prævaluit quadringentis, & quinquaginta falsis. Et ita etiam in Doctoribus est; nam unus verus, & verax melior est millione etiam falsorum: & una sola propositio vera melior est, quam bibliotheca integra, & quam mundus totus plenus falsorum probabilium auctissimorum, & subtilissimorum, ut aliàs dictum est ex Augustino dicente *melior est stipula vera, quam lux quantalibet inanis cogitatione formata.* Quin non est comparatio boni; & mali: falsum autem quodlibet etiam probabile malum est, & quo plurium sunt, eò majus; & qoasi extremum malum, ubi extrema est multitudo. Et sic etiam Doctores falsi, quò plures, eò ampliùs nocent; nec multitudo impugnitatem parit, sed malum adauget; sicut in Prophetis illis. Cum igitur horum causa omnis vero, & falso judicata fuerit, ita etiam causa Doctorum nostrorum judicabitur. Sed damnavit tunc Dominus falsos omnes, & scriptum est, *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Ergo Doctores nostri gravissimè tenentur ad veritatem; alioqui væ Prophetis Israël, nec in nobilissimis nominibus Magistri, & Doctoris spem ponant; nam etiam illi nuncupabantur Prophetæ.

Sed verò reflexas obliti sumos, quarum beneficio mendacium omne videtur! Miseros, stupidosque Prophetas illos, qoi in suas, vel aliorum directas opiniones, & dicta reflectendo iram Dei omnem, minasque frustrare nescierunt. Et quid deindè facimus de Magistris omnibus directè, & de rebus ipsis affirmantibus, & negantibus; de Theologis uno verbo omnibus, qui omnes directi sunt, & directè docent; ut fuit ostensum! Hi ergo, si falsa docent, vana, & mendacia loquuntur. Proohetisque illis conferentur. Ablatis dein directis, reprobatisque, nihil superest, quod per reflexas assumatur, atque probetur. Deus rursùs falsa saltem hæc directa, quæ affirmant, quæ non sunt, & negant, quæ sunt, improbat, repellit, populumque decipere, animasque irretticere, inquit, & docet in Prophetis illis, & vetera omnia figura erant futurorum.

Reflexistæ autem contrarium inquiunt & docent: probant enim reflexis suis, ac populo ministrant, & tutissima dicunt ipsa illa falsa directa; quæ Deus judicio suo modis omnibus detestatur. Finge, quæso, Jeremiæ tempore acutissimum Prophetam, Doctoremve advenisse, qui à directis omnibus dictis falsorum eorum Prophetarum præscindens, & causam omnem ad reflexas trahens, dicta illa nō directè, sed reflexè tutari voluisset. An hoc excogitato, & facto, conciliatos Deus fuisset cum doctrinis illis, & quæ in se & directè malæ erant, in bonas converterentur eo artificio? Nugæ sunt: nihil enim doctrinæ directæ malæ per reflexa immutantur, & si malæ erant, malæ remanent; &, si sanæ in se non sunt, sanæ reddi non possunt; neque directa reflexis, sed hæ ab illis essentiam, speciemque accipiunt, quæ scilicet objectum reflexarum sunt. Jam ergo doctrinæ, non bonæ, sed falsę effici nequeunt bonę per reflexas, quam liber non bonus effici nequit bonus approbationibus ullis reflexistotius etiam mundi. Imò hinc reflexæ etiam falsæ, & mendacia sunt, dum non bonum dicunt bonum approbantque, quæ à Deo reprobātur. Revisorum porrò approbantium libros aliū esse sensum, declaravi par. 1. lib. 2. postremò ibidem li. 3. ostendi fusè, dictamen, judiciumq; conscientiæ non esse reflexum, sed directum: ergo falsum. Non est ergo evasio per reflexas. Væ igitur. Prophetis Israel dicentibus bona omnia falsa probabilia, quibus libri implentur, & natant, ut Augustinus aiebat in diluvio aquarum multarum, id est, doctrinarum multarum, quæ cum falsæ sint, Dei esse non possunt.

Illud in hoc toto Magistrorum, Doctorumq; negotio, causisq; morum fallit multos, quod doctrinam fidei, morumque distinguentes, in ista arbitrari, quęcumque auferre, & addere posse saltem in mari magno probabilium, in illa verò secùs putent; & quædam nescio quali confidentia; quidquid contra malos doctores scriptum est, non de se, sed solùm de hæreticis arbitrantur. Hoc eversum est suprà multipliciter. Est prætereà existimatio ista nihil considerantium non sit, *quasi aliquas ait Augustinus lib. de fide, & oper. 7. Apostolorum epistolas legant ad eos, qui baptizandi sunt, datas, ubi de sola fide disputaverunt, & alias ad baptizatas, quibus præcepta de malis cavendis, bonisque instituendis moribus continentur*: imò nullas de moribus, quorum instituendodorum rationem doctrinam, & legem, Recentiorum ingeniis reliquerunt. Nulla itaq; Apostorum epistola morum doctrina conferta non est, non ut concionatores solum indè doceant, alii aliundè doceant, sed ut omnes indè & doceant, & vivunt. Sic est etiam de Evangelio: sic de Prophetis: sic de aliis partibus scripturæ, ut diceremus. in suis itaqoe probabilibos multa re ipsa sunt contra fidem, & verba Dei; maximeque est hoc universalissimum de blandis, & de tollendis peccatis ut ostendimus; qood voluntariò facientes in re quidem fidei peccant: hæretici tamen non sunt, quandiù tolerat, & tacet Ecclesia, quia deest pertinacia. Vide alia in Augustino loco citato.

QUÆSTIO

QUÆSTIO X.

Ergo omnis bonitas & rectitudo Magistri clauditur in illis verbis, Magister scimus quia verax est *&c.*

Invisabunt forsitam nos, quod multipliciter ingeramus, & inculcemus. Sed causas sæpè dedimus; nunc verò illud respondemus; gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo. Lapidem porrò, eumq; durissimum arbitramur consuetudinem. Invaluit autem consuetudo derelicta veritate probabilitatum sectandi in operando, & in docendo. Quare frustrà non est, si sæpè, si millies eadem diversis modis prosequamur, si quomodo majestatem, pulchritudinemq; veritatis, fæditatem autem falsitatis cujuslibet etiam probabilis ob oculos omnium, mundique conspectu ponere sensima liquandò valeamus.

§. I.

Verborum illorum Magister, scimus, quia verax es, *&c. declaratio.*

Hostium sanè unius Magistri nostri verba sunt; quæ tamen bonitatem, rectitudinemq; Magistri præstantissimè exprimant: in quibus si illud saltem, *scimus*, tollas, reliqua verissima sunt. Quæst. itaq; in synagoga vertebatur, utrum populus Dei. Et, electus tributa Cæsari persolvere deberet. Affirmabant Cæsariani, & Regii; Scribæ verò, & & Pharisæi negabant: atque hanc odiosam quæstionem Domino afferunt, in qua populum offenderet, si affirmaret; sin verò negaret, seditionis contra Cæsarem accusaretur, uti posteà accusatus est.

Inito itaque consilio, ut Dominum, in sermone caperent, mittunt Pharisæi *discipulos suos cum Herodianis dicentes. Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; nō enim respicis personam hominum? Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari, an non?* cognita autem nequitia eorum respondit Dominus, ut scitur. Orationem verò omnem eò direxerunt, ut Deum magis, quam Cæsarem reveritus negaret, censum dari debere; ideoque adjunxerunt, *& non est tibi cura de aliquo etiam* Cæsare; *non enim respicis personam hominum* quantorumcunq; miserunt autem discipulos cum Herodianis, qui testes essent; nam pro certo habuerunt, suavi illa sua, fraudulentaque interrogatione capiendum esse Dominum, responsurumque, tributa nequaquam esse persolvenda.

Glosam illam: jam alias dedimus, quæ habetur in catena S. Thomæ Matth. Ep. 22. *Tripliciter autem, aut, contingit, aliquem veritatem non docere. Primò ex parte ipsius docentis, quia veritatem non novit, vel non amat: & contra hoc dicunt scimus quia verax es. Secundo ex parte Dei, cujus timore postposito, quidam veritatem, quam de eo noverunt, purè non annunciant, & contra hoc dicunt: & viam Dei in veritate doces. Tertio ex parte proximi, cujus amore, vel timore aliquis veritatem tacet. Et ad hoc excludendum dicunt: & non est tibi cura de aliquo; non enim* respicis personam hominum: Idcirco ne amore: compassioneve, aut timore veritatem deseramus, levit. 19. & Deut. 16. prohibiti sumus vel pauperis, vel potentis personam respicere; & omnis personarum acceptio est prava. Tamen freqoentius in potentibus periculum: nam ut Ambrosius lib. 2. de offic. cap. 24. *pronum est genus hominum favere honoratioribus, ne lesos se putent, ne victi doleant. Sed primùm si offensam verens, non recipias judicium* &c. quod documentum egregio etiam facinore Ambrosius cum Theodosio confirmavit. Sed Ambrosii, & Chrysostomi desierunt.

Certè Pharisæorum illa optimi Magistri descriptio mirè congruebat Salvatori, unique Magistro nostro: adeo enim verax fuit, viamque Dei in veritate docuit, ut ipsa potius via, & veritas sit; & ad hoc, quo nihil grandius, ut ait Augustinus, dici pro veritate potuit, natus est, ut testimonium perhiberet veritati. Diximus scilicet superius; quod ipsa ratio naturalis demonstrat, Magisterium omne bonum, & authoritatem quamlibet duplici veritate constari, in cognoscendo quippè, & dicendo, id est, quod res cognoscat, ut revera sunt, easque uti novit, proferat. Quarè non satis est, veracem quem esse, si fallitur, sed opus est, & veracem esse, & veritatem docere. Utraque porrò veritas per essentiam viri Magistro nostro congruit. De quo proin lè Bernardus ser. 12. Cœna Domini inquit, *ipsa regula veritas, omnis forma sanctitatis sanxit in perpetuum, nec valebit abrogari, nec de libro jam mutari veritatis sanctio; ait enim i. sit meus imò ait Deus meus, veritatis firmitatis falsitatis avulsio, totus verax, totus verus &c.*

Sancti omnes Dei falsorum sanè omnium probabilium obliti sunt, & vero & falso causas omnes judicarunt; probarunt verum omne, ubi, & quando, &c. oportet; falsa omnia ubique; & semper nullo excepto improbarunt. Non, cur huc, illuc vertamur: fide sanctum est, unum Magistrum nostrum veracem esse, viamque Dei, & salutis in veritate docuisse: fide etiam sanctum est, eum esse primum Magistrum. & exemplar nostrum: Est porrò propositio demonstrabilis ea, quam S. Thomas 1. 2. quæst. 19. ar. 9. & sæpè alias usurpat: *illud autem, quod est primum in quolibet genere, esse mensuram, & rationem omnium illius generis; & unumquod rectum, & bonum esse, in quantum attingit ad propriam mensuram.* ut patet in mensuratis omnibus. Omne autem magisterium omnium nostrum est secundum, & mensuratum: ergo rectum, & bonum est, in quantum attingit ad mésuram, scilicet Salvatoris. At iste nec fallitur, nec fallit sed verax est, ac viam Dei in veritate docet. Ergo omne magisterium nostrum est bonum, & rectum in quantum ad id attingit, ut scilicet nec fallat, nec fallatur; sed veraces simus, & viam Dei in veritate doceamus.

Confirmatur; quia nemo est, quæ ea laude non se Magistrum bonum haberet, ut scilicet verax esset, ut viam Dei in veritate doceret. Hunc planè omnes Magistrum bonum, rectumque censerent; quod autem omnibus videtur, id est, ubique, & semper verum est ex Philosophia morali, & naturæ judicium est judicium omnium, Ergo iis Magister bonus rectusque esset; ergo ei contrarius malus, scilicet qui fallit, vel fallitur. Falluntur autem, vel fallunt omnes directè docentes falsum etiam probabile, ut patet: eversis directis, reflexa corruunt, ut sæpè ostensum est. Ergo sunt saltem physicè mali, & moraliter etiam, nisi ab ignorantia invincibili excusentur: boni certè esse non possunt. Iterùm quia causa falsò judicandi graviter prohibita est, scilicet acceptio personarum pauperis, vel potentis: hoc autem est, quia falsum ipsum pravum est. Ergo à fortiori prohibetur: nam propter quod unumquodque &c. valet in prohibitis; & si parum, aut nihil referret falli, aut fallere, parum,

au-

aut nihil referret acceptio personarum.

Habent porrò probabilistæ, quo pacto eludant, & evertant præceptū istud de acceptione personarum; cum enim institutum suum sit gradi per contradictoria, & hæc sint pauperibus, & pro potentibus, & contra ipsos, opiniones habent ad manum, ut accedenti pauperi faveant, & si potentes accedant, eis etiam placeant. Quæ profectò contradictoriorum via tam Dei nō est, quam ipsa præcepta, & mandata Dei contradictoriorū non sunt, cum via Dei aliud non sit, quam via mandatorum ipsorum. Ergo primum quidem eludunt præceptum de acceptione personarum; & deindè institutum suum est gradi via contraria viæ Dei. Sic etiam contrariantur exemplari nostro Christo; qui viam Dei in veritate docuit; ipsi autem docent promiscuè in veritate, & facultate; nam acceptant, & probant omnes opiniones probabiles veras, & falsas, & non vero, sed vero, & falso probabili ex quo docent esse vivendum.

Exponitur. Omnis egressio à veritate, est egressio à via Dei: est item egressio ab exemplari, & mensura: ergo mala. Item omnia unius generis sunt bona per participationem à summo illius generis, ut sæpè assumit S. Thomas: & constat inductione. Ergo sic etiam est in magisterio. Ergo bonitas Magisterii cujusque consistit in participatione, & assimilatione cum summo Magistro, qui est Christus; & commune toti Trinitati, ut adverterat Hieronymus. Hoc porrò summum hujus generis est, verax est, & viam Dei in veritate docet. Ergo in participatione ab hoc, in assimilatione cum hoc consistit tota quanta rectitudo, & bonitas Magisterii, & Magistri. Cum vero cætera Magisteria non sint, toticipationes, sed participationes, id est, non totum, sed partem capiant, de plenitudine quippè ejus, non plenitudinem ipsam, sed partem omnes accepimus determinandum inferius erit, quantus gradus participationis, & veritatis necessarius sit, ut Magister quisque simpliciter, & absolutè bonus sit; non autem malus.

Nimis itaque grossè aliqui viam, & modum sciendi viam confundunt, putantque, se non solum imperfectius scire viam Dei, sed aliam etiam viam tradere, atque docere posse, quam Salvatorem. Novit Mathematicus, demonstratione mathematica, angulum quemque habere tres angulos æquales duobus rectis: novimus hoc alii opinione quadam, vel fide humana. Non tamen unum novit Mathematicus. & non illud, sed aliud, & contrarium novimus alii, sed id ipsum utrique, & alioqui erraremus. Vidi ego Romam; alii solum audierunt, & crediderunt: eorum cognitio fides, mea intuitiva: nec tamen aliam, & aliam & contrariam Romam utrique novimus, & diversitas est in cognitionibus; non autem in re cognita.

Existimarunt igitur, se ut aiunt, Angelos non esse quibus certissime actuum humanorum quorumque bonitas, & malitia, ac circunstantiæ eorum omnes innotescant. Cum porrò ex hoc aliud solùm sequeretur, sed ad eam tantam certitudinem obligatos non esse nimis sanè tumultuariè non hoc inferunt, sed illud, se scilicet ad veritatem ipsam non esse obligatos, sed docere posse probabilia quælibet vera, & falsa. Quod profectò, ut datis exemplis insistam, aliud non est, quam dicere, me, qui Mathematicam mathematicè, & instar mathematicorum non novi, tradere posse, asseverareque vel eas res, quas illi statuunt, vel alias, & contrarias, falsasque. Peccatur itaque in discursu ex distincto, diversoque modo cognoscendi ad distinctum, diversumque objectum saltando. Nemo ab eis exactissimam eam in omnibus certitudinem postulavit; minora sanè possimus omnes: at non ideò ad falsa eundum est.

Etenim non minùs, opinor, ea sola via Dei, & salutis est, quam nos Dei Filius ipse edocuit, atque ea sola mathematica est, quam Euclides tradidit, & non contrarium: quæ propositio citra blasphemiam negari videtur non posse; & demonstratur, quia ipse unus Magister noster est; & quia primus est in Magisterio, sicut Deus in causando: item quia anathema dictum est omni aliter annunncianti etiam angelo de cælo, & propter alia. At innegabilis etiam est ista propositio: via Dei, & salutis, quam nos Dei Filius edocuit, est tota quanta vera, & veritatis etiam directæ sine iota uno vel apice falsitatis. Ergo sola via vera, & veritatis etiam directæ est via Dei, & salutis: & nihil præter aut contra. Sed omnis Magister morum tenetor non aliam, sed ipsam viam Dei, & salutis edocere. Ergo veram, & veritatis etiam directæ & si aliter doceat, & si sileant cæteri; anathematizatur à Paulo. Aliud est itaque, quod nos hanc plenitudinem gratiæ, & veritatis non assequamur; aliud quòd aliūdè, quam ab hac plenitudine veritatis accipere liceat, & deindè docere: idque idem est, atque aliundè, quam ab ejus plenitudine gratiam accipere: est enim ipse plenus gratiæ, & veritatis; atque ab ejus plenitudine accipimus omnes sive gratiam, sive sapientiam; in quo scilicet sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ. Omnis itaque falsum docens, ex aliquo id fonte accepit, quod doceret: non ex thesauris Christi, non ex plenitudine Salvatoris, quæ tota est gratiæ, & veritatis. Ergo aliundè, scilicet vel à mundo, vel à carne, vel Dæmone: quæ sanè scientia talis erit, qualis est gratia ipsorum. Rursùs sic: gratia aliūdè accepta non salvat: ergo nec sapientia: sed omnis falsa sciētia aliundè accipitur: non ergo salvat, sed perdit. Nisi desipere demùm placeat, & dicere plenitudinem gratiæ omnibus, ac universo etiam mundo sufficere? plenitudinem tamen veritatis ejus; thesauros item sapientiæ, & scientiæ ejus nobis non sufficere; atque præter fontes Salvatoris fodiendas nobis esse cisternas alias falsatum doctrinatum; prius enim cœlum, & terra transibunt, quam particula ulla falsitatis à fontibus Salvatoris possit. Probabilia sunt, inquis. Verum Ex eis fontibus non sunt; indè hausta non sunt, si falsa sunt. Quæ enim communicatio lucis cum tenebris.

Filius igitur Dei Magister noster novit hanc viam Dei, & salutis scientia beata, scientia infusa, & evidenter, & superevidenter certissimè, comprehensivè, ac præstantiùs multò quam dici à nobis, explicativè possit, nos verò procul ab ea perfectione, cognoscendi absumus. At non proptereà, aliud, aut aliter, & contrarium docere possumus, aut licet. Docemus autem aliud. Et aliter, & contrarium, quoties falsa etiam probabilia edocemus. Non ergo hoc licet Vos quidem extollitis probabilitatem vestram; invictam etiam, atque inexpugnabilem eam jactitatis: at verò populi non hoc dixerunt, *sed magna, est veritas, & prævalet*, & Christus est veritas, & vinci nequit, ut blasphemus etiam Julianus confessus demum est.

§. II,

§. II.

Non ergo opinabile solum, sed demonstrabile est, omnes eos, qui veritatem ignorant, sapientes non esse. Ergo neque boni Magistri sunt.

HOc sequitur ex §. praec. multipliciter; sed ot ad alia progrediar, uno duntaxat modo utar sic. Omnis sapiens est talis per participationem à ptimo sapiente, & Magistro, atque per similitudinem cum illo in genere sapientis. Sed nullus ignorans veritatem est sapiens per participationem à primo sapiente, & Magistro, in hoc genere, cujus quippè rota sapientia vera, & ipsa veritas est. Ergo nollus ignorans veritatem est sapiens. Qui syllogismus legitimus est, & præmissæ per se notę, atque explicabiles multipliciter. Jam igitur ignoraos veritatem sapiens non est, qui à primo sapiente nihil in hoc genere participat; quam non entia bona non suot; aut entia non sunt quæ scilicet nihil à primo ente participant. Ex quibus sequitur, omnes eos, qui veritatem ignorant, sapientes non esse. At boni Magistri sapientes sunt. Ergo ignorantes veritatem boni Magistri non sunt.

Hanc doctrinam, ut credo, part. 1. & aliàs sæpè commonstravi. Nunc porrò §. istum, titulumque proposui, ut proferrem dicta quædam Augustini, qoæ ipsi, & nobis per se nota, vel demonstrabilia visa sunt, ot si qoo modo possim, ad verecundiam eos moveam, qui ex una parte tantoperè ignotam, & inaccessam veritatem dicunt, ex alia verò parte se sapientes, bonos que Magistros arbitrantur, & ubique sapientes turmatim esse, & occurrere arbitrantur, & Novitius ille Doctorellus, cujus quæst. 1. memini, hoc si superis placet, probandum ex Augustino sumpsit, sapientibus esse credendum, quasi de hoc qoisquam dubitaret. Discar primum aliquid, & proficiat, & dein loquatur.

Usus sum sæpè Augustino contra Academicos disputante. Eorum conseqoenter ad ininvenibilitatem veritatis illud erat dogma, ut prorsùs nollent, sapientem Academicum ulli rei præbere asseosum tamquam veræ: ne scilicet erraret, falsum tamquam verum approbando. Et hoc quidem de sapiente maximè tuebantur, quem scilicet turpissimum erat errare. Non sapientibus id non prohibebant; nam contrà potius Cicero flos Academiæ laudem sibi sapientis non arrogat, & fatetur se hominem opinionissimum, & magnum opinatorem esse, quique multis rebus tanquam veris præstaret assensum, ut patet ex 4. libr. Academ. quæst. & ex Augustino libr. 3. cap. 14.

Hunc sapientem Academicum multis versavit Augustinus; ex quibus ea duntaxat usorpabimus, quibus rem velut clarissimam accepit, sapientem non ignorare sapientiam, & veritatem. Facessant ergo modo, quæ Aristoteles in lib. poster. de natura scientiæ, sine qua nullus est sapiens, cosignavit, eam scilicet esse ex veris, & veram: facessant, quæ ibi communi omnes calculo probamus, & tradimus, & videamus utrum aliquem probabilistam Augustini saltem robur permovere valeat.

Itaque libr. 3. contra Academios cap. 3. sic cum Alipio colloquitur, *Volo inquam* (scilicet Augustinos) *mihi paulùlum aperias, quid tibi inter sapientem, & philosophum distare videatur? sapientem à studioso, ait*, (scilicet Alipius) *nulla re differre arbitror, nisi quod quarum rerum in sapiente habitus quidam inest, earum est in studioso sola flagrantia. Quæ sunt tandem ista res? inquam. Nam nihil aliud videtur interesse, nisi quod alter scit sapientiam, alter scire desiderat.* Et post pauca. *Nam nisi fallor, quod jam dudùm molior, ad ipsum finem pervenimus.*

Si enim, subtiliter, vereque dixisti, nihil inter sapientia studiosum, & sapientem interest, nisi quod ille amat, iste autem habet sapientiæ disciplinam, undè etiam nomen ipsum, id est, habitum quemdam exprimere non cunctatus est; nemo autem habere disciplinam potest in animo, qui nihil autem didicit, qui nihil novit; & nosse falsum nemo potest; novit igitur sapiens veritatem: cum disciplinam sapientiæ habere in animo, id est, habitum, jam ipse confessus est.

Paulo post. *Concedis mihi, inquam, falsò neminem scire. Facile quidem, inquit. Dic jam si potes, inquam, sapientem nescire sapientiam.* Atqoe hoc uno, quod acutissimè utrique amb› urgent, causam Academicis omnem Augustinos expedivit, & Alipius etiam cessit. Quæ tota argumenratio eò revocatur, ut sapiens nequeat non habere sapientiam, magis quam sanus, quam calidus, divesque nequeunt non habere sanitatem calorem, & divitias; sit autem sapientia, non quidem falsorum, sed verorum. Quod ex omnium confessione usurpavit in his Augustinus; & osurpat denuò cap. 4. fine dicens: *simul enim placuit inter nos, quod etiam inter omnes veteres, interque ipsos Academicos, scire falsa neminem posse*, quod etiam lib. 2. soliloq. sæpè ingeminat & cap. 5. rem dictu absurdissimam putat, aut sapientiam nihil esse, aut sapientiam nescire sapientem: at qui veritatem nescit plaoè oescit sapienriam, cum falsa scire nemo possit. Qui ergo nescit, & ignorat veritatem, sapiens non est, magis aut aliter, quam sanus sit, qui sanitate caret.

Cogebat itaque hoc argumento Augustinus Academicos, ut vel faterentur, apud se nullos esse sapientes, si quidem sapientiam haberet nemo, neq; nosset; undè ipsorum nulla esset autoritas nec audiendi essent; vel fatentur, sapientes suos scire verum: quo totum suum dogma concidebat: quæ §. seq. magis perstringemos; & infra etiam rursus ex libr. de otilit. credendi non probabimus modo, sed demonstrabimos quæstionem de sapiente, & quæstionem de veritate unam ipsam esse. Undè ergo hi novi nec Philosophi, nec logici, sed nescio qui venerunt, & quæstiones separarunt, & milliones illos hominum, quibus chartas implent, sapientes esse, & tamen veros omnes non esse, aut veritatem inveniri non possunt, obloquuntur.

§. III.

His conveniuntur Recentiores.

NUmquam sanè voluimos, neque volumus modò, Probabilistas per omnia, & in omnibus academizare; quibus scilicet plurima certissima sunt; quamqoam ex eorum positione quod tamen ipsi negant, totus Academismus de pleno consequatur: de quo nunc non tracto. Eam igitur Theologiæ partem, illamque certè maximam, quibus rot libri opinionibus,

utrinque contrariis implentur cum Academismo contulimus, & conferemus etiam denuò lib. 3. seq. nam neque de eo modò disputamus.

Hoc ergo ab eis nunc est quærendum, utrum sint, apud ipsos ulli sapientes, nec ne? Quod si nulli sint sapientes, ad ipsum finem pervenimus. Jam enim nec erit apud ipsos probabile, quod per sapientis autoritatem dictumque exponunt. Quod hoc Syllogismo demonstratur: ubi nulli sunt sapientes, nulla est autoritas, neque dictum sapientis; sed fatentur, apud se nullos esse sapientes. Ergo nulla est apud se autoritas, dictumve sapientis. Ergo neque probabile, quod hac autoritate, dictoque exponunt. Sin verò velint, esse apud se sapientes; sunt ergo [qui] noverint veritatem: vel desipuerunt omnes existimando sapientiam non esse falsorum. Ergo obligatio ad veritatem non est de impossibili, nec Jansenismus, ut obloquuntur, & desipiunt.

Rursùs quærendi sunt, utrum apud ipsos sint multi, an pauci; utrum plerique, an rari sapientes? Si multi, si plurimi, si plerique; ergo plurimi, & plerique veritatem noverunt. Ergo facilis, & obvia est ejus inventio; & hi plurimi eam expeditè populo communicabunt. Sin autem pauci, rarique sint: ubi, & undè eos inveniemus, & discernemus? Determinare illos nobis debebunt. Pleræque dein opiniones, librique probabiles non erunt; quibus scilicet deerit autoritas, dictumque sapientis, si tam pauci, rarique sunt sui sapientes.

At, opinor, quæ de sapiente, eadem est etiam de docto, de perito, aliisque nominibus, quibus utuntur, quæstio. Nisi velint, sapientem quidem falsorum cognitione effici quem non posse, at posse effici doctum, peritum, & scientem. Hæc credo, omnia nomina, plus minùs Synonima sunt; & sicut sapiens non est, qui fallitur, in quo fallitur, ita nec peritus, doctusve erit. Vel quæso, quis, sit vester doctus, & peritus? Ille ne, qui fallitur. Sic ergo is vester sanus sit, qui malis humoribus oppletus est, nam doctrinę sanitas est veritas, ut ostensum fuit; & ignorans quisque præstat erranti etiam probabiliter, ut fuit demonstratum.

Ex his illud quoque nobis part. 1. lib. 2. demonstratum censemus in utroque contrario, vel contradictorio diffidentium Autorum non superesse probabile conscientiæ: quod tam arbitramur evidens, quam est evidens, utrosque simul non esse sapientes, nec peritos, scientesve: quæ eo loci satis declarata, confirmataque sunt. Revelaret nobis Deus, ex omni binario incedentium per plateam, alterum justum esse, peccatorem alterum: constitueremus verò, justorum dicta esse probabilia, aut esse sancta: non autem peccatorum. Consequentia ista esset profectò evidens: ergo utriusque simul in binario incedentium dicta probabilia non sunt, aut sancta. Idem porrò est in re nostra. Quid ergo, quotsumque resistunt?

Sed nimirum ab Augustino disgrediamur, quærendi sunt his iterùm, utrum ipsi sint in scientia morali Philosophi, utrum sapientes! an nec sapientes quidem, nec Philosophi sint? Et si quidem fuerint sapientes, veritatem ergo noverunt? non ergo ea inaccessa est, & in invenibilis, ut obtrectant. si verò se Philosophos dicant, id est, sapientiæ, & veritatis studiosos, & amatores, videbuntur cum Academicis ab Augustino, quod tantoperè veritatem, sapientiamque quærant; quam ajunt, inveniri non posse. Rursùs cadit eorum autoritas, & probabile; & tam non erunt fide digni, quam amator, & inquisitor divitiarum, quas tamen non habet, fide jussor aptus non est. Quod si nec sapientes, nec Philosophi sint. Lucianizabunt, sapientiam, & ejus simul studium, hoc est, Philosophiam abnegantes. Cadit deindè sua omnia autoritas, & probabile. Rursùs si sapientes non sunt, superest, ut sint ignorantes; nam non est medium, & omnis habens sapientiam sapiens est, & omnis ea carens est ignorans: sed ignorantibus nihil est credendum; nullaque est eorum autoritas. Ergo nec ipsorum.

Iterùm sapere, & nescire relativa transcendentalia sunt. Quærantur, ergo, quid sapere, & scire; quid item nescire, & ignorare intelligamur? Illud opinor, scire dicimur, quod est; & ut est in proverbio, quod non est, non scitur. Hoc porrò est scire verum: nam ut idem Augustinus ait: verum dicimus, cum dicimus esse, quod est, & patet ex Logica. Sapere ergo: & scire est utique sapere, & scire verum: & similiter ignorare, & nescire, scilicet verum. Et ab omni ignorante est quærere *quid*, scilicet quid ignorat? Et respondet; rem istam: hoc autem est ignorare veritatem. Qui ergo res ipsas, verumque ignorant, & nesciunt, ignorantes sanè sunt. Ignorantes porrò sapientes non sunt. Si ergo adversariorum sapientes res ipsas, verumque ignorant, sapientes non sunt. Nulla ergo apud eos superest autoritas, nihil probabile, nec magis, quam ignorantes consulendi erunt.

Volo, ajebat Augustinus, *mihi paululum aperias, quid tibi inter sapientem, & Philosophum distare videatur*. Et vellem etiam ego, ut quid sapientis nomine intelligant; quid inter eum, & ignorantem distet, aperirent. Prudentium scilicet, sapientium, peritorum, nobilibusque vocabulis aliis chartas implent; sed definitionem descriptionemve aliquam doctrinalem optaremus, & numquam dederunt. Num cum Alipio dixerint, sapientem esse cui habitus quidem, id est, sapientia ipsa inest? Sapientiam rursus ipsam cum omnibus dixerint, humanarum, divinarumque rerum per altissimas causas cognitionem, sapientiam autem particularem; scientiam earum rerum, de quibus ipsa tractat, cognitionem? Si hæc sapientis, sapientiæque nomine intelligunt, ergo qui in morali scientia sapientes sunt, res ipsas morales, earumque veritatem cognoscunt; undè ignorans is erit, qui ea cognitione, eognoscendique habitu caret. Hinc porrò expeditæ sunt hæ consequentiæ, prima, veritatem moralem non esse, ut ajunt, imperviam, ac in invenibilem, quam quippè tot sui sapientes noverint: altera, in diffidentibus, contradicentibusque utrique Autoribus non esse utrobique sapientes, & sapientiam, sed in alterutris ignorantiam: altera, in utrisque simul non esse autoritatem: altera in utrisque simul non esse probabile: & sic aliæ, & aliæ consequentiæ sequuntur.

Quod

Quod si sapientis, sapientiæque nomine non id, quod diximus, sed aliud intelligunt, ludunt in primis, & illudunt nominibus alud sibi, aliud nobis significantibus otendo. Deindè necesse est, ut suum nobis sapientem desiniant, & exponant: quem mundus hactenùs ignoravit. Mirum verò erit, si citra veritatia, rerumque ipsarum cognitionem sapientem, sapientiamque exponere ausint, contra sapientium omnium, ætatumque consensum.

Dicis forsitàm alium esse talem in se, alium talem solùm quoad nos, Et de sapiente quidem sapientiaque, in se compertum esse, neutrum sine veritatis, rerumque in se cognitione constare; At aliud esse de sapiente solùm quoad nos, qui scilicet quamquam sapiens in se non sit, nobis tamen esse videatur: & sic etiam veritatis, rerumque in se ipsarum cognitione pollere videtur. Atque hos, ais, esse sapientes vestros.

Sed verò latuerunt Augustinum, & scientiarum tractatores omnes hi novi sapientes, qui non sint, sed videantur. In primis autem, ut sæpè dictum est, nihilo hi sapientes à Sophistia quibusque congruit. Undè & Pseudoprophetis, Synagogæ Doctoribus, Hæresiarcis, populorumque seductoribus omnibus, quos sequendo in foveam ceciderunt, de plano congruit data explicatio, nec alioqui seducere potuissent, Reprobantur etiam in scripturis Dei similes sapientes, qui in oculis suis, vel aliorum, cum re ipsa non sint, sapientes, sunt, & existimentur. Nemo deindè hactenùs explicatè asseruit, etiam non sapientibus, qui tamen esse videntur, credendum esse, committendasque animas nostras; quin Dominua attendere jussit à falsis Prophetia, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, qui scilicet oves esse videantur & non sint, ut lib. 4. differemus. Postremò missis in re clarissima aliis, ut Augustinus causam hic omnem dirimat, invicta, & impenetrabilis est illa sua sententia, & assumptio lib. de utilit. credendi cap. 13. *cum hoc nomen* (sapientis scilicet) *tamet si nemo ferè audeat palàm, plerique tamen ex obliquo sibi vendicant, cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, ita inter se dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum, necesse sit, esse sapientem.* Volvi certè hac illàc poterunt; hanc tamen unam Augustino propositionem, qua moles sua rota corruit, numquam dissolvent. At constat omnibus; estque in mundo factum publicum; & notorium, ipsos dissentire inter se de rebus illis, quarum cognitione sapientia moralis, scientiaque constat. Necesse est ergo, utrosque simul sapientes nec esse, nec videri, cum notum cunctis sit, falli alterutros: *placuit autem inter nos*, ajebat idem Doctor, *quod etiam inter veteres omnes, interque ipsos Academicos, sive re falsa neminem posse*, Alia porrò, quæ movere hoc circa adversarii possint, Augustinus eo lib. 3. contra Academicos dirimit de reflexia reflexionum; quæ quoniam nimia sunt subtilia, & ibi cap. 4. disjecta, prætermitto.

§. IV.

Absurdè ergo adversarii sapientibus suis accommodant, quæ in Topicis, & alibi de sapientibus Aristoteles præscripsit.

Sapientes suos voco eos, qui de rebus, quarum cognitione scientia ipsa moralis constat directè tractant, & dissentiunt inter se: & nulla est quæstio, in qua non sit dissensio: & etiam, si volunt, vocabo sapientes suos eos, qui reflexè priorum horum opiniones usurpant, miscentque utrasque illas opiniones pugnantes, atque dissidentes inter se. Nescio enim alios, quos ipsi sapientes appellent, & ad quorum nos tribunal, fidemque, & judicium remittant. Et hujusmodi certè sapientes appellant ostendimus passim non tot, quin plures.

Sunt porrò, ut alios mittam, in Aristotele plura pro sapientibus, eorumque authoritate suffragia; & in Ethicis quidem dixit; eorum dictis tanquam demonstrationibus in rebus morum esse credendum; & 3. Topic. 8. asseruit, propositionem dialecticam illam esse, quæ aut omnibus, aut sapientibus; & his vel plurimis, vel maximè notis inopinabilis non est: & cap. 12. eadem fermè ponit. Propositio autem dialectica constat probabilibus. Sapientium ergo dicto propositio, & opinio quælibet efficitur probabilis.

Adversarii, tamquam si clarissimè sibi faverent (celeriter adeò currunt, & scribunt) arripiunt ista libentissimè; putantque, hic clatam, expeditam, cunctisque notam suorum probabilium definitionem contineri. Sed videre facilè potuissent, nullam in his contineri definitionem probabilitatis in genere, nec probabilitatia ab intrinseco, sed solùm ab extrinseco. Nescimus ergo quorsum novissimus quidem probabilitatum assertor, laxatorque in his Aristotelis locis comprehensam arbitratus sit probabilium omnium causam, & definitionem, quam diligentissimè se quærere profitebatur.

Verùm non de hoc nunc tracto, sed de eo ejusdem, & quorundam res istas tractantium quasi ausu, quo causas, veritate & sapientię, & sapientis separant; atque disjungunt; cumque ipsi veritatem censeant adeò esse abscondita, & inaccessam, nec eam, sed probabilia colant, doceantque, intereà tamen existimant, sapientem rem esse adeò protritam, ut in trivio quolibet inveniatur; indeque putarunt his ab Aristotele, & aliis usurpatia sapientium nominibus se, & quoslibet significari.

Stuporis instar hoc mihi visum est; cum vulgatum satis sit, vel ab ipsis etiam Gentilibus sapientis nomine adeò excellens, rarumque quidpiam intellectum fuisse, ut non nisi septem solùm sapientes numerare ausi sint, & maximi quique Philosophorum, se non sapientes, sed Philosophos hoc est, sapientiæ amatores, ut Physicæ prologo omnes produnt, nuncupaverint; atque Ciceroni sæpius mulam peperisse, quam sapientem fuisse, visum est. Si ergo ipsis tot, tamque obvii sunt sapientes, mirandum planè non est, ita facilia sibi, expeditaque cuncta extitisse.

Est igitur res extra controversiam considerantibus quibusque comperta, veritatis expertes

esse hoc ipso expertes sapientiæ; item expertes sapientiæ tam non esse sapientes, atque expertes justitiæ justi non sunt, ut præc. §. declaratum est. Undè Augustinus lib. de util. cred. quod lib. 4. prosequemur, unam prorsùs, eamdemque quæstionem, ac inquisitionem esse existimavit quæstionem, & inquisitionem veritatis; & quæstionem, & inquisitionem sapientis: eum, quod ratio sanè ipsa demonstrat, invento sapiente inventa sit veritas, sicut invento divite inventæ sunt divitiæ, & quandò latet veritas, eodem planè modo necesse sit latere sapientes. Verè ergo nescimus, nec sciemus unquàm, quid sibi in mente sua adversarii hoc sapientis nomine comminiscantur.

Jam ad Aristotelem veniamus. Probabilia ille censuit dicta sapientium. Et quis, quæso, abnuat? Credendum esse sapientibus præscripsit. Et quis, precor, detrectet? Nullo ad hæc Aristotele opus est; nam ratio ipsa sua naturalis omnibus constituit, sapientibus esse credendum, & sapientes plerumque saltem vera docere. Non igitur de hoc, sed de sapiente est quæstio, quinam scilicet hi sapientes sint? Hùc ergo disputationem dirigere debent, hoc expedire, atque tractare. Probent semel nobis, quemlibet vel abjectissimæ summæ Autorem esse sapientem; & nos clamabimus, ei planè esse credendum.

Qua sanè in causa adversarios, utrosque saltem sapientes non esse, quibus credi possit, nos nuper ostendimus. Primò quia de eis rebus dissentiunt, quarum cognitione sapientia, scientiaque moralis constat, ut §. super. ex Augustino assumpsimus. Secundò quia nec sapientiæ quidem, & scientiæ studiosi, & professores esse videntur; nam probabilia, non vera docere profitentur: citra veritatis porrò studium, & professionem sapientiæ, scientiæque professio non constat. Tertiò quia veritatis ignari sunt absolutè ignorantes, ut §. præc. habitum est: Aristoteles porrò non dixit sapientium simul, & ignorantium dicta esse probabilia. Præterea quia ut superiùs latè ostensum est, deterior est dispositio falsa probabilia scientium, quam absolutè ignorantium, & nescientium; at his credendum non est, nec horum dicta credibilia & probabilia sunt: ergo nec illorum. Rursùs multi adversariorum reflexam maximè viam colunt, & æstimant: at reflexarum via non est via sapientiæ, & sapientis, ut etiam ostensum fuit. Iterum quia adversarii gradiuntur per contradictoria, & per verum, & falsum: sapientes autem non ita, sed per verum, ut ex tota Logica patet, & Aristoteles ubique clamat.

Ut itaque, si volunt, demùm intelligant, tam est impossibile, eos, qui de rebus morum dissentiunt, utrosque simul sapientes, scientes, doctosve existere; atque est impossibile, eos, qui de rebus religionis dissentiunt, utrosque simul esse sapientes, scientes, doctosve, sed vel alterutri, vel utrique, ut Lutherani, & Calvinistæ, necessariò errant: at qui errat, sapiens planè non est, sed pejor, quam ignorans. Ex quo denuò ad reflexistas; nam horum sic dissidentium dicta, & opiniones per reflexas assumere, non est profectò sapientium dicta, & opiniones assumere, sed sapientium simul, & errantium, vel solùm errantium: ut eodem exemplo dissidentium de rebus Religionis constat. Nemo autem sub his terminis dixit hactenùs, sapientium; & non sapientium, sed ignorantium, seu quod pejus est, errantium dicta, & opiniones aptas esse, quæ reflexis sive ad operandum, sive ad docendum assumantur; quin omnes specioso sapientium vocabulo utuntur, & fallunt: ubi denuò idem de rebus religionis dissentientium exemplum inculco. Nisi velint, hoc religionem, moresque interesse, & distare; quod dissentientes in religione sapientes non sint; in materia verò morum sint sapientes ipsi, tum etiam non sapientes, id est, ignorantes, seu quod est deterius, errantes, & falsa pro veris probantes, & docentes. Sint itaque, si placet, excusabiles, qui in materia morum probabiliter errant. At fieri nequit, ut sapientes, doctive sint.

Hinc nihil superest ipsis in Aristotele asserente, sapientium dicta esse probabilia. Oportet enim, ut primùm quærant sapientes; quibus habitis, nemo est, qui reluctetur. Vulgus, ais, omnes librorum scriptores, omnes item scientiarum professores sapientes putat, & nominat. Respondeo, vulgus est, & ultrò, citroque ita putat; nam si quanti pecuniam, tanti faceret res animæ, facilè adverteret, dissentientes inter se non esse utrosque peritos, & scientes ea in re, nec rectos cognitores, sed falli alterutros, nec scientiam scientiæ usquiam repugnare, nec eum, qui sapienti contradicit, sapere posse: eum potiùs in eo nunc documento versemur, sapientium scilicet dictis, tamquam demonstrationibus esse credendum. Ergo qui sapienti contradicit, & repugnat, sapiens certè non est, nec sapienter agit. Ergo stultus est.

Ais: ignorat, eum esse sapientem, nec alioqui contradiceret. Benè: ergo hi sibi vicissim repugnantes, & contradicentes non sunt sapientes sibi noti: nec alii alios sapientes esse noscunt, & fatentur. Ergo minùs multò ignorantes alii, eos sapientes esse agnoscere possunt: ergo ad ignotos sapientes remittuntur, quoties ad eos mittuntur. Expono: Petrus, & Paulus v. g. sibi contrariantur. Quæro, utrum Petrus noverit, Paulum esse sapientem, vel non? si novit, sanè stultè agit, & contra omnium præceptum sapienti, peritoque, quem talem esse novit, resistit. Sin vero non novit, minùs agnoscere alii poterunt, quos ignorantes vulgò vocamus, nec scientiam profitentur. Et deindè qui sapientem ignorat, necesse est, ignoret etiam sapientiam, at Augustinus multis probat, sapientem non ignorare sapientiam. Ponamus ergo, Paulum reipsa esse sapientem. Jam eum sapientem esse, ignorat Petrus: ergo ignorat sapientiam: ergo sapiens non est.

Undè adversarii, aliud verbis, aliud factis nobis dicunt, ac sibimet contradicunt. Verbis quidem dicunt, hos sic dissentientes Autores sapientes esse: factis autem, non esse. Nam cum sapientibus, peritisque standum esse, & ipsi, & nos fateamur, hoc sic dissentientes omnes sub hac regula verbis comprehendunt. Factis porrò negant, cum alii aliis stare, assentireque nolint: sed dissentiant. Vel ergo alii alios sapientes eésent, vel non? Si primùm; cur ergo ipsi dissentiunt, & regulam violant? sin verò sapientes non existimant, fallunt sanè in re maxima, cum pro sapientibus eos aliis designant, qui ipsis sapientes non sunt, nec rectè sapere, docereq; videntur: quo circa pat. t. plura contulimus. Notum scilicet est naturæ lumine,

sapien-

sapiente, perito, recteque dicenti non esse contradicendum, sed consentiendum.

Omnis itaque impugnatio alterius est quędam protestatio non sapientiæ ejusdem; & quicumque alterum impugnat rogatus, cur sapientem impugnet, necesse est, ut vel fateatur, se stulte, & contra sapientiam agere; vel dicat,eum,quem impugnat, non esse sapientem ea in re: & ut est in una re, est etiam in cæteris. Sed hi,quibuscum agimus, impugnant se passim; ergo alii de aliis factis protestantur, se suos adversarios non censere sapientes. Sed in contradictione verborum,& factorum hic est standum, ut scitur, & si ego asseram, me ambulare non posse; de facto autem ambulo, facto creditur,& non dicto. Ergo quandò adversarii verbis reflexis dicunt, hos omnes dissentientes inter se esse sapientes; factis autem suis, & impugnationibus dicunt contrarium, sanè factis erit credendum. Qui ergo; quæris,sunt illi sapientes, quos sub definitione Aristotelis, ac maximis communibus intelligendi veniunt? Respondeo uno verbo, lib. 4. pleniùs tractabo; sunt illi sapientes, quibus nemo impunè palàm contradicit, & sunt Augustini, Ambrosii, & similes satis noti in Ecclesia Dei. Ais: ergo nenullum sapientem impugnare licet? Respondeo prorsùs nullum, in quo sapiens fuerit. Poterit quidem ignorantia excusare, ut quis aliquandò sapientem impugnet, quem tamen: & ubi sapientem eum esse ignorat, nam est casus ignorantiæ: sapientem autem notum non licet refellere. Refellunt autem sese vicissim, & passim adversarii: ergo neutri sunt sibi sapientes noti. Quid ergo reflexis post dicunt, eos omnes esse sapientes? Cur nos jubent credere illis, quibus ipsi non credunt, sed dissentiunt? Aut cur nos jubent,ex eorum dictis vivere, quibus credere ipsis ducibus non possumus, quibus scilicet ipsi non credunt?

Omnes igitur Moralistas sibi dissentientes in duas classes, alteram affirmantium,alteram negatium peccarum distribuamus: quod & in tabella quadam depingi posset. Quæro jam vos omnes affirmantes, utrum negantes isti, qui sistunt se ex adverso, sint sapientes, vel non? Et quæro vos omnes rursùs, utrum sapientibus sit standum, & credendum? Si sapientes sunt, & eis standum, & credendum est; vos ergo malè agitis non eis stando, & credendo, sed oppugnando: pudor deindè est, vos cæteris contrarium injungere. Sin verò dicitis, sapientes qui dem eos esse, sed quibus non sit credendum; jam primùm causam vestram omnem destruitis; novos deiu sapientes inducitis; regulas item & vestras, & omnium violatis. Superest ergo,ut dicatis, eos, quos refellitis, sapientes non esse. Ergo cum posteà per reflexas sapientes appellatis, veritatem non dicitis. Tantumdèm autem fateri debent negantes. Ergo suo ipsorum judicio nec negantes affirmantibus, neque affirmantes sapientes sunt. Ergo quandiù aliundè non nobis constabit, neutri nobis etiam sapientes erunt, sed utrorumque qualitas, & scientia, & scripturarum, & sanctorum peritia considerauda insuper erit, ut aliis præ aliis credatur. Dicent,quod dicere sæpè solent, sanctos etiam Patres similiter in doctrina morum sibi dissentire, & contradicere. Verùm hoc nos semper toto corde negamus: rarum scilicet quidpiam omittendo, omnes unius cordis

sunt, & ut sancta fuit ipsorum vita, sic etiam sancta est ipsorum moralis doctrina; quæ pro lectione etiam spirituali ad fovendas virtutes legi possit, & legatur. Et quilibet sanè eorum dicere potest: *venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos:* est enim initium sapientiæ timor Domini. Atque hac una fermè regula libri boni; & mali discerni satis possunt: sed sunt, qui timere nolint, sed lætè vivere, ac proindè nec ab eis doceri.

Profectò ista probabilia quæque docendi via mihi velut equus,ut ajunt, Trojanus videtur non argumentorum, sed inconvenientium, & cum plurima dicta sint, fortè non pauciora omittimus; & videri ex part 1. possunt lib. 1 qu. 17.& lib. 3. quæst. 10. & sequentes, in quibus de consulentibus vel contra opinionem suam, vel præter, & nihil opinando disputatum est.

Credunt quidem adversarii, se malum falsitatis emollire,& etiam quasi tollere probabilitate:cum tamen falsa nulla fallant, nec noceant, nisi ista veri umbra, & similitudine, apparentiave Quo circa Augustinus l. 2. solilоq. a c. 6. fusè, ac subtilissimè prosequitur istam falsorum naturam,quæ verisimilia sunt, quæ cum vero similitudinem habent, illudque imitantur; quibus, & aliis nominibus, quæ falsis quibusque probabilibus mirè quadrant, Doctorem declarat. Fucata sunt cuncta, falsa, fallacia, falsoria, phantastica, sophistica,& si quod est aliud significantius nomen. Videant ergo benè ;& perpendant, si similium umbrarum Doctores esse velint, aut liceat: nobis profectò firmum est soli veritati inservire,& omnē aliam quam veritatis viam & in operando, & in docendo malam dicere,quæ nec de cælo sit,nec ad cælum ducat.

§. VII.

Conclusio totius quæstionis.

Quæsitum fuerat, utrum omnis bonitas, rectitudoq; Magistri in iis verbis clauderetur, *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum.* Et ostendimus, & explicuimus §. 1. quo pacto tota bonitatis Magistri forma in eis exprimeretur, clauderetur;cumque omne Magisterium sit bonum, & rectum per similitudinem, & participationem à primo Magistro nostro certè non minùs, quam in picturis bonitas omnis copiarum similitodine exemplarium constat, efficitur, ut tantumdèm sit velle magistros citra veritatem directam habere bonos, atque velle habere copias bonas citra similitudinem cum exemplaribus per reflexas.

Deindè ex dictis; quia nullus est sapiens, nisi verus, & verax; nullus item verus,& verax, nisi in Christo,& à Christo, & cum Christo. Hoc autem consistit in eo, quod quis in ipso sapiat, & ab ipso, & cum ipso; quorum nihil falsum docentibus congruit. Ergo nullus sapiens falsa docet,nec sapiens docet, nec falso docens est bonus Magister: ergo malus.

Quæro rursùs: utrum bonus Magister sit sapiens? si est; ergo verax est, ac viam Dei in veritate docet; nam demonstravimus, de ratione sapientis esse veritatem. Quod si Magister bonos non est sapiens;est ergo ignorans. Ergo ei credendum non est. Sed ex conceptione naturali bonis Magistris credendum est. Ergo boni Magistri sapientes sunt.

Sed sapientes veritatem. Ergo boni Magistri veritatem norunt. Præterea etiam eam dicunt: quod faciliùs ostenditur. Idcircò ex doctrina naturali, & revelata hoc est opus sapientis, non fallere, & eum, qui fallit, manifestare, ut Aristoteles in 1. Elenchor. & Paulus ad Timotheum statuunt, ut potens sit ex hortari in doctrina sana: demonstravimus scilicet doctrinæ sanitatem esse veritatem, & item eos, qui contradicunt, arguere, id est, redarguere, & manifestare. In reflexis nullum est effugium. Nec valet, si dicas, scientiam moralem ad sapientiam non pertinere, quia non demonstrat. Nam primò patet contrarium ex toto libro sapientiæ, quæ est, de moribus. Deindè in scientia morali Christiana sunt plurima omni demonstrat one certiora; quia sunt à Deo expressissimè revelata, vel ex revelatis immediatissimè evidenter collecta. Postremò pars etiam illa imperfectior, & non adeò certa ad scientiam moralem, sapientiamque pertinet: nam habemus documenta majorum in scientiis non requirentium æqualem certitudinem; nullus autem ita de vero, & falso distinxit, aut somniavit, ullamve scientiam in falsis posuit. Quarè major, & minor certitudo de vero est distinctio magis, vel minùs boni; verum autem, & falsum etiam probabile est distinctio boni, vel mali. Inferiùs porrò tractabimus, utrum ista Magistrorum ad veritatem agnoscendam tanta obligatio omnem eorum ignorantiam inexcusabilem, vincibilemque faciat.

QUÆSTIO XI.

Utrum ergo ex his omnis suitas doctrinæ sit illicita, & de ea quoque intelligatur, omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

Nihil est, quod veritati magis, quam quædam suitates adversetur; quare post tantam Magistrorum ad veritatem obligationem, superest, ut de eis nunc luculenter dicamus. Ista verò tria, *suitas, divisio*, & *contentio*, connexa sunt, propter quas mundus, ut scriptum est, disputationi traditus videatur; nam suitas divisionem; divisio contentionem, bellumque ingenerat: & bella quidem armorum pace quidem aliqua terminantur: at bella rationis vix ulla unquam: *capiens aliquid discere*, inquit Clemens lib. 1. Recogn. initio, *Philosophorum frequentabam scholas; ubi nihil aliud, quam dogmatum assertiones, & impugnationes videbam agi sine fine certamina; arte syllogismorum, conclusionumque agitari versutias; nam cum Dialectica arte* (scilicet apparentium probabilium) *in utramque partem disputetur, non tam qui veram defendit, quam qui acriùs, subtiliusque disputat, vincere solet.* Utinam hæc fuerint quidem ita olim apud Gentes: apud Christianos verò, ubi etiam de salute animarum tractatur, non ita.

§. I.

Suitas doctrinæ est duplex, alia antecedens, & alia consequens.

S. Thomas 2. 2. rationem cum fide collaturus, ostensurusque, quæ ratio fidem dirimeret, & everteret: quæ contrà magis etiam stabiliret, meritumque illius ad augeret, distinxit duplicem rationem, antecedentem aliam, & aliam consequentem; ut de passione quoque, & de ignorantia 1. 2. distinxerat: & ratione antecedenti fidem, dixit, everti; consequenti verò meritum potiùs ejus extolli. Discipulorum sanè est, proficereque volentium se in primis parvulos esse agnoscere; sequi dein, ac imitari magnos viros; utque ars omnis naturæ imitatione constat, ita nos summos quosque Doctores sequendò, & imitando nobis, veritatique constabimus.

Suitas itaque doctrinæ alia est antecedens, & alia consequens, vel etiam concomitans alia. Quemadmodum porrò in exemplo S. Thomæ ratio antecedens, & consequens dicuntur relativè ad fidem; ita suitas antecedens; & consequens dicuntur relativè ad veritatem, & consequens est, quæ cognitionem veritatis consequitur; antecedens verò, quæ cognitionem illam antecedit; quò etiam suitatem concomitantem revocabimus.

Suitas consequens est intellectu facillima, & datur, quandò quis doctrinam aliquam suam facit, quia illam veram esse cognovit, alioqui non facturus eam suam. Nihil verò ad hoc refert, utrum *τὸ* quia causam, vel conditionem *sine qua non*, significet: si quis scilicet, & si finibus aliis bonis, vel pravis ad sciendum moveatur, tamen animitus statuit non nisi veras doctrinas acceptare; faceréque suas. Consequitur enim semper hoc modo suitas cognitionem veritatis sive tanquam causam, sive tanquam conditionem, sine quâ suitas non esset.

Omnis alia suitas non se habens hoc modo ad cognitionem veritatis, est antecedens, vel concomitans, qua scilicet quis suam facit doctrinam aliquam independenter à cognitione veritatis ejus: & quamquam eam veram esse contingat, concomitanter, & disparatè se habent veritas, & suitas, eamque suam faceret, licet falsa esset. Quamobrem his antecedentis, consequentisque vocabulis non tam antecedentia, & consequentia temporis, sed causalitas magis, vel quasi causalitas, aut non causalitas significatur: & si quandò quis priori tempore, antequam cognosceret, doctrinam esse veram, fecit illam suam, detur à fortiori suitas modis omnibus antecedens. Atque hoc pacto suitates istæ satis explicatæ videntur, declararique magis possunt exemplis illis rationis antecedentis, & consequentis; passionis item antecedentis, & consequentis; atque ignorantiæ antecedentia, concomitantis, & consequentis; quæ in Theologia trita sunt: nosque lib. 1. has ignorantias breviter explicavimus.

Suitas porrò consequens alia rursùs est simpliciter consequens, quæ scilicet veram veritatis cognitionem consequitur; alia talis secundum quid, quæ sequitur non veram, sed falsam cognitionem veritatis, seu existimatam solùm veritatem, quandò nimirùm fallitur quis; putat tamen, se non falli, sed verum esse, quod judicat. Et de hac suitate consequenti secundum quid, & veritatis solùm existimatæ, opus non est, ut in præsentia disseramus, scitur enim nostra de his Theologia; tenetur scilicet quisque sequi suam istam existimationem in sensu composito

positio illius: & si error est invincibilis, excusatur à peccato in suitate, & in docendo: actus tamen docendi bonus non erit: sin verò error, & falsa existimatio fuerit vincibilis, ac voluntaria etiam in directè, actus suitatis, & docendi à peccató non excusantur: ut de omni ratione, & conscientia vincibili erronea, vel errante lib. sup. constitutum est.

Similiter suitas antecedens potest esse duplex, alia conjuncta cum cognitione falsitatis doctrinę, quam suam quis facit; alia non sic conjuncta, sed magis ignorando re vera, & nesciendo, utrum ea vera sit, vel falsa. Et quamquam suitas, & affectio, & proprietas, quod frequentissimè accidit; faciat, eam deindè apparere veram, non per hoc suitas efficitur consequens, sed permanet antecedens, & re vera suitas, & affectio sunt causa existimationis veritatis, & non contrà.

Sunt verò quædam doctrinæ suitates, quæ videntur antecedentes, & sunt consequentes; & aliæ, quæ videntur consequentes, & sunt antecedentes. Suitas antecedens videtur, quis, quin rerum earum veritatem novetit, statuit suam facere omnem Doctrinam Dei, & Ecclesiæ. Est tamen ista suitas consequens: nam sequitur cognitionem universalem, qua novit, omnem Dei, Ecclesiæque doctrinam esse veram. Atque hoc modo in suo gradu tenendum est de suitate doctrinarum Doctorum Ecclesiæ, ut inferius magis declarabo.

E contrà suitates aliæ videntur consequentes, & sunt antecedentes. Atque hæ interveniunt, quoties quis ultrò, & sine sufficienti fundamento; sed motus, & illectus suitate demùm alia supponit, Doctorem aliquem esse summum, & verissimum; quia scilicet suæ nationis, gentis, vel familiæ est; & vult doctrinas ejus facere suas: sed ista suitas est antecedens, & filia alterius suitatis, & affectionis, proprietatisque.

Atque hoc modo distinctis, & explicatis differentiis suitatum, quæres, quid sit, facere doctrinam suam? Respondeo primùm, naturali conceptione notum omnibus esse suum, & non suom; *meum, & tuum, frigidum illud verbum, & quidquid est malorum, in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella*, ut in Breviario edocemur: intelliguntque hos terminos ipsi etiam pueri, primum intelligere incipiunt.

Respondeo deindè, doctrinam aliquam fieri suam cujusque assertione, & enunciatione sua mentali propriè loquendo; & hæc est propria, & verax, ac sincera suitas. At est alia suitas primùm voluntatis, & deindè oris, quæ est fucata, fallaxque. Quoties igitur quis sua ipsa enunciatione mentali rem aliquam affirmando, vel negando enuntiat, hac sua enuntiatione doctrinam ipsam affirmantem, yel negantem suam facit. Quoties verò doctrinam notam falsam, vel ignotam quis facit suam, voluntate hoc facit, & deindè ore, eam enunciando, & dicendo. Prima ergo suitas in ipso judicio intellectus consistit; secunda suitas in actu voluntatis, quo vult doctrinam eam ore dicere, & enunciare. Actus formalis suitatis enunciatio est; proprietas verò, & effectus suitatis sunt defensio, & confirmatio doctrinæ suæ factæ, & negatio, ac impugnatio contrariæ. Undè suitas propria sincera, & mentalis coincidit cum suitate consequenti: cum antecedenti verò suitas efficta, & solùm voluntatis, & oris.

§. II.

Omnis ergo suitas consequens est bona, & obligatoria; omnis verò antecedens turpis, & illicita.

INquam, Magistris, de quibus ago; nam etiam discipulis, & omnibus illicita est, etsi non adeò noxia. Ago verò maximè de Magistris morum; neque tamen excludo Theologos speculativos. Referre autem hic in longum possem vel ex uno Antonio de Guevarra Episcopo Mindoniensi Philosophorum quorumque magnorum adversus istas pravas suitates pro veritate, & ejus consequenti suitate suffragia, sed propero. Aristoteles in trito libro 1. Etichor. cap. 6. *sanctum esse*, inquit, *veritatem honori preferre: & sua quoque maximè Philosophos refellere, pro salute veritatis*; amicitiæ item illam anteferendam; *nam magis amica veritas*. Pudor ergo est, quod apud Christianos vel sapientiæ professores pro salute veritatis contra suitates, & affectiones quasque, vel etiam probabilitates tanta disputatione uti cogemur. Quin vera sententia est magni illius veritatis amatoris Augustini Epist. 52. neminem esse posse veraciter amicum hominis, *nisi fuerit ipsius primitus veritatis*.

Patet itaque conclusio posita primum ex confessione omnium; nam nulla gens, natio, schola, vel familia est, quæ non erubescat fateri, se doctrinam aliquam suam fecisse suitate antecedenti, & omnes omninò dicunt, & dicent, se eam solùm suitate consequenti fecisse suam. Rogati enim omnes, cur doctrinam aliquam defendant, num quia vera est, num quia sua? respondebunt, eam se tueri, quia vera est, ac propterea illam etiam velut suam accepisse. Rogati iterùm, num apud se sit quidem probabilitas? apud adversarios autem veritas? nemo hoc concedit, & sua vera, contraria falsa, quamquam probabilia, dicunt, & respondent omnes. Rogati rursùs, num citra veritatis cognitionem sibi doctrinas asciscant, suasque faciant? negant familiæ, & scholæ omnes. Omnes ergo confessione sua, & pudore demonstrant, turpem, ac illicitam esse suitatem antecedentem; bonam verò, & obligatoriam consequentem.

Hinc patet, conclusionem positam esse scholarum omnium. Si qua, enim eam negaret, probaretque suitates antecedentes, suspecta valdè redderetur, se magis, semetipsam quærere, & tueri, quam scientiam, & veritatem. Indeque se rursùs omni autoritate privaret, aliisque se præjudiciis involveret, quæ hactenùs prosecuti sumus. Profectò, quo schola quæque erit veritatis amantior, atque magis se veram existimabit, eò magis conclusionem ut sibi valdè faventem probabit. Undè scholæ saltem omnium optimè valdè placeamus, necesse est; cum illa sit certè optima, quæ veritatem, & scientiam magis amaverit, vindicaveritque. Non est ergo, cur hostem hic timeamus. Si cui verò displiceremus, valdè se suspectum ille redderet.

Patet secundo conclusio ex superioribus omnibus; nam obligatio ad veritatem pugnat cum suitate antecedenti doctrinæ: at demonstrata est

mille modis obligatio ad veritatem; ergo datur obligatio non prosequendi istas suitates, affectiones, & proprietates. Major propositio liquet ex explicatione suitatis antecedentis.

Patet tertiò ex causis, & quasi parentibus hujus suitatis antecedentis; sunt enim vel honor, vel fama; & plausus; vel lucrum, vel amicitia, & similes, ex quarum rerum amore, & suitate nostras mox facimus doctrinas illas, quæ eos in fines magis conferunt. Hinc inter alia appetitus ille tantus subtilium, & novarum inventionum, quæ plausum plurimum habeant. Ex causarum porrò suarum temporalitate suitas quoque ipsa mundana, turpisque efficitur. Et deindè contra rerum ordinem scientia res præstantissima tamquàm medium ad ignobiliores fines assumitur, vænalisque efficitur; extrahitur etiam, ac invertitur à suo fine; & perindè quasi est, atque virtutes ipsas, quod turpissimum est, referre ad fines mundanos; ubi alia prætereo. Ergo suitas ista antecedens doctrinarum turpissima est, & undè illa prava, indè bona, obligatoriaque efficitur suitas consequens, quæ propugnatrix est veritatis.

Patet prætereà conclusio ex pravitate effectuum suitatum istarum antecedentium, affectionum; & divisionum. Hæ enim maximè sunt, quæ res omnes confundunt, quæ contentionibus mundum implent, & falsa quæque sic sua singulis vera videri faciunt; ac scientiarum bonum, & lumen tenebris offundentes cuncta pænè in ludibrium, opinionesque convertunt. Scitur nimirùm autoritate, & experientia, quanta sit suitatum harum via, & efficacia; indè est, quod nobis nos, & nostra tantoperè placeant; matribus quibusque filii sui, alioquin etiam fædi omnium pulcherrimi videantur, & ranam qui amat, putet, ut ajunt, esse Dianam; hæc suitas, vel non suitas in oculo fratris festucam, in trabem cõvertit atq; in meo ex trabe festucam facit. Hoc uno verbo suum, vel non suum; nostrum, vel non nostrum omnia mala invehit quę oratione complecti non possumus: intellectumq; nostrõ qui ad verum est, ex vero ad nostrum convertit, & omnes sua vera putant, arbitraturi contraria omnia vera, si sua fuissent. Ex tanta ergo pravorum effectuum, confusionumque serie patet pravitas suitatum istarum antecedentium. Qua propter rectè lib. sap. pro invenienda veritate ad purgandum animam, mundandamque conscientiam obligavimus, & lib. ult. ostensuri sumus, charitate, & dilectione, quæ has pravas affectiones, suitatesque eradit, inveniri veritatem moralem; *nam charitas non quærit, quæ sua sunt* 1. ad Corinth. 13.

Ex ipsa rursùs suitatis antecedentis explicatione constat ejus turpitudo; nam voluntate, & ore nostras facimus doctrinas, quæ corde, & mente nostræ non sunt; quarè præter, vel contra loquimur vel falsas facit videri veras. Neque est evasio per reflexas toties contritas; nam illæ in speculativis locum non habent; & deindè reflexæ non dicunt, res ipsas esse, vel non esse, sed esse probabiles opiniones versantes circa ipsas; ore autem de plano affirmamus, negamus, non probabilitatem, quam sæpè nemo negat, sed res ipsas, atque de his etiam contendimus. Mentimur ergo in rebus gravissimis, mundumque fallimus. Neque excusat, quod propter suitatem veræ demùm visæ sint res etiam ipsæ, quas enuntiamus; quia est error voluntarius.

Postremò quia juxta textum in quæstione propositum illicitum est, & prohibitum omnibus quærere, quæ sua sunt; & non quæ Jesu Christi ex Apostolo ad Philippens. cap. 2. At omnes, qui suitates antecedentes prosequuntur, quærunt in doctrina, quæ sua sunt, non quæ sunt Jesu Christi. Omnes ergo tales peccant. Minor patet, nam suitas ista non est magis verorum, quàm falsorum; quin rursus etiam falsa; quia sua: at falsa, aut non magis, vera, quam falsa, non sunt Jesu Christi: non ergo quærunt, quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi; imò quærunt, quę contra ipsum sunt, scilicet falsa. Rursùs quærunt in doctrina suum ipsorum inordinabile ad Christum, nam quærunt, & amant suum etiam falsum, vel ignotum: item quandò verum, & suum concurrunt, non verum, quod est Christi, sed suum amant, colunt, & prosequuntur: præferunt ergo se, & sua Christo. Ergo peccant. Et confirmatur; quia in vilioribus etiam rebus honoris, diviriarum, &c. peccatum est: quærere, quæ nostra sunt, & non quæ Jesu Christi saltem exclusivè verbo, vel opere. Ergo à fortiori in doctrina, & scientia, & Theologia, quàtò ista res illas omnes excellit. Suitate porrò antecedenti excluditur Christus saltem opere quæ scilicet sua facit doctrinas, quæ Christi esse non possunt. Quod si tamen licuit tunc Apostolo gemere, & dicere, *omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ sunt. Jesu Christi*, tu videris, quid forsitam modò dicturus esset.

Ex his conspicitur, suitates istas antecedentes non solùm ex objecto malo, ut in re nostra sunt doctrinæ falsæ, sed se ipsis etiam esse pravas, & inficere, ac velut veneno afficere sancta quæque, si nostrum vel non nostrũ sint fines, nec in eis, quod est Christi, magis colatur, & præferatur: & licet doctrinam veram doceam, quæ sanè Christi est, in ea tamen plus diligam nostrum, quam verum, planè pecco juxta sententiam Salvatoris dicentia: *qui diligit Patrem, aut Matrem* (intellige quemlibet) *plusquam me, non est me dignus* quo loco si propositi nostri esset multa peccandi pericula exponeremus.

§. III.

Salvator noster repulit in Evangelio suitates antecedentes, suoque nos exemplo de eo instituit.

HAbemus pro quæstione ista textum egregium Joan. 7. *Et mirabantur Judæi dicentes, quomodo hic litteras scit, cum non didicerit. Respondit eis Jesus, & dixit: mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, an ego à me ipso loquar. Qui à se metipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est*, Grandis planè locus, & pro vera fidei, & morum addiscenda scientia dirissimus: ubi docemur, quomodo doctrinæ nostræ debeant esse nostræ, & non nostræ: quomodò item discerni possit inter veram, & falsam: & qui demùm sint Magistri veraces, & qui mendaces. Nunc porro de meo, & non meo differimus, cætera solùm attingemus, de quibus scilicet lib. 4. disputamus.

Augustinus tract. 34. in Joan. *Mea doctrina*, ait, *non*

non est mea. Hac est profunditas prima. Videtur pauca verbu quasi contraria locutus; non enim ait, ista doctrina non est mea, sed mea doctrina non est mea. Si tua; quomodò non tua, si tua, quomodò non tua? Tu enim dicis utrumque, & mea doctrina, & non mea. Nunc enim fratres primitùs intendite quæstionem, & sic ordine expectate solutionem; nam qui non videt quæstionem, quæ proponitur, quomodò intelligit, quod exponitur? Hoc ergo est in quæstione, quod ait, mea non mea.

Primò de Christo ut Deo subtilissimè solvit ibi quæstionem; quia scilicet verbum est: verbum autem alteriua est verbum, & est etiam suum verbum omne subsistens. *Quid enim*, inquit, *tam tuum, quam tu? & quid non tam tuum, quam tu, si alicujus est, quod es?* Ubi utilissima etiam morum præcepta prosequitur. Verbum itaque nostrum est quidem nostrum, sed non suum: verbum verò Patria, & Patris est, quia verbum ejus est: & suum etiam est, quia est verbum subsistens, & id, quod est. De quibus suo locu olim tractabimus. De Christo enim in quantum homine rem Augustinus exposuit lib. 1. de Trinit. cap. 1. & lib. 2. cap. 2. aliique Patrea utroque modu explicarunt, & videri possunt.

Verissimum ego sensum, arbitror, inquit, Maldonatus, qui simplicissimua est, ut suam docet, quam docebat; non à se inventam, sed acceptam à Patre. Suam ergo vocaverat, quam docebat, quam loquebatur; non suam, quia non ex se, sed ex Patris præscripto loquebatur, seu ut paulò antè dixerat, quam non ipse exogitasset, sed à Patre accepisset. Quæ expositio litteralissima, & verissima nobis etiam videtur; & Euthymium, & alioa Autores Maldonatua exhibet, & re vera nullua discordat.

Hoc loco itaque docemur, quod Doctor omnia sua docere debeat, & non sua, & peccat, sive solùm sua, & non Dei; sive nullatenùs sua loquatur. Etenim, ut §. 1. explicatum est, doctrinam, quam quis docet, suam facere debet mente sua, & enunciatione cordis; sin minus dum eam velut suam vendit, voluntate, & ore suam facit, quin sua re vera & corde sit, fallit, & mentitur. Similiter si sua solius sit, & non ejus, qui misit ipsum doctrina falsa est, & Doctor mendax. Vitanda proindè sunt ambo extrema & in primum impingunt, qui nihil, vel contrà corde suo judicantes aliena, & nullo modo sua docent: & item qui ita sua prohibent, ut nullo modo sint non sua, sed Patris. Suitas ergo necessaria conjuncta cum non suitate, & sive totalis, sive nulla suitas inficit, turpatque actum docendi. Hic ergo improbantur & illi, qui præter, & contra opinionem suam doctrinas nullatenùs suas tradunt, & consulunt: atque illi etiam, qui videri volunt inventores, & doctrinaa excogitant solùm suas; quo circa Gullielmus, Pariensis de moribua cap. 7. post alia rei hujus vanitatem declarantia, *obliti*, inquit, *videntur verbi istius, quod de se veritas dixit, doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me. Quantò magis ergo doctrina istiusmodi hominum*, &c.

De plano autem reprobatur omnia suitas antecedens; nam qui hac suitate utuntur, suas faciunt doctrinas seorsim ab eo, quod Dei sint, & sive ejua sint, sive non sint, & etiam si contrariæ ipsi sint; ut scilicet explicatum fuit, suitate illa suas faciunt doctrinaa seorsim, & independenter à veritate ipsarum, & sive veræ, sive falsæ sint, quin etiam si falsæ sint. At doctrinæ seorsim, & independeter à veritate Dei non sunt; & sive veraa, sive falsaa eaa esse perindè est, atque sive Dei esse, sive non esse; & eaa falsas esse perindè, atque Deo contrariaa esse, cujua scilicet verborum principium est veritas, & omnes item viæ suæ veritas. Ergu qui ea suitate utuntur, non quod Christi dicere possunt, sed contrarium, scilicet doctrinæ nostræ sunt nostræ, sive ejus sint, qui misit nos, sive non ejus sint, sed potiùs ipsi contrariæ, & solùm, & privativè nostræ. Atque hoc de plenu eis convenit, qui probabilia quæque docenda accipiunt; probabilitaa namque ista est quid à veritate præscindens, & sejunctum, & vera, & falsa promiscuè involvit. Quarè qui hac via docere volunt, nescimua, quu consilio ducantur; non enim eo, ut doceant, quæ Dei sunt, ut paret.

Dicis: ego non mea doceo, sed nostra, & quæ scholæ sunt; quod honestissimum sanè videtur; & prætereà etiam causæ multæ, inquis, adsunt, nec impunè à nostris discedere possum. Respondeo, vel ea, quæ schola tua tuetur, Dei sunt, & vera, idque nosti? & tunc est suitaa consequens, & sanctissima; vel non Dei sunt, nec vera, aut tu saltem nescis? & tunc urget regula evangelii, *qui diligit Patrem, aut matrem*, &c. *plusquam me, non est me dignus*; & via docendi assumitur Domino contraria; omnis enim doctrina resolvi debet in eum, qui misit nos; alioqui quidpiam aliud nobia facimus nostrum Deum. Neque si doctrinæ ejua non sint, malum tollitur, sed magis crescit per nostrum, aut per vestrũ plus est, quam tuum; malumque universaliùa propagatur, diutiùa confirmatur, & plurea fallit nostrum, quam meum; & differunt hæc duo, sicut vel quandò tu solua, vel quando cum plurimis aliis ad furandum abires. Quo tamen pacto, & in quos fines scholæ contrariæ in Ecclesia Dei suppetant, quæst. seq. tractabitur. Sed vexabor, inquia, si à schola mea discedam. Cæterùm textus dicit: *melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione consequi beneficium*; & passua est pro doctrina Dominus, nobia *relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus*, prætulitque veritatem Synagogæ quodam modo matri suæ: prætulerunt etiàm olim, & passi sunt Prophetæ Dei, & posteà innumeri sancti, ac Dei Martyres omnes pro una veritate objerunt, & totus quantus eorum fusus sanguis pro veritate contra falsitatem tuenda clamat.

Ne verò quisquam leviorem rem istam arbitraretur, Dominus tamquam connexa hæc tria posuit, doctrinam suam esse suam, sed ejus, qui misit eum & gloriam ejus quærere; & veracem esse. Et probat eo principio, *qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Quod argumentum insolubile vocatur* in catena S. Thomæ, *ductum ab his, quæ sunt in consuetudine hominum*, id est, ab experientia: & Maldonatus inquit, morale, non necessarium argumentum est, Fieri enim potest, & verè ita fieri deberet, ut aliquis ejus sententiæ, quam invenerit, gloriam, non ad se, sed ad Deum referat. Sed hoc rarò accidit: contrarium morale est, hæc Maldonatua. Est porrò non morale modò, & plerumque contingens, & rarò deficiens, sed necessarium etiam argumentum si quis ita à semetipso loquatur, ut ad verum deter-

determinatè non ſe liget, & obliget, ſed ab hoc præſcindat, & aliud quidpiam quærat; nam per indifferenria ad verum, & falſum, vel per determinatè falſa nequit quæri gloria Dei, ac proindè nec ſuirare antecedenti, ſed ſicut ſuitas eſt propria. ira etiam quæritur gloria propria

Exiſtimabant ergo Judæi, doctrinam Chriſti eſſe ſuam, id eſt, à ſe inventam, excogitatam, & confictam. Dominus aurem refellit, quoniam hoc facit, qui gloriam propriam quætit; gloriam ejos, qui miſit ipſum; nam hic potius verax eſt. Iterum Maldonatus: uunc ptopriè de ſe loquitur, & minorem Syllogismi propoſitionem, & conclofionem ſimul ponit, quaſi ad hunc modum dicac: ergo non quæro gloriam meam, ſed gloriam ejus, qui miſit me; ergo ex me ipſo non loquor, ſed ex Deo, qui me miſit. Cæterum pro, *ex me ipſo non loquor*, quod antè dixerar, quodque rectè concludendum erat, dixit, *verax eſt & injuſtitia in eo non eſt*, id eſt, verax ſum, & neminem fallo; loquitur enim de ſe ipſo per tertiam perſonam. Hæc Maldonatus.

Cur ergo, quærit ipſe, non concluſit, quemadmodum concludendum erat? ergo ex me ipſo non loquor? Ut id ipſum diceret efficaciùs. Propterea quippè diſputabatur, utrum ipſe ex ſe, an ex Deo loqueretur, ut intelligeretur, an ejus doctrina vera eſſet, an fallax, Alioqui nihil referebat: quomodò loqueretur, ex ſe, an ex Deo. Eſt crgo duorum in uno ſyllogismo implicatio, qui hoc modo, intelliguntur, ſunt reſolvendi. Qui ex ſe loquitur, gloriam ſuam quætit: ego non quæro gloriam meam: ergo non ex me loquot. Rursùs: qui non quæric gloriam ſuam, ſed gloriam Dei, is vera dicit, & non fallit (nullam enim fallendi cauſam habet, qui ſe ipſum non quærit): ego non quæro gloriam meam, ſed ejus, qui miſit me: vera ergo dico, nec fallo. Vidit hoc acutè Rupertus, &c. Hactenùs ſapienter Maldonatus; cujus ſanè ſunt, & nequaquam noſtri ſyllogismi propoſiti; neque quia ex Evangelio Domini ſumpti ſunt, ad Theologiam moralem non pertinent, imò potiùs pertiuent maximè; in quibus proindè profundiſſimis, ac irrefragabilibus Domini ſententiis exponcndis nos libentiſſimè moramor: ſicut vel ille Moraliſta dixerit, latiſſimè proſequuntur.

Tria itaque illa, ut dicebam, connexa ſunt, doctrinam noſtram non eſſe noſtram, ſed ejus, qui miſit nos: & gloriam ejus quærere, & non noſtram; atque veraces eſſe. A contrario ſimiliter ſunt connexa hæc tria; à nobismet ipſis, vel à noſtro loqui; & gloriam noſtram quærere; & non Dei; & veraces non eſſe: quemadmodum cernitur in Syllogismis Maldonati. Etenim licet à nobis etiam, vel à noſtro non loquendo, ſed ea, quæ Dei ſunt, annunciando, gloriam non ejus ſed noſtram contingat quærere; hoc tamen rarum eſt; quia ad gloriam noſtram, & plauſum alia aptiora eſſe ſolent, quibus quippè, ut in Magiſtris illis coacervatis, Pſeudoprophetisque cernitur, melius mundo placere poſſumus. Certius tamen ex medio, quo Dominus argumentationem ſuam concexuit, confecitque, concluditur; medium porrò fuit, à nobis, vel à noſtro loqui, & docere, ſcilicet à noſtro ſolùm noſtro, ac independenter à veritare noſtro facto: & quicumque ex hoc noſtro, aut ſuo loquitur, & docet, gloriam ſuam, vel noſtram neceſſariò quærit expreſſiùs; vel occultiùs, & quamquam vera etiam aliqua miſcere caſu poſſit, in tota tamen ſerie Magiſter fallax evadit.

Hanc ipſam docendi formam ſæpè etiam aliàs Magiſter bonus expteſſit: *multa habeo*, ait Joan. 8. *vobis loqui, & judicare: ſed qui me miſit, verax eſt, & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo*: & inferius; *ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor*: & rursùs: *quia non eſt veritas in eo*, ſcilicet Diabolo: *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus.* Mendaces itaque ſumus, & patrem Diabolum imitamur, & ſequimur, ſi ex propriis, & non ex iis, quæ à Deo demùm edocti ſumus, loquamur, & doceamus. Et Joan. 16. etiam de Spiritu ſancto teſtatur: *cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; adjongit verò cauſalem dicens: *non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur.* Ecce quanroperè ubique abhorruic Dominus hoc monſtrum ex propriis, & ex ſemetipſo loquendi, & docendi veluc originem mendaciorum, viamque iſtam docendi improbavit tamqoam ſibi, & Spiritui Sancto contrariam: quorum doctrina eſt ſua, & non ſua; & idem eſt dicere, *ſicut docuit me Pater, hæc loquor, & quæ audivi, hæc loquor*: arqoe dicere meum, & non meum. Ergo non licet docere meum ſolòm meum, vel noſtrum ſolùm noſtrum, vel veſtrum ſolùm veſtrum, vel ſuum, ſed ſuitas, & non ſuiras neceſſaria eſt, qua doctrina omnis, quam tradimus, & noſtra ſit ſuitare couſequenti, & non ſir noſtra; ſed ejus, qui miſit nos. Ubi egregia eſt illa Ambroſii de Angelis ſenrentia: *vides, Angelos, quæ audierint, non quæ uſurpaverint, nunciare*, & non Angelorum, ſed Diaboli eſt, ex propriis ſolùm propriis loqui, & nunciare, *quia mendax eſt.*

§. IV.

Hoc idem de ſuitatibus expreſſum etiam eſt in illis verbis *credidi, propter quod locutus ſum.*

CRedidi, inquit Propheta Rex, *propter quod locutus ſum*: quæ verba uſurpavit etiam Paulus 2. ad Corinth. 4. *habentes autem eumdem ſpiritum fidei: ſicut ſcriptum eſt, credidi, propter quod locutus ſum, & nos credidimus, propter quod & loquimur*: in qoibus verbis ratio omnis Theologiæ, Theologique clauditur; nam credita loqui ille debet, vel quæ ex crediris infert, & colligit, ut 1. part. quæſt. 1. S. Thomæ inſtituimus, & infra proſequemur. Io hoc porrò, quod credere primùm, & dein loqui docemur, includitur illud meum, & non meum; nam quod credimus: noſtrum eſt, ſi quidem credimus, & aſſenſu ipſo noſtrum facimus; & deindè non noſtrum eſt, ſed alterios, quod credimus, à quo ſcilicet illud accepimus, & audivimus, vel ex auditis, acceptisque ab eo colligimus. Executus autem fuic eo loci Apoſtolus certè bonus Theologus iſtam Theologiæ docendæ normam ex reſurrectione Chriſti reſurrectiooem noſtram inferendo, & concludendo; & ad ipſos Corinthios aliàs quoque ſcribit: *ego enim accepi à Domino: quod & tradidi vobis.* Nuſquàm iraque Apoſtoli tradebant niſi ſua non ſua & ejus, qui miſit ipſos: quos deindè ſancti Dei una omnes imitati ſunt.

Sub ea rursùs conditione idem Propheta Pſal. 118. ſe ſcientiam moralem à Deo edocendum ſperat,

ſperat, & petit, quod primum citta ſuitatem ſuam omnem mandatis Dei ſimpliciter crediderit: *bonitatem*, inquit, *& diſciplinam, & ſcientiam doce me; quia mandatis tuis credidi*. Scriptum eſt enim Iſai. 7. *niſi credideritis, non permanebitis*; ſeu ut ſeptuaginta Hieronymo etiam probante verterunt; *niſi credideritis, non intelligetis*: quem textum Auguſtinus paſſim, ut lib. 1. de liber. arb. c. 2. & in ſcientiis ſent. 350. & tract. 7. in Evangelium Joan. & alias in ore ſemper habuit, atque hac via ad tantam ſapienriam emerſit; eſtque, ut ipſe ponit, intellectua fidei merces. Eſt ergo vel cauſa vel conditio *ſine qua non* inveniendi, & intelligendi, & ſcientiam morum comparandi ſimpliciſſima fides, qua citra ſuitarem, ac proprietatem noſtram omnem mandatis credimus: ac ſubindè invenimus, & intelligimus: perindè ſcilicet eſt invenire; & intelligere; nam licet magni quidam inventores multa invenire dicantur, quoties tamen ea falſa ſunt, nec inveniunt, nec intelligunt; ea enim invenimus, quæ latebant quidem, ſed tamen erant; quæ aurem non ſunt, nec inveniuntur, nec intelliguntur, ſed finguntur; quemadmodum Theſauros inveniunt ſomniantes. Rectè itaque concludit Auguſtinus, *præſcriptum per Prophetam gradum, qui ait, niſi credideritis, non intelligetis, tenere nos debemus, ſi benè nobis conſcii ſumus*, Qui ergo non primùm credunt, ſed ſeorſim ab hoc doctrinaa quaſdam ſuas faciunt, non inveniunt, nec intelligunt, ſed improbi, mendaceſque Magiſtri evadunt, nec benè ſibi conſcii ſunt.

Hæc omnia declarantur, & confirmantur ex ſuitaribus in materia fidei, & religionia; quibua ſuitaribus, atque indè natis, conſtructis ve religionibus, & contentionibus plenus eſt mundus & cauſa ſunt, ne primum cordeque affectionibua vacuo: & libero uniquique Deo eredant, & deindè loquantur, defendantque ſuam religionem. Occurrunt enim religiones ſuæ, tamquam ſuæ & religiones aliæ tamquam non ſuæ, ſed contrariæ, & contrariorum; & hæc ſuitas amorem, affectionemque ingenerat; ac amor rurſus, & affectio religionem ſuam meliorem, pulchriorem, verioremque videri facit; contrariam verò fœdiorem; ut in rebus omnibus noſtris, ſed contrariis experientia perpetua, & palpabilis demonſtrat. Undè ſi omnes ſine noſtro, vel non noſtro, ſed uni Deo placendi amore ad eligendum inter religiones accederent, verum agnoſcerent: quemadmodum explicabitur, & latè tractabitur libris ſequentibua. Neque doctrina iſta noſtra eſt noſtra ſed Salvatoris; nam abſoluta eſt ipſius aſſertio dicenria, *ſi quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, an ego à me ipſo loquar*; id eſt, an vera: blaſphemare porrò non poſſumua, & dicere, Dominum quidpiam ſpirituale dixiſſe, Theologiam verò neſciviſſe. Sed forſitam doctrina Domini aſſertiunculam aliquam, & particulam, eamque clariſſimam continebar, quam quilibet facilè agnoſcerent; modò vellent facere voluntatem Dei; noſtri verò profundiſſimi ſermonea de rebua ſummis altiſſimis, obſcuriſſimiſque ſunt, quas licet voluntatem Dei facere velimus, & ad nos etiam pertineant, dignoſcere nequeamus, Srulra ſanè foret ſimilis cogitatio; nam doctrina allata à Salvarore myſteriorum, & altiſſima; & obſcuriſſima quæque complectebatur, Trinitatem, divinitatem ſuam, & incarnationem, totamque legem Evangelicam: de qua tamen tota doctrina abſoluta, & univerſalis eſt aſſertio Salvatoris, *ſi quis voluerit*, &c. quod, ut dixi, libris ſequentibua exponetur. Patet verò ex hoc, quantum affectiones iſtæ, ſuitateſque cordis impediant veræ religionis cognitionem, mundumque factionibus, & infernum damnatia impleant; quas ſuitates, & affectiones abſtergit intentio pura, & efficax faciendi voluntarem Dei.

Ex his argumentor ſic. Omnis ſuitas antecedens doctrinæ in materia fidei, & religionia eſt prava; maximè verò obligatoria ſuitaa conſequens. Ergo ſimiliter etiam eſt in doctrina morum. Conſequentia iſta eſt de peccato; vel non peccaro non autem de tanto, ut ſæpè notamus. Antecedens verò indubitarum eſt: nam alioqui in religionibus non aliud quærendum eſſet, quam ſuum, & noſtrum; & omnes eſſent à culpa immunes, ſi in ſua uniquique viverent, in ſua, inquam, gentis ſuæ, regni, vel domua, aut in qua unuſquiſque natus, educaruſque eſſe, & propter alia. Conſequenria porrò ſequitur; nam, ut omittam cætera, ſicut tenemur non noſtra, vel nobis contraria credere, ſed quæ Dei ſunt, quæque ipſe à nobis credi voluit; ita & in reliqua Dei Doctrina tenemur non noſtrum, vel nobis contrarium probare, & docere, ſed quæ Dei ſunt, quæque ipſe voluit à nobis, & ab omnibus agi, & operari; & conſequenter eriam doceri: & quæcumque afferri poſſunt ad improbandaa ſuitates antecedentes in doctrina religionis, probant conſequentiam de doctrina morum. Sic, ut omittam cæteros, ſuitas anrecedens in materia religionis Paulum excæcabat *quoniam* (inquit ad 1.) *ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam*, &c. *abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum*; quarum ſcilicet ingentiſſima via ea erar, ur bonæ ei viderentur, quæque plurimos faſcinat, quod paternæ eſſent, & ſuæ: illi porrò, qui cenſent, aut Paulum non peccaſſe, aur non per ignoranriam, ſed ſcienter, & veritarem Chriſti cognoſcendo peccaviſſe, vix mihi, ut fatear ingenuè, conſiderati homines videntur. Sic eriam in doctrina morum eædem cauſæ perdiderunt ſcribas, & Phariſæos Matth. 15. *quarè & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram*? erat quippè & ſua, & ſeniorum ſuorum, & ita quaſi paterna, & ipſia etiam demonſtrationibus ſæpè fortior. Admirabilis ille Dei ſervus Gregorius Lopez naturæ, & gratiæ; carnis, & ſpiritus magnus planè diſcretor dicebat, ut in vita ſua cap. 27. refertur, naturam Dei quaſi oblitam in omnibus quærere delectationem ſuam; illiuſque loquelam omnem eſſe *ego, & mihi*: agebat autem de delectatione ſpirituali, & ipſarum etiã virtutum. Ex quo ſcilicet à Deo per peccatum averſua fuit, & ad ſe converſus homo, & à bono communi ad privarum inflexus, his ſuitatibus pleni ſumua, quandiù gratia Dei non liberamur; & quemadmodum in rebus aliis, ita etiam in doctrina nos nobia primi, & quaſi Dii noſtri exiſtimus, ut aliàs fortè, luculentius proſequemur.

§. V.

§. V.

Illationibus quibusdam doctrina illustratur.

PRimum itaque sequitur, quod de scientiis ipsis dici verè solet, eas scilicet à loco, & tempore abstrahere, earum Magistros abstrahere debere à loco, & tempore, similibusque rebus omnibus, & quasi nullius essent gentis, familiæ locive edocere. Etenim non sicut homines, ita etiam scientiæ, & veritas earum nationales sunt, & sæculi, ætatisque hujus, aut illius, sed omnium gentium, & ætatum, seu potius æternæ; & sic nullius particularis nationis, loci, vel temporis.

Hinc sacra v. g. Theologia, de qua potissimùm pertractamus, nec Hispana est, nec Gallicana; alteriusve gentis; nec laica, & non regularis; aut regularis, & non laica, seu laicorum; aut Ecclesiasticorum, & non Regiorum; vel contra; aut hujus, vel illius ordinis. Quarè Theologus etiam, nisi abuti velit, eamque corrumpere, nec Hispanus, nec Gallus, alteriusve gentis esse debet; non Regius, non Ecclesiasticus; non laicus, non regularis vel illius, ordinisve, sed nullius, vel potiùs ex æquo omnium inquam, non Ecclesiasticus, id est, Ecclesiasticis præ laicis favens, aut contrà. Hi enim respectus omnes ad suitates antecedentes pertinent, & non ad consequentes: neque enim doctrina aliqua vera est, quia Gallorum est, vel Hispanorum; vel loci hujus, aut ætatis, vel illius; vel quia regularibus, aut laicis favet; vel Regiis, aut Ecclesiasticis; vel quia nostri ordinis est, vel alterius, sed aliundè exutis, abjectisque his affectionibus omnibus, veritas indaganda est, faciendaque nostra sive nostra ea sit, sive non nostra. De quibus certè omnibus nos districtè judicandos esse is ambigat, qui non credit, nos de verbo etiam otioso, rationem reddituros: qualis porrò, quantaque ratio reddetur de sacra Theologia corrupta? quod ut superius tractatum est, majus est peccatum, quam demolitio vineæ, aut violatio virginis cujuspiam. Quarè *sapientiam omnium antiquorum* sap. 39. quia ætatem non habet: *& in terram alienigenarum gentium pertransit, quia localis non est.*

Ex his denuò sequitur, quod ex Jacobo iterùm commonemus: *nolite plures fieri Magistri, fratres mei; scientes, quoniam majus judicium sumitis.* Sequitur etiam, & apparet, quam fermè necessarium sit, Magistrum quemque bonum, ac purum veritatis sectatorem plurimis displicere, cum non magis sit pro ætate sua, quam pro prætetita contra suam; aut pro natione magis sua, vel gente, quam pro contraria contra suam, & sic de aliis. Undè vix fieri poterit, ut persecutionem non patiatur, & omnes, qui volune in Christo piè vivere, persecutionem passuros esse, Apostolus verè prædixit. Quadam nimirùm inconsideratione factum est, ut sicut de exercitibus hostium, ita de scholis, & doctrinis judicare quidam videantur, contrarium esse, & hostem nationis suæ, vel familiæ eum, qui doctrinam aliorum contra suos, suæque nationis edocet; quemadmodum si miles ad aciem hostis transfuga contra suos dimicaret: quod quam longè à justo, honestoque absit, ex dictis satis conspicitur, & impingitur sanè in sententiam Evangelicam dicentem, *qui diligit Patrem, aut Matrem, &c. plusquam me, non est me dignus*; una enim est, & conjuncta causa veritatis, & Christi qui veritas est, Quinimò in ipsa etiam belli materia, cujus tamalia est ratio, licet milites belli justitiam discutere, scireque non teneantur Ministri, & Consiliarii, & peccat graviter Consiliarius, si suitate antecedenti ductus pro suo Principe bellum re ipsa injustum approbet, & pro adversario dicere. Ergo etiam Magister. At inquis, in bello doctrinarum homines non perimi. Verum hæc objectio insipientium est, & nescientium quid, & quanta res sit sapientia: & deindè errores morum animas, quæ pluris sunt, etiam perimunt. Atque postremò jam ostensum fuit, Magistros saltem ipsos peccare falsa docendo, quos ab ignorantia invincibili non excusantur: quod omissis aliis constat vel ex expensis: quas discipuli uno, aut duobus diebus faciunt pro scribenda, habendaque quæstione falsa: demonstratum scilicet fuit, melius unicuique esse, res quaslibet prorsùs ignorare, & nescire, quam probabiliter etiam errare.

Sequitur etiam, his contrariam esse probabilium consuetorum naturam, eaque docentium conditionem. Cum enim probabilium borum conditio, & indoles sit scientiæ ex diametro contraria: effectus omnino contrarii consequuntur. Scientia quippè unius solùm partis est; probabilitas utriusque; scientia ætatem non habet, non item nationem, non domum; locumve, ut declaratum est. At probabilitas, ac etiam probabilioritas instar vestium fermè sunt; hac ætate alia probabilia, probabiliorave existunt, & in sequenti mutantur; & sic etiam est de natione, & loco, & familia. Patet verò ex hoc, probabilium Doctores non esse Doctores scientiarum; item cum illa pro utraque parte sint nihil opus esse ulli displicere, nec pati. Theologus itaque probabilista in Gallia Gallus erit, & in Italia Italus, & apud Ecclesiasticos unus; & apud Regios alius, si probabilitas sit illi, & non veritas regula docendi. Suitatibus porrò antecedentibus, & contentionibus, perpetuisque bellis apta nata ea regula est; nam est utriusque partis contrariæ; nec fieri ulla disputatione potest, ut quæ natio aliqua, vel schola, vel familia sua fecit: improbabilia reddantur; inquam disputatione; nam à judicibus doctrinæ possunt. Undè fiet, ut omnes perpetuò quærant, tueanturque, quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi: & via probabilium, ut præscindit à vero, & falso, sic præscindi à Jesu Christo, vel non Jesu Christo: ergo velle ea nostra facere est velle facere nostra, quæ sunt Jesu Christi, vel quæ non sunt; & sive sint, sive non sint; & sive etiam Christo contraria sint, ut sunt utique falsa omnia fidei, & morum: eujus rei magnam turpitudinem ipsa terminorum propositione quilibet, opinor, videt.

Sequitur etiam, suitates antecedentes alias esse aliis deteriores. Primum quasi gradum turpitudinis tenent suitates in materia religionis, & fidei. Secundum suitates doctrinarum erronearum: tertium suitates doctrinarum improbabilium: quantum suitates doctrinarum probabilium. Putant quidem aduersarii, habito probabili, jam nos esse in portu; & nihil mali latere

ſub probabili. Sed falluntur, ſatis ultrò; nam niſi habito Deo, in portu eſſe non poſſumus; in probabili autem præciſè Deus eſt; nam eſt verum, & falſum; nec Chriſtus eſt, nec Eccleſia eſt, nec ſcientia, nec ſapientia, nec ſapiens eſt; & cuncta hæc ſolum habentur, habito vero; nam omnes viæ Dei veritas.

Præterea ſequitur, in tota opinionum ſaltem probabilium latitudine ſuitatem antecendentem omnium peſſimam eam eſſe, qua ſuam quis faceret ipſam cauſam probabilium, Auguſtinus lib. 2. contra Academ. cap. 4. ad Romanum inquit: *ſed nunc ambobus dico, cavete, ne quid vos noſſe arbitremini, niſi quod ita didiceritis, ſaltem, ut noſtis, unum duo tria, quatuor ſimul collecta in ſumma fieri decem. Sed item cavete, ne vos in Philoſophia* (*de morali, doctrinaque morum tractat*) *veritatem aut non cognituros, aut nullo modo ita poſſe cognoſci, arbitremini. Nam mihi, vel potius illi credite, qui ait, quærite, & invenietis, nec cognitionem deſperandam eſſe, & manifeſtiorem futuram, quam ſint illi numeri.* Sed rident quidam nos, & utinam corde Auguſtinum etiam non riderent iſla dicentē, & permittentem. Nobis certè indubitatum eſt, plurima ita certiſſimè ſciri poſſe de materia morum, ſi Evangelica, & apoſtolica principia admittantur, & teneantur, atque ex eis reliqua morum ſcientia contexatur, etſi poſteà in ſingularibus, & circumſtantiis totalis iſta certitudo non adſit: ſin minùs, cuncta fiunt incerta, & arbitraria.

Quod ad cauſam univerſalem probabilium attinet, adeò illa univerſalis eſt, atque ex illa modus fermè omnis communis vivendi pendet; adeò item reliquarum omnium cauſarum, & quæſtionum moralium particularium robur, momentumque ad illam unam revocatur, ut ſicubi aliàs, neceſſe ſanè hic foret, quod quicumque eam ſuam facerent, tam certò illius veritatem noſſent, quam norunt, unum, duo tria, quatuor ſimul collecta in ſumma fieri decem. Nobis ſanè tam certo ea falſa eſt, atque certum eſt, numeros illos eſſe in ſumma decem: pridemque cum Auguſtino jurejurando affirmavimus, neſcire nos protsùs, quomodò quidpiam ſit peccatum, *ſi quisque id agendo, quod probabile videtur, non peccato*, Vel enim loquuntur de probabilitate parta, & comparata fundamentis, rationibusque ſophiſticis, magnis quidem, & maximis tamen ſophiſticis? & hoc ſenſu nullum ſcelus eſt, nulla hæreſis, & error, qui non poſſit fieri probabilis. Vel loquuntur de rationibus, fundamentisque non ſophiſticis, ſed ſcientificis, atque ad ſcientiam pertinentibus? Et tunc niſi tota Logica diſrumpatur, nulla falſa concluſio, vel opinio, vel doctrina hoc ſenſu eſt probabilis. At ipſi loquuntur promiſcuè de probabilitate concluſionum, & opinionum verarum ſimul, & falſarum, prorſùsque à veritate præſcindunt: ergo etiam à ſophiſtico, vel non ſophiſtico; ergo nullum ſcelus eſt, cui iſta ſua probabilitas, id eſt, ſophiſtica, vel præſcindens congruere nequeat. Sed quorsùm ita renovo? Propè infinita adduximus, quibus certiſſimi ſumus de falſitate cauſæ, & defenſionis probabilium. Qui verò de illius veritate certi non ſunt, vel ſaltem non putant, graviſſimè peccarent, eam ſuam faciendo: ſin verò falſa, & exiſtimata certitudine eam veram arbitrantur, teneutur ex ſuppoſitione ad eam tuendam, & ſi error eſt vincibilis, & ex aliqua antecedenti ſuitate natus, non excuſantur; ſi eſt invincibilis excuſantur juxta regulas communes de conſcientia erronea.

Omiſſis aliis corollariis, atque pluribus ad quæſtionem ſequentem remiſſis, nunc totam de ſuitatibus doctrinam exemplo judicum confirmo. Præterea verò eam opinionem, quæ una judicia omnia corrumperet, & quam in hac ſaltē curia integri quique judices horrent, quod ſcilicet, liceat judicare ex qualibet opinione probabili, quo facto judices non judices ſint litium, ſed arbitri, donatoresque liberi rerum. Suppono itaque, eos graviſſimè obligati ad indagandum jus uniuscujusq; partis, & dein teneri ad ſic judicandum, quemadmodum ſibi verum videtur, & ſuum officium eſſe tribuere unicuique, quod ſuum eſt: quam Theologiam boni, ut dixi, & integri judices inconcuſſè ſervant, & infrà tractabitur.

Argumentor itaque à minori ad majus. Omnis ſuitas antecedens eſt in judice graviter mala, qua ſcilicet ſuitate ſuam faceret cauſam amici, vel conſanguinei, vel concivis, vel Regis, vel nationis, vel divitis, vel pauperis; nam vel pauperis perſonam conſiderare prohibiti ſunt Levitic. 19. & hoc ſuum ipſorum eſt noſſe, quid, cujusque ſit, & ſuum unicuique tribuere ſive Hiſpano, ſive Gallo, ſervo; aut libero, Regive, aut inopi juxta illud part. *quia nec ab oriente, nec ab occidente, nec à deſertis montibus; quoniam Deus judex eſt*: nec enim judex qua judex patriam habet, nationemve, aut gentem: de qua judiciorum rectitudine plura refert Ariſtoteles 1. Rhetor. de more Areopagi: & hac de cauſa, quaſi nec quidem litigarent, ſciendum à judicibus eſſe, Titius, & Sempronius induci ſolent. At nemo, qui à ſtudio ſapientiæ exulare non mereatur, dubitare poteſt, pluris eſſe ſapientiam, & ſacram Theologiam, quam fundos, domos, & regna, & patet ex lib. ſapient. Ergo omnis ſimilis ſuitas antecedens erit graviter mala in Magiſtro. Quapropter, ſicut de judice, ita etiam de Magiſtro ſcriptum eſt, ut ſuperius tractavimus, quod non debeant reſpicere perſonam hominis, nec faciem potentis formidare, &c. De Magiſtro porrò morum, & Rectore conſcientiarum eſt conſecutio evidentior, quantò pluris eſt anima, quam res omnes, quas judices pertractant. Stuperem verò illum, quo plures vaniſſimè crediđiſſe videntur, nocere quidam judices, ſi errent, occidere etiam Medicos corporis; Medicos autem animarum, ac Magiſtros morum non nocere, nec occidere, licet errent, & ſimilia mundi commenta ſuprà multis quæſtionibus evertimus; ac firmiſſimè terminus. Evangelicam ſententiam de cæco cæcum ducente Undè arguimus; peccant graviſſimè judices, peccant medici corporum ſequentes ſuitates antecedentes in ſuis materiis. Ergo multò magis medici animarum, & Magiſtri morum. Ex quo

quæ denuò multa colligi possent de periculo Confessariorum Principum, Magnatum, divitum, & aliorum.

QUÆSTIO XII.

Utrum ergo similiter graviter mala sit omnis divisio scholarum nata à suitate antecedenti.

Diximus, ex suitatibus nasci divisiones doctrinarum, & scholarum; & si omnis doctrinarum suitas esset consequens, eaque non existimata, & secundum quid, sed vera, & simpliciter, nulla foret in mundo divisio doctrinarum, nec contentio, sed ad quod hortatur Apostolus, omnes idem saperemus. Sed quoniam divisione, & contentione mundus nimis laborat, ac multi nihil in his peccare se posse arbitrantur, consultissimum existimavimus, & integritati, saluti que sacræ Theologiæ per necessarium, divisionem omnem à suitatibus antecentibus natam omni diligentia evertere, & graviter peccaminosam commonstrare.

§. I.

De divisionibus, & sectis doctrinarum, & scholarum aliqua in generali.

Divisiones istæ doctinarum, & scholarum apud gentes esse cæperunt; quæ proprio vocabulo sectæ quoque à secando, sicut divisiones a dividendo vocabantur; scripseruntque de illis fusè Laërtius, Lucianus, & alii. Hoc deindè sectarum nomen in Ecclesia Dei hæresibus tributum est; quia hæresis divisionem, separationemque significat. Neque verò via ipsa veritatis secta communiter nisi ab hostibus vocata est; nam veritas non est divisiva, sed unitiva; nec horum, & non illorum, sed omnium vel esse jure debet; sicut Pater ejus Deus omnium Creator est, & Pater etiam jure est, & si facto multi deficiant: & similiter charitas, quæ in vera Ecclesia est; est amor universalis omnium: contra verò amores, ex quibus errores, suitatesque pravæ proveniunt, sunt particulares, sicut quæst. præc. dictum est. Indè etiam hæreticorum conventus, & sectæ partes vocantur; non autem Ecclesia, ut suo loco magis declaratur, nosque declaravimus.

Nihil fanè natura, vel complexions, virtutevs ingenii, aliisque naturalibus dotibus à Gentibus differimus, & si charitas, veraque justitia desit, facilè eorum mores ebibimus. Principio itaque, ut dictum est, apud Gentes scholæ divisæ, & sectæ esse cæperunt Pythagoræ, Zenonis, Socratis, Platonis, Aristotelis, & aliæ divisiones, ac subdivisiones: qui, ut ait Augustinus, scholas contrarias habebant, & templa communia. Hoc idem moris, & divisionis irrepsit in populum Dei; & in Synagoga erant tempore adventus Salvatoris, sectæ, & quasi scholæ contrariæ septem, scribarum, & Pharisæorum, & Sadducæorum, & Hemerobaptistarum, & Ossæorum, & Nazareorum, & Herodianorum, ut memorat Epiphanius in Epist. pro locut. Panarii, atque ex illo Baronius: apud quos singulorum dogmata legi possunt.

Erecta deindè, propagataque Ecclesia successere hæreticorum, & schismaticorum divisiones, & sectæ sine fine: atque hæ, ut lib. super. diximus, intra Ecclesiam ipsam primùm natæ sunt, non quidem subdivisiones earum, & quasi propagines omnes, sed velut matres, & capita, ut exemplo Lutheranismi intelligitur, qui extra Ecclesiam deinceps infinitas filias, sectas, & factiones procreavit, Quod si illas sancta Ecclesia tolerasset, nec damnasset, Assertorum suorum multitudine, & nobilitate, remansissent in Ecclesia instar aliarum opinionum falsarum, & aliis hæreticæ, aliis falsæ, aliis veræ viderentur: quemadmodum modò in multis opinionibus contingit, ut in ea quæstione, utrum in Christo sit una, an duplex operatio, si Ecclesia siluisset, aut pro sedandis contentionibus exemplo, vel duarum operationum nomen, usumque prohibuisset, neutrum hæreticum, publicè aut de fide necessaria fuisset. Cum porrò probabilitas opinionibus dari solita, & fori exterioris, & secundum dici consistat in eo, quod opinio & Patronos habeat, & Ecclesia toleret, & taceat, ut part. t. declaratum est, hæreticorum illæ sectæ probabiles hoc sensu remansissent, facilè non fuisset vi disputationis, & doctrinæ eas eradicare. Eradicavit autem illas, & ejecit Ecclesia, & jam non aliud, quam hæresum sectæ remanserunt.

Fuit præterea in Ecclesia multiplex doctrina, interpretationisque scripturæ copia diversa magis, quam adversa, & contraria: sicut scriptura ipsa multiplici diverso sensu gravida est, nullo tamen contrario. Quod exemplo ordinum regularium, librorumque spiritualium etiam præsentium intelliguntur; aliud enim ordo Carthusianorum, aliud Prædicatorum profitetur: haud tamen alter suam viam salutis esse, alterius non esse censet, vel somniat, & doctrina una est, & una charitas, ad cujus perfectionem ordines omnes contendunt. Similiter alia, & aliter scribit Avila, alia, & aliter Granata; diversa etiam sancta Theresia, & S. Salesius docent; non tamen adversa, & contraria, sed in idem omnes ducunt; hortanturque quæ varietas, & multiplex copia ad ornatum potiùs, decorumque Ecclesiæ pertinet, quæ circum amicta est varietatibus.

Utrum verò inter sanctos, & Patres Ecclesiæ etiam in iis, quæ ad fidem, rectosque mores non pertinent, extiterint frequentissimè, & ferè semper contrarietates, & contradictiones parum, aut nihil ad institutum nostrum spectat; nec facilè inducetemur, ut credamus, eorum alterutros etiam in talibus fuisse frequentissimè deceptos, falsisque refertos: sed majora, & meliora de sanctis Dei cogitamus, atque ab ipso promissum est: certè quod instituti nostri est, falsa hæc sive multa, sive pauca in scholam, stabilemque & perpetuam defensionem non abierunt; & nullæ sunt de his scholæ, & à nulla gente sua facta sunt. Atque de his, quæ ad fidem, & bonos mores non attinent, S. Thomas quodl. 3 art. 10. exponit Apostolum dicentem ad Rom. 14. *unusquisque in suo, sensu abundet.*

De

De his porrò, quæ ad fidem, bonosque mores pertinent, nullæ, vel rariſſimæ extiterunt contrarietates, & contradictiones ſanctorum, & quæ prodierunt, ingenti veritatis zelo brevi extinguebantur. Fuit quidem illa contradictio Cypriani, Firmiliani, plerorumque Epiſcoporum contra Stephanum Papam pro rebaptizandis hæreticis; ſed extincta fuit, veritasque prævaluit. Diſputatum item fuit Hieronymum inter, & Auguſtinum de Petro reprehenſo; ſed vicit citò veritas. Chryſoſtomus quoque cum Patriarcha Alexandrino, Epiphanio, & aliis diſſenſiones habuit; Nazianzenus etiam cum ſuo illo Concilio Conſtantinopolitano; & ſic alii, & alii, ſed ſæpè contentio non de doctrina, ſed de factis erat, & in doctrina ſemper veri, vel falſi cura habita eſt; atque medius ille terminus probabilitatis non pridem inventus, quo vera, & falſa conciliantur, & omnia in pacem redeunt, latuit hos ſummos viros: quid enim, o Stephane, non dixiſti, probabile eſſe, quod tantus vir Cyprianus, & tot cum eo Epiſcopi, & Concilia tantoperè vindicabant, & non ſiluiſti? Et quid, Auguſtine, probabile non habuiſti, quod tantus Doctor Hieronymus tradebat? Nihil quippè intererat, verum ne eſſet, an falſum; modò probabile eſſet ab autoritate Hieronymi. Certè quod inſtituri magis noſtri eſt, nulla falſa morum in ſcholam, ſtabilemque defenſionem, & ſuitatem abierunt.

Sed dicere ad nos ſolent, & objicere, ſanctos etiam Patres fuiſſe in doctrina morum paſſim ſibi contrarios. Verùm pacatiſſimè adverſarios convenimus, & precamur, ut proferant iſtas contrarietates, & Ambroſium dicentem, hoc, & hoc, & hoc eſſe peccatum mortale; & Auguſtinum cuncta negantem; vel Hieronymum aſſerentem, niſi hoc fuit, & hoc, & hoc, nos damnandos, & Chryſoſtomum omnia diffitentem: & ſic etiam dico de Gregorio, Baſilio, Bernardo, Thoma Bonaventura, & ſimilibus; qui nobis à ſancta Eccleſia conſtituti ſunt Doctores. Precamur etiam, ut eos in duos quaſi ordines diſtinguendo aſſignent alios quidem laxos, & hoc ſenſu benignos, & feſtivos; alios ſtrictos, ſeveros, & triſtes. Profectò triſtes una omnes ſunt, atque ad timorem Domini, cordis compunctionem, Dei amorem, mundique contemptum ducunt, uti duxit unus noſter, eorumque Magiſter Dominus. Nec aliud eſſe potuit; quia hi ſummi viri de ſuo philoſopari de moribus, & vita Chriſtiana, ſalutisque via auſi non ſunt; ſed ex Evangelio, Apoſtolis, atque Prophetis docuerunt, quemadmodùm acceperunt, & crediderunt, propter quod & locuti ſunt, Hæc porrò regulæ ſcripturarum unitas eos in unitate ſervavit; ſicut & hodiè plerisque librorum ſpiritualium contingit Autoribus; nam ſupponunt, ſe ex ſcriptura, doctrinaque ſanctorum docere debere: & ita Gallus, & Hiſpanus, & Dominicanus, & Franciſcanus; & cæteri plerumque concordant. Quæſtio eſt ſanè de facto; aperiantur libri ſanctorum de moribus differentium; & tam eos invenimus ſanctis ſcripturis confertos, quam quosdam alios jejunos. Atque poſtremò ſanctorum Patrum doctrinæ in ſchola contrarias, ut diximus, ſuſceptæ non ſunt, & ſi unaquæque ſchola contraria eos ſuos eſſe profiteatur. Hinc & nomina nulla ſuperſunt diviſarum ſcholarum Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, ſed Patres, Genitoresque alios habuerunt: ubi unum S. Thomam excipio; qui Doctoribus Eccleſiæ connumeratus eſt. Poſteà igitur, & quandò ingenium, & ratio magis, quam autoritas valere cæpit, ac fermè Principatum obtinuit, diviſiones doctrinæ, & ſcholæ contrariæ inductæ ſunt.

§. II.

Omnis doctrina diviſio ſuitate conſequenti inducta eſt ſanctiſſima: Omnis contra inducta ſuitate antecendenti, eſt illicita, & peccaminoſa.

Dixi, *omnis doctrina diviſio ſuitate conſequenti inducta*, &c. Hac locutione uſus ſum, ut faciliùs ab omnibus intelligat; nam de cætero cum ſuitas, & ratio conſequens ſit veritatis, veritas autem non ſit diviſiva, ut §. præc. dicebatur, nullam propriè loquendo diviſionem ratio, & ſuitas conſequens inducit; & illi propriè dividere incipiunt, qui falſa afferunt, & à veritate deficiunt: quemadmodum in vera fide religioneque cernitur, quæ ſanè non dividit, ſed falſæ ei contrariæ diviſiones, contentiones: diſſenſionesque inferunt.

Concluſionem poſitam probaturæ videntur ſcholæ ſingulæ, & omnes; nam id ſanctiſſimum dicimus, quod omnes illæ, & ſingulæ ſe præſtare profitentur, & teſtantur; & id illicitum, & peccaminoſum, quod nulla earum aut ſibi tribui permittet, aut ſe facere confitebitur: ſicut de ſuitatibus quæſtion. ſuper. notatum eſt. Omnes ſcilicet rogati, cur ſe à ſchola contraria diviſerint, eique diſſentiant, & ſua magis tueantur, reſpondebunt, ſe ſua tueri, quia vera; nec ſequi ſe ſcholam contrariam; quia falſa ea ſunt, quæ aſſerit. Et rogati denuò ſinguli, utrum à ſchola A dividendi, ſeparandique eſſent, ſi vera propugnant, reſpondebunt, opinor, nunquam id ſibi nec in mentem quidem venturum: & ſi ſchola aliqua palam fateretur, ſe non magis vera, quam falſa curare, ſed tantummodò ſua, omni ſe autoritate ſpoliaret. Factis etiam ſuis omnibus ſcholæ ſingulæ hoc loquuntur; nam ſingulæ non aliud agunt, quam probare, ſua eſſe vera, & falſa contraria. Omnibus ergo ſuis diſputationibus hoc loquuntur, ſe ſcilicet ſcholæ contrariæ eſſe contrarios, quia ſua vera ſunt, falſa autem, quæ illa defendit. Ergo concluſio poſita concordat confeſſioni publicæ, & factis ſcholarum omnium. Re vera tamen non niſi uni ſcholæ in ſingulis illa favet; nam una ſola in ſingulis veritatem tuetur: maximè verò ei favet, quæ vel ſemper, vel ſaltem plerumque verum defendit: quæ profectò, quæcumque demùm illa erit, quod dijudicare noſtrum non eſt, & Eccleſiæ, & Regnis, & omnibus non tam utiliſſima, quam etiam neceſſariiſſima eſt, & illius etiam Aſſertores beati, felicesque ſunt. Abſolutè ergo concluſio ei ſcholæ in cor-

de displiceat ; necesse est, si qua tamen hujusmodi est, quæ veritati suæ non multum fidet ; quibus tamen magna pignora veritatis suppetent, plurimum, credo, placebimus. At hi sunt meliores. Ergo viam capessimus melioribus quibusque placituram. Ergo bonam.

Conclusio posita sequitur ex quæstion. præcedent. Nam divisiones, & contrarietates doctrinarum sunt, sicut ipsæ suitates, ex quibus nascuntur. Sed ostensum est, suitatem consequentem esse sanctissimam; illicitam verò, & graviter malam antecedentem. Ergo & divisio, & contrarietas consequens erit sanctissima, illicita verò & graviter mala, quæ ex suitate antecedenti nascitur. Et confirmatur; quia hæc non levior aliqua materia est, sed gravissima : non est ergo, undè leviter mala fiat.

Prætereà rei magnam turpitudinem demonstrant confessiones ; & attestationes publicæ scholarum, quas nuper significavimus : & maximam sibi injuriam inferri, dicerent, credo, singuli, si quisquam opponeret, ipsos non sua tueri, quia vera censeant, nec contraria impugnare, quia falsa credant, sed ut scholam separatam habeant, & contrariorum honorem diminuant, vel ut eos exerceant, sibique nomen acquirant. Sed hæc sunt propria divisionis inductæ suitate antecedenti. Hæc ergo divisio fœdissima, turpissimaque est. Quæcumque autem probant turpitudinem divisionis natæ ex suitate antecedenti, probant rectitudinem, & honestatem divisionis natæ & suitate consequenti.

Hujus prætereà rei gravis malitia patet ex innumeris præjudiciis, quæ Ecclesiæ, & Regnis, & singulis inferuntur. Primùm siquidam divisionibus hisce, & contentionibus veritas, & scientia (utriusque scilicet conjuncta est causa) redditur inventu, & comparatu difficillima, nisi à contentionibus exsuudo alibi illæ conquirantur, ut lib. 4. tractabimus. Undè homines, nisi hæc alia salus residua fuisset, cogerentur Academizare, vel Lucianizare, abjecta spe omni veritatis, scientiæque comparandæ; frustrà enim, prorsùs frustrà scientiam in probabili, vel in alio citra veritatem conquirent. Quin adeò inconveniens istud de ininvenibilitate veritatis in multorum nobis in hoc toto opere contrariorum opinione crevit, ut ridiculum monstrum eis visum sit, quod nos toto animo contendimus, veritate ab omnibus esse vivendum, eamque esse invenibilem, non obstantibus his tantis divisionibus, & contentionibus; relinquere enim veritatem, & relinquere legem Dei nobis idem, vel connexa videntur. Si ergo scientia bonum magnum est, si Theologia bonum maximum, & necessarium, divisionibus autem antecedentibus redduntur hæc bona comparatu difficillima, & sic rara, & rarorum, siquidem valdè difficilia rarò contingunt, sequitur, divisiones hasce, & contentiones suitatum antecedentium esse pessimas.

Defraudant etiam fine suo expensas Romanorum Pontificum, & Regum in exigendis Academiis, & singulorum. Omnes enim illæ in eum finem diriguntur, ut Philosophia v. g. Theologiaque addiscantur. At qui divisione antecedenti docent, non solùm in eum finem non conferunt, & sic quasi negativè defraudant, sed omni studio hoc faciunt, ut ab ullo addiscatur vel Theologia vel in toto, vel in parte, ubi scilicet suitate, divisioneque antecedenti docent. Quæro enim hos subtilissimos homines, utrum Philosophia sit scientia ? utrum item sacra Theologia ? & utrum demùm de ratione scientiæ sit veritas? Quod si nihil horum negari potest, qui suitate, divisioneque antecedenti docent, scholamque dividunt, eò planè tendunt, ut nuspiam sit & à nullo addiscatur sacra Theologia, sed ut eam evertant, locoque ejus aliud quidpiam suum, & contrarium omnes accipiant.

Sacri item ordines magnis expensis integro fermè septennio huic studio juvenes suos addicunt. Quæro, quis sit finis ? Non utique vanitas, aut falsi nominis scientia, seu Sophistica, qua sui sapientes quidem esse videantur hominibus ; nequaquam verò sint. Est ergo finis sacra Theologia. Hæc portò una est, & non contraria, ut paulò post magis declarabo. Suitatibus igitur, divisionibusque antecedentibus hic totus quantus fines, atque impensæ hæ omnes frustrantur : quod saltem ratione temporalis damni illati nequit non esse grave. Et confirmo; quia meliùs multò fuisset, si sui non sua falsa, sed contraria vera didicissent ; quin, ut demonstravimus suprà, melius fuisset, si nihil prorsùs didicissent ; nam meliùs est ignorare, & nescire, quam probabiliter etiam decipi, & errare. Melius, inquam, non ad plausum mundi, & lucrum ; quæ sæpè ex falsis faciliùs colliguntur; sed melius in rei veritate, & coram Deo, & Angelis ejus.

Prætereà qui sic doctrinam, & scholam dividunt, vexant nimiùm, & injustè veritatis & Theologiæ Assertores ; ac veritatem injustitia detinent, & quasi carcerant : & omnes in re gravissima decipiunt asserendo, se pro sola veritate certare ; mundumque contentionibus, & dissidiis implent, atque perpetua bella rationis subinferunt ; eaque demùm mala in scholam Christianorum invehunt, quæ Clemens quæst. præc. de scholis gentium commemorabat, longè sanè gravissima, quæque scholarum decus, & autoritatem lacerant. Atque hoc genus inconvenientia, præjudiciaque multa ex superioribus quæstionibus, in quibus Magistros omnes ad veritatem sciendam, & docendam obligavimus, colligi facilè possunt.

Utrum suprà hoc memoraverim, planè non memini. Audiverat me sæpè ad veritatem obligantem Primarius in celebri Academia Magister, & quasi ego non nisi partem Theologiæ moralem curarem ? speculativam verò præterirem, valut facturus mihi gratiam multis adstantibus dixit, se quidem rem moralem gravissimam existimare, peccareque graviter Magistros, si veritatem diligenter non quærerent, & traderent. At verò in parte speculativa non ita esse, nihilque referre, sive affirmatur, sive negetur, & an. v. g. Deus ad creaturas transcen-

transcendent aliter referatur, nec ne. Erat verò ipse magnus Theologiæ, Theologiæque professionis æstimator, ut esse solet quisque artis suæ.

Tum ergo: si ita est, ego planè, si possem, tollerem Theologiam speculativam à mundo. Ad hæc ipse: Theologia speculativa, inquit, res est maxima, quæ tollenda minimè sit, quam potiùs sancta Ecclesia tantoperè probavit, commendavitque. Ita sanè, inquam ego: & quis ille sit, qui Theologiam tollendam esse desipiat? Cæterùm si in eâ nihil magis referret affirmare, quam negare, id est, scire, quam errare, res esset illa vilissima, & pro qua habenda nec ovolum expendendum esset. Quæcumque igitur illius momentum, majestatem, necessitatemque probant, hæc ipsa sunt, quibus commonstratur, nos in ea abjectis stultitatibus, divisionibusque antecedentibus ad veritatem, id est ad ipsam tradendam Theologiam esse obstrictos. Quod si quæstiones aliquæ, vel multæ, vel paucæ superfuerunt, in quibus utrum affirmes, vel neges, parum referre videatur, sintque prorsùs curiosæ, vel vanæ, illæ profectò non Theologia sunt, sed aliud, & ex dictis patet, peccari etiam in talibus tempus terendo, & finem saltem negativè, si non contrariè frustrando.

§. III.

Ex rerum divisione patet à contrario turpitudo, & malitia divisionum antecedentium doctrinarum.

HAbent Juristæ tum lib. 2. institut. luculentam de rerum divisiona tractationem. Origo porrò divisionis rerum traditur lib. 1. de jure nat. *§. jus gentium: ubi usu exigente, & humanis necessitatibus gentes humana jura quædam sibi constituerunt.* Nam, ut ibi exponit Mynsingerius, cum propter corruptam hominum naturam sæpè eveniret, potentiores prohiberent alios à multarum rerum usu, ac fructu, &c. suadebat naturalis ratio, ut cuique hominum aliquid proprii assignaretur. Hinc alterum caput juris gentium derivatum est, videlicet res dividere. Hæc ille.

Ex tribus itaque quasi capitibus divisio rerum facta est, & ab abusu, & excessu potentiorum; & ex limitatione rerum ipsarum; & ex earum divisibilitate. Ex excessu primùm potentiorum, qui impotentiores prohibebant abusu, fructuque rerum. Ex limitatione item rerum; nam quod unus habebat, alterius esse non poterat; undè potentioribus cuncta sibi usurpantibus, cæteri rebus sibi necessariis destituebantur. Postremò ex divisibilitate rerum; nam si illæ indivisibiles fuissent, ut punctum, vel anima nostra, dividi planè non potuissent. Hæc ergo tria necessaria extiterunt ad rerum divisionem rectam.

Qua tamen divisionis rectitudine non obstante, divisio quælibet eas factiones, lites, contentionesque in Rempublicam advehit, ut multi præstantissimi viri de optimo genere Reipublicæ scribentes rerum divisionem illam sufferre minimè potuerint; nam ut ex Chrysostomo quæst. sup. diximus, meum, & tuum frigidum illud verbum quidquid est malorum, in vitam nostram invehit, innumeraque gignit bella. Quapropter Socrates, Plato, & alii, omnia voluerunt esse communia, & omnium, uxores etiam, & reliqua; hincque origo hæresis Nicolaitarum. Quod ad res ipsas attinet, Dei filius optimam omnium Rempublicam, vel Regnum, id est, sanctam Ecclesiam erecturus iis illam præceptis instruxit, ut iis servatis nihil opus esset rerum divisione, si scilicet Deum toto corde, & proximos sicut nos ipsos diligeremus; ideoque principio omnia erant communia, ut sunt etiam modò in sacris ordinibus, in quibus proprium, & proprietas locum non habet.

Propter dictas itaque causas necessaria fuit rerum divisio, qua necessitati & concordiæ privatorum maximè occursum est; & si lites insurgant, judicia constituta sunt, quæ pauperi unà, & potenti, quod suum est, integrè tribuant; quod si potentiores iterùm in ipsis etiam judiciis potentiores essent, finis divisionis rerum everteretur, aliud denuò genus tutioris divisionis excogitandum veniret. Sicut autem res cæteras, ita à fortiori Regna dividere, necesse fuit, & absurdiùs multò est, quod Regna fiant potentiorum, & jus constituarur in viribus, & armis. Cum porrò Reges noliut in suis litibus ulli judicio subjici, sed velint sibi esse parres, & judices, eò minùs liberi manent ad bella movenda; quam privati ad movendas lites; nam hi demùm alterius se judicio subjiciunt, nec sententiam ferunt, nec res suas faciunt: plus autem requiritur ad judicandum, quam ad disputandum, litemve movendam: & ideò multò clariori opus est ad movenda bella.

Ex his itaque, quæ de rerum divisione dicta sunt, patet à contrario malitia, & turpitudo divisionum antecedentium doctrinarum. Excessus in primis potentiorum locum non habet; nam in doctrina quasi potentiores sunt sapientiores, & ingeniosiores: hi porrò non sibi usurpant, & cæteris detrahunt sapientiam, & Theologiam, sed omni suo studio eamdem cæteris quoque impendare communicareque nituntur juxta illud, *quam sine fictione didici, & sine invidia communico.* Limitatio deindè nulla adest, quasi doctrina, & Theologia habita ab uno nequeat ab aliis integrè possideri, quin quo à pluribus illa possidetur, eò jucundius, tutiùs, pacatiusque possidetur à singulis. Quod demùm divisionis turpitudinem demonstrat, scientia, & Theologia est indivisibilis. Stultè ergo & pravè illius divisio intenditur.

A quidem sacra Theologia divisibilis extensivè, eamque divisit Magister sentent. in libros quatuor, & S. Thomas in tres partes: atque hoc modo eam dividere sanctè scholæ possent, si una, v.g sibi susciperet potissimùm elucidandam tradendamq; primam partē, & altera secundam, & altera tertiam. De hac ergo divisione non tractamus, sed de divisione quasi intensiva, & affirmationis & negationis; contrarietatis, & contradictionis. At hoc pacto indivisibilis est Theologia non minùs, quam punctum, & anima nostra. Ex ipsius ergo indivisibilitate, & ex illimitatione, & quia nullus excessus esse potest poten-

tiorum patet ; omnem illius intentatam divisionem esse turpem : intentant autemque suitatibus,divisionibusqoe antecedentibuautuntut. Rem ergo committunt turpissimam. Confirmo ; quia si causæ prædictæ divisionis rerum absuissent, turpis, ac inhonesta fuisset divisio rerum. Sed absunt illæ in Theologia. Turpe ergo est, eam dividere velle, eoque tendere.

Iterum quia, ut §. præc. dicebam, una est Theologia, & non una, & alia sibi contraria, & in omni contrarietate, & contradictione una solùm pars potest esse Theologia & ei contraria potiùs est contraria Theologiæ. Undè divisio ista Theologiæ est in Theologiam, & in suum contrarium ; sicut si divideremua hominem in rarionalem, & irrationalem; sanitatem item secaremus in sanitatem, & morbum; fieri enim nequit, ot Theologia sit, vel Theologiæ pars ulla quælibet conclusio, & opinio falsa,magis quam fieri possit, morbum esse sanitatem, aut irrationalia esse homines. Hoc quidem fieri potest, ut pars illa falsa vera, & Theologica videatur, sicut lopi venientes in vestimentia ovium oves viderentur. At fucata, ficta, mentitaque sunt omnia : & tam pars illa Theologica non est, atque morbus non est sanitas : & sicut aepugnat ; Theologiam esse alteram veram, & alteram falsam, & sic eam dividens desiperet: ita qui eam modo dicto dividunt, vel dividere tentant, egregiè errant. Quod autem contrarium Theologiæ Theologiam videri faciant ; Theologiam verò non Theologiam, perindè est, atque si Lapidarii vitrum gemmas videri facerent ; gemmas autem vitrum ; & sic est in vino, & in pane, & in mercibus reliquis. Ergo à fortiori in Theologia, qoæ plus valet.

Denuò qui Theologiam divideret in eam,quę revera Theologia est, & in Geometriam, multisque argumentis persuaderet, Geometriam esse Theologiam, & loco hujua illam mentito vocabulo discipulis traderet ; quin ulreriùa etiam insaniret, & contenderet, eam, quæ re ipsa est Theologia, non esse Theologiam, improbus sanè, valdeque mulctandua esset ; sicut qui circa Parentes nostros, & Reges, & superiorea, quod non ram facilè est, decipere vellet, & alios subrogare. At pejor est divisio Theologiæ, de qua tractamua : nam in hac divisione altera pars necessariò est falsa ; & sic nulla scientia, sed error, & malum : Geometria verò est demùm aliquod bonum. Si ergo qui Theologiam in aliam scientiam invertens, commutansqoe in aliud bonum peccaret, peccat à fortiori, qui Theologiam in nullam scientiam, sed in sui contrarium, & malom dividit, atque convertit.

§. IV.

Totius doctrinæ comprobatio ex Paulo I. ad Corinth.

Corinthus Achajæ caput, & metropolis, atque eo temporis urbs prima, decusque Græciæ, Atheniensium, Lacedemoniorumque, extincto Principatu, rebus jam declinantibus, divitiis, Philosophis, ac Oratoribus florebat adeò, ut quandò de veritate ininvenibili, aut alicubi latente contingeret disputare, quasi de famosiori loco sapientiæ, num Corinthi ea lateret, dicerent, ut in Luciano, aliisque (quos olim legebamua) cernitur. His porrò Philosophis, humanæque maximè sapientiæ cultoribus principatum ambientibus, *inanis gloriæ studio*, ut inquit Chrysostomus, *contrariis semper opinionibus se invicem oppugnare, & inventis aliquid addere contendebant. Hæc autem*, quod totamente notandum est, & observandum *ea, ait, contingebant, quòd ratiocinio suo sua omnia commisissent* : obi enim regnum sapientiæ, & principatum tariocinia, & ingenia occupaverint, has contrarietatea, & divisiones, contentionesque irrepere, necesse est, quod utinam non adeò experientia demonstraret. *Hæc autem*, qoæ de Coritutho diximos, *non jactationis gratia*, inquit Chrysostomus, *necut periti rerum multarum videremur, dicta sunt. Quid enim hujusmodi scire necesse est ? Verum ad subjectam epistola materiam facit.*

Postquam Itaque Paulus biennio, ut ait Chrysostomus, vel uno anno, & sex mensibus, juxta Ambrosium (sunt scilicet, ut notavimus, hæ dissensiones de facto) Corinthiis prædicasset, & Ephesum abiisset, multa apud eos mala esse cæperant, quorum evellendorum causa hanc ad eos epistolam, si non tempore, otdine tamen primam Paulus scripsit. Deum caosaa memorat Ambrosiua ; ex quibua duæ primæ instituti nostri sunt, atque ad intelligendum tria prima capita epistolæ valdè necessariæ. *Prima hæc est*, scribit Ambrosius, *quod more hæreticorum dissentientes ab invicem, hominibus devoti, Paulians, & Petriani, & Apolloniaci dici nolebant*, &c. *Secunda hæc est, quia eloquentia delectari cæperant, & terrena Philosophia, ut sub nomine Christi iis imbuerentur, quæ contraria sunt fidei.* Neque mirandum est, in tot Oratorum, Philosophorumque frequentia hanc tantam, & nimiam eloquenriæ, humanæque sapientiæ opinionem eos hausisse ; indeque mox, quod conseqoena erat, divisiones, contentioneaque emersisse. Quarè Paulus tribus maximè primia capitibus totus est in humana sapientia; atque ex ea natia divisionibus ; & contentionibus omni orationia mole, & autoritate evertendis, conterendiaque.

Hoc scilicet decus est, & gloria veræ sapientiæ, quæ à Deo est, ut nulla sit in illa dissensionis, & contrarietatis, quia nihil falsum. Quamobrem delyrant hæretici, dum hoc ex loco divisionea sacrorum ordinum oppugnant, & quod alii Franciscani, Benedictini alii, & Augustiniani, &c. appellentur ; quia hæc, ut diximua, divisio non adversitatis est, sed diversitatis, & varietatia, quæ ad decorum magis, pulchritudinemque Ecclesiæ spectat ; nec à principio hia nominibus instituti sunt, sed Prædicatorum, Minorum, &c. & post, ut res clariùs intelligeretur, sano modo iis vocabulis utimur : sicut hæreticorum divisionibus cogentibus veri Christiani non Christiani solùm, sed prætereà etiam catholici vocati sumus, ut altero nomine ab infidelibus, altero

altero ab hæreticis differremus: quemadmodùm & ipsi nunc hæretici se jam protestantes, jam evangelicos appellant. In Sacrorum itaque ordinum divisione, seu distinctione nihil est, quod intentioni Pauli repugnet, quæ hortatur omnes id ipsum sapere; possumus enim omnes, quin sanctissimis institutis jubemur id ipsum sapere, & nosmet invicem tamquàm peculiariter fratres citra contentionem, pravamvè ullam æmulationem diligere, defendere, laudare. Quod item Paulus prohibet, in hominibus gloriari, & confidere, si quipiam in hoc excedimus, non instituti, sed nostra culpa est hæc, & abusus: atque siquid nimiæ suitatis in hoc quoque irresperet, judicabimur planè a Domino; & districtius forsitam, quam Corinthii ab Apostolo judicati sint. Divisiones autem Scholarum non hujus generis sunt, sed contrarietatis, & contraria sapientium, dissentientiumque; & pars alterutra semper falsa, & non Christi, & sub Christo, sicut divisio, & distinctio Religionum.

Quibus pro necessitate notatis (habemus enim censores plurimos; utinam laxatores similiter habuissent) Apostulus cap. 1. post laudatos bonos, *obsecra autem vos fratres*, inquit, *per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui sunt Chloes* (alii familiam, alii pagum Corinthi intelligunt) *quia contentiones sunt inter vos.*

Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo: ego vero Cepha; ego autem Christi. Jam absurditatem hujus divisionis, & schismatis persequitur, & dicit: *divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quòd neminem vestrum baptizavi nisi Crispum, & Caium, nequis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterum nescio, si quem alium baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed Evangelizare.* Atque his absurditate schismatum demonstrata, mox invehitur ad terrenam, humanamque sapientiam atterendam.

Utar potissimum Chrysostomo interprete, cujus laus est in exponendis epistolis Pauli, quem dignum, ut in Breviario legimus, existimant, cui Paulus Apostolus, quem mirificè coluit, scribenti, & prædicanti multa dictasse videatur. Alii igitur sacri interpretes supponunt, has ipsas in specie & individuo divisiones, quas Paulus proponit, apud Corinthios revera extitisse, quod alii Pauli, alii Apollo, & Cephæ; alii verò Christi se esse profiterentur, ac se esse dicerent. Videntur prætereà totam divisionis, contentionisque materiam, vel saltem maximam revocare ad baptismum, quasi in suis quisque baptizatoribus gloriarentur, & alii pluris facerent baptisma a Paulo suo primo prædicatore collatum; alii collatum a disertissimo Apollo; alii collatum a Petro Apostolorum Principe, id est, uno verbo præferret unusquisque suum; hæc quippè infanda suitas origo esse solet malorum.

At Chrysostomo visum est, has in specie divisiones non extitisse: *nam neque de Paulo, inquit, neque de Petro, neque de Apollo dicebat, sed ostendit, quod si in his non est sufistendum, longe minùs in aliis. Quod autem nihil de his dicerent, in sequentibus his verbis demonstrat: hæc autem* (inquit cap. 4.) *transfiguravi in me, & Apollo propter vos, ut in vobis dicatis, ne supra quam scriptum est sapere. Nam si Pauli, & Apollo,* &c.

Rursùs inferiùs idem Chrysostomus: qua autem ratione addidit: ego autem sum Christi? *Existimo autem, Paulum hoc ex se ipso ad eorum crimen augendum addidisse, ut ostenderet, Christum in partem unam datum, quamvis illi non sic facerent.* Credibile enim non videtur, christianæ professionis homines sic esse divisos, ut alii quidem se Cephæ, vel alterius esse dicerent, alii vero Christi: quod nec hæretici quidem faciunt, sed omnes sibi Christum usurpant. At ex omni contrarietate, & dissensione sequitur ista, quam Paulus refert, & exprobrat, Christi intentata divisio, ut dicemus. Prætereà, cum tam paucos Paulus baptizaverit, in populosissima urbe, vix nominãda venisset, si qua fuisset, ista Paulianorum, & in Paulo baptizatore se gloriantium factio, unius scilicet familiæ, & duorum aliorum. Transfigurata proindè ista sunt in Paulo, Cepha, & Apollo, ut argumentum hinc fieret à fortiori, & à majori ad minus: nam & Petrus, si quos baptizavit, paucos propter eamdem rationem baptizavit, quem quippè non misit Dominus baptizare, sed evangelizare; quia hoc difficile, & eximiæ virtutis, & doctrinæ est; illud verò facile, & cuique obvium, ut idem Chrysostomus prosequitur, & probat, confirmatque, ut dicemus, exemplo designationis aliorum, qui ministrarent mensis, ut ipsi ab his expediti prædicationi incumberent. Cum igitur tam pauci essent isti ab Apostolis baptizati; ut porrò notat Chrysostomus, *& ex eo verbo, unusquisque vestrum, non partem, sed universam Ecclesiam morbum populari significet*, concluditur, has divisiones, factionesque non in Paulo, Apollo, & Cepha, sed in aliis, quos non nominat, terrenæ sapientiæ Professoribus, quos & propterea conterit, inductas fuisse.

Sed vir, inquis, eos Paulus non nominavit? Respondeo, primùm ne quem in particulari carperet, offenderetvè. Deindè quia nihil interest, utrum hi sint, vel illi, ideoque argumenta universalia conficit, quibus non magis de his, aut illis, sed de omnibus concludat. Et postremò rem conclusit assumendo eos, qui post Christum quasi primi sunt, se, & Cepham. Si ergo neque in his est gloriandum; neque sub his inducenda divisio, & contentio, & schisma, quanto minus in aliis, & sub aliis. Prætermisit itaque Apostolus id, quod materiale est in hisce dissidiis, & in ipsum formale punctum divisionis, & contentionis invehitur.

§. V.

De quibus Corinthii dissiderent, & contenderent?

EAdem de causa materiam etiam divisionis, & contentionis prætermisisse videtur; certè ita visum est Chrysostomo exactissimo harum rerum tractatori; *contentiones*, inquit, *non enarrat de verbis propriis.* Profectò de baptismorum etiam differentia divisionem extitisse, ex eo videtur compertum, quod Paulus ait, *gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi &c.* si namque & de hoc non dissiderent, abs re Paulus id induceret. Quod porrò posteà etiam subjiciat, aut in nomine Pauli baptizati estis? Nihil probat dissensionem fuisse de baptismo, nam eodem modo statim subjungit, numquid Paulus crucifixus est pro vobis? & tamen nullæ erant de hoc dissensiones. Proponit

igitur, non Paulum, non alium, sed solum Christum pro redemptione nostra crucifixum esse, & neque in Pauli, neque in alterius, sed in Christi nomine baptizatos eos fuisse, eique nomen dedisse, neque addixisse; ut conclusionem illam eliceret, quo tota oratione dirigitur, *vos autem Christi, Christus verò Dei*, ut magis declarabimus.

Totus prætereà contextus Pauli probat, non solam de diversitate baptismorum, sed de aliis etiam doctrinis fuisse dissensiones, & contentiones: nam continenter longa oratione humanam sapientiam, ex qua divisiones obortæ sunt, conterit: *scriptum est enim*, inquit, *perdam sapientiam sapientium; & prudentiam prudentium reprobabo, ubi sapiens*, & cætera, quæ commemorate longum est, nam duobus primis capitibus vix aliud agit. At baptizandi exercitium, quod in necessitate feminæ etiam, atque infideles obeunt, res est nullius? pænè doctrinæ, vel sapientiæ. Si ergo de hoc solum fuissent contentiones abs re tanta ea disputatio contra humanam sapientiam, atque philosophiam subjuncta & intermixta fuisset. Ex confirmatur; quia hæc, in qua errabant, baptismatum differentia, magis sanctitati, quam sapientiæ, baptizantium tribuenda erat; at Paulus non de sanctitate, vel non sanctitate Ministrorum, sed de sapientia maximè, ac de sapientibus operosè disputat. Erant ergo aliæ ex his terrenis sapientibus inductæ doctrinarum divisiones, & schismata. Ubi obiter illud notaverim, mihi sanè illam devotionem, vel quidquid est, nequaquam placere, quo Magnates quidam, quasi hoc pacto tutior filiorum suorum vita futura sit, beatos, ut vocant, aliquos, vel beatos tamquam sanctiores deligunt, ut eos in baptismo suscipiant; & nescio quid diversitatis in baptismo comminiscuntur, aut sperant ex sanctitate patrinorum: quod absurdius planè videtur, quam in baptizantibus gloriari; qui principaliora instrumenta sunt, quam susceptores.

Deindè quia Paulus non in baptizatoribus sistit, sed ad Ministros sermonis, & prædicationis orationem suam deducit. *Quid igitur est Apollo*, inquit, cap. 3. *Quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique, sicut Dominus dedit.* Rursùs illa: *nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; ac iterum, *nemo itaque glorietur in hominibus.* Ecce causas perbibet, cur in Magistris, ac Prædicatoribus non sit gloriandum. In hoc igitur errabant Corinthii, atque de hoc sectæ, divisionesque erant, etsi, ut aiebat Chrysostomus, *contentiones non enarret de propriis verbis*: inquam, non enarret nunc in principio, ubi ipsum formale punctum divisionis, & contentionis improbat; nam posteà prodit quorundam eorum de resurrectione errorem; & erant etiam aliæ pravæ doctrinæ de matrimonio: ac propterea de his rebus per sequentia capita determinat.

Tres porrò causas Paulus memorat, quibus has divisiones, & schismata tollat. Prima illa est, quod doctrina Christianorum non sit res ingenii, & naturalis inventionis, sed simplicis fidei, & traditionis, aut proximæ, ac facilis inde consecutionis: ideò inquit cap. 2. *& ego cum venissem ad vos, fratres, veni, non in sublimitate sermonis, aut sapientia annuncians vobis testimonium Christi, non enim existimavi; me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum; & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis &c.* atque hoc genus alia ingeminat. Verè enim hoc unum benè serium, & corde recogitatum, Jesus Christus, & hic crucifixus, sufficeret Christiania ad rectè vivendum, & ut longe fugerent plurima de quibus multa consultant.

Hæc ergo prima causa est resecandarum divisionum, & non in hominibus. Sed in Deo gloriandi. Quamquàm enim ipsum etiam ingenium, ac naturalis ratio donum sit Dei, & quæ per eam vera assequimur, in ipsum sint referenda; est tamen in eo plurimum negotiationis, & ratiocinationis, & quasi propriæ industriæ, & inventionis: contra verò in iis, quæ autoritatis alienæ, & fidei, traditionisque sunt; atque hæc quidem aliena, illa magis nostra censemus; nam *quod intelligimus, debemus rationi, ait Augustinus* lib. de util. creden. cap. 10. *quod credimus, autoritati*: quæ aliena est; ratio autem nostra: & quod est dema, est etiam de Magistro meo; & quæ ille a se elaborata tradit, ipsi tribuimus; quæ ab alio tradita, & sibi concredita, non sua, sed aliena censemus; atque hæc in aliis causa est, cur naturalia nostra, supernaturalia non nostra, sed Dei simpliciter appellentur. Quia ergo vera sapientia, & doctrina christianorum est supernaturalis, & donum Dei, ut lib. seq. ostendemus, & ex hac epist. patet, hinc Paulus primam causam sumit in hominibus non gloriandi, divisionesque indè notas amputandi. Idcircò inquit: *quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.* Et iterùm cap. 4. *quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris; quasi non acceperis?* accepta est ergo vera sapientia, & Doctores quique aliud quam Ministri non sunt, annunciantes, quæ acceperunt: quemadmodùm legati, & missi, & sicut Apostoli; (& sic Hispani appellamus embiados, id est, missos, qui ad alios Principes Legatione particulari destinantur.) Quamvis igitur in humana sapientia, quæ ingenii, & negotiationis propriæ, inventionisque est, & ideò sæpè falsa, & semper insufficiens, liceret quodam modo in hominibus, Magistrisque gloriari, doctrinasque, & sectas dividere, in vera tamen sapientia haud magis ista licent, quam liceat Christum dividere; nam tota illa ab ipso, & sub ipso est, neque nisi ipso diviso dividi ea potest. Et certè quæ Paulus contra humanam sapientiam, naturalemque Philosophiæ inquisitionem, tanta oratione pro nobis quoque intonuit, benè scienda, ac humiliter, firmiterque profuturo cuique credenda sunt: verùm enim & nimis verum est, quod Augustinus eodem lib. cap. 10. advertit, cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt, imitandusque Doctor cap. 8. esset, *restabat autem in tantis periculis aliud nihil, quam ut divinam providentiam lachrymosis, & miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer.* O si multi occurrerent ita lachrymantes?

Ex hac prima causa oritur alia divisiones vitandi. Nam vera sapientia, & christianorum propria una est, in nullo sibi contraria, sed constans tota, veraque. Sapientiæ verò humanæ multæ, & sibi invicem contrariæ: quare his necessario inest divisio, schisma, & contentio; illi autem nulla: Et quoniam sapientia illa vel in conclusionibus, vel saltem in principiis sufficientissimè tota continetur in libro Dei, in Prophetis, in Evangelio, in Apostolis, & reliqua scriptura, qui statuunt, docere nisi ex eo libro secundum sensum

Ecclesiæ

Ecclesiæ sibi non licere, de fide, & moribus, concordare plerumque saltem solent, ut de sanctis Patribus, & librorum spiritualium Autoribus quæst. præc. explicatum est. E contra, ubi ingenio, & ratiocinio res committitur, divisiones, contentionesque prosiliunt; *hoc autem eis* (id est, Corinthiis) *contingebant, quod ratiocinio suo omnia committebant,* aiebat Chrysostomus: & ideò parvi prorsùs eos libros morales facimus, in quibus nulla, vel rara est mentio scripturarum, & ratiocinio cuncta potissimùm constant. Scimus tamen, atque alibi fusè tractavimus, scripturas etiam usurpando, sicut in hæreticis cernitur, superesse divisiones, contentionesque de religione, & moribus; At hoc non ex defectu scripturarum est, sed quia nostrum aliquid quæritur, atque ob alias causas lib. super. memoratas. Nobis certè hic obex sublatus est; nam librum Dei juxta sensum Ecclesiæ, & sanctorum intelligendo non est, ubi offendamus.

Tertia causa in hominibus non gloriandi, neque sub illis sectas, viasvè contrarias instituendi est exiguus valor, & momentum exterioris doctrinæ, nisi intus sit, qui doceat. Atque hinc Paulus vult nos derelictis hominibus ad Christum ducere: *ego plantavi, Apollo rigavit; & Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid,* &c.

Hæ tres causæ quasi a loco intrinseco ipsius sapientiæ, & ex propriis ductæ sunt, contra divisiones, & contentiones. Universalissima verò causa contra eas continetur in iis quæsitis, *divisus est Christus? numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Hæ nimirum interrogationes rei gravitatem, absurditatemque demonstrant.

§. VI.

Quæ ex his colligi videantur contra divisiones, & contentiones.

Illud in primis haud ignoramus, sed liberè confitemur, hoc ex loco hæreticorum maximè sectas, divisionesque oppugnari, ut Ambrosius, Anselmus, Thomas, & interpretea quique sacri animadvertunt; nosque ipsi, si in præsentia adversus hæreses ageremus, hinc promptè eas oppeteremus. Ex hoc porrò quod oscitanter quidam in multis dicere solent & respondere hoc, vel illud adversus hæreticos, & judæos dictum esse, quasi hoc dicto immunes ostenderent Christianos; ex hoc, inquam, non sequitur nostras etiam malas divisiones, & contrarietates, contentionesque non redargui: quemadmodùm ex his, quæ pro castitate scripta sunt, non solum extrema scelera sodomiam, bestialitatemvè, sed minora etiam improbantur. Hoc autem loco res est clarior; tum quia Paulus in ipsum formale pactum divisionis, schismatis, contentionisque in genere potissimum invehitur; quarè non modò quasi pessimæ species, sed etiam malæ quæque repelluntur; tum maximè, quod responsionem habere non videtur, Paulus non divisiones aliquas, & contentiones hæreticorum ab Ecclesia ejectorum, sed divisionem, schisma, & contentionem Corinthiorum fidelium, atque Corinthi consistentis Ecclesiæ redarguit. Possunt ergo ex hoc loco improbari divisiones, schismata, & contentiones doctrinales etiam Catholicorum.

De nominibus verò Principum scholarum, quamquam de nominibus quoque Paulus disserte locutus sit, nihil est mihi dicendum; quin hæc nominum diversitas, & distinctio, eo fermè modo defendi posse videtur, quo dictum est quæst. præc. de nomine Catholicorum, & de nominibus sacrorum ordinum; inductis enim semel divisionibus, nisi nomina diversa imposita fuissent, nosmet intelligere non possemus. Atque hoc integrum prorsùs, & illibatum aliis relinquo. Illud mihi indubitatum est, peccare nos graviter posse nimium in hominibus gloriando, & accipiendus est Apostolus præscribens, *nemo itaque glorietur in hominibus*; Hieronymus ad Nepotianum scribit: *memento quia in medio laqueorum ambulas*; verè enim inter laqueos ambulamus; nam *delicta quis intelligit?* & beatus vir, qui semper est pavidus, & cum timore, & tremore, ut jubet Apostolus, salutem suam operatur.

His itaque notatis, & cautis, videtur, divisiones doctrinarum contrariarum, quæ ex suitate antecedenti nascuntur, & contentiones ab Apostolo in præsenti graviter reprehendi: nam cap. 3. post contritam humanam sapientiam ad punctum divisionum, contentionumque rediens: *& ego, fratres,* inquit, *non potui,* inquit, *vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*: & paulo post: *adhuc enim Carnales estis. Cum enim sint inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, ego quidem sum Pauli, alius autem, ego sum Apollo, nonne homines estis?* Tu videris, utrum carnales, & secundum homines, & secundum carnem ambulant, Regnum Dei consequantur. Chrysostomus hic nos excitet: *quod si zelus,* ait, *carnales facit, jam tempus est, ut omnes majorem in modum ululemus, saccum induamus; perfundamur cinere*: & Augustinus in simili in Enchyridio c. 74. *ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.* Iterum itaque Paulus dicat: *cum enim sint inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis*: non ergo sanè secundum Deum ambulant.

Dicos, etiam eos, qui suitate consequenti dividunt in doctrina, & contendunt, comprehensos fore; quos tamen nos defendimus, & probamus. Verùm diximus jam, eos non propriè dividere, neque contendere sed veritatem magis, ut par est, defendere; ut dictum fuit; & nos semper exemplo veræ religionis, & fidei dirigimur; in qua certè qui veritatem tuentur, neque propriè dividunt, & contendunt in sensu Pauli, & laudandi sunt: neque Paulus, qui in præsentia tantus est pro veritate contra hos divisores, & contentiosos Corinthios sua ipse doctrina improbatur, & revincitur. Haud tamen negamus, etiam in veritate tuenda servandas esse circunstantias, *quis, quid, ubi,* &c. & peccare hinc posse.

Præterea jam divisionum antecedentium turpitudo constat ex illis Pauli interrogationibus, *divisus est Christus? numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* &c. Omnis enim in doctrina Christianorum divisio, & contrarietas Christum quasi dividit, sibique facit contrarium: non enim sicut Judæi, aut Mahometani nobis integrum relinquunt Christum, ita Christianorum dissidentium pars una alteri Christum relinquit, sed uniquique sibi eum usurpant, & sic in sensu Pauli Christum dividunt; quod tamquam turpissimum Paulus reprehendit.

Rursùs quia quavis divisione, & contrarietate scientiæ, & doctrinæ destruitur tota Pauli intentio, & scopus. Etenim principio illud sibi argu-

mentum

mentum præfixit, quo Corinthios dirigeret, *obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Et quoniam Corinthiorum divisione, & contentione hoc bonum unitatis destruitur, propterea eam divisionem, contentionemque damnat. Sed similiter omni divisione, & contrarietate scientiæ, & doctrinæ bonum illud destruitur, & scopo Pauli repugnatur. Ergo divisiones hæ, & contrarietates, contentionesque licere non possunt.

Denuò rediens Paulus cap. 3. ad eumdem scopum, & finem sic vult nos esse comparatos, & omnia nostra, doctrinas quoque esse ordinatas; *nemo itaque glorietur in hominibus; omnia enim vestra sunt sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, &c. omnia enim vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei.* Hic porrò ordo tollitur, ac invertitur suitate, divisioneque antecedenti, qua nostra facimus ea etiam, quæ Christi esse non possunt, ac proindè neque in Deum ultimo referri, & ordinari; assumuntur enim ex æquo, & nostra fiunt falsa; & vera; falsa autem ita referri, & ordinari non possunt; quin neque vera ipsa sub eo ordine assumuntur; non enim quia vera, sed quia nostra, facio ea mea, & defendo. Itaque de iis, qui ita dividunt, dici nequit, *omnia vestra sunt; vos autem Christi*; sed magis vestra vestra sunt; vos autem vestri; qui verò suus ita est, Christi non est, & ad eos pertinet, *qui quærunt, quæ sua sunt*; non ad charitatem, quæ non quærit, quæ sua sunt.

Unusquisque autem videat, concludit Apostolus, quomodò superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Fundamentum scilicet, in quo est superædificandum, planè non est natio nostra, gens nostra, familia nostra, aut nos, sed Christus Jesus indivisus, totus verus, & veritas, nec minus falsis quibusque repugnans, quam lux repugnet tenebris. Quicumque igitur suitatibus antecedentibus dividunt, huic debito ordini repugnant, & non superædificant, id est, super Christum lapidem, sed ædificant, & aliud fundamentum ponunt præter id, quod positum est, id est, vel se, vel suos, vel nationem suam, vel regnum.

Dices, hoc non fore saltem mortale; nam Apostolus in hoc ipso loco, disserte asserit, eum, qui super fundamentum hoc superædificat lignum, fænum, stipulam, salvum quidem fore, sic tamen quasi per ignem: ex quo Anselmus colligit, sermonem hic esse de Doctoribus, Magistrisque Catholicis. Ambrosius per lignum, fænum, & stipulam malas doctrinas intellexit, & Magistrum tamen salvandum & purgatum per ignem; sed de pænitenti est intelligendum; quod & Ambrosius ipse subindicat. Chrysostomus, & Augustinus in Enchyrid, & alias, & alii communius non de doctrinis, sed de peccatis venialibus locum intelligunt. Videtur tamen omnem leviter malam superædificationem sive in docendo, sive in operando comprehendendam cæterum doctrinæ, quæ saltem contra fidem, ac bonos mores sunt, aut vel ipsam scholasticam Theologiam oppugnant, minimè per lignum, fænum, & stipulam significantur; graviora enim ea sunt; quam tam levibus rebus significentur. Dicerem ergo, significari frivolas quasdam, inutiles, curiosas, & vanas doctrinas, in quibus multi occupantur: item excessum quemdam etiam vera docentium Theologorum, quo ad subtiliora, & curiosa, declinarent, & elementis mundi, & extera Philosophia nimium uterentur, nec christiana prorsùs christiane docesent. Si namque verbum otiosum est peccatum veniale, profectò & hæ alia sæpè erunt; imò etiam ad mortale transire poterunt saltem propter jacturam gravem temporis, & expensarum.

Maneat igitur constitutum, divisiones hasce, & schismata, zelum, & contentiones esse malas ex Apostolo, & Christianis interdicta. Quò autem materia erit gravior, eò illæ deteriores sunt; ac in primis illæ, quæ contra fidem induuntur; dein verò, quæ contra bonos mores. In scientiis quoque pro earum præstantia, & necessitate sunt illæ magis, vel minùs malæ. Scientiarum sanè omnium prima, ac facilè princeps est sacra Theologia: unde in ea dicto modo dividere omnium pessimum est. Deinde Medicina, quæ de vita, & sanitate hominis est, & jurisprudentia, quæ de bonis exterioribus hominum tractat, utra præstet, alii discutiant. In utraque sanè divisiones dictæ, & suitates graviter malæ sunt; & habuerunt quidem illas, & scholas contrarias Juristæ olim, sed dereliquerunt: quod demonstrat, posse etiam Theologos sine illis vivere. Utinam vellent.

Neque verò his occurritur bipede illa probabilitate, id est, amborum contrariorum, & contradictoriorum. Quin potius hac regula docendi admissa, totus Paulus evertitur, & contraria omnia sequuntur, ut de se satis clarum est, & quæst. præc. demùm ostendimus. Nec mirandum est, probabilitatem istam ubique scripturis Dei repugnare; nam ex diametro contraria est probabilitatis hujus, & scripturæ Dei indoles, & conditio; nam scriptura tota vera est, & de veris; illa verò pariter de veris, & falsis: scriptura ad unum; illa ad utrumlibet; scriptura ex omni contrarietate, & contradictione unam solam partem approbat, & alteram reprobat; ista autem probabilitas utramque amplectitur, & fovet, & aliud prorsùs fundamentum, præter id quod positum est, assumit; nam Jesus Christus veritas est: probabilitas ista non magis veritas est, quam falsitas: fundamentum ergo est, quod non magis Jesus Christus sit, quam contrarium.

§. VII.

Cuidam sæpè occurrenti gravissimæ objectioni, vel tentationi occurritur.

HÆc objectio, vel tentatio in toto nostro opere frequentissima est, & insurgit ex multitudine secus facientium, & facientium quidem ita sine scrupulo, & diximus multa quæst. 4. hoc libro. Tanta autem est vis hujus oppositionis, ut omnino cedendum esset, nisi ex bonis sanè libris sciremus, quod lib. 4. tractabo, ex vera doctrina morum illud necessario sequi, quamdiu homines mores non mutaverint, paucos certè salvari. Etenim visibilis ista multitudo secùs facientium sensibili quadam vi adeò mover unumquemque, ut vix vel probabilis quidem videatur iis, qui totam eam condemnat; atque hæc ipsa origo maxima fuit odii Judæorum adversus Salvatorem.

Armavit nos fortiter Augustinus psal. 35. contra istam objectionem. Describit ibi eos, qui dolosè quærunt iniquitatem; nam licet eam inveniant, & agnoscant, aliquid esse peccatum, ex

libris

libris irrefragabilibus Dei, tamen pergunt iniquitatem operando. Inventa enim iniquitate, qui eam dolose quærebat, *quid fili dicit?* inquit magnus Doctor. *Quam multi hoc faciunt? & quis hoc non facit? & numquid omnes perdituri est Deus?* Atque hoc medio omnia eludunt. Et hoc quidem medium assumitur, quasi his notis via vitæ, & via interitus in Evangelio nobis descripta fuisset, ut via vitæ multorum; paucorum verò via mortis esset. Sedde hoc lib. 4.

Idem Augustinus in Enchyr. ad Laurent. cap. 79. causam assignat, cur in quamplurimis ita fallamur; quia opinione nostra, & consuetudine, non autem ex scripturis Dei de bono, & malo judicamus; Quis enim, si Paulus tacuisset, de his Corinthiorum divisionibus, gloriationibus, zelo, & contentione tam durè opinatus fuisset. Et ego quidem ipse, quamquam semper veritatem amaverim, antequam tamen ex libris sanctis institutus fuissem, mea, vel nostra in his quærere venialε vix censuissem.

Inquit itaque Augustinus; *sunt autem quædam, quæ levissima putarentur, nisi in scripturis monstrarentur opinione graviora. Quis enim dicenti fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? &c. Aut quis existimaret, quam magnum peccatum sit dies observare, menses, & annos, & tempora. Sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.*

Hinc accidit, quòd peccata quamvis magna, & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse credantur usque adeò, ut non solùm non occultanda, verùm etiam jam prædicanda, ac diffamanda videantur. Atque hoc quidem est, quod superius ex Cypriano retulimus dicente: *consensere jura peccatis, & capit esse licitum, quod publicum est*; nimirùm quod etiam supra notavimus, si vulgaris probabilitas, id est, unius, vel quatuor hominum judicium, & opinio salvat, planè consuetudo, quæ plurimorum est, & vel civitatis, vel regni totius existimantis aliqua aut parva, aut nulla esse peccata, probabilitate ista vulgari, major est, & a fortiori salvabit. Bellant ergo jam semel, quod scriptum est, *ego sum via, & veritas*, & reponant consuetudinem operantium saltem sine scrupulo esse viam, regulamque vivendi.

Subjicit mox alia Augustinus, inter quæ de Sodomitis ait, *quia non solùm jam apud eos non putabuntur illa flagitia, verùm etiam publicè velut lege frequentabantur.* Horrebunt ad hæc quidam, qui non putant, alios ignorare posse, quod ipsi non ignorant, neque carere scrupulo; & interea ipsi inter fideles ipsos admittunt, qui sine peccato se fe polluerint. Sed nobis pluris est unus Augustinus; & superius Chrysostomus bonus etiam ipse Doctor contestabatur, Solonis lege ingenuis, & liberis usum masculorum concessum fuisse, servis verò prohibitum, velut sanctius aliquid, quam quod personam servorum deceret. Sed si vera sint Augustini, Chrysostomi quæ testimonia; jam adversarii, ex quo peccata ignorantiæ sustulerunt, dicent consequenter ad sua ipsis indubitata principia, quod voluntas, & operatio conformis rationi erranti sit bona, Sodomitas illos, & Solonitas rectè operatos fuisse.

Verùm hæc forsitan ita olim; modò verò nihil hujusmodi. Sed Augustinus prosequatur. *Sic*, inquit, *nostris temporibus ita multa mala, & si non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed neque clericos degradare. Unde cum exponerem ante aliquos annos epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus, timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis, exclamare compulsus sum, væ peccatis hominum quæ sola insitata exhorrescimus*, &c. *Atque utinam, ô Domine, non omnia, quæ non poterimus prohibere, faciamus!* Sed quoniam per ignorantiam hæc talia excusare promptum est, occurrit continenter S. Doctor capitali, & per necessario de ignorantiis principio dicens: *hoc nunc dicam, quod quidem & in aliis opusculorum meorum locis sæpè jam dixi. Duabus ex causis peccamus, aut non videndo, quod facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantia malum est; hoc infirmitatis.* Ut scilicet hoc pacto magnus Theologus tueatur, gravia ea esse, quæ opiniona nostra, inconsultis scripturis levissima putantur; item magna, & horrenda, quæ cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse credantur; scelestissima demùm, quæ Sodomitæ, & Gomorræi non putantes, ea esse flagitia, publicè velut lege frequentabant. Quo circa videri etiam ea possunt, quæ in commentariis Epist. ad Galat. post medium exhibet: inter quæ ait: *& tamen, si deprehenditur quisquam, vel cathecumenus Judaico ritu Sabbatum observans, tumultuatur Ecclesia. Nunc autem innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt* (quod gentilium esse, sicut illud Judaicum jam observaverat) *diem post calendas non proficiscor. Et vix lenitè ista prohibemus arridentes, ne irascantur*, & timentes, *ne quasi aliquid novum mirentur.* Væ peccatis hominum, qui sola inusitata exhorrescimus.

Ecce quales esse solent opiniones nostræ, quæ inconsultis scripturis excogitantur, quandò maximè res in consuetudinem devenere. Sic ergo & in his doctrinarum stultitatibus, divisionibus, sectionibusque, ac indè natis diris contentionibus opinione nostra existimari potuit levissimum in eo, vel nullum esse peccatum; atque forsitam ita fideles quoque Corinthii arbitrabantur, præsertim quandò consuetudo, consensusque multorum timorem omnem scrupulumque abigit. At sicut in observatione dierum, quod levissimum, vel nihil a multis existimatur, consulto Apostolo mali magnitudo innotescit, ita in stultitatibus, sectionibusque prædictis Apostolus ipse ad magnam nos considerationem cogere sanè videtur: neque solutio est esse multitudo ita facientium dicendo, quam multi hoc faciunt? & quia non facit?

Sed inquis; non quilibet multi, sed multi etiam sapientes, prudentesque ita faciunt. Cæterùm quod alias etiam notamus, quidam valdè ad manum, & obvios, frequentesque habent obique sapientes, & prudentes, cum, ut diximus, illis inventis nihil jam superfit disputandum; nam ratio omnis, & jus clamat, sapientibus, ac prudentibus esse plaoà credendum; & hoc opus, hic labor est, sapientes hosce, & prudentes invenire: in quo nobis duo sunt evidentissima; alterum nisi inventa veritate, sapientem non inveniri, & invento sapiente, inventam jam esse veritatem; isti autem homines volunt, veritatem inveniri non posse; sapientes verò gregatim ubiqua adesse. Alterum est,

est, ex dissentientibus inter se alterutros saltem, in quo dissentiunt non esse sapientes; & ex dissentientibus plerumque inter se alterutros saltem non esse simpliciter sapientes, qui scilicet, quod sapientium non est plerumque falluntur,&errane.

Nescio quam similem responsionem a Corinthiis afferendam Paulus supposuit: quam proindè evertit dicendo nomine Dei. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba?* id est, *in lege peritus*. Errant ergo, & sunt, qui a mundo sapientes, prudentesque habeantur; quorum tamen sapientiam Dominus disperdet, prudentiamque reprobabit, quique coram Deo, & verè sapientes non sint, neque prudentes. Ostendant ergo, hos,quos passim obloquuntur, sapientes, & prudentes non esse ejusmodi, sed Deo probata sapientia, prudentiaque eos vigere; & hoc uno ostenso, conclamatum erit adversum nos. At nobis compertissimum est, prorsùs nullum, qui addendo, vel detrahendo. Deo, legique ejus re vera contraria docet, in quo ita docet, sapientem, prudentemque esse, quin talem omnem sapientiam,ac prudentiam perdendam demùm esse, atque reprobandam. Quid ergo quasi plenis plaustris sapientes, & prudentes passim advertant. Hi profectò homines sapientem,& sapientiam rem putant abjectissimam, quæ in trivio quoque pateat, quasi perindè sit scire latine loqui,& sapientem esse. Tullius olim sæpius mulam, quod portenti loco habebatur, peperisse, quam sapientem inveniri arbitrabatur; & Bernardus cap.42. bonos consultores quærens,dicere compulsus est, *væ nostro generi ab imperfectione sua; vix in multitudine hominum unum reperio utraque gratia consummatum*, id est, debita ad rectè consulendum benevolentia, & sapientia. Ea deindè mala magna, & horrenda, quæ cum in consuetudinem venerint, ut Augustinus tradit, parva, aut nulla esse creduntur, doctis ita vocatis, ac prudentibus hujusmodi vel omnibus, vel plurimis consentientibus induci solent; fieri enim nequit, vel in civitate,vel in regno,res ejusmodi in consuetudinem abire, & parva, aut nulla esse universaliter credi, nisi hi qui docti, prudentesque censentur, & sapientiam profitentur, annuant.

QUÆSTIO XIII.

Utrum ergo data doctrina obstet erectio cathedrarum contrariarum in Academiis, & alia similia.

Duplici quæstione præcedenti disputavimus contra suitates, & divisiones antecedentes doctrinarum; & ne disputatio implexior redderetur, prætermisimus multa, quæ doctrinæ nostræ obesse videbantur: atque hæc modò expedienda sunt.

§. I.

Ex erectione Cathedrarum dissentientium,atque similibus, multipliciter arguitur contra doctrinam superiorem.

Primò itaque arguitur ex cathedrarum doctrinæ contrariæ erectione in Academiis publicis, & universitatibus, neque enim sicut plurimas consuetudines horum, & illorum, & etiam Regnorum damnamus, quoties legi Dei contrariantur; ita licet hanc cathedrarum erectionem, & institutionem condemnare, aut legi Dei contrariam pronunciare; siquidem non ab his, & illis,sicut aliæ consuetudines inducuntur,sed a Regibus, Regnisque, re maturè considerata, pro bono publico Academiæ fundatæ sunt; & quod maximum est,ac dubitationem hoc circa omnem tollit. Ecclesia ipsa, & Romani Pontifices in bonum Ecclesiæ Academias erexerunt, atque ab aliis erectas magnis privilegiis cumularunt.Bona ergo est ista erectio, & institutio Academiarum: Illæ porrò, quoad facultatem Theologicam attinet,claudit istam divisionem cathedrarum doctrinæ etiam contrariæ Magistri sententiarum, S. Thomæ, scoti, Durandi; neque minori forsitam, quam Durando, jure Ochamo quoque Nominalium Principi,& aliis cathedræ designari potuere; quin de ratione universitatis videtur esse hæc universalitas doctrinarum.

Hinc arguitur. Regna, & Ecclesia has cathedras erigendo,earum doctrinas fecere suas; at non suitate consequenti, quæ scilicet veritatem consequitur; in contrariis autem simul doctrinis non est veritas, ut patet: fecerunt ergo eas suas suitate antecedendi: hæc ergo licita est. Eodem similiter modo diviserunt, hancque doctrinarum contrariarum,ac proindè alterutrarum falsarum divisionem probarunt,utilemque in bonum publicum existimarunt; magnisque etiam stipendiis promoverunt: ac per hoc voluerunt, ut hi quidem hujus scholæ, & Doctoris; alii contrariæ scholæ, Doctorisque essent. Cessant ergo,quæ diximus; & Paulus vel oscitatus est, vel prorsùs aliter est exponendus. Et confirmatur; quia peccane, ut diximus, atque ad stipendiorum quoque restitutionem obligantur Rectores Cathedrarum, qui propriam suæ cathedræ,& Autoris doctrinam non conferunt, & in Durando Durandum prætereunt; in scoto nihil minus,quam scotum perhibent; & sic in d.Thoma,& in scriptura: sicut si qui cathedram voluminis regit, Decretum interpretaretur: quod quidem,quia consuetum non est, valdè ridiculum videretur; apud nos autem risus cessat non ob aliud,quamquia consuetum est.Ergo obligatio est contrarias doctrinas docendi, & conferendi. At malum esse nequit id, ad quod per se, & non ex conscientia erronea obligamur. Ergo hæc doctrinarum contrariarum,ac alterutrarum falsarum usurpatio, lectio, & defensio, suitasque mala non est; neque consequenter indè nata divisio,& contentio, zelusque. Ex quo proindè videtur dicendum,quod multi dicere solent, has scilicet dissensiones solùm intellectuales,& vocales; atque divisiones, contentionesq; peccata non esse,quando sine præjudicio charitatis, hoc est,dilectionis Dei, ac proximi exercentur; non enim est, ad quam speciem peccati seorsim ab eo revocentur.

Secundò arguitur; quia alii voto, vel constitutione obligantur ad tuendam doctrinam unius scholæ, & Doctoris; alii verò ad contrariam: sed videntur damnari,ac improbari nequaquam posse obligationes istæ: illis autem unicuique faciunt suas doctrinas contrarias. Ergo licet,quod hi, & illi suasfaciant doctrinas contrarias,ac eodem modo dividant, ac se se addicant Doctoribus inter se dissentientibus. Hæc porrò fieri nequeunt suitate, & divisione consequenti; quæ locum non habene in falsis: in contrariis verò alterutra saltem falsa esse, necesse est, & notorium.

Tertiò, quia ex contrario sequitur, quod unusquisque liber, solutuaque maneat ad opinandum modo suo; ex quo fiet,ut tot, ut aiunt, sint fermè in singulis sententiæ, & Theologiæ, quot capita, & Magistri. Hinc rursus fiet, ut pro dissensione, contentioneque tollenda, omnia dissensione, contentio-

tentioneque impleamus; nam concessa divisione antecedenti doctrinarum solùm una schola, & quasi familia ab alia differentit, & cum illa contendit; singulæ verò scholæ, & familiæ idem sapient, & dicent; quod ad pacem, charitatemque valdè juvat: at negant illa divisione, & ad unam doctrinam obligatione, unusquisque à suis, & alienis differentiet; & divisiones, contentionesque in immensum multiplicabuntur. Ergo sanctius est, eam antecedentem suitatem doctrinarum, ac divisionem concedere, singulosque unius saltem familiæ ad certam, & determinatam doctrinam, Authoremque obligare. Et quemadmodùm diversorum regularium ordinum diversa, & contraria est regula, & alii à carnalibus abstineut, alii non abstinent, & sic in aliis; omnium tamen unius ordinis una est regula; ita de doctrinis quoque videtur constituendum. Undè ea omnia probanda venient, quæ plus minùs in consuetudine sunt, & una consuetudo erit regula Academiarum. Et quod mihi monstrum ingens semper visum est, & à rationali homine alienum, poterit etiam unusquisque eorum, quibus nulla determinata schola præscripta est, eam suam facere, quæ è re sua magis erit ad obtinendas, vel cathedras, vel Episcopatus; & eam etiam commutare, quandò doctrina contraria magis juverit.

Hæc omnia confirmabunt Probabilistæ suo vulgarissimo proloquio de Sapientibus, & Prudentibus. Nam inquiunt honestè unumquemque sapienti cuique, & prudenti credere, eumque sequi. Inquient verò rursùs, citra infipientiam negari non posse, unumquemque scholæ saltem unius principem esse sapientem, & prudentem; qui scilicet inter minoris etiam notæ homines tam obvios, frequentesque habent, & ponunt sapientes, & prudentes. Ergo scholæ cujusque Principem honestè, sanctèque semper, inculcabuntque Probabilistæ; sed ut millies dictum est, ne toties tractatum infrà denuò retractemus. Scientiæ respondebont, neque scholæ Principes, neque Angelos si contingeret, ubi sibi contradicunt, aut contrariantur, esse in eo utrosque simul sapientes, & prudentes; & qui frequenter, ac communiter ita dissident, non esse simpliciter simul utrosque sapientes, prudentesve: quod non opinione, sed palmari demonstratione constat ut sæpè ostendimus. Relinquant ergo suas admirationes, & vel Logicæ rudimenta, vel Metaphysicam, vel Theologiam cumulant, & invenient, de contrariis & contradictoriis simul non esse scientiam, sapientiam, prudentiam, nec simile quidpiam. Quid verò in concursu Principis cum Principe faciendum sit, tractavimus partem prima n nam sic ædem regulæ sunt de Princípe, & Principe, & de vulgari, & vulgari, & de centum, & centum; & si sit æqualitas, res manet propriissimè dubia; si alter præcellit hic est sectandus. In æqualitate scilicet, ut fusè tractavi, nulla est credibilitas; nam est sicut nullitas; quemadmodum eodem modo manent, qui nihil debens nihil solvit, & qui centum debens solvit centum; & est casus capitalis *affirre*: & nemo cordatus nisi in causis privilegiatis ex habentibus æqualia jura alterum judicio suo præfert, & probat; ac alterum reprobat, damnatque; & unum bonum dicit, alterum malum; hoc verum, illud falsum.

His itaque nunc omissis, arguitur postremò adversus superiorem doctrinam ex aliquorum inconsideratione; aiunt enim, omnia; quæ in scholis peraguntur, esse exercitationis gratia, utque operosa illa disputatione, & contentione ingenia excolantur, acuantutque, & reddantur habilia ad alia. Licet ergo ea tota contrarietas, suitas divisio, & contentio, quæ scilicet dictam exercitationem finem habent, & maximè eam juvant.

§. II.

Academiarum momentum, & pericula præmittuntur.

Procul Academiarum, momentumque ab ea; quæ modò dicebatur, exercitatione, quasi in istam tamquam in finem illæ referantur, quæ potius matrices sapientiæ sunt, hujusque causæ fundatæ. Illæ enim sunt, quæ jura demùm dant populis: & sensa sua per universum Regni corpus dirivant; neque fieri potest, ut Academiis rectè sapientibus desipiant, reliquæ partes, quæ illarum pondere compescuntur, & si incipiant, opprimuntur. Non opus est longiori oratione pro re clarissima persuadenda utamur; stetisset unum Oxonium, & Anglia collapsa non fuisset: & si Doctores boni singuli lux sunt mundi, ac sal etiam terræ, integra Academia rectè sibi constans instar cujusdam integræ diei universam Ecclesiam copiosissimè illuminat; conditque: contra verò, si illa infatuaretur, facile dictu non est, quanta, indè mala refluant, quæ sensim involvant demùm omnes. Adeò quisquis seriò, veraciter, & tamquam rationem Deo redditurus, in earum bonum, cujus causa fundatæ sunt, operam suam diligenter navaret, vix in republica præmia ulla sunt, quæ non mereatur, & à Deo tandem copiosè renumerabitur; quisquis contra, cum ex officio teneatur, non juvaret, sed potius impediret, & tamquam nugas res adeò grandes tractaret, & deterior esset, quam si vineas demoliretur, aut urbes etiam soccenderet, ut ex dictis accipitur.

At ex corrupta nostra natura difficile est, particularique, proindè indigens virtute, quod quis à verò Academiarum fine in alium, vel etiam in contrarium non declinet. Præmisimus quæstione decima quæ clemens de scholis Gentium memoravit; quæ certè in scholis Christianorum, magis essent absurda. Augustinus quoque epist 112. cap. 12. cavit; *si tamen de hac re disputantes illis vitiis carere possumus, quæ plerumque studiis humanis & concertationibus excitantur, dum supra quam scriptum est, unus pro altero insletur adversus alterum ne dum altercando quærimus investigare, quomodò possit videri Deus, ipsam pacem, sanctificationemque perdamus.* Non nugas, sed tantas res istas esse existimarunt Sancti Dei. Et liber secundus soliloq. capite septimo, *tum enim*, inquit, *nec quæri melius veritas possit*,

quem interrogando, & respondendo, & vix quisquam invenitur, quem non pudeat convinci disputantem, eoque penè semper evenias, ut rem benè inductam ad dissentiendum inconditus pervicacia clamor explodat, etiam cum laceratione animorum, plerùmque occulta, interdum & aperta, pacatissimè, ut opinor, & commodissimè placuit, ut à me ipso interrogarem, mihique respondemem, Deo adjuvante, verum quærerem. Veritatis scilicet causa sunt demùm studia omnia.

Propter hæc, quæ Augustinus notat, vel paucorum, vel multorum in Academiis vitia Academias ipsas execratus est Lutherus, nec aliud quam lupanaria existimavit; satisque pridem mala illa deploraverat Guillelmus Parisiensis. Eadem etiam consecutione Sacerdotum Cælibatum, virginitatemque blasphemavit, nec res ipsas à Professorum earum vitiis distinguere scivit. Quâ sanè philosophandi ratione omnia fermè, quæ in mundo sunt, bellum, & pacem; Reges, & Respublicas; judicia, mercaturam, ac cætera abolere potuisset stolidè ferox homo, qui probabat, & insequebatur. Sed quod summum est, eadem consequentia legem ipsam christianam comburere potuit; quam scilicet pauciores servant, & pleique prosternunt, humilitatis, fraternæ dilectionis offensas corde remittendi, non thesaurandi super terram aliasque hoc genus leges sanctissimas: has enim pauciores integrè prosequuntur; qua de causa adversarii Christi legem ejus dixerunt esse idealem, ac minimè practicabilem, atque instar id earum Platonis. Sed inquis; sustulir & hæc cuncta Lutherus, & sola fide cuncta confecit. Verum denuò, & fidem per consequentiam abjurare debuisset; nam primùm plerique in mundo homines eam prætereunt; & deindè ex Professoribus ipsis quam plurimi à viva illa fide promissionum, quam ille requisivit, longè deficiunt. Supererat ergo, ut homines, ut mundum deleret; quod profectò fecisset insanus homo si potuisset.

Oportet itaque Professorum rerum vitia à rebus ipsis distinguere, neque res ipsas damnare, neque vitia approbare. Manichæi propter concupiscentiæ, naturæque per peccatum corruptæ vitia alia naturam ipsam improbarunt, & Deo bono Authore indignam censuerunt. Pelagiani, ut nos vitarent, naturam, ac ejus etiam vitia approbarunt, nec vitia, corruptionemque esse voluerunt. Sic & Lutherus in Manichæorum extremum deflectens propter vitia Professorum Academias ipsas execratus est. Quid tamen secutum? illud scilicet, quod apud suos perindè, atque apud nos colantur Academiæ, nisi quod olim Catholicæ illæ, modò autem hæreticæ, atque cathedræ pestilentiæ. Nobis portò pro Academiis argumentum concludens est approbatio Ecclesiæ Catholicæ. Cavendum tamen est, ne ad instar Pelagianorum, ut Academias ipsas probemus, accidentia eis vitia tamquam bona tueamur.

Neque moveri debemus, si fortè, qua par esset integritate, eos multi non colerent, neque si pauci ad finem intentum pervenirent. Ad rem inter alia Augustinus liber de utilitate credendi caput septimum *non ne*, inquit, *videmus, quam pauci summam eloquentiam consequantur, cum per totum orbem Rhetorum schola adolescentium gregibus perstrepant? numquid eum imperitorum perterreat multitudine, quicumque boni Oratores evadere volunt, Caulis sibi potius, aut erue rationibus, quam Iulianis navandam* [illegible] *existimant? Hac appetunt omnes, qua majorum authoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turba discere moliuntur, qua à paucis nobis discenda recepta sunt Assequuntur autem perpauci; agunt pauciores, clarescunt paucissimi. Quid si tale quiddam est vera Religio?* Abite jam boni Probabilistæ, qui catervas etiam vestrorum sapientium in trivio quoque invenitis, sed quibus, ut ipsarum volumina testantur, nullus fit, vel rarus usus librorum Dei, raris Sanctorum, vel Conciliorum, & apud quos nec Vel scholarum Principes ipsos aut Philosophiam saltem moralem Philosophorum reperias, neque Paulum, neque Aristotelem, Fateor equidem, quid ista sua sapientia sit, non assequor.

Sed ad nos. Non itaque quia vel Academiis, vel concertationibus vitia illa ab Augustino memorata, aut alia accidunt, propterea vel Academiæ, vel concertationes improbandæ sunt; nam ut alio ejusdem etiam Augustini exemplo rem præterea exponam, donatistis propter Episcoporum vitia cathedras ipsas Ecclesiæ reprehendentibus, inter alia Doctor divinus respondit: *quarè appellas cathedram pestilentia cathedram Apostolicam? si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere. Numquid Dominus noster Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait, dicunt, & non faciunt, Cathedra, in qua sedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam cathedram Moysi commendavit, & illos servato cathedræ honore redarguit?* lib. 2. contra lit. Petil. cap. 51. exulavit, inquis Luthere, ab Academiis verbum Dei, & loco ejus ancillæ, & meretrices, ac vanitates inductæ sunt: & Academias ipsas evertis. Num quia & ab hominibus, ut non negas, exulavit verbum Dei homines etiam ipsos occidemus, & à mundo delebimus? quid; inquis, loquacium loquacissimo? Homines, inquit, servandi sunt, sed vita evertenda, vel eò saltem navanda opera. Atque hoc idem de Academiis, multisque rebus aliis. Si considerare voluisses, haud ita debachatus fuisses. Cathedris itaque, & Academiis suus honor servandus est, & si quæ fuerit labes, non eis, sed Professoribus, ut statibus cæteris Ecclesiæ, illæ disputandæ sunt; & quò Academiarum majus est momentum, eò studiosius curandum est, ut maculis quibusque abstergantur, & illud in eis agatur cujus causâ tantis expensis, privilegiisque erectæ sunt.

§. III.

§. III.

Quis ergo sit finis cathedrarum contrariarum in Academiis?

NOn de finibus particularibus cathedras istas habentium, ac regentium tracto, sed de fine, & scopo institutionis, & Reipublicæ, & Ecclesiæ, hoc est, non de fine, ut operantis, sed operis ipsius. Et certè bono aliquo fine, ac in bonum ipsius Reipublicæ, & Ecclesiæ eas fundatas, erectasque fuisse tamquam certissimum præscribendum est.

Hinc prima conclusio negativa sit, eas sanè fundatas, erectasque non esse adversus ipsam sapientiam, & ut sermonem ad nostra, id est, Theologica contrahamus, cathedras illas institutas non esse contra ipsam Theologiam; quæ certè post eam, quam in schola cordis Dominus intus docet, est prima scientiarum, ac sapientia Christianorum; cui jurisprudentia, medicina, mathematica, ac cæteræ artes non magis comparari possunt, quam res sæculi rebus æternis, ad quas Theologia refertur.

Sequitur; ergo finis non fuit, ut sapientia, & Theologia compatari non posset, neque ut his contrarietatibus, dissidiisque, & meo, & tuo fieret ejus acquisitio difficilior. Quod autem de sapientia, & Theologia dicimus de veritate etiam necessariò sequitur; sine qua scilicet sapientia, & Theologia non constat & falsis quibusque etiam probabilibus non consequitur: sed destruitur. Eodem modo sequitur, & convertibilia sunt hæc cuncta, finem non fuisse, ut falsi nominis scientia, & Theologia compararetur, quæ quippè Theologia videretur, sed non esset, mundumque falso nomine falleret; ac veram Theologiam, id est, Theologiam, ipsam everteret: quæ omnia sophistica sunt, quo pertinent falsa omnia probabilia etiam acutissima, & subtilissima, ac magno ingenio excogitata, quam etiam à maxima multitudine, ac schola integra defenderetur, ut sæpè ostensum est.

Dicendum est igitur, finem esse, ut Theologia ipsa & comparetur, & faciliùs, meliusque comparetur, quod est tunc multipliciter declarandum: atque alii modos alios, qui nos latuere, prosequi, conferreque poterunt.

Primò itaque conferunt in eum finem cathedræ contrariæ: quia in permultis contrariæ non sunt, sed easdem veritates diversis modis, argumentisque, statuunt, ac promovent: quemadmodùm, ut dictum est, diversi sacri regularium ordines, ac diversi libri spirituales eosdem fines diversis modis, mediisque prosequuntur atque Ecclesiam etiam, ornant, sicut cælum ornant ordines Angelorum.

Secundò quia in quibus etiam cathedræ, non pro tuenda, stabiliendaque contrarietate, & contentione, ac prava suitate cathedræ ipsæ institutæ sunt, sed magis pro veritate, sapientiaque. Ponit scilicet Respublica, vel Ecclesia, obvias, & publicas, & quasi in conspectu doctrinas has omnes, ut auditis, intellectisque omnibus facilius, atque brevius meliores eligere, nostrasque facere valeamus,

Tertiò hinc; quia proverbium est Philosophi experientia quotidiana comprobatum, quod ad pauca respiciens facilè fallitur. Sicut in judiciis, si una solùm pars audiretur, & contraria præteriretur: quemadmodùm qui in pagis educantur, nec aliud viderunt; indè omnia mensurant, conceptusque ridiculos formant. Sic in professione Theologiæ aliqui sive pauci, sive multi aliud vix vident nisi domestica, & quæ suæ ætatis, vel domus, neque eo studio tabescunt, ut veritatem, & sapientiam ab origine indagent; & contraria, sicut sua, & vetera, sicut nova cognoscant: atque hæc radix esse solet fortissimarum suitatum, deceptionum, & contentionum sine fine.

Huic tanto erroris periculo occursum est erectione cathedrarum, & universitatum, in quibus formosiorum Doctorum, ac scholarum Principum placita publica fiant; ac veteres nobiliores saltem doctrinæ sine labore audiantur: nam aliis libri, aliis commentatores, voluptas aliis, & omnibus fermè tempus defuisset ad hæc omnia per se ipsos in suis domibus perscrutanda, & peragenda, quo toto fine; & bonum publicum, & singulos defraudant, cathedrarum rectores, qui proprias singularum doctrinas non colunt, neque conferunt, sed quasi casu cathedræ erectæ fuissent, omnia alia agunt, & si cathedrarum sola nomina supersunt.

Hinc quasi in immensum excellunt, & præcellunt studia publica universalia, universitatesque studiis aliis privatis, in quibus unius solùm familiæ, vel scholæ scita percolantur, nisi Professorum labore ingenti doctrinarum inopia suppleatur. Educationis gravitatem, serietatemque non memoro; nam vidimus præter universitates educatos quosdam totos lubricos, qui nihil inter scholæ majestatem, & theatri nugas, ludosque distinguant. De doctrina nobis causa est: & in primis, ut dicebam, in universitate doctrinæ omnes patent, & jam unius, jam contrariæ partis placita per seriem evolvuntur, & propugnantur; ubi quamvis nolis, contraria etiam fundamenta cognoscis, videsque doctrinam aliquam non adeò fundamenti esse destitutam, neque everti tam facile, quam domi existimaveras: Et certè exiguo labore, brevique proficere quis potest plurimùm, si non corpore solo, sed mente etiam, animoque intersit & in Academiis quod agendum est agatur. Ad istam igitur doctrinarũ omnium universaliorẽ cognitionem, & copiam, atq; instar illas delectum faciendum, & sic errandum minùs cathedræ multiplices, & contrarię etiam erectę, ac institutę sunt.

Est quartò bonum aliud in hac scholarum contrariarum concursu & simultate; nam unusquisq; cautiùs, circumspectiùsque dicit, & pronunciat, ubi adest vel contrarius, vel censor. Audivi quem in studiis quibusdam non universalibus dicentem, damnatos esse metaphysicè necessitatos ad peccandum, & tamen eos peccare; item resurrectionem mortuorum esse quoad substantiam naturalem; & tamen nemo commotus est; quæ si cuipiam in Academia Salmaticensi longè gravissima, vel simili alia excidcrent, schola mox, opinor universa perstreperet, ut vidi olim, excidisse cuidam, nos sine privilegio extraordinario gratiæ esse metaphysica necessitatos ad peccata venialia; quem tamen citò dicti pœnituit.

Quintò superest in hac contrarietate scholarum, & cathedrarum magna alia utilitas, & momentum, in quo tamen toto opere quoad unam ejus

partem Sancta Ecclesia, & Respublica solùm se habeat permissivè. Hæc utilitas ea fermè ipsa est, propter quam Deus peccatores justis permixtos in mundo permittit juxta illud *necesse est, ut veniant scandala*, ut scilicet boni, inquit Augustinus, per malos exerceantur; *verum tamen væ homini illi, per quem scandalum venit*. Sic etiam, sicut scriptum est, *oportet & hæreses esse* propter multiplex bonum indè à Deo collectum. Illud porrò unum est, quandò sancti Patres, Theologique annotarunt, & experientia confirmavit, quod hac occasione veritatis defensores à somnio excitantur, & veritatem ipsam, quam, imperfectius noverant, novis modis, perfectiusque communiunt, & ab oppositionibus vendicant; & sic videmus, hæresum sæculis præstantiores Doctores floruisse; tunc scilicet causa cogente scripturas Dei, sacra Consilia, Sanctosque Patres, ex quibus sapientia Christiana haurienda est, diligentius perscrutantur, quæ sæpè omnia in pace præteriri solent, ut superiùs Bernardus ponderabat, *ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara priùs in nece martyrum; amarior post in conflictu hereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum*. Est enim homo pigrum animal ad spiritualia, ex quo per peccatum ad terrena detortus est, & calcaribus instar equorum opus habet; jumentis scilicet comparati sumus, & similes facti sumus illis. Procul certè absunt falsa scholarum à falsis hæreticorum; nec tamen ideò falsa esse desinunt. Horum ergo defensores excitent bonos Doctores, ac veritatis Assertores, & ad majorem laborem, studiumque cogunt, ac veritatem, & sapientiam etiam magis illustrant. Est tamen, ut dixi, ut conflictatione ista quoad partem ejus falsam Ecclesia causa dumtaxat permissiva; quæ scilicet nulla falsa etiam minima probare fovereve potest. Omitto alia etiam bona, quæ ex hac contrarietate capiuntur, ut est illud, quod productis etiam exemplis exponi posset, quod schola una in unum nimis extremum declinare posset, & ab alia contraria in contrarium fortè extremum deflectente detinetur, & hæc vicissim ab illa, ne in alterutrum ex toto corruatur.

Sed dicis; ergo cathedrarum contrariarum Rectores peccant quandò præceptorum suorum placita, ubi falsa sunt, prosequuntur, & conferunt; neque ad ea, ut volumus, sed ad vera confignanda, tradendaque tenebuntur. Respondemus negando sanè consequentiam; nam ea, quæ in cathedra v. g. durandi quis tradit, non tamquam sua, sed tamquam durandi consignat, nec sua ea facere debet, nisi ubi vera esse invenerit. Quæ ex iis commodè exponi possunt, quæ S. Bonaventura in prol. sentent. quæst. 4. perhibet de differentia Scriptoris, Commentatoris, Compilatoris, & Authoris. Sic aliquando obligamur ad Antecessorum nostrorum, vel contrariæ scholæ tuenda placita; nec tamen fallimus; scit enim schola, ea nostra non esse, neque tradi velut nostra, & vera, sed tamquam aliena. Sed facilè in his omnibus excedi, peccarique potest, & si de verbo otioso, ut inculco sæpè, reddituri sumus rationem quanto magis si quis ingenti ingenii virtute à Deo donatus, ea utatur ad veritatem vel evertendam, vel saltem offuscandam; abutitur enim magno dono, & quantum contra veritatem, tantum contra Deum donatorem facit, nec civem agie ejus civitatis, *cujus lex charitas est, cujus rex veritas, cujus modus æternitas*, inquit Augustinus. Atque his satis occursum est iis, quæ §. 1. argument. 1. objecta sunt.

Sed hoc loco præterire omninò non possum, quanti momenti futurum esset, si singuli Professores, quod suum est, agerent, munusque explerent; cum namque tot cathedris Aristotelis Academiæ institutæ sint; Magistro item sententiarum, D. Thomæ, scoto, durando aliæ consignatæ sint, sæpè confecto Philosophiæ, & Theologiæ septennio Aristotelem S. Thomam, ac cæteros vix quidquam novimus, aut quorsùm se habeant, intelleximus; ex quo fit, ut qui non loqui, sed scire desiderat, tunc demùm se ipso Ductore discere incipere debeat, quandò docere jubetur: quo tumultuario opere nec discere sanè, neque docere ritè possit.

Olim certè hoc in genere extiterunt fortunatiores; nam ut apertis veterum libris facto ipso constat, omnes primùm partes Aristotelis, utramque ejus Philosophiam, naturalem & moralem; Logicam item, & Metaphysicam tritissimas habebant; Magistrum etiam sententiarum, cum aliis, tum maximè Augustini authoritatibus, doctrinisque consertum; undè illis tanta concisio, formalitas, & perspicuitas; scientiæ odor, color, & sapor. Carpsit certè illos Ludovicus vives, Posevino judice, vir cordatus in suo libro de corruptis disciplinis, quod scilicet uno Augustino uterentur; præterirent verò cæteros Patres: sed utinam semper unus saltem superfit Augustinus. Juvenes itaque ad finem studiorum ea cuncta noverant, quibus alii adjicere, proficere promptum erat. Mirantur certè, aut jure merito mirantur omnes, ingenii scoti magnitudinem, qui tantilla ætate tantis de rebus adeò copiosè; subtiliterque disputaverit, tot volumina conscripserit, & quod summum est, tanta doctrinæ, authoritatisque copia illustraverit. Et verè prodigii ad instar res est. Cæterum res erat eo temporis minus impossibilis propter directam causam; & sic etiam D. Thomas, & D. Bonaventura fermè juvenes eos in Magistrum commentarios scripserant quibus non solùm pares, sed nec quoque modo similes aut illius generis, ego, meique similes nec quinquagenarii quidem, post ætatem in studiis confectam audere, vel moliri valemus; & scribimus alio nescio quo genere. Tanti est elementa scientiarum suo tempore habuisse. Ego certè Aristotelem summum licet ingenium haud depereo, & malim Petro, & Paulo, Augustino, Chrisostomoque, & similibus Magistris uti; sciendus tamen est ab eis, qui ex ejus cathedris vivunt, consignandusque discipulis: & si nec Aristotelem habeamus, neque Apostolos, neque Sanctos, quid demùm momenti in Theologia supererit?

§. IV.

Qualiter ad unius Doctoris, scholæve doctrinam quis constitutione, juramento, vel voto obligari possit?

Dupliciter obligari quis potest ad unius alicujus Doctoris tuendam doctrinam. Primùm

mùm eo modo, quo de Rectoribus, interpretibuſque Cathedratum Academiæ dictum eſt quin ſcilicet eam doctrinam ſuam faciat, neque, tamquam ſuam tradat, affirmetve, aut neget. Atque hic modus adeò uſitatus non videtur, nec ſcrupulus ſubeſt, & ea tenenda ſunt, quæ de Rectoribus cathedratum ediximus. Conſtare porrò tunc omnibus debetet, ea, quæ traduntur, non tanquam ſua conſignari, aut affirmari tamquam vera, negativè tamquam falſa; ſed aliena interpretum inſtat, aut commentatorum exponi; alioqui fraus eſſet, & mendacium in re longè graviſſima. Tunc verò, quamquam integra aliqua familia hoc modo Doctorum ſequeretur nulla ſingulorum authoritas doctrinæ accederet; quam ſcilicet ſectatores ejus neque affirmarent, neque negarent: ſed totum inſtar Pythagoricæ profeſſionis eſſet de quo §. ult.

Secundo modo obligari poſſumus ſive conſtitutione; ſive juramento ad doctrinam alicujus Doctoris, eam prorsùs noſtram faciendo, & affirmando, & negando, quæ ille affirmavit, negativè. Et quoniam res eſt difficultatibus æmulationibuſque implexa, ſenſim à nobis, ac circumſpectè, & per partes exponenda eſt; ac maximè ſapientiorum judicio ſubjicienda.

Sit ergo prima concluſio. Nulla conſtitutione, vel juramenro obligari poſſumus ad doctrinam alicujus Doctoris cum præjudicio veritaris: id eſt, ut concluſio per ſolam ſuam declarationem pateat, nulla conſtitutione, juramentove obligari poſſumus ad faciendam noſtram, affirmandamque, & negandam doctrinam alicujus Doctoris ſive veram, ſive falſam, ſeu ſive vera, ſive falſa ſit; quin conſtitutio eſſet prava, & juramentum ſceleſtum, atque Reipublicæ, ac Eccleſiæ præjudiciale. Sed quid inquis, ſi probabilia ſint, quæ affirmantur, & negantur? Reſpondeo, veritatem eſſe rem planè invictam, & ubique prævalere; nam niſi novo Probabiliſtæ eò etiam prolabantur, nemo hactenùs probabilitates ad juramentorum honeſtatem oblocutus eſt, ſed omnes incunctanter veritatem poſtularunt; non enim probabilitate exiſtimata ſaltem mandacium tollitur. Scelestum ergo foret juramentum doctrinam alicujus Doctoris etiam probabilem ſuam faciendi, & affirmandi: atque negandi, ſive vera ea fuerit, ſive falſa; ac etiam ſi falſa fuerit. Quæ quoniam aperta ſunt, non amplius declarò, & ſtabilio. Ex juramento autem patet inhoneſtaa conſtitutionia, vel voti ſimile quidpiam præſcribentis.

Hinc oritur alia concluſio. Ut quis conſtitutione, vel juramento obligetur ad doctrinam alicujus Doctoris faciendam ſuam, ſcite debet, vel eam ſemper, ac ſine exceptione in omnibus eſſe veram, vel ſaltem eam fere ſempet eſſe veram, ac raram habere poſſe exceptionem. Hæc concluſio, ut dicebam, ex priori oritur; nam niſi hoc ei conſtirerit, facit ſuam doctrinam Doctoris ſive veram, ſive falſam; quod pravum eſſe modò oſtenſum eſt Prætereà ea ſequitur ex duplici quæſtione proxima de ſuitatibus, & diviſionibus, in quibus omnis ſuitas non conſequens repulſa eſt. Poſtremo fusè ſuperius conſtitutum eſt, Magiſtris omnibus regulam docendi eſſe ſolam veritatem atque ad iſtam eos graviter obligari: tractavimus porrò latè, & ſtatuimus par. 1. de ratione regulæ eſſe, quod vel nunquam, vel ut minimum taro deficiat; ac infrà hoc nullam ſupereſſe rationem regulæ, ſed ſortem, fortunam, & caſum. Ergo nemo poteſt conſtitutione. aut juramento facere ſuam doctrinam alicujus Doctoris, ſive, ut eam doceat, ſive ut tueatur, niſi ei conſtet illam vel ſempet, vel ſalrem ferè ſemper eſſe veram, raroque deficere.

Ex hoc vero graviſſima nunc difficultas exurgit; nam jam nemo poterit ſuam facere doctrinam alicujus Doctoris. Etenim, quo fermè uno argumento ſcholis Philoſophorum omnibus lucianus bellum indixit, & prolixo dialogo proſecutus eſt, noſſe quis debebit, Doctorem aliquem verbi gratia S. Thomam eſſe ſempet, aut ſaltem ferè ſemper verum, vel ipſarum rerum omnium, quas S. Doctor tractavit, examine, & diſcuſſione, vel fide aliorum? Sed neutro modo eam poteſt facere ſuam. Quod probo; nam primò ea rerum omnium diſcuſſione, & examine. exactaque cognitione non poterit nec quandò diſcit, neque quandò docet; ſed ut ſummum poſt plurimos in docendo tranſactos annos, & vix in ſenio, neque quilibet, ſed præſtantiſſimi eam torius doctrinæ S Doctoris cognitionem aſſequentur. Non ergo principio, ut diſcere, & perficere turo poſſent; non item ur docerent, ſuum cum facere poruerunt; quod eſt abſurdum. Deindè qui non tamdiù vivunt, nullam doctrinam poterunt facere ſuam. Aliundè verò neque fide, & teſtimonio aliorum conſtare cuiquam poteſt, Doctorem aliquem eſſe ſemper aut ſaltem ferè ſemper verom; nam hi alii vel ignorantes ſunt; & tunc dictum eorum nihil valet; vel ejuſdem ſcholæ, & Doctoris ſectarores ſunt: & hi exceptionem manifeſtam habent. & idem ſcholæ contrariæ cultores de Doctore ſuo conteſtantur: vel denique ſunt ſcholarum aliarum, Doctorumque Sectatores: & hi haud dicunt Doctorem illum eſſe ſemper, aut ferè ſemper verum, ſed ſuum ſinguli ejuſmodi eſſe conteſtantur. Non ergo ſupereſt modus, quo quiſquam cum cognitione dicta, & debita veritatis, ac ſuitate conſequenti Doctorem aliquem ſuum facere poſſit, & ad ejus doctrinam conſtitutione, vel juramento obligari.

Quod ſi reſpondeamus, majores, qui ita conſtituerunt, vel ad juramentum obligant, ſufficientiſſimam cognitionem habuiſſe veritatis Doctoris; quare ſanctæ conſtituere potuerunt, ac poſteros etiam obligate; qui jure illorum ſcientiæ, cognitionique fidere poſſunt. Dicent, hoc idem ſingulos uniuſcujuſque ſcholæ, & religionis etiam reſpondere poſſe, quin etiam reſpondere; cum verò illæ diſſideant, contrarienturque viciſſim prorsùs temerè, nullaque cognitione veritatis in hujus præ illo Doctoris verba jurati. Atque alia in idem addi poſſunt.

§. V.

Ejusdem propositi, & argumenti processio

HÆc difficultas eò est graviter, quo causis etiam religionis, & fidei est communis, deque illa fusè alio in opere tractavimus: atque propter eam, aliasque rationes ostendimus, veram religionem non per examen rerum illius, neque scripturarum, sed aliis notis, signisque esse quærendam. Eodem modo constituri sumus lib. 4. veram doctrinam morum trahere instar veræ religionis notas suas, & signa, quibus etiam à non Theologis dignosci possit cum Deus gloriosus neque fidem, neque legem Theologis solis credendam, servandamque consignaverit.

Hinc ergo primò quoad moralem Theologiam, quæ maximè instituti nostri est, ad propositam objectionem respondeo, is notis, signisque dignosci brevi; ac sine ipsius Theologiæ directo studio, quinam sint Doctores vel semper, vel ferè semper saltem veri; ex quo constitutione, aut juramento obligare honestè possimus ad eos faciendos nostros, sequendosque. Hoc enim omnes fateri debent de religione, & fide; quod scilicet ignorantes etiam discernere possint inter veros, & falsos Doctores; alioqui frustra cum eis, & apud eos causæ religionis tractarentur; esset deinde ipsis impossibilis inventio, & cognitio veræ fidei. Ergo ad eam obligari non possent; aliaque absurda sequuntur, quæ alias prosecuti sumus. Est porrò hæc de fide instantia urgentior, quando hæreses erant adhuc contra ipsam Ecclesiam, & nondùm ejectæ, commistique veri, & falsi Doctores. Peccabant autem etiam ignorantes falsos Doctores sequendo, ut lib. 1. & isto ostensum est. Discernere ergo inter veros, & falsos poterant. Eodem itaque modo dignoscere possunt inter veros, & falsos morum, doctrinæ Doctores, eosque facere suos, quos constiterit esse veros. De quo, ut dixi lib. 4. plenè differemus.

Secundo de universa Theologia dicendum est, ex judicio maximè sanctæ Ecclesiæ dignosci à nobis posse veros Doctores; licet enim alii quoque veri esse possint, quos illa nondùm probaverit, nescimus tamen, qui nam sint: at necesse est, & scimus jam, eos veros esse, nostrosque facere licere, quos ipsa probavit, sequendosque proposuit. Ut porrò de aliis Ecclesiæ approbationibus taceam, de quibus contentiosè disputatur, mihi pro veritate Doctorum sufficientium illud Ecclesiæ testimonium est, quo aliquem in Doctorem suum astruit, & cui ab ipsa instituti dicamus *ó Doctor egregie Ecclesiæ sanctæ lumen, divinæ legis amator*: hos enim tuto sequi possumus, neque ut sæpè cavemus, in iis, quæ ad fidem, bonosque mores pertinent, in multis dissentiunt. Inquam, *ad fidem pertinent*: quo non solùm ea, quæ fidei sunt, sed etiam quæ ex illa consequuntur, atque ad eam defendendam. Illustrandamque attinent, significamus; ac uno verbo utramque Theologiam speculativam, & moralem comprehendimus.

Hæc itaque Ecclesiæ approbatio satis est ad Doctorem quemque præsumendum saltem ferè semper verùm, ac simpliciter, & pleno ore sapientem existimandum. Utrum vero sint etiam alii, quorum veritas, & sapientia, vel alia demùm via nobis tuto, ac citra suitates, & voluntarias alias assumptiones, atque suppositiones constare possit, nihil necesse est, in præsentia discutiamus, aut determinemus. Illud est necessarium, ad faciendum Doctorem aliquem nostrum non satis esse, quod is revera sit verus, & sapiens; sed oportet, id nobis legitimo aliquo medio veraciter, & tamquam coram Deo judicaturo constare, ut ex dictis colligitur, alioquin factiones ultrò fient.

Redeundo igitur ad Doctores Ecclesiæ ipsi positivè probatos electos, ac in Doctores suos ascitos, nullum est periculum eos nostros facere, sequique, quos Ecclesia Doctores suos habet: qui lumen sunt Ecclesiæ: non ergo ex æquo lumen, & nox: sunt autem falsa omnia, nox, & tenebræ, quæ scilicet à Patre luminum non descendunt: ergo Doctores hi simpliciter, & absolutè veri, & non falsi sunt; ad quod necesse est, eos vel semper, & sine exceptione esse veros ferè semper, raròque deficere. Idem autem est de aliis, quos fermè instar Doctorum suorum Ecclesia colit v. g. de S. Irenæo, Cypriano, Hilario ac similibus, atque de magno nostro Isidoro deliberatum etiam fuit, utrum ne unus octo Doctorum deligendus esset. Hi scilicet omnes, ac similes post scriptores canonicos primæ classis sunt in Ecclesia Dei, quam Magistram sequendo, & quos maximè ducit, nostros faciendo, non est, ubi erremus.

Diximus hoc, nullum quantumque Doctorem privatum esse quasi in actu primo præservatum, & privilegiatum, ne erret, sequentesque se perdat. At cavimus, aliud esse de actu secondo & docendo, sicut de facto docuerunt, quemadmodum licet sancti, & justi quique damnari potuerint, ob reque in peccato; de facto tamen damnati non sunt, neque in peccato obierunt. Quare ineptissimi Theologi illi sunt, qui ex nostra doctrina intulerunt, damnari quem posse D. Thomam sequendo; aut S. Augustinum: neque enim hoc sequitur ex nostra doctrina. Ipsi forsitan, qui ad concitandam invidiam ista opponunt, eos fortè errores D. Thomæ, vel Augustino attribuunt; qui juxta ipsos sine peccato scienter saltem defendi nequeunt; ex quo juxta ipso non absurdum sit, ut affectant, sed verum, hos tantos Doctores sequendo peccare quem posse, ubi dogmata non profero, quæ alii diligenter cum iterunt, ac prodiderunt: nam nobis sanctum est, firmumque, sanctorum doctrinam ore, & corde maximi ducere, nosque illorum comparatione vix fungos existimare.

Illud certè doctrinæ nostræ serie, quæ veritati regnum omne tribuit sequitur, non licere ullam ullius etiam Ecclesiæ Doctoris doctrinam nostram facere; sicut & quomodò tenemur nostram facere universam Dei, Ecclesiæque ipsius doctrinam. Neque hoc est propter probabile, vel non probabile; sed propter verum; quia Deus, & Ecclesia sunt indefectibiles in veritate. Doctores etiam Ecclesiæ non ita: & quæstio est de facto, utrum de facto quisquam eorum defecerit. Hinc est, ut ex Augustino, & Thoma Theologi omnes accipiunt, si quandò in aliquo Doctor Ecclesiæ, & Ecclesia ipsa dissiderent, relinquendum esse haud dubiè Doctorem etiam Augustinum, & Hieronymum, & sequendam Ecclesiam; neque juramentum ullum, constitutio-

nemve ad contrarium obligare; quæ quoniam omnibus nota sunt, exponenda, vel confirmanda non existimavimus.

Atque hinc sumitur denuò argumentum invictum pro tota nostra doctrina de suitatibus. Ideò enim non licet Doctorem ullum, vel doctrinam facere nostram contra veritatem, nam ideò in contrarietate Ecclesiæ standum est, & renunciandum Doctori cuiqui quantocumque dissidenti; quia verum est, quod Ecclesia tradit, & falsum contrarium: quin tam invicta est vis veritatis, quod dato, aut ficto, falsum esse, quod Ecclesia affirmat; verum autem, quod dissentiens Doctor dicit, Doctori standum foret, & relinquenda Ecclesia. Omnia ergo ad unam veritatem resolvuntur; & omnis suitas doctrinæ, ac divisio debet esse subjecta veritati, & consequens ad illam: & ob hoc nec contra Ecclesiam possumus doctrinam facere nostram, neque contra Ecclesiam dividere, quia contra veritatem non possumus; *non enim possumus aliquid adversus veritatem* 2. ad Corinth. 13.

Ex his omni constitutioni, aut juramento faciendi Doctorum aliquem nostrum, subest onus, illud, ac tacite subintelligitur Ecclesiam anteferendi, si fortè à Doctore aliquo dissideret. Sic diximus part. per probabilitatem, scilicet veritati ferè semper annexam, esse rectam regulam conscientiæ, sed eum onere: quod verbulum, *cum onere* aliquos ad nauseam provocavit. Onus porrò erat, quod si quidem probabilitas regula defectibilis est, & hæc est sua natura, videndum esset benè sicubi deficeret. Hoc quilibet, in horologiis facile intelliget: habes horologium, quod rarò fallit, & est recta mensura probabilis, horarum; si quandò tamen specialia, & fortia motiva occurrant existimandi, horologium tunc fallere, hærere, debes, & videre, num concordet ad indefectibilem mensuram motus solis, aut ad alia horologia tutiora. Et hoc onus sciunt naturæ lumine, qui horologiis utuntur. Sed tu forsitam magnus Theologus dixeris, non esse parem obligationem concordandi re ipsa conscientias nostras cum ipsa directa lege Dei, sicut concordandi horologia eum motu solis, aut interesse plurimum, ne errent horologia, non adeò ne errent conscientiæ: quin istos mox per reflexas reddi indefectibiliter etiam rectas. Utinam excogitarent, vel siquidem excogitatæ jam sunt, applicarent reflexas istas ad horologia, quibus horologia omnia fierent mox per reflexas indefectibiliter rectas & sic in mensuris ceteris. Omnia si errant errant; sola conscientia, etiã ubi errat, id est, re ipsa dicta contra legem Dei, continuò artificio isto in rectam convertitur; & ex hoc pendere volunt salutem fidelium O monstra!

Aliud exemplum afferamus in re ipsa nostra de suitate Doctorum non tam in opinione mea, quam aliorum. Profectò unum eorum, quos licet facere nostros, esse D. Thomam, & ex dictis paret, & nobis compertum est. Est ergo Doctor vel semper sine exceptione verus, vel ut minimum ferè semper verus, raròque deficiens, Doctorem sanctum nos eum Seraphico, aliisque uis etiam, & scholæ suæ discipulis in materia immaculatæ conceptionis Matris Dei intelligimus, & intelligimus nihil ei adversari. Sed demus, & ponamus quod plerique tenent, eum pro sententiæ contrarium extitisse. Ecce haberemus regulam probabilem rectam docendi, ac ferè semper veram. Et tamen quia ex suppositione in ea materia defeculet, non liceret in ea materia sequi in docendo hanc regulam omni proculdubio probabilem, & hoc concedunt, qui onus illud tam ægrè ruler int. Ergo regula probabilis operandi, aut docendi habet onus illud annorum. Et si leges etiam ipsæ defectibiles æquo, & bono subjiciuntur, ubi deficiunt, ut Philosopho, & D. Thomæ fuit indubitatum; quid mirantur de onere probabilitatis? Etenim terminos intelligentibus defectibile, & indefectibile eo inter alia essentialissimè differunt, quod indefectibile nulli subsit correctioni; defectibile contra, ubi deficit, emendandum sit, & contra illum, Qui rursùs capit, quid sit probabile, haud dubitat, ei subesse aliquam defectibilitatem: quæ origo est formidinis opinionis, sed aërem, opinor, verberamus.

§. VI.

Ex his perspicuè, & practicè habetur, licere Doctores omnes illos facere nostros quorum authoritate conclusiones probamus.

Illud hic principium memorandum est, quod par. 1. fusè statuimus, omnem probationem esse vel ex semper veris, vel saltem, ut plurimum, ac ferè semper veris; intelligo pro insulsis quibusdam Recentioribus, *in iis circumstantiis, & concursu rerum*. Scientiæ omnes strictè tales probant ex semper veris; quia ex necessariis; scientia verò laxiùs talis probat ex plerumque, ac ferè semper veris, scilicet ex probabilibus, ut ad suam Philosophiam moralem præmisit Aristoteles, & idem est de Politica, atque de Medica magna ex parte. Has scientias strictè, vel laxius tales imitantur suæ nimiæ, scilicet sophisticæ; & hæc etiam quoad videri eam legem servant, quam illæ de esse, & sophistica Pseudo demonstrat ex iis, quæ semper vera videantur? & in morali, & politica probat ex iis, quod videantur plerumque vera; & nisi hoc facere sciat, nec sophista quidem esse potest, quia sapiens videri nequit.

Ex indifferentibus itaque ad verum, & falsum in iis circumstantiis, & ad conclusionem, & ad contrarium, indifferentiam ipsam fatendo nemo sanus unquam argumentatus est. Et sic in jactu castelli, & Leonis nemo probat, castellum esse projiciendum, & sim lia omnia ab omnibus ubique hominibus appellata sunt casualia, & fortuita. Sic si quis ex æquo est tentatus, & allectus ex avaritia ad non expendendum; ex libidine ad expendendum, nemo hominum probare potest, quid sit ille facturus extante eo gravissimo utrimque impulsu, & solum scire rem potest divina revelatione perindè, atque si voluntas esset tamquam tabula rasa. Insulsi illi, de quibus dixi, Recentiores confundunt motiva ista sine concursu, vel in concursu; & ineptiunt; nam si hominem non avarum nec justum scirem gravissimè tentatum ex concupiscentia, planè prudenter ex iis, quæ ferè semper contingunt, opinarer eum expensurum: at ex quali avaritia omninò ligatur, & nescimus, quid demum voluntas libera à bonis dissimilibus determinatura sit, ut in dubio duorum æquè fortium, & periorum. Universalissimæ itaque inductione in omni genere laxissimæ etiam scientiæ, vel umbræ scientiæ constat, ex differentibus ad verum, & falsum, id est, ad conclusionem, & [illegible] nullam unquam probari conclusionem, & per-

indè esse, atque si sgnas; Deus est; ergo grsndinat; aut baculus est in angulo; etgo Turca saltat.

Ex his sequitur licere planè, Imò teneri nos sequi, & facere nostros eos, quorum authoritate in libris, in Academiis, in Consiliis conclusiones probamus. Etenim hoc genus Doctores, & authoritates doctrinam, tradunt, vel semper, ac sine exceptione veram, vel saltem ferè semper veram, raròque deficientem, ut modo est ostensum. Sed licet, sanctumque est, sequi, nostrosque facere Doctores omnes, & authoritates vel semper, ac sine exceptione veras, vel ferè semper veras, raroque deficientes, ut ex his omnibus quæstionibus est compertum. Licet ergo, sanctumque est, eos omnes Doctores sequi, nostrosque facere, quorum authoritate in libris, in Academiis, in Conciliis conclusiones probamus.

Sed quæris, quinam sint isti? Respondeo, rem esse omnibus compertam. Sunt in primis Scripturæ Dei, verbaque traditione constantia. Sunt deindè Concilia generalia, omnesque definitiones Ecclesiæ. Est item jus canonicum, & Concilia Provincialia. Sunt etiam Doctores Ecclesiæ singuli; & omnes; ac Sancti Patres reliqui. Scitur autem, nec à nobis est exponendum, authoritstes has memoratas non esse æquales, & pares, sed majores, & minores, aliasque omninò indefectibiles, & sine exceptione; alias saltem ferè semper veras; exceptionem tamen habere potentes; sed quæ probanda sit, & fortissima esse debet; quemadmodum si negares, mstrem aliquam non diligere suum filium. Undè miseremur eorum, qui frivolis quibusdam rationibus eludunt constitutiones Pontificias, & authoritates Sanctorum: qui sanè scite nunquam poterunt. Vides verò, nos totum opus texere ubique per verum; & conclusiones semper sequi sensui Ecclesiæ, Academiarumque institutioni conformes, & quæ in publico, atque in hominum conspectu admitti ab omnibus soleant, qnod veri signum esse alias ex Tullio notavimus. Sed Probabilistæ poterunt alium catalogum retexere Doctorum probabilium, & æquè probabilium, probabiliorum, & probabilissimorum sine Ulla consideratione veri magis; quam falsi.

At nondùm possumus, sed tenemur etiam hos Doctores, & suthoritates sequi; faceteque nostras; quia ut ex libro constat tenemur ad veritatem discendam, & docendam, eamque faciendam nostram. Sedhis Doctoribus, authoritatibusque inest vel necessariò, vel saltem ferè semper veritas. Tenemur ergo ad faciendum eos nostros. Ex quo consequens est, teneri ad repudiandos eis contrarios sive consanguineos, sive rationales, Patresve, aut Matres, & quocumque modo nostros, & amicissimos, ac nos etiam ipsos: atque hæc est Sanctsrum quarumque tetractationum, ut Augustini. Si enim veritatem plusquam me diligere non tenerer, numquam òbligarer ad retractandum errores. Si ergo veritatem debeo diligere etiam plusquam me planè plus etiam diligere debeo, quam meos sive amicos, sive alios. Atque his planè satisfactum est ad ea, quæ §. 1. secundo loco objecta sunt.

Illud hic miramur, & lib. 4. latiùs dicemus, Probabilistas velle eorum hominum authoritatem valere pro resolutione omnium casuum conscientiæ, ac pro toto negotio salutis nostræ, & summa rerum, quorum hominum authoritate si vellem ego probare conclusionem quamlibet abjectissimam v. g. materiam primam habere propriam existentiam, scientiam, schola mox omnis rideret: & si quidem illi dicant, species impressa Dei est impossibilis, nemo audet arguere: hi homines ita dicunt; ergo ita est; nec in ipsis etiam rebus moralibus eorum quis authoritate arguit; & tamen si hi ipsi homines dicant, *licet non est peccatum*, jam per evidentem etiam consequentiam licet, & non peccatur: quasi verò suæ acutissimæ reflexæ ad omnia trasnsvehi nequirent, & omnem locutionem nostram reflexam facere, aut in reflexis fundare; licet ipsi fundant mores, ac vitam hominum, àtque salvationem, summamque rerum omnium

Utrum verò præter hos, quos significamus Doctores non solùm semper aut ferè semper veri, sed quorum veritas aliqua legitima via constare nobis possit citra exsmen rerum; & sic liceat eos facere nostros, nihil determino, neque affirmo neque nego, neque de alio ego meo faciendo unquam deliberavi. *Vnusquisque autem videat*, inquit Paulus, *quomodò superadificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere prater id, quod positum est: quod est Christus Iesus*: ad quem certè, qui est veritas, falsa quæque etiam probabilia sic se habent, sicut tenebræ ad lucem. Superædificent itaque Probabilistæ, quantum volunt, super fundamentum, quod posuerunt probabilitatis, quod fundamentum non magis Christus, quam non Christus sit, hoc est, non magis verum, quam falsum, nos planè eorum pace supra Christum veritatem superædificare adnitemur, & probabilitatem qusntamcumque veritatis expertem fallacem umbram, idolum, phantasma, sophisma incunctanter censebimus,

§. VII.

Ex hac doctrina nulla sequitur libertas opinandi, & dissentiones multiplicandi, sed frenum.

Horremus certè, quod non pridem fel. recor. Alexander 7. deplorávit, luxutiantium ingeniorum in opinsndo libertatem in rebus maximè ad conscientiam pertinentibus. Hoc sanè loco pauca ex multis significabo. Duo genera sunt ingeniorum, alia vulgaria, alia præstantia: atque hæc quidem pauca, & rara, illa plurima, ac sine numero, & ubique omni ætate nascitur; certè post multas peragratas Provincias, paucissima ingenia philosophica novimus, & ad philosophandum nota, & idonea; & pleríque, ut ex Aristotele diximus, judicamus, quemadmodum consuevimus, & ut Augustinus etiam ex Jullio significsvit, msgnorum ingeniorum est, ac proindè psucorum consuetudine non duci, ac supra consuerum, id est, supra novam nstutam mentem erigere, & idem Augustinus *non multitudo hominum* inquit, *non in corde cor habet. Sed in oculis.* Rariora rursùs illa ingenia, quamquam utraque sucta, & subtilia, alia realia sunt, ac verè philosophica; alia sophistica; inter quæ illud esse discrimen, summum illud

Illud ingenium Cardinalis Pallavicinus assetebat, quod est inter calorem naturalem, & febrilem: quos intet imperiti nihil distingunt, cum intereà alrer viram servet, alrer tollat.

Omnibus certè libertas adimenda esset, aliis quidem ne ineptiant, & stertant, aliis ne nimio calore delyrent, ac mulros prætereà, perdant. *quædam vehementissima, & excellentissima ingenia*, aiebat, Augustinus hoc lib. quæst. 2. *tantò in majores errores ierunt, quantò præsidentius tamquam suis viribus incurrerent.* Irem aiebat: *non enim putetis, fratres, quia potuerunt fieri hæreses per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreses nisi magni homines* &c. atque alia in hunc scopum contulimus ea quæ. 2. verè enim non salvatur Rex per multam virturem; & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ: ac verè rursùs fallax equus ad salutem, fallax prorsùs humanum ingenium solutum, sibique relictum; atque de rarionis naturalis insufficientia alias dispuravimus, & alia decursu addemus, Magna certè res est ratio, & ingenium, ut discat, & inserviat; at si liberum, solutumque relinquatur, nihil periculosius, ac omninò sessore Deo indiget, à quo regarur.

Gravissimè itaque omnes in primis ligantur, obligantu que ad veritatem, nec liberras ulla superest ad vera, vel falsa etiam probabilia, ut saris commonstravimus. Et quoniam rursùs vanitas est, cæcaque superbia existimare, nos posse viribus nostris, & virrure ingenti, in hoc maximè statu naturæ corruptæ, in quo semivivi ac gravissimè infirmi jacemus, Theologiam, ejusque, ac rerum planè divinarum veritatem assequi, tenemur, & obligamur, ut §. præc. dicebamus, ad omnes Doctores, & authoritates, vel semper, ac sine exceptione veras, vel saltem ferè semper veras faciendas nostras. Undè cum in præsenti libertas non Physica, sed moralis intelligatur, quæ obligatione ad contrarium tollitur, nulla libertas manet ad philosophandum, & opinandum contra, aut præter omninò Doctores, authoritatesque prædictas, sed juxta: ad quod sanè necesse est, Doctores, & libros eos colere, ex eisque primùm dicere, & scire; ac deinceps docere: *miserum enim est, cum Magistrum fieri, qui numquam discipulus*, ait Innocent. cap. 12. ad Aurelium Carthaginensem. Quarè paulò inferius probabimus, synceriffimeque coram Deo fatebimur, eos omnes, qui scripturas Dei non norunt, nec tractant, neque ex eis statuunt, nobis Theologos non esse, sed nescio quid aliud; neque similium quantocumque numero magis terrebimur, aut movebimur, quam si Geometras nobis cumularent, & objicerent.

Ex his igitur modò insinuatis, ac per superiores quæstiones constitutis patet, in serie doctrinæ totius nostræ minimam Theologiæ relinqui operandi, arbitrandive libertatem, quos scilicet ad tot. & tanta obligavimus; quin quæst. seq. quod instituti maximè nostri est, ostendemus cum Chrysostomo, morales Theologos non aliud, quam servos esse legis, si itaque semel Theologi in animo statuerant, se discere debere, non ex cerebro, sed ex iis, quæ commemoravimus, locis scripturarum, Conciliorum, Sanctorum &c. si quidem hæc re ipsa est, & non alia Theologia, ut inferius tractabimus; quemadmodum, quo exemplo toties libenter utimur, Authores librorum Spiritualium id sibi præfigunt, nulla profectò multiplicatio opinionum, & dissentionum, sed magna potius pax, concordiaque sequeretur; sicut cernitur in eodem exemplo; nam scribunt contraria narionis, scholæ educarionisque homines; neque tamen altercantur, sibique contradicunt, sed saltem ferè in omnibus, conveniunt; unit enim, eos & concordat regula, quam sibi sequendam præscribunt.

Adeò verò totalem libertarem & discipulis, & Reipublicæ noxiam arbitramur, ut minus malum sit, Doctorem aliquem suum facere, licet ejus veritas tam explorata modo dicto non esset, quam singulos sibi, committere, suoque ingenio relinquere. Et tunc Doctor potest fieri nollet primo illo modo, quem §. 4. proposuimus, quod moris quoad Philosophiam servatur in Academia complutensi; tradit enim unaquæque schola Doctorem suum, vel authorem exponendum, & sequendum; qui plerumque melior sit multitudine juvenum Philosophiam docere aggredienrium, qui commentarios in Aristotelem, non magis norunt, quam si ex græco conversus non esset. Utrum verò pro similibus habendis Philosophiis utiliter tantæ expensæ fiant, an prodigantur, viderint alii. Quis scilicet dubiret, Sotum, Tolatum, & hoc genus alios præstare plurimum curlibus philosophicis, qui ab his philosophastris texuntur; quorum plerique doctrina adhuc carent; multi etiam ingenio; & invenire tamen volunr, & nugas rediculas excogitant, seu verius comminiscuntur. Si ergo finis est scire, atque ad Theologiam aptè disponi, utilius esset discipulis horum virorum doctorum aliquem habere, cum plerique professorum non solum tunc, quandò Philosophiam docent, non sint, sed nec post etiam futuri sinc Toluti, vel Soti.

Multi tamen magis Professores moralis Theologiæ ligandi essent ad Doctorem utique aliquem, qualem postulavimus, saltem ferè semper verum, & cujus doctrina probatissima Ecclesiæ Dei. Et hoc etiam omisso, præstaret, ad eos inferiorem saltem aliquem obligare, & nullam ipsis arbitrandi licenriam relinquere. Certè Philosophis tanti olim fuit sua moralis Philosophia, adumbrataque illa scientia morum, ut propter illam Socrates quidem omnibus aliis scientiis renunciaverit, eamque unam dignam existimaverit, quam præstantissimi quique tractarent; Plato vix aliam coluit; Aristoteles eam cæteris adeò prætulit, ut juvenes in primis, ac inexpertos ab ea vel adjicienda removerit; passionum item Sectatores omnes etiam senes. Hæc moralis Philosophia vix umbra fuit nostra Theologiæ moralis, quæ supra illam fine, mediis, & altitudine rerum tractandarum plusquam supra cælos elevata est. Num ergo omnes, & quilibet quippè vel ad docendum Logicam pares non haberentur. qui in Academiis publicis vel argumentari quidem vix possint, aut os suum aperire, dignos existimabimus, qui in hac scientia scientiarum longè planè difficillima judicent, audeant, ac moveant quidpiam aut arbitrentur? Indè verò quid, quæso, sequitur nisi corruptio corruptionem, ac totius moralis Theologiæ eversio, Nulla ergo libertas similibus hominibus ingenio rudibus, ac doctrinæ expertibus relinquenda esset, ut vel tollerent, vel adjicerent, ne saltem malum in dies excresceret. Ex quibus patet, quid sit

habendum

habendum in iis, quæ §. 1. tertio loco objiciebantur.

§. VIII.

Ineptia est existimare, sacram Theologiam esse propter exercitationem.

SI post eam, quæ in Academiis, & scholis traditur, Theologiam alia Theologia superesset addicenda, dici quoquo modo posset, illam esse propter exercitationem, urque excolerentur discipuli ad eam deindè aliam addiscendam. At nulla superest ejusmodi posteà addiscenda. Illa ergo non est propter exercitationem. Deindè quia exercitatio omnis, ut patet, non est propter se, sed propter aliud sicut motus, qui est propt r quietem. Ergo si Theologia scholastica, seu scholarum esset propter exercitationem, illa non postrema scientiarum esse deberet, sed ad aliam scientiam ordinari, in qua quiesceretur, ac sapientia possideretur. Rursùs quia hoc posito, nullo Theologis Scholasticis, seu scholarum superesset authoritas, qui scilicet solum essent exercitativi; non autem Doctores, Consignatoresque sapientiæ. Hoc iterùm sciri in Republica deberet, ut scholarum sententiæ, asserba, & dogmata nihili haberentur, vel pro causis fidei, vel morum, aliisve: nam quæ exercitationis solùm gratia dicuntur, aut defenduntur, verè, ac propriè nec dicuntur, nec enunciantur, aut asseruntur; ut si nunc exercitationis solùm causa ponerem, arenas maris esse impares. Hæc ergo, & alia cum absurdissima sint, patet, Academias erectas esse non exercitationis, sed sapienpientiæ habendæ, addiscendæque gratia, ut inter alia maximè Theologia ipsa scientiarum omnium præstantissima vigeret, videretur: discereturque.

Ad utilem porrò, necessariamque exercitationem, nisi pigritia saltem nostra obstaret, nihil opus esset divisione, & contrarietate scholarum, & sensuum; videmus enim quotidie, in una etiam eademque schola, & in rebus quoque, in quibus schola tota consentit, exercitationes istas præstantissimè fieri. Non ergo est necessaria contrarietas sensuum. Et licet, ut superius exposuimus, contrarietas sæpè conferat ad excitandos magis veritatis Assertores, haud tamen hoc totum opus, & qua parte falsitas statuitur, Deum habet Authorem, neque Ecclesiam fautricem.

Ipse itaque Apostolus, cujus maximè authoritate pravas quasque, & liberas suitates, divisionesque insecuti sumus, claudet harum seriem quæstionum dicens in eadem epistola 1. ad Corinth. 14. *non enim est divisionis Deus, sed pacis, sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo*, tamquam dogma scilicet omnibus pernecessarium: id est, ut principio epistolæ præscripserat, & quo multo direxit, *obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: sicut etiam in Evangelio imperatum nobis est, ut sermo noster non sit planè *est*, *& non*, sed est, *est*: & *non non*. Quo circa Bernardus Epist. 109. *non inveniantur apud vos, est, & non, ut sitis filii Patris vestri* &c. *væ ingredienti terram duabus viis?*

His omninò contrariam naturam habet biceps illa, seu bipes probabilitas contrariorum, & contradictoriorum, quam ad operandum, & docendum regulam esse volunt. Illa namque cum per contraria, & contradictoria formalissimè ex utraque parte dividat, & dividatur, sicut animal in rationale, ejus profectò species, & soboles propriæ sunt *est*, *& non*; nam omnis contrarietas, & contradictio consistit in *est*, *& non*. Unde Seminarium, matrixque est dissensionis, divisionis, & schismatis; nam & hæc consistunt in *est*, *& non*. Quod si ex fratribus cognoscendæ sunt arbores, regula autem Evangelii est de *est*, & *est*; probabilitas ista bipes de *est* & *non*: atque ex hoc dissensio, indè verò pax, unitas, & concordia nascitur, sequitur, regulam probabilitatis istius non Evangelii, sed contrariam esse. O si Majestas veritatis, unitatis, & pacis satis semel intelligeretur? Bernardus Epist. 126. causam quærens cur pacem non servemus Respondet, *quia displicet mortalibus Angelica illa partitio, quia gloria Deo, pax hominibus nunciatur, & dum gloriam usurpant, turbant pacem.*

QUÆSTIO XIV.

Ergo & illicita est, & prava omnis interpretatio authoritatum suitate, vel ratione antecedenti inita.

HOc, opinor, ex loco integritas, veritasque Theologiæ utriusque labefactari maximè possunt, si ratione, ac suitate antecedenti Dei Et Ecclesiæ, & Sanctorum authoritates, quibus velut Cardioibus Christianorum Theologia constat, specie, ac nomine interpretationis eluderentur; quare cum de suitate actum sit, quam matrem hæ pessimæ filiæ interpretationum habent, de his modo dicendum & si id quidem mihi humuncioni liceret ac nimio etiam stylo Chrysostomi, Hieronimi, ac melliflui alioqui Bernardi planè uterer, & quasi tuba exaltarem vocem meam adversus pestem illam nomine interpretationis irridendi colenda, adoranda, & credenda quæque.

§. I.

Neque ex naturis rerum, neque ex obscuritate legum, & authoritatum, sed ex temeritate nostra, Et vitio nascitur tanta multitudo, & contrarietas interpretationum, & opinionum.

INquam nascitur ex temeritate nostra, & vitio, quia quod valdè temerarium, superbumque est ratione nostra antecedenti, suitatibusque, & opinionibus nostris præoccupati quascumque quantascumque legum etiam sacratissimarum, & quod stupor est, etiam divinarum authoritates interpretandas, seu verius eludendas aliqui aggredimur. Ulla vix lex prodit, quæ gemellis gravida non videtur, & post quasi pariat statim duas interpretationes contrarias, & opinionem affirmantem, & negantem utramque certè, vel alterutram saltem necessario falsam, quæ matrem ipsam suam, id est, legem, ejusque

ejusque animam, & sensum continuò interfint, atque evertat viperarum instar. Quo loci geminorum illorum Jacob, & Esau, qui in utero matris collidebantur, memoria mentem subit, atque falsam omnem interpretationem, ipsiusque re ipsa legis sensui contrariam Esau conferre possumus toti in morem belluæ hispido, atque reprobato; falsa enim in quæque haud dubiè reprobat, Deus; estque deindè collisio rixaque sempiterna inter verum, & falsum, ac inter geminam interpretationem uniuscujusque legis, ac sæpè ad tempus instar Esau potentior est falsa. Via certè illa nobis odiosa, probabilium utramque per reflexas approbat, sanctificat, æquatque Esau cum Jacob.

Videmur itaque existimare, ex ipsis naturis rerum, atque ex obscuritate legum, aliarumque authoritatum obvenire partum istum dissidentium inter se interpretationum, & opinionum. Cæterum post rem accuratè expensam arbitratus sum, non leges, non authoritates ipsis esse, quæ illas parturiunt, sed à nobis supponuntur, confinguntur, & mendacissimè legi attribuuntur, cum verus, intentusque sensus dignosci plerumque saltem possit.

Videtur enim, vel hoc esse dicendum. Vel dispntandum, Sanctos Patres, Legislatores item, & Ecclesiam, & Deum extitisse, quod absit, barbari simus. In primis scilicet, ut de humanis Legislatoribus dicere incipiam, præstantissimi viri, atque prudentissimi, ac proindè pauci delecti sunt, qui leges conderent, eosque tulerunt post longam, & accuratam discussionem; & quod maximum est, sine amore, & odio, quia leges sunt universales. Tulerunt autem illas, & scripserunt, ac dictarunt ut ab iis omnibus, pro quibus ferebantur, servarentur; ergo ut intelligi ab eis possent. Sic & Ecclesia, & Deus suas leges fecerunt. Sic etiam Sancti Patres populos scriptis suis erudire voluerunt. Ergo si ferè nunquam intelligi possunt, sed contrariis sensibus, & interpretationibus propter suam, ac improprietatem, difficultatemque subsunt, planè sequitur, eus barbaros, valdè, ineptosque extitisse. Quod cum scelus sit existimare, non ipsi in causa sunt tantæ multitudinis interpretationum contrariarum.

Expono. Haberem ego Latinus servum Græcum, aut Hispanus Vasconem, qui nihil Hispanam linguam caperet: Jubetem autem ipsi hispanicè, aut latinè: essem profectò valdè barbarus. At multò est barbarus ita ad alium loqui, ut non modò, quod volebam, non capiat, sed contrarium me velle existimare jure possit propter obscuritatem, improprietatemque sermonis, quam locutus sum quin ullo modo intelligar, ut patet: nam qui nihil intelligit, & quod quidem volebam, non facit; sed tamen nec facit contrarium; quin autem contrarium intelligit, contrarium etiam facit.

Similiter cum alii ad alios litteras scribamus, opponeretur, nos sensa nostra explicare nescire, sed contrariis intellectibus esse illas propter obscuritatem expositas. Hoc pacto; hac caligine scriberent Principes ad Præfectos urbium, & provinciarum; sic etiam ad legatos suos. Sic item mercatores ad alios, quibus cum tot negotia tractant; atque amici demum ad amicos, & omnes ad omnes. Caderet profectò humanus convictus omnis, & regimen: quam si scripto declarare se nesciunt, ad verba statim eodem modo ibimus, ac deliberabimus. Ergo in rebus mundi satis homines se se explicant scriptis suis, atque rarò admodum quæstionibus, litibus, contrariisque interpretationibus subduntur. At Deus, & Ecclesia, & Legislatores, Sancti Patres non minori diligentia se declarare nixi sunt, utque intelligerentur, scripserunt, ergo possunt; sin minus infinita quædam barbaries, tenebræque in Ecclesiam inducuntur, ueque Doctores Ecclesiæ, ut ipsa quidem effatur, tamen Ecclesiæ erunt. Sed nox, & in intelligibiles quidam Doctores.

Denuò ita à majori ad minùs argumentor. Scimus nos explicare mentem, & conceptus nostros: ego etiam verbi gratia Paulus, Sanctique Patres. Item scimus nos scribere libros etiam prolixos, qui intelligi sine contradictione possint: Ergo etiam Sancti Patres, & est argumentum à vulgaribus hominibus ad summos, & quasi à gregariis militibus ad Duces strenuos. Item: scribimus ita de facto, & intelligibiliter ejusmodi, libros. Et hic scribit, & ille, & nemo scribit. Ergo ita à fortiori Sancti Patres scripserunt. Valet sanè ista argumentatio; scimus nos legem Dei; ergo sciverunt eam Patres. Valet ergo: scimus nos docere. At nisi mentem suam, & conceptus manifestare scivissent, certè docere nescivissent, neque potuissent: sciverunt ergo non solùm sicut nos, sed illustrius etiam, & præstantius. Rursùs docuerunt de facto Ecclesiam Dei, & fideles, atque populos erudierunt, & epistolas, conciones, libros, homilias. ad populum, ad Laicos, ad Sacerdotes, ad viros, & fœminas, litteratos, & illitteratos scripserunt, eosque de facto erudierunt; ergo intellecti sunt; ergo & à nobis intelligi possunt; neque culpa sua est; sed aliquid aliud, quod ulla vix authoritas sine interpretatione admittattur. Clarus sanè est Augustinus: clarus etiam Chrysostomus. Sicut tu quod & ego ergo omne eorum dictum excipiatur dicendo, *expliuo*, *vel interpretor* non obscuritatis, ineptudinisque eorum est, sed nolentium intelligere, ut benè agunt, vel ut verè sapientiam christianam addiscant, factus item est, & superbia, ac cæcitas miseranda.

Sed subit fortè hoc loci mentem tuam puerilis illa, ac valdè miseranda: jactancia, & si non ore, corde tamen, vel in occulto respondes, nos esse planè Theologos Scholasticos; Sanctos verò Patres non ita, qui proindè, nec exactè se explicare sciverunt; & multa de rebus etiam summis per exaggerationem dixerunt, ac multitudines damnarunt; atque postremò vix non omnia, inquis, condonatoriè, id est non verè tradiderunt. Mallem ego, ut fatear ingenuè, fur esse, vel latro, quam simili corde, spirituque erga Sanctos esse affectus; nam est spiritus revera hæreticus contemptivus Sanctorum Patrum & lutheranizat corde quisquis ita desipit. Jam hoc posito, nihil ex illis jure conficitur adversus hæreses, & Ecclesia, Theologique omnes nugati sunt Sanctorum authoritate hæreticos profligantes; nam hæreticus nostro nos ore confundet, & dicet, Sanctos neutiquam extitisse Theologos Scholasticos neque pressam, exactamque quam schola docet, di-

ctionem agnovisse, ac tumultuariè, pinguique, ut aiunt minerva alia per exaggerationum, plurima concionatorio, modo locutos fuisse. Quid sanè super fit quod cum Luthero blatemus, & dicamus, plus valet unus scholasticus, quam mille Augustini, vel Cypriani? sancta planè quæque hic tumor evertit. Silere Sancti Apostoli debebunt, silere Prophetæ, Evangelia concilia, quæ sermone scholastico haud utuntur. Mallem, fateor, iterùm fur esse, aut latro & incantator, quam hoc spiritu obcæcari.

Sed inquis, aut Sancti Patrea adeò sunt perspicui, tamque conspicuæ mentis de Scholasticorum quidem sensu nullæ sunt lites, & quæstiones; de mente verò Sanctorum, & legum cuncta in lite sunt. Respondeo, quia parùm nostra interest, quid hic Theologus, aut ille senserit, & si alii contradicunt, alii consentiunt; nec eorum authoritas, est probativa; & sic dicemus; *hi Theologi* hoc dicent; ergo ita est, transeat antecedens, & nego consequentiam, ut suprà etiam tractavimus. At Sanctorum Patrum, & legum authoritas est probativa: & scelus censetur saltem in publico & palam eis contradicere; quod ne fateamur. Tot litea de eorum sensu movemua, & irridemus. Quod profectò perindè de scholastitis foret, si tanti esset eurum authoritas. Et sic etiam videmua, quando ad scholasticorum sensum causa aliqua devolvitur, eodem modo lites suscitari de eorum sensu. Ut si quia opinionem aliquam suam à censura asserere vult, & Theologorum pro se aliquem allegat: hic in primia Theologus negare ei solet. Haud forsitam temerè divino, si dixero: da tanti esse in Ecclesia Cajetanum, atque Thomam: & tot erunt de mente Cajetani lites, & opiniones. Non ergo obscuritas, barbariesque Patrum harum litium causa sunt.

Atque ex his denuò sic argumentor: si Sancti Patrea v. g. in causis morum, reliquisque propriè theologicis intelligi non possunt. Sed jure; & propter obscuritatem suam contrariis interpretationibus subsunt, etiam in causis fidei; & religionia tales erunt; si quidem in causis fidei, & religionis, scholasticiores, aut methaphysiciorea non extiterunt. Sed in causis fidei. Et religionis tales non fuerunt; alioqui à Concillis, & à controversis adversus hæreticos telegandus veniret locus ab authoritate Patrum? quod esset insania: ergo neque in causis morum, teliquisque propriè Theologicis tales fuerunt. Idem argumentum efficitur de scriptutis Dei, quæ vel in causis fidei intelligi nequibunt, vel in causia etiam morum poruetunt, si quidem non solùm ut rectè credere possimus. sed etiam ut rectè vivere sciamus, consignatæ illæ sunt. Quo loci ad excitandum stupidiores addo: si Genevæ ego authoritate Chrysostomi v. g. agetem. Et aliquis Bezæ, vel terræ filius responderet, aut eum Beza ineptiorem extitisse, aut scholasticum non fuisse, ueque se explicare scivisse, aut excessisse per exaggerationem; aut concionatorio modo loqui solitum fuisse, profectò hoc sursur hæresis, & Genevense foret. In Ecclesia ergo ipsa Dei similia existimare, vel mussitare tu vido precor, quale facinus sit. Judicabimur planè judicabimur.

Sunt quidem, quod alioa notavi, & Patres tradunt, in scripturis Dei multa semper latentia, indeficientesque thesauri absconditi, in quibua effodiendis occuparemur, & alia etiam, ur in Apocalypsi, quæ ad novissima tempora maximè pertineant, & tunc planè, & clarè intelligenda sunt. Cæterùm ea, quæ ad rectam fidem; ejus defensionem, ac propagationem, moresq; formandos, & ad integritatem Theologię verè talia, sapientięq; christianæ pertinent, satis sciri possunt; si quidem. Et fuit ante ætates nostraa Theologia, sapientiaque in Ecclesia Dei: quod stolidum esset negate

Postremò atgumentor. Oratores, Poetas, historias, politicas, litteras, cambii, & omne genus scripturarum intelligimus rara. Vel nulla dissensione, nec mundum superscriptia quibusque contrariis interpretationibus, dissidiisque implemur. Ratio porrò non est quia inter Scriptores mundi omnes solùm Legislatorea, ac Sancti Patres inceptissimi extiterunt: cæteri verò omnes etiam non Scholastici, quod volebant, manifestare sciverunt. Ratio est quod ad cætera intelligenda sine arbitrio; sine opinione, ac suitate accedimus, & id unum nostrum esse arbitramur, nosse scilicet quid re vera Tullius, quid Virgilius, Homerusque, aut Euclides, aut alii dixerunt. Ergo non Sancti, non Legislatorea in causa sunt exemplo toties utor, Authores librorum spiritualium, ex eisdem Dei. Et Sanctorum libros dissetunt, statuunt docent; neque tamen ita dissident, & contrariantur. Ergo cæteri quod porrò interpretationibus nostris dictum est, jutistaa ad verbum involuit: qui instrumenta omnia, scriptutas, testamenta, institutionea Majoratuum, & omnia contratiis mox explicarionibus, & opinionibus involvunt ac mundum litibus implent, ac dissidiis lacerant, etiam possumus Si volumus, & quia par est cordis nuditate, humilitateque accedemua.

§. II.

Humana ratio de suo discurrens ineptissima est adjudicandum de rebus judiciorum, legumque divinarum.

Recidimus sæpè in hunc locum, de quo tamen pro compescenda humana libidine, fastuque, satis dicturi numquam videmur; cum vix aliud quam humana ratio, ingenium, subtilitas, acumenque in pretio habeantur: & quod magis est dolendum, humana ratio tanti est, non quidem illa, qua scripturis Dei, ac summotum virorum doctrinis in primia instructa sit, sed instar tabulæ, ac omnis fermè expers disciplinæ: quod malorum origo est. Scimus certè, scimus, & credimus, humanam rationem, sicut & naturam ipsam esse bonam, præsentissimamque, neque de hoc nobis lites moveant: at juvat illa prodestque, si Dei directionem ac institutionem sequatur: si suam in primis insufficientiam, doctrinam Dei, sanctorumque necessitatem, atque alia fortissimè credat? & practicè servet: sin minus præcipitat: & hæresea omnes, & delyria hominum sunt ab humana ratione superbè sibi fidente, de suo audente, & nulla non mala secuta suer. Equus sanè egregia est natura, sed fræno, sessoreque indiget; discipuli præclaro, sæpè ingenio pollent; sed à Magistris primum discant, necesse est. Multò profectò humana ratio fræno, Deoque Directore opus habet, & magno ingenio, sed superbo nihil est pestilentius.

In christiana itaque religione manifestissimum est, ac manibus penè ipsis contrectatur, non modò humanam rationem de suo philosophantem, & statuentem de judiciis, lege que Dei esse ineptissimam, sed Deum gloriosum omnia ferme contrario modo dispofuisse, quam nobis de nostro judicantibus, ac nobismet relictis visum fuisset. Adeò sanè egregii judices existimus, qui legem Dei ad tribunal nostrarum magnarum opinionum, ingeniorumque vocemus, *non enim cogitationes meæ, cogitationes vestra, neque viæ vestra viæ meæ dicit Dominus* (*Isaj.* 55.) *quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltata sunt viæ meæ a viis vestris & cogitationes meæ a cogitationibus vestris*: item Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: atque alia sine fine: inde Paulus pro minimo habet judicari ab humano die: atque uno verbo sapientia omnis aut prudentia mundi, & carnis Deo contraria constat humana ratione, & ingenio de suo philosophante: ac infinities, de quo libro sequenti pertractabo, in libro Dei instituimur, ipsius esse scientiam legis suæ, quæ ab ipso postulanda sit, & quam ipse nos doceat. Stulte ergo, atque contra scripturas Dei omnes, ingenio nostro, rationeque, vel de lege ipsa Dei, vel de rebus sub ea contentis judicare, statuereque aggrederemur, & vix non contrariè, ac sæpè sanè contrariè judicabimus.

Scripturis certe Dei consultis, ista consecutio valet: continentia, virginitas, & similia viribus solis naturæ comparari, servarique nequeunt. ergo neque viribus solis rationis naturalis & ingenii scientia divinæ legis, velinse, vel quoad res sub ea contentas comparari potest, & ut insufficiens, atque inepta est natura sola ad prima, ita ratio naturalis ad posteriora. De quo planè argumento ingens opus scribi potest: sed quibusdam solum notoriis factis insinuatis res nunc brevissimè conficienda est. Abeant ergo, qui humana sola ratione, & ingenio tot de lege Dei quæstiones expedire, librosque complere non timent.

Plurima itaque, & potissima, quæ gessit in hoc mundo Deus gloriosus, maxime verò in opere omnium præstantissimo Redemptionis nostræ aliter se gessit quam nobis visum fuisset, & si nobis consiliariis usus fuisset, omnia alia peregisset. Cujus sanè veritatis ea est probatio invicta quod postquam etiam facta sunt, credimus magis ea, quam intelligamus, & assequamur. Est item alia ratio; nam Theologorum ferè omnium, una vox est & confessio, ea non solum ratione demonstrari ea non posse, verum neque demonstrativè dissolvi argumenta contraria, quod non modo verum est de mysteriis pertinentibus ad Deum, & divina inse, sed etiam quo ad pertinentia ad opera ejus. Erravissemus ergo in illis, si judicio nostro, ingenio, atque ratione philosophati fuissemus: Etiam certa apud christianos statuta, trita, servataque, & practicata esse deberet ista nostra insufficientia. atque statuta est, trita, nota, servataque, & practicata necessitas fidei, & quam propria nostra inter gentes omnes est vox illa, *credo*, tam propria esse deberet vox ista *non sufficio*; non quod simus sufficientes cogitare, &c. sed sufficientia nostra ex Deo est, definit Apostolus.

Percurramus igitur opera Dei aliqua & te utor consiliario opinatore magno, & subtilissimo ingenio, ecce nos condit Deus ad beatitudinem innumeris donis ornatos. Nunc ergo unius Adami arbitrio fortunam omnem nostram alligavit, & eo peccante omnes in eo peccamus, & nondum nati sumus, neque ratione, neque libertate utimur, & tamen jam filii iræ nascimur, & peccatores, & servi Diaboli? num rursus ex unius pomi comestione; quæ juxta opiniones materia gravis obligationis vix videretur totius generis humani strages tanta pendebit? & ubi erit illa Dei misericordia, visceraque illa pientissima; ubi opinandi illud principium durum esset: pauci salvarentur, & similia quæ commemorare longum esset. Numquam ergo talia a Deo disputanda, imperanda, permittendaque, non solum operari; sed neque hallucinari quidem potuissimus, & postquam etiam facta sunt. ægrè credimus, & aliqua forsitam etiam prophanamus: certè rectè intelligere, & capere non valemus. erraret ergo circa hæc humana ratio de suo differens, & statuens; & sic Philosophi quibus ingenii virtute non præstamus, delyrarunt, atque etiam posteà ex christianis tota Pelegianorum factio delipuit, & peccatum originale horrendum monstrum, & chimæra eis visa est. Inde consequenter, ut lib. 1. tractavimus, peccata ignorantiæ omnia sustulerunt eodem illo principio, quo plurimi nobis resistant, quod hic, & nunc peccare quis non possit qui ne hic, & nunc advertat se peccare. Undè consequentia est, propriam, pressamque rationem peccati, pænæque dignitatem peccato originali denegaudam. Hi ergo opinatores egregii vel ipsam etiam possibilitatem peccati originalis, si tunc consultores adfuissent, fortissimè denegavissent.

Ecce iterùm Deus, qui salvare omnes a principis voluit, atque in hunc cætera finem ordinavit, populum sibi delegit certè exiguum quem Prophetis, quem legibus, doctrinaque sua instituat, curet, ac dirigat reliquo universo mundo, vix non abjecto, & præter universaliorem quamdam providentiam in summa quadam tenebrarum caligine, ignorantiæque cæcitate derelicto. Nos credo, ita opinati fuissemus; totius mundi voluissemus parem curam habendam, salvandosque, vel plures, vel omnes: atque ita ex universa aliquorum morali Theologia, locisque communibus conficeretur, cumque de his fidei adversarii nos impetunt, vix quoquo modo vel respondere plerique scimus. Si ergo postquam etiam tam contrariè a Deo cuncta scimus tamen in opinando persistimus, quid, oro te, accidisset, si nobis consiliariis usus fuisset? Non est sanè exitus in humana ratione de suo audente, aut se magis præcipitante, sed illa est solutio horum, & in finitorum aliorum, *ô homo tu quis es? ac item quis cognovit sensum Domini aut consiliarius ejus fuit?* Deo deinde, electuro sibi populum nonne consuluissemus, Romanos, potius, vel Græcos cultas, politioresque demòm aliquando futuras gentes præjudiciis duræ cervicis, frontisque; & insani ingenii hominibus eligeret.

Quibus verò, o Deus, dixissemus, de toto opere incarnationis Domini? Deum hominem fieri oportere pro Redemptione nostra, cui nam

in mentem venire potuisset? ipsum item pauperem Virginem electurum in matrem, in præsepio nasciturum, & reliqua vitæ Salvatoris; ignominiam dein crucis, & abjectionem, & totius rei gestæ seriem an opinati fuissemus, vel si propositum id nobis fuisset, consuluissemus? Paulus testis est, Judæis actius institutæ genti scandalum id visum esse; Gentibus verò, mundique sapientibus stultitiam. Haud verò nos humana alia ratione superiori pollemus. Quid porrò mirum, si humanæ rationi sibi relictæ *Deus crucifixus.* Apertissima implicatio in terminis videretur: propterea que ista non ratione, non demonstratione, sed stultitia prædicationis stupendis sequentibus signis mundo persuasa sunt. Eequis deindè credere, consuleretvè potuisset, omnipotentem Deum hominem fieri pro redemptione, conversioneque mundi; & paucissimos intereà convertisse: eorum item paucissimorum, plerosque nutatos esse, atque in Magistri morte, & cruce scandalum passos esse?

Discipulos rursùs electuro Domino, quos, precor, eligeret, tu consuluisses? an piscatores, rudea, illitteratos, rusticissimosque? Apage. Duodecim verò eligit. Num hos saltem provectæ fidei esse non oporteret? aliquem ne eligat, qui ipsum traditurus sit, atque damnandus? Unum sui Vicarium, cæterorumque Principem, creaturus est. Nam permittit, ut hic ipse semel, iterùm, tertio eum, & jure jurando etiam deneget? Qui Ecclesiæ post Christum caput futurus est, turpis adeò sceleris labe fædari oportebit?

Evangelium conscribendum est. An triginta fermè annorum vitæ Salvatoris Series silentio in volvetur? Matrem habeat Mariam sanctissimam: an cum ipsa adeò austerè agendum credidissemus, *quid mihi & tibi mulier? ecce filius tuus*, &c. evangelium scribetur, & non casu, sed specialissima Dei cura, assistentiaque scriptum est. Quis nostrum non existimavisset, singulis pœnè lineis Mariæ sanctissimæ ?Matris electissimæ ingerendam esse mentionem an tu & ego non ita consuluissemus? Contrariè tamen visum Deo, quid dicimus? humiliemur apud Deum, nostramque insufficientiam profundissimè agnoscamus: nam illa duo *noverim te*, & *noverim me*, sunt duo principia necessaria proficiendi, & velut duo pedes gradiendi, tam in virtute quam in scientia.

Ecclesia ad hominum salutem extra quam omnes pereant, erigenda est, & erigenda quidem ab omnipotenti Deo. Num constitura illa est trium omnino sæculorum strage, & cæde quodam modo infinita christianorum? Propagata demùm illa fuit, sparsa que per orbem. An sectis aliis, hæresibusque tantam mundi partem auferentibus tantilla illa, ætate iam nostra permansura erat, & reliquus totus mundus, pro quo sanguis Christi fusus est, perit? ista certè præter & contra opinionem humanæ rationis sibi relictæ sunt. Et tamen de judiciis, de testimoniis, legeque Dei de nostro philosophari audemus.

Christiana itaque religio cum similibus rebus confortata sit, miseranda planè est audacia nostra, qua quasi alterius religionis homines essemus, omnem pœnè divinæ legis, testimoniumque scientiam ex nostro, ex ingenio, rationibus puris tanti habitis tractare, expedireque moliamur: cui certè aliquorum mori prorsùs contrario sancti Dei inesserunt; & legem Dei ex lege Dei, viamque salutis ex scripturis docuerunt, explicarunt, & cumulatissimè prosecuti sunt.

Quod ad præsentem quæstionem attinet, apertissimè hia tot Dei insinuatis factia, quæ omnibus christianis nostra sunt, patet, audaciam esse, præcipitationemque, quæ a gravi crimine excusari non posset, quod nostro judicio, nostro ingenio, nostris rationibus, opinionibusque legem sanctissimam Dei interpretari, aut magis corrigere velimus, & plurima sine fine esse peccata, vel non peccata, hoa salvari, aut illos, & cætera hujusmodi, ipsius Dei scripturis inconsultis, de nostro, & ex ingenio, suitatibusque antecedentibus statuamus.

Stultitia esset quod non Theologus de rebus Theologicis ita auderet. Major ergo est stultitia, quod nos de Dei judiciis, legeque audeamus, & ea a Deo jussa, & ea non jussa statuamus, quæ magno ingenio nostro, jubenda, vel non jubenda viderentur. Patet consequentia nam non adeò distit non Theologus a Theologo, atque humana ratio, & ingenium sibi commissum a Dei sapientia, judiciis, viis, & modo mundum, hominesque administrandi, ut ex dictia, aliisque plurimis patet. Ergo major est stultitia, & minor excusatio. Ergo scripturæ scripturis juxta ecclesiæ, sanctorumque Patrum sensum, & lex Dei ex lege Dei, eodem modo interpretanda sunt; sin minus nomen quidem superetit interpretationis; res ipsa non erit, magis quam si Theologus Mathematices rudis quasdam suas ex ingenio ratiocinationis Euclidis interpretationes nuncuparet: erit verò adhuc fœdius, & turpius; si ex suitatibus, opinionibusque antecedentibus scripturam, legemque Dei exponere, interpretarique aggrediamur. Quod magis, & magis est denuò declarandum.

§. III.

Ex ablatione, & additione, mutationéque physica scripturarum, & legis constat etiam absurditas, & gravitas interpretationum antecedentium.

VOcamus interpretationes antecedentes eas, quæ a suitate, rationeque antecedenti fiunt; quid porrò sit suitas antecedens, quid item antecedens ratio, supra satis declaratum est. Constituimus itaque, & ex superioribus quæstionibus inferimus, illicitas prorsùs esse, & graviter peccaminosas omnes scripturæ Dei, & legis interpretationes, quæ suitatibus, rationibusque antecedentibus inferuntur; & idem proportionatè tenendum est de omni doctrina, & autoritate autoritativè probativa Ecclesiæ Dei, seu ex sensu, & judicio Ecclesiæ, ut sunt definitiones ipsius, Concilia etiam Provincialia, Bullæ Pontificiæ: libri Sanctorum Patrum, & si quæ sunt alia hujusmodi: Atque hæc conclusio sequitur ex præcedentibus quæstionibus; constat etiam ex S. sup. Neque satis est, suitatem & ratio-

tionem esse consequentem adinventionem veritatis, quæ talis videatur instituta, per inquisitionem Philosophicam, & naturalem; nam hujus inventio non est sæpè saltem inventio, sed videbitur esse, & plerumque fallit, ut demùm paulo ante exponebam, & infrà iterum commonstrabitur, sed requiritur, non esse antecedentem ad ipsam notitiam, & cognitionem, ac collationem scripturarum ipsarum, & libri legis non ex cerebro, sed juxta instituta Ecclesiæ, & Patrum.

Nunc igitur interpretationum antecedentium fœditatem gravissimam, atque turpitudinem exponere propositum est exemplo additionis, & ablationis, mutationisque physicæ: hancquippè horrent Catholici quique, ex quo proindè utiliter contra similes interpretationea arguimus. Mutationem autem physicam voco, ut si quis adjiceret ad scripturam, & legem Dei, aut paginam, aut lineam, aut verbulum unum, & loco affirmationis unius solùm poneret negationem, aut contrà: quo etiam pertinet hæreticorum ablatio illa facilis, & expedita, qua negant, librum, vel Epistolam aliquam canonicam: & idem est de adjicientibus; jamque superius aliquid hoc circa delibavi, ubi de additione, vel ablatione ad legem, quod omnis doctrinæ moralis falsæ, nulla excepta, proprium est, disseruimus.

Hanc primùm utriusque mutationis, scilicet ejus, quæ fit physicè, & ejus, quæ fit per interpretationes antecedentes, communionem declaret, & statuat Tertulianus in probatissimo suo libro de Præscriptionibus adver. hæres, atque in primis capite 15. hanc statuit ad totum discursum Magistralem propositionem: *tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum est corruptor stylus*: tantum ergo scripturis, & tantum etiam legi.

Probat exemplo, & facto duorum utroque modo auferentium, & addentium. *Alius manu inquit, cap. 34. Scripturas, alius sensu expositiones intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videatur, non callidiore ingenio, quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exertè, & palam machæra, non stylo usus est; quoniam ad materiam suam cædem scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit; quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitavit. Et tamen plus abstulit; plus adjecit.* Ergo verum est, quod constituerat: *tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.*

Idem denuò probat cap.3. ostendendo, quomodo eisdem verbis, scriptisque tetentis perindè, atque ablatione ipsa physica inverti, corrumpique possint scripturæ quælibet. *Vis hodie, inquit ex virgilio fabulam in totam aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Ovidius Geta Medeam tragediam ex virgilio plenissimè expressit: meus quidam propinquus ex eodem Poeta inter cætera styli sui ocia Pinacem Cebetis explicavit.* Et Hieronimus in prologo galeato ad Paulinum: *quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, & voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homero centonas, & virgilio centonas; ac non sic etiam Marcionem sine Christo possimus dicere Christianum, &c.* Tantum ergo obesse potest, & scripturas intervertere adulter sensus, quantum corruptor stylus. Ergo cæteris paribus, & quoad finem scripturarum tantum, vel ejusdem saltem generis piaculum est sensum interpretatione antecedenti adulterare, & depravare, atque physicè illas corrumpere.

Probatur illa propositio Magistrali Tertuliani exemplo non horum, & illorum, sed eorumdemmet hæreticorum, unam scripturæ partem, quasi physicè, aliam sensu solum mutantium. Etenim Lutherus inter reliquam stragem scripturarum abstulit quasi physicè, id est, negavit epistolam canonicam B. Jacobi, quia scriptum in ea erat contra materiam, & opinionem ab ipso excogitatam, *fidem sine operibus mortuam esse*: admittit autem Epistolas Pauli, in quibus sæpius, neque minus expressè eorundem operum necessitas, soliusque fidei in sufficientia adstruitur, doceturque, eam fidem justificare impium, ex ea irem fide justum vivere, quæ per charitatem operatur, & hoc genus infinita expressissima. Et tamen quoad suam statuendam hæresim, perinde Paulum in genio Valentini, atque Jacobum machæra Marcionis extinxit, vel sustulit. Ergo sicut prius.

Horum porrò ratio est; quia in scripto quolibet potior est sensus, & littera, & scriptura, est propter sensum, & non contrà, & proverbium est sumptum ex Hieronymo, Evangelium non in foliis constare, sed in sensu: & multa idem Hieronymus tum alias, tum in epist. ad Pammath. de optimo genere interpretationis & capite in his de verborum significatione traditur. Idcirco si vel litterâ, & scriptura ipsa materiali carendum esset, vel sensu, præstaret carere littera magis, quam sensu; & Ecclesia Sancta, ut alibi disseruimus, sensum scripturarum custodit; estque; sensus, & mens loquentis in littera, si aut anima in corpore, & quis cæcus mentem, animamque habens scripturarum est sapientissimus, & si legere nequeat, neque audire, si surdus; & alter audiens, legensque codices, sed non intelligens, est revera ignorans, & littera sine sensu est prorsùs inutilis. Tantum ergo veritati, scripturisque obstrepit adulter sensus, quam corruptor stylus. At interpretationibus antecedentibus adulteratur, tolliturque sensus, & mens loquentis. Perindè ergo sic interpretantes peccant, atque physicè scripturas commutantes.

Fatemur sanè interesse quamdam prætereà extremam irreverentiam inDeum in commutatione physica; ut siquis scripturæ vel partem minimam combureret, aut pro peccato scriberet non peccatum, vel contra. De cætero qui sensum falsat, ac depravat, per inde intendit reddere inutilem scripturam, atque si eam combureret, aut litturis redderet illegibilem, aut scriberet affirmationem pro negatione, & non legem pro lege; ergo ejusdem generis criminis reus existit. Quinimò qui mutat physicè, vel combutendo, vel radendo, tollit quidem, vel eò it, ut tollat sensum; alium tamen contrarium non inducit. At qui falsò interpretatur, sensum verum tollit, & alium contrarium sufficit, ac substituit; id est negat, à Deo dictum esse, quod ab ipso dictum est, & affirmat ab eo dictum, quod dictum non est, & Deo aufert sua, & in eum refert non sua; ergo si voluntario id facit, gravissimum crimen perpetrat. At facit id voluntario quisquis interpretationi-

bus antecedentibus utitur; nam propositum sibi est ad suas suitates, & antecedeutes opiniones, & rationem sensum scripturarum trahere, atque detorquere: ergo propositum sibi est verum. Vel falsum sensum scripturis tribuete, pro ut e re sua, & suitatum suarum, & opinionum magis erit: & sic devotat crimen deptavationis, & adulterationis. Neque interest, utrum id exptesse, & signatè, an solùm intetpretativè, ac implicitè sibi proponat, præstituatque, & esdem remanet species peccati, ut in aliis peccatis cernitur.

Est & alia ratio patificandi utrumque genus mutationum. Etenim ut ex d. Thoma, sapientibusque aliis habemus, locutio omnis, sive vocalis, sive scripta, aliud non est, quam manifestatio conceptus loquentis; & locutio jussiva, ac præceptiva Dei est manifestatio conceptus Dei, vel voluntatis, si mavis, qua aliquid à nobis vult fieri; aut non fieri: loquensque omnis, aut scribens, eò verba sua, scripturarumque dirigit, ut ii, ad quos scribit, aut loquitur, habeant, sciantque mentem suam. Hoc toto Dei loquentis fine, & intentione nos, Deumque frustrat, quicumque falsò interpretatur; cum sparte in terminis implicet falsam ullam interptetationem tradere nobis mentem, vel conceptum, vel voluntatem Dei; in super etiam degenerem aliam, spuriamque, & falsam mentem nostram sufficit, substituitque loco conceptus Dei: quin, quod turpissimum est, hunc vilem, spuriumque conceptum nostrum, asserit esse conceptum, mentemque Dei. Hoc scilicet totum facinus committunt quicumque falsam interpretationem invehunt: quod certè iniquius multo est, quam si æs pro auro, aut vitrum pro gemmis venditares, quantò plus distant ratio, mens, & consilia Dei a nostris, quam æs ab auro vitrumque ab adamante. Est verò totum voluntarium antecedenter, & præfixis suis opinamentis, suitatibusque se interpretati affectantibus. Ergo gravissimi sceleris rei sunt. Est similiter totum voluntarium iis, qui norunt, se parùm, vel nihil evoluisse libros Dei, ipsaque Dei scripta, & Sanctorum, quorum hoc fuit unum, ac perpetuum negotium scripturas Dei intelligere, legemque ex lege explicate: & nemo catholicorum, quando cum hæreticis disputatur, dubitat, scripturam per scripturam, collationemque locorum, ubi maximè Ecclesia nihil determinavit, esse intelligendam, & locum proptereà alium potissimum rectè intelligendi esse doctrinam Sanctorum. Omnia ergo hæc prætermittenti, & toto intereà anno legem Dei intetpretanti voluntatis est omnis sua falsa interptetatio: universa scilicet Theologia moralis aliud non est, quam interpretatio legis naturalis, & divinæ, & reliquarum, ut patet.

Undè non nugæ sunt, sed verissimæ veritates, quæ de falsis interptetationibus tamquam de grandi scelere sctiptæ sunt, ut 37. distinct. cap. 4. *quicunque scripturas non ita intelligit. Ut rei veritas habet. Uvam acerbam comedit*, alluditurque ad Jerem. 31. de quo superius dictum est. Item 38. dist. falsi Prophetæ illi habemur, *qui aliter scripturarum. Verba accipiunt, quam Spiritus Sanctus sonat:* Prophetizant enim, & divinant illos Salvandos esse, vel hos damnandos, quos veritas scripturarum non Salvat, vel damnat, & eam, quæ nun est esse voluntatem Dei, prohibitum, vel concessum.

Hinc etiam a Sanctis Patribus ex Apostolo tantopoto reprobantur, qui adulterant verbum Dei: *non enim sumus, inquit 2. ad Corinth. 2. sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate*, &c. Plurimi, ait, sumus, qui ita interptetamur, & opinamur, & centum, vel ducentorum etiam est ista opinio, & dormis. Profectò plurimi etiam sunt isti, quos Apostolus damnat, & per plurimos non efficitur ut adulteratio non sit adulteratio: adulterare porrò, ut pressè exponit S. Thomas, est, *ut mulieres dicuntur cum recipiunt semen ex alio viro, &c.* quod propriè efficitur, ut declarat Ambrosius *cum tollentes divinum sensum ponebant humanum: & glosa ibidem: qui corrupta doctrina veritatem violabant, de quibus Isaias ait; caupones tui aquam vino miscent; Etenim semen est verbum Dei: in quo toto nulla falsi particula continetur: & d. Irenæus libro 4. advers. hæres. capite 2. de traditionibus Doctorum legis differens: propter hoc ait Isaias, caupones tui, &c. ostendens quod austero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est, aggredientes adulteram legem, &c. & contrariam legi*, &c. *& Clementis epist. 5. Magistralis est regula, & adversus interpretationes antecedentes: sunt enim ait multa verba in scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpsit. Sed fieri non oportet, non enim sensum quem extrinsecus adulteretis alienum, & extraneum quærere debetis, aut quoquo modo ipsum ex scripturarum autoritate confirmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis.*

§. VI.

Maior istius adulterationis explicatio, & inconsiderarationum eversio.

DUo hic, & ubique nobis diligenter cavenda sunt, & evertenda, quæ quidam ad omnia inculcant. Alterùm illud, quod cuncta ad hæteticos rejiciant, nulloque in doctrina crimine Magistros Catholicos involvi, comprehendique posse arbitrantur; Undè hic quoque quidquid de depravatione sensus scripturatum, atque de adulteratione ingerimus, de hæreticis solis intelligendum, dicunt, & vix non rident, & aliquando etiam commoventur, quod his ex locis, ipsos tangamus; & reges silent, & Episcopi silent, & cæteri silent, si eisdem ex fontibus eosdem doceamus, & reprehendamus, ut superius latè explicatum est, & soli. Magistri Catholici in officio impacabiles sunt, neque ex scriptutis coargui possunt. Sed tange montes, & fumigabunt. Alterum est illud, quod aliquibus in naturam ipsam versum est, scilicet probabile: & indignum censent, si de falsis doctrinis probabilibus ea etiam intelligamus, quæ de deptavatione scripturarum censusque adulteratione scripta sunt.

Et quidem ego semper confiteor, hæreticos esse maximos ac famosiores scripturarum, legisque depravatores, corruptores, adulteratoresque, sive stylo solum, sive machœra utantur; at non sequitur: hæretici magis adulterant, & peccant; ergo Catholici nullo modo adulterant, neque peccant, magis quam sequatur; hæretici, vel Judæi

nequiores

nequiores Catholicis sunt ergo Catholici peccatores, non sunt. Omnium deinde fidelium sensus, & questus est à concionatoribus quibusdam illudi, adulteriq; verbum Dei; neque verò Theologi Catholici sunt, & concionatores illi Catholici non sunt. Evertimus itaque supra inconsiderationem istam; & nunc ex Apostolo, & glosis attactis patet de doctrinis falsis morum atque de opinionibus moralibus Doctorum legis, & Prophetarum tempore, & post esse specialiter sermonem.

Adulteratio itaque, & depravatio scripturarum, & legis præscindit ab eo, quod in doctrina fidei fiat, vel in doctrina sola nondum difinita morum, vel quæ olim quidem de finita satis fuerit: post verò a luxuriantibus, ingeniis contradictum sit, & Ecclesia justis de causis tolerat: ex quo nunc adsit probabilitas illa impunitatis, & tolerantiæ, dequa par. 1. disseruimus. Quid enim, ut omittam plura, magis in Ecclesia Dei difinitum, quam extra ipsam salvari neminem? & tamen sunt, qui modo impunè tradant contrarium.

Adulteratio ergo aliud non est, quam veri intellectus, & sensus, & conceptus proprii Dei, & ejus scripturæ ablatio, & alterius loco ejus intrusio, seu commutatio sensus, & conceptus Dei in alium, ut ex D. Thoma, Ambrosioque compertum est: est enim quasi vir scripturarum, quarumque sutor ipsarum, qui in eas emittit sensum suum. Atque hic est conceptus genericus adulterii, qui dein, ut animal in suas species, & peccatum in suas, dividitur in species varias, depravationis, & adulterationis graviores, vel minus malas pro qualitate doctrinarum Dei: sed omnis falsum docens, falsoque interpretans legem Dei, tollit a lege verum intellectum, & sensum, conceptumque Dei ad nos loquentis, & alium loco ejus intrudit, immittitque: & intervenit, commutatio dicta sensuum, & conceptuum. Adulterat ergo, & depravat. Sed id voluntarium est antecedenter interpretantibus. Sunt ergo ex illis plurimis, quos Paulus improbat adulterantibus verbum Dei.

Sicut autem per plurimos non est evasio, ita neque per probabile: nam plurissimis utique illis, eosque sequentibus probabiles, & probabilissimæ visæ sunt interpretationes suæ, siquidem plurimorum erant, neque in docti, ut aiunt, distinguere possunt: & ut latè tractavimus, omnibus suæ opiniones, & interpretationes videntur probabiles, & probabiliores: atque tales suæ visæ sunt scribis, & Pharisæis; atque propterea adversus Salvatorem, & adversus Prophetas adeò commoti sunt, & in mortem eos egerunt. Patet ergo evasionem nullam esse per plurimos, nec per probabile a veritate sejunctum. Quemadmodùm item nuper exponebam, probabilitas opinionum falsarum non tollit conceptum proprium adulterationis; & sicut ille per hæreticum, & non hæreticum dividitur in species deteriores, & minus malas; ita dividitur in species probabilium, & improbabilium malas, & minus malas: atque in omnibus subest vera adulteratio, quoties subest falsitas: nam omne falsum conceptus Dei non est, sed Diabolum patrem habet, qui ab initio mendax fuit, & falsator sensus verbi Dei, illudque falso interpretando Evam matrem nostram decepit dicendo, nequaquam moriemini.

Quam itaque pravum est monetam falsare, effingere ut alterius manum, & subscriptionem, & sigillum, & hoc genus alia commutare, sunt que hæc omnia contra jus, & iniqua, quibus impunè ad missis regimen omne convictusque hominum cadat; ita a fortiori scelus est, quam dici possit, grandius sensa omni potentis Dei; & scripturarum ejus, ad suas creaturas, quibus non in fide solum, sed in moribus quoque nos dirigit, & instituit falsis interpretationibus intervertere, falsare, & eludere: & si hoc visibile quidpiam foret, ut falsationes monetarum, & sigilli Regis, & similia, videremus certè sceleris magnitudinem, & gravitatem.

Dupliciter verò hæ falsæ interpretationes fieri possunt. Primo modo, ipsa Dei scripta, sed de torto corde, præjudicioque opinionum, & suitatem evolvendo, & afferendo. Alio modo ea prorsùs prætereundo, neque ea ad se magis pertinere, quam Euclidis demonstrationes, existimando; & tamen toto die de peccato, vel non peccato differendo, & si qua scriptura ab alio opponatur eam quasi mea esset, excipiendo, & suæ magnæ rationi te, & practicè subjiciendo, & eludendo. Utrum genus pervertendi, adulterandique nequius sit dicere omitto: certè utrumque peccatumque grave esse, satis commonstrarum est.

§. V.

Qui modo dicto interpretatur, legem judicat, nec est factor, sed judex legis.

Conandum est modis omnibus harum, quas antecedentes nuncupavimus, interpretationum turpitudinem evolvere; quadam enim ignorantia, & exigua tantarum rerum consideratione inductæ videntur, factumque est, ut supremum legum. Et dogmatum tribunal, & judicium rationi, & ingenio commissum sit, eique reliqua subjiciantur. Dicit itaque Jacobus Apostolus cap. 4. *Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex.* Horret sanè fidelis quisque ad hos terminos, & videt, quanta sit de mentia, quantumque scelus judicare legem Dei: hoc enim involvit, & Deo suam sapientiam, divinitatemque tollere, & nobis eam usurpare, nobisque eum subjicere: quod multò est nequius, quam supremorum Senatuum sententias Pagorum judicibus ordinariis subjicere, atque ab eis ad his provocare; quin simile non habet, & est extrema quædam dementia, & scelus.

Horremus, inquam, omnes ad hos terminos, *judicare legem Dei*, nec est qui sub hac expressione & terminis tantum facinus moliatur; sunt tamen plura, quæ sub quadam fæda expressione non audeamus; involuta tamen coopertaque fucis aliis ingluriamus, velut pisces latentem hamum, & ægroti pillulas suas: atque sic sunt universim peccata omnia. Nemo adeò desipit, qui sub hac expressione, & facie velit à Deo tollere rationem ultimi finis: nemo qui iterùm crucifigere Christum: nemo multa similia, quæ intereà cuncta sub involucro plurimi affectivè deglutiunt. Nulli sunt, qui fieri velint hæretici fiunt tamen: & sic in aliis, quæ commemorare prolixum esset. Siqui ergo antecedenter, sive videndo, sive prætereundo librum legis legem interpretantur, haud dicunt sanè, volumus judicare, & corrigere legem: faciunt

Z 3

tamen fcitur fcilicet,quod Auguftinus lib.de vera Relig.cap.31.præfcribit, *aeternam legem mundis animis fas effe cognofcere : judicare fas non effe* ; re tamen, & praxi judicant.

Nam ficut magnus Doctor continenter exponit,hoc intereft cognofcere,& judicare, *quod ad cognofcendum fatis eft,ut videamus, ita effe aliquid, vel non ita ; at judicandum verò addimus aliquid, quo fignificemus,poffe effe,& aliter.Velut cum dicimus,ita effe debet,aut ita effe debuit, aut ita effe debebit, ut in fuis operationibus faciunt artifices. Quod denuò* §. feq. explicatiffime Chryfoftomus quoque comprobabit.

Hoc porrò idem, quod tam fubtiliter Auguftinus expreffit,faciunt quicunque fuitatibus, interpretationibusque antecedentibus utuntur, dum ad fuas opiniones, & præopinata, & præjudicata fcripturam,legemque adaptant : nam cum quilibet opinionem fuam veram effe neceffario in fenfu compofito fuæ opinionis exiftimet,fanè putat, rem ita effe debere, ita effe oportere. Sicut ipfe præopinatus eft,& peccatum, quod ipfe opinatur effe, vel non effe peccatum, exiftimat effe debere. Vel non debere peccatum : & quæ fibi prohibenda, vel concedenda vifa funt, putat prohiberi debuiffe. Vel concedi; & fi vifum eft ; plurimos falvari; pauciffimos verò damnari, ita judicat effe oportere atque à Deo gloriofo ita legem difponi debuiffe. Poft has verò inconfultis fcripturis, & exigua libri Dei cognitione conceptas, præfixasque opiniones, & regulas his fuis opinionibus, hacque fua regula, & menfura, fcripturam & legem interpretantur ; ergo legem revera judicant.

Explicatur:nam idem eft quoad præfens judicare legem, & regulare, ac menfurare legem. Sed fua opinione regulant, ac menfurant legem ; ergo judicant. Minor propofitio oftenditur, nam quando concurrunt duo,tam quam regula,& regulandum, illud habet rationem regulæ, ad quod alterum adaptamus,& accommodamus,ut hoc magis juxta illud fit,quam contra.At quando fuitate antecedenti ad legem interpretandam quis accedit, concurrunt lex,& doctrina fua,tanquam duo concordanda, & unum regula eft, & alterum regulatum : adaptatur autem, & accommodatur lex ad doctrinam fuam, & non e contrario, ut patet ex declaratione fuitatis antecedentis. Regulatur ergo lex, & menfuratur. Ergovè dicatur.

Videbunt fanè,utrum in hunc fcopulum impingant illi qui ab omni auroritate, Sive Dei,five Ecclefiæ,& fanctorum,quafi omnia per rationem demum noftram regulanda,dijudicandaque fint, ubi etiam de ipfis inacceffis arcanis Dei difputatio fervet ad integerrimum, fupremumque rationis noftræ tribunal provocant. Sapienter fcilicet in magnis Academiis conftitutum eft, ut autoritate, quæ primum locum jure in Theologia obtinet, difputationes Theologicæ incuntur:at quafi nullus hic locus foret, autoritatem ftatim dimittendam,& ad rationem eundum,ac omnia una ratione exploranda, conficiendamque difputationem omnem arbitrari multi videntur : quod faltem oftendit, quo in loco re, & praxi fit fapientia Dei effufa quidem in omnia opera fua,magis verò, & uberius in fcripta fua.

Sed ad inftitutum de judicanda lege redeamus, & fufpectos faltem multos reddamus de hac judicatura in legem Dei ufurpata, majeftateque læfa. Nam ut Auguftini diftinctione utar, vel eo eunt, ut legem Dei cognofcant,vel eo, ut eam judicent, vel quod eodem recurrit,legem ipfi condant. Sed non eò eunt, ut legem cognofcant : ergo eò re fal tem,& praxi,ut eam judicent, vel legem ipfi condant, ex qua, quando occurret, legem ipfam Dei Judicent, & emendent. Minor propofitio oftenditur ; nam fi propofitum effet, cognofcere legem, imprimis, & ante omnia librum ipfum legis adirent,& ejus cognitionem habere ftuderent : deinde eorum , qui librum iftum in Ecclefia Dei elucidarunt, & explicarunt : hoc autem non faciunt. Quod probo primùm, quia hoc negotii & laboris ad fcripturarios,ut vocant alterius inftituti homines, non autem adfe,qui de lege Dei, & de peccato,& non peccato libros etiam fcribunt,pertinere arbitrantur. Rursùs probo : quia in his libris rarus ufus eft, rara praxis, rara que cognitio fcripturarum, & aliorum fummorum Doctorum, qui fcripturas explicant. Quam rem cum multis exemplis confirmari poffit, nemo eft, qui alterius longe diftantis mentem cognofcere defideret, & in primis, & ante omnia litteras, quas ab eo accepit, non confulat, non perpendat, non diligenter fcrutetur ; & fic eft in fimilibus omnibus. Quibus ergo confilium, verumque propofitum eft cognofcendi legem Dei,ipfum imprimis &,ante omnia librum legis, ipfa fcripta Dei cognofcunt, adducunt, verfant, diligenterq; fcrutantur, & fecerunt fancti Dei. *Nam beati qui fcrutantur teftimonia ejus,& qui revelatis à Deo oculis confiderant mirabilia de lege ejus. Mirabilia quippè ipfis funt, quia longe alia, quam ipfi ex cogitare poffent.*

Sed inquis, hos fimilium librorum Autores etfi fcripturis non utantur, effe tamen confertiffimos fcientia morali fcripturarum,& fanctorum, atque ita præfumendũ effe,ne temerè judicemus. Omnia quoquo modo dicibilia nobis objecta funt, & hoc quoque objectum eft in contentione : quod tamen falfum effe ipfi,opinor,norunt. Nemo deindè præfumat, eos, qui demonftrationibus abundant, uti in libris fuis argumentationibus topicis ; præterire verò demonftrationes. At ad cognofcendam legem, voluntatemque Dei, plus præftant ejusdem verba,& fcripta difcurfibus noftris,quam præftant demonftrationes argumentationibus topicis. Præfumi ergo nequit, eos quidem fciviffe legem, & voluntatem Dei ex ipfis Dei verbis, & fcriptis, & tamen hoc tacuiffe, & aliundè nobis probare voluiffe. Atque hinc evafionem retorqueo ; nam omnes in libro in publicum proferunt,quod optimum habent : at fcripturas non proferunt. Eas ergo,vel non habent. Vel optimas non cenfent, fed meliores, cenfent, plurifque æftimant rationes, quas edunt. Hoc autem ipfo re ipfa & praxi præferunt fe Deo, & verba legis difcurfui fuo fubjiciunt ; nam confequens eft minus bonum fubjicere optimo. Ubi Chryfoftomus.hom.19. in Matth. 7.de ambulantibus per viam latam differens *voluntas eorum*,inquit.*lex ipforum eft, & non ipfi fub lege, fed lex eft fub illis.Via autem vita,&c. Dicit autem effe arcta, quia intra regulam veritatis , & difciplina eft inclufa.* Cujusmodi profectò non eft via probabilium,quæ vero,& falfo ex æquo clauditur; obvium vero eft, ut experientia demonftrat,volenti aliquid ex voluntate, quæ ferax tellus, & mater ratiocinationum eft, rationes excogitare.

Itaque nulla præfumptio. Sed contraria præfumptio eft in docentibus,non legem ex lege,non voluntatem Dei ex verbis Dei. Sed ex difcurfu fuo. Hi ergo non eò eunt , ut cognofcant legem, ergo

ergo eò ut eam judicent, vel legem ipsi condant; ex qua sibi præfixa, & sua facta interpretentur deinde, siquæ ex ipsa lege ipsis objiciantur. Inter pretentur, inquam, id est, judicent, & corrigant, dum ut sibi visum est, omnia esse oportere, arbitrantur: visum autem sibi est de suo citra legis, librique Dei exactam cognitionem & notitiam. Judices ergo se faciunt, & conditores legum.

Hinc est, quod per universam moralē Theologiā quidem habebant quædam sibi præfixa, & sua facta axiomata. Ex quibus in occurrentibus omnibus casibus decernant; quæ axiomata ex libris Dei, vel sanctorum hausta nequaquam sint, sed aliundè deprompta. Sic sibi præfixerunt quasdam mensuras possibilium; item durorum, & blandorum: item quasi contratium signum Dominua in Evangelio non de signasset; viam eā docendam, qua salventur multitudines; moustrum demum illud, de quo dictum est, tollendi peccata, quod propriè legem judicantium, & emendantium est, id est, tollentium de lege. Hæc omnia axiomata omittit, quicunque syncerè legem cognoscere intendit, ac nudo, mundoque animo, nullàque sua facta hæc circa opiniones quætit assiduè in ipso libro legia, ejusque seriis interpretibus; maximè verò in iis qui Ecclesiæ probatissimi sunt, quæ sint possibilia, vel impossibilia, quæ duriora, vel pia; qui, & quales salventur, vel pereant, & tam suum non putat tollere peccata, quam suum non est mortuos suscitare, aut cœli cardines evertere: Omnem proindè rectè interpretandi rationem expressit Augustinus in textu sæpius adducto, cujus doctrina præfigenda omnibus interpretibus sit, servandaque practicè omnibus legem Dei docentibus. *Non afferamus, inquit, 23. cap. non afferamus, stateras dolosas (quales planè sunt humani discursus) ubi appendamus, quod volumus, & quomodò volumus pro arbitrio nostro dicentes; hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tamquam de thesauro dominico & in illa quidquid gravius, appendamus; sed à Domino appensa recognoscamus.* Hoc planè, hoc est volentium cognoscere legem; quod fas est: reliquum judicantium est legem ferentium, quod non fas, sed nefas est. Sed multi, Augustine, eā te improbata statera utuntur, & pergunt: *quam multi hoc faciunt? & quin non faciet? Num omnes perditurus est Deus?* atque ita dolosè iniquitatem, & peccata inquirunt, ut docuisti.

Sed obstrepunt, in libro legis ullos vix esse casus conscientiæ. Undè ergo, & quando in eo resolutiones quæramus? Verùm non mecum, sed cum Augustino contende, qui eò remittit: & cum sanctis Dei cœteris, qui aliam morum doctrinam nesciebant, quam eam quam ex illo hauserunt. Dicetur verò fusiùs de hoc lib. 4. quo modo ex eo veritas moralis inveniri possit, rexit olim Deus visibilius populum quemdam hominum, quos toties missis Prophetis erudiebat corrigebatque. Utinam liberet mores hominum illorum in avaritia, in usuris; in oblivio ne legis; in ingratitudine, in aliisque vitiis seriò perpendere; Prophetis deindè credere; & nostra qualia sint, facilè hac una collatione in rebus plurimis agnosceremus. Sed hoc concionatorum esse, non suum arbitrantur.

Claudat rem Augustinus lib. 12. Confess. cap. 23. *duo video, ait, dissensionum genera ob oriri posse, unum si de veritate rerum, alterum si de ipsius, quo annuntiat voluntate dissensio est, &c. in illo primo genere discedant à me omnes qui ea, quæ falsa sunt. Moysem dixisse arbitrantur. Conjungar autem illis Domine, in te: & delecter cum illis inte, qui veritate tua pascuntur & accedamus simul ad verba libri tui & quæramus in eo voluntatem famuli tui, cujus calamo ea dispensasti.* Gratias & ego Domine, habeo quod hoc in corde meo fixisti; nam veritatem tuam esse regulam vivendi; unam veritatem tuam regulam interpretandi; nam omnes viæ tuæ misericordia, & lumen vultus tui, quod signasti super nos, aperte dictat, voluntatem tuam in verbis tuis esse quærendam, nostrasque omnes opiniones non verbo solum, & lingua, sed opere, & veritate esse subjiciendas tamquam existimationes puerorum dictis sapientium, & multo magis.

§. VI.

Rectè ergo concludit Chrysostomus, omnem Doctorem esse servum legis.

Hoc servi, servitutisque exemplum rem totam declarat. Itaque Chrysostomus eodem fermè Augustini principio hom. 20. in cap. 7. Matth. illationem commonstrat, *Erat enim, inquit, docens eos, sicut potestatem habens. Omnis Rector servus est legis; qui a neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu neque subtrahere aliquid secundum proprium intellectum, sed hoc tantummodo prædicat quod habetur in lege. Neque enim potest mens humana directare, id est, extra rectum facere, scilicet perversum, vel malum ostendere, quod scientia divina dictavit, sic enim ait Moyses & Salomon, non addas verbo Dei, neque detrahas inde. Qui autem hoc ausus fuerit facere, se sapientiorem putat esse, quam Deum; & incipit esse falsus testis, quia illud dicit, quod neque auris audivit nec oculus vidit.*

Omnia conspicua sunt. Filius Dei Deus docere potuit. Sicut potestatem habens, qui tamen non venit solvere. Sed adimplere: cœteri puri servi existimus. Ubi sunt ergo optimum illi, qui suum esse arbitrantur peccata tollere, id est, qui teste, & probante Chrysostomo, se Deo sapientiores existimant, & desipiunt? quod certè loco excipi soler, sed lacrimis esset excipiendum, si defectio teneret nos pro peccatoribus derelinquentibus, vel etiam dissipantibus legem Dei.

Sed ad exemplum servi, servitutisque; siquidem evidentissimum est, nos non magis de lege, vel de rebus Domini. Servus itaque nihil habet suum, non proprium non peculium. Sic ergo neque Doctor suum, & proprium, & opinionum suarum, vel suorum peculium habere potest, sed purè, & solum, sicut Deo visum est, enunciare proprio omui sensu, intellectuque abjecto. Quicunq; ergo suitatibus antecedentibus, & ex suis, vel suorum præjudicatis interpretatur, nequior est, quam servus de suo disponens de patrimonio, rebusque Domini.

Habemus itaque ex 4. Metaph. unius propositionem unum esse intellectum, & non utrumque dicens, & ita, & non ita, nihil dicit. Lex autem omnis est propositio, & enunciatio quædam: ergo unius legis unus est intellectus; certè non uterque simul contrarius; vel contra dictorius; lexque ita disponens nihil disponeret, ut notant Baldus, & alii. Explicuimus porrò §.

s. ex legibus ipsis non esse maximè verò Dei, quod lex quæque contrariis mox opinionibus, interpretationibusque excipiatur & eludatur, sed ex vitio nostro: Advocati verò, qui hoc suum potant, verum scilicet illum legis intellectum suffarcinatis hinc inde opinionibus eludere, & victorea evadere etiam contra justitiam, pecuniam quidem corrodere poterunt, & motis omnibus efficere, ne ullus habeat quod suum est; non tamen manus Dei viventis, qui judicaturus est vivos & mortuos, evadent.

Jam Judicum Doctorumque, & interpretum hæc est obligatio, nihil arbitrari, sed assequi unum illum legis intellectum qui si legis est verus est; sin verò falsus non legis, sed suus, ut de Judicibus tradit S. Thomas ex Augustino 2. 2. quæst. 6. 7. art. 2. & Philosophus 1. Rhetor. 1. & alias. Quemadmodum ergo servo non licet habere voluntates antecedentes; nec item opiniones, qoas voluntati Domini subjiciat, & sic propriè antecedentes non sint; ita nec Doctori interpretanti licet ullam opinionem suam antecedenter facere, sed tanquam servus purus tenetur unum illum legis intellectum indagare, qui non suus sit, sed legis, ac proindè verus. *O vita pauperum Deus meus orat Augustinus 12. Confess. 25. in cujus sinu non est contradictio: pluе mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quæ divini sunt & in corde famuli tui (scilicet Moysis viderunt, quod dicunt, sed quia superbi sunt nec noverunt Moysi sententiam sed amant suam non quia vera est, sed quia sua.* Hoc sunt, qui antecedenter, & ex suis. Vel suorum nullo divinorum librorum præmisso examine, præfixis doctrinis, & opinionibus, non tanquam servi, sed tamquam Domini arbitrantur, & nihil esse putant resolvere, & definire, hæc, & illa esse, vel non esse peccata. Sed haud dobiè districtiùs de hoc discutientur, & judicabimur, quam si hoc arbitrio, & hac libertate aurum alienum, vel numeraremus, vel distribueremus. At affere, inquis, stateram, & mensuram mearum rationum. Verum nisi ita ex Dei dictis plenè instructa, formataque sit, perindè est, atque si palmo vice, ulnæ uteretis, mensurisque fallacissimis.

§. VII.

Probabilistæ verò maximè omnium judices legis fiunt & leges omnes rectè interpretandi disrumpunt.

PRimo enim ut latè part. 1. lib. 1. tractatum est se se vel alios sui similes faciunt pares Deo, hoc est, defectibiles morum, & rectitudinis eorum, honestatisque regulas & Theologo cuique gravi hanc Deo parem indefectibilitarem tribuunt non quidem per accidens, & ex suppositione, ut Novitius quidam satis ineptus respondit, sed per se, loqoendo non de homine, qui Theologus gravis est; & sartor esse potuit, sed de Theologo gravi sub his terminis a cujus scilicet autoritate indefectibiliter refunditur in ejus dicta & responsa, in fallibilitas in regulando, sicut ex autoritate Romani Ponrificis, vel Concilii, vel Apostoli his terminis & sub hac qualitate; non de cœtero Paulus potuit relinqui Saulus, & persecutor: & sicut non per accidens sed per se ex ferro candenti sequitor combustio in stuppa adjuncta, & sic in cæteria; & bonus Logicus per se rectè syllogizat. Quid ergo novitius iste loquitur, quæ non intelligit Auteo adhuc tinctus colore scientiæ? De his itaque, & de evasione ad verum & falsum, quæ nihil interfit, rectitudinis, honestaris, sanctitudinisque morum ibi actum est. Ex hoc porrò sequitur, eos arbitrari, nihil referre scire, quid Deo visum sit, vel non sit; nam tam in defectibilis regola salutis est, quod ipsis videtur, atque quod Deo visum est; id est tam implicat, gloriam non consequi ambulantes juxta ipsos, & sequentes ipsos, atque ambulantes juxta Deum, sequentesque ipsum: ergo legem ipsam Dei saltem inotilem judicant; quamquam par impar imperiom non habeat, neque judicium se salrem per legem, scilicet non magis indefectibilem judicari renuent, ac uno verbo legi sub lecti non etunt. Quid enim æquè indefectibile æquè indefectibili subjiciantur, magis quam unum judicium Dei alteri, aut Paulus Joanni Apostolo, aut motua hesternus solis hodierno? Quod portò unum superest evadendi aditus, scilicet indefectibilitas in veritate, reclusus fiat eo loci; si enim ex Theologo gravi respondente, vel ex Deo loquente æquè indefectibiliter sancti efficimur, & cœlum consequimur, cætera nihil sunt.

Deindè ibidem ostensum est, ampliorem multo autoritatem, & infallibilitatem esse, quæ Theologis gravibus, quam quæ Deo tribuitur. Prorsùs enim implicat, Deum per opiniones falsas vel eas tradendo, vel eas per reflexas approbando, & usurpando esse regulam morum; nam evidentia veritatis contrariæ Deo manus ligat. At probabilistæ regulas se faciunt per omnes opiniones probabiles falsas, quibus libri ad medietatem cum veris implentur. Hoc ergo totum legi vel tollunt, vel adjiciunt; nam quidqoid Deo detrahitur vel additur tantum etiam legi; scienterque hoc faciunt; nam sciunt, has falsas esse sine numero; sciunt etiam eas in lege, & juxta legem non esse: alioqui falsæ non essent: scientes ergo, & volentea hoc totum legi adjiciunt, vel tollunt. Ergo legem judicant; nam Chrysostomus per has additiones, & ablationes exponebat judicare legem, & sartores sanè & Architecti, & Artifices quique hoc pacto judicare solent aliorum opera, & corrigere addendo, & detrahendo.

Ipsi rursùs volentes evadere alias difficultates, nobis, quod hic intendimus. Ultrò sed ignoranter largiuntur; ipsi enim, vel eorum novissimi aliqui, cum alia evadendi via non occurrat, spontè legem Dei opinionibus suis, & Theologorum gravium subjiciunt. Insistimus enim, in casu æqualis probabilitatis ad legem, v. g. usurarum, vel minoris ad non legem, legem sic contingenter prævisam violari, devorari, & frangi, sicut de conscientia practicè dubia omnes docent, partem eam eligendo, quæ contra legem est, quemadmodum in ludo, & in casualibus omnibus præcognitis, quidqnid sequatur, nobis imputatur, ac voluntarium est. Voluntaria ergo erit sic operanti transgressio legis usurarum.

Nunc quid novissimi isti probabilistæ reponant,

nant, cujus rei in gravioribus nulla fuit memoria, audiamus, &, vera horreamus. Ajunt itaque, Deum habere suas voluntates quas antecedentes vocant, jus firas, & præceptivas quibus usuras, & earum modos, & alia per multa prohibuerit directè contra quas voluntares, & leges adsunt opiniones probabiles. Jam mox harum opinionum probabilium conceipit Deus, vel a se habuit alias voluntates, vel unam universalissimam quam consequentem vocant, qua priores omnes illas volentes jussivas, & lages abrogavit, retractavit, & quasi in omni lege sua dispensavit. Nec in probabilitate revera tali sistunt, sed ad omnem existimationem nostram, & etiam hæreticorum, & paganorum istam suam dispensationem universalissimam legis extendunt; nam horum Reflexistarum hoc est principium, neminem hic, & nunc peccare, quin etiam mereri, qui juxta cognitiones; & consistentiam, quam hic, & nunc habet, operatur. Et hæc est sua propositio major, si superis placet, etiam evidentissima Reflexistarum. Omnis proindè lex Dei revocata est, abrogata, & dispensata voluntate consequenti ad nostras opiniones tum probabiles, tum etiam improbabiles & hæreticas, & Diabolicas, si nobis non tales, sed bonæ; & probabiles visæ sint, ut omnibus mortalibus nullo excepto videntur suæ opiniones, & hæreticis hæreses; quod ex palmari logica constat; *& nobis hæretici sunt, sibi non sunt*, ut toties ex Salviano suggero.

Jam ergo titulos sanctæ inquisitionis deleamus; non hæreticæ pravitatis, sed hæreticæ sanctitatis scribamus; si enim quis hæresim firmiter credit, eamque verissimam habet, jam Deus voluntate consequenti legem fidei pro illo annullavit. Sed consequentiis utendum non est; ubi apertissima confessio horum hominum adest; Nam quærimus quid da voluntate, & operatione conformi tationi erranti statuatis; Non quærimus de ratione dubitante, sed de errante, de hæretico hæresim suam verissimam existimante? Ajunt, quin contrarium nec tolerare quidem volunt, eam voluntatem esse bonam, & operationem esse bonam, & operationem honestissimam; & si mibi hæresis vera esse videatur, ut omnibus corde hæreticis videtur, tam voluntas imperans hæresim, si imperio immediato opus sit, quam hæresis ipsa sancta erit. Voluntatibus porrò, & legibus antecedentibus, & voluntate consequenti abrogativa legum directarum omnium cuncta expeditur. O Deus, & hoc in loco est lex tua, & bis principiis fidelium mores, vitaque teguntur? Ex universo itaque primo libro patet istius voluntatum harum somnii miseranda enormitas.

Ad præsens porrò sumitur, Probabilistas istos ipsos sponte subjicere legam Dei probabilitatibus, existimationibusque nostris. Nam quando duo concurrunt, & alterum valet, & alterum cessat, illud est subjectum, & inferius quod cessat: ut si lex Dei, & hominum concurrant, cessat humana, quia subjicitur; & tenet, & valet divina, quia præest; Idem est in Senatum subordinatorum sententiis; in legibus imperatoris, & Consulis, & omnibus. At erat lex Dei prohibens hoc genus contractuum, & pervenit falsa opinio probabilis negans. Quæ precor, cessabit, & quæ valebit? Valet dicitis, & tenet opinio falsa probabilis; lex vero non tenet. Ergo lagem opinionis subjicitis. Quid vero, rogo vos, eum imperatorum lages Doctorum opinionibus ex genere suo haud dubiè præstent, quid, inquam, Martyribus olim omnibus hanc Deus Theologiam non manifestavit. Ego quidem volo voluntate antecedenti, legeque directa mea, confiteri me vos eoram hominibus; sicut volo vos non inire hos contractus. At pius sum, & misericors; & si visio superiorum vestrorum accesserit, sicut opinio Doctorum vestrorum, voluntate consequenti ne durior vobis existam, & ad stragem omnem, & cædem, vos obligem retracto omues voluntates priores, & leges meas directas: quas Principibus vestris sicut Doctoribus subjicere mihi ex misericordia visum est. Quid has retractationes non fecit olim pro judæis, & Doctorum suorum opinionibus, sibi utiquo probabilibus, tempore Prophetarum? Quid non da inde in adventu Salvatoris? quid non post pro judæis non sanè dubitantibus, sed ut Dominus, cui non credimus, affirmat, arbitrantibus se obsequium præstare Deo, ae discipulos persequentibus? quid non etiam quondam pro Hispanis nostris com Regibus suis, & Episcoporum plerisqua, atque regni consensu arianizantibus, quid non demùm cum nationibus mundi omnibus, quibus abrogata lege Dei per voluntatem consequentem, ea cunctis esset regula, & lex vivendi, quæ rectior ipsis videretur? Hoc sanè est strages quædam universalis totius legis, providentiæque Dei, & qui hoc dicunt, arcendi protsùs essent à regendi animabus. Jam Dei filius arctam esse salutis viam definiunt: multis probabilitatibus toleratis laxata ea est. Non ergo, ut non pridem Alexander 7. memoriam nostram excitavit, verba ejus in æternum stant, sed voluntate consequenti ministra probabilitatem illa re ipsa spatiosa effecta est. Hoc tandem modo Theologia moralis, otiosa, vana, & ridicula redditur ut late part. 1. disputatum est.

Hac itaque omissa vertigine debilium mentium, Dei nostri hoc ut, volunt, & efficiunt est ut leges quidem suas condat; quæ tamdiu valerent, quamdiu probabilitates contrariæ non effingerentur. His porrò structis omnes leges suas verba, & judicia posthabet, revocat, & cassat; subjecit ergo legem suam, & verba judiciis nostris. Nos ergo suprema regula sumus quorum judiciis obsecundat Deus. Judicantur ergo, quin etiam cassantur, & derogantur leges Dei per opiniones nostras. Non, inquis, hoc nos facimus, sed Deus, qui legum Dominus est. Verum hoc nos existimamus stultius; nam stultitia quidem foret, quod nos verba Dei, & legem ulli opinioni nostræ subjiceremus; quia hoc ab omni rationis, & considerationis umbra exorbitat, stultius ergo est, quod Deum ipsum subjectorem, & recti per pravum correctorem, & judiciorum suorum per nostra retractatorem in audito plane ausu comminiscamur. Hoc in artificibus, in negotiis, in artibus quibusque, & operibus, & commerciis conspicitur esse dementissimum, & lumine naturæ fixum est in omni concursu, & contrarietatem retinendam esse voluntatem superioris, sententiam superioris, opus peritioris. Fortè ergo contra facere quis cum Deo contendat. Et à contrario etiam patet hoc homi-

homines id cum Deo facere in concursu opinionum probabilium, quod ducti naturæ luce, agimus cum superiore cum scientiore, cum peritiore, ut scilicet imperitiorum, ignorantiorum, inferiorum voluntas sententiæ delineationes operum non valeant: atque hoc est, judicare. Atque hoc idem cum Deo agendum ineptiunt, ut ejus judicia, leges voluntatesque, quas ex sua sapientia infinita concepit non valeant, & cessent, & probabilitates nostras tamquam puerorum paginæ judicentur, corrigantur, cassentur, & à libro Dei deleantur:

Denuò jam legum interpretatio universa in probabilibus omnibus, quibus non libri modò, sed etiam bibliothecæ replentur, efficitur apud ipsos de subjecto non supponente. Haud enim in morali Theologia, quæ activa, & directiva est, eo, opinor, imus & leges, & voluntates abrogatas interpretemur & sciamus. At qui improbabilibus his omnibus, leges Dei omnes directæ, & voluntatea, & scripturæ abrogatæ sunt, nisi fallor, prorsùs delyrant: abrogaræ etiam scripturæ, & Evangelium, quod de directis legibus est, ubi probabilitates in contrarium adsunt, revocata pariter doctrina sanctorum, quæ de prioribus legibus, non de consequenti universali, & reflexa dispensatione, & legum pœne omnium diluvio erat. Ergo apud ipsos universa in probabilibus interpretatio efficitur de subjecto non supponente. Et confirmatur; qua ipsi non inquirunt, quæ olim leges viguerunt & obligaverint, & quæ fuerint peccata, sed quæ modò fiot: aliundè vero aorum sermo omnis & quæstio, & Theologia in probabilibus plerumque clauditur: at in his cassaræ sunt leges omnes. Ergo interpretatio est de subjecto non supponente. Viderunt verò superiores omnes homines has voluntates consequentes, & abrogationes in omnibus suis præceptis, legibusque à fortiori obtrudendas, ubi probabilitas aliqua in contrarium excuderur: probabilitates autem istæ pro more instar versuum ferme, Conconatotumque conceptuum nullo negotio cuduntur.

Præterea universim apud Probabilistas reflexos omnes hoc idem sequitur; nam juxta ipsos in probabilibus nulla lex obligat quia vel, ut quidam dixerunt, eo ipso non satis promulgata est vel quia juxta hos novissimos revocata est voluntate consequenti. Ergo sicut dictum est, redditur omnis interpretatio vana. Quid ergo nos tantis voluntatibus onerant.

Institutum deindè omne Probabilistarum est contrarium omnibus legibus rectæ interpretationis. Nam lex quælibet ut constituimus, sicut propositio & enunciatio reliqua omnis de uno est, nam de utroque simul contrario, vel contradictorio, & de ira, & non ira. At formalissima ratio viæ Probabilistarum non da uno est, sed de utroque simul contrario, vel contradictorio; & de ita, & non ita, & hoc est suum proprium institutum. Ergo contrarium omnibus legibus rectæ interpretationis interpretis tursus cujusvis scopus unus est: ut scilicet indaget, noscat, & tradat unum illum & verum intellectum, & & sensum scripturæ, legis: alioqui non interpretatur, sed philosophatur: Probabilistæ vero vero hoc maximè renuunt, ut ad unum, vel in operando, vel in docendo ligentur, & sua via propria, ut alias dixi, est bipes, est bilinguis, est cordis, & cordis, & de ita & non ita scilicet per contraria, & contradictoria: at omnia contraria legi conveniunt, quæ est unius linguæ, unius cordis, & sensus, & deest est; & non non. Norma ergo Probabilistarum & legi, & ejus vero sensui, rectæque illius inquisitioni, ac interpretationi contraria est.

Et sanè mirum non est si nullis ipsi interpretationibus, scripturis nullis, legibusque indigeant; nam compinxerunt sibi quamdam rectam regulam morum probabilitatem, atque hujus sororem illam aliam, ignorantiam loquor, (quæ ad rectificandos mores periudè sit) quæ ab omni lege sibi naturali sive divina, & ab ipso Deo præscindat; sicut animal præscindit à rationali, & irrationali nam probabilitas per vos est recta regula. An non ita? At probabilitas præscindit à lege natura & divina, & à Deo, sicut animal a rationali, & irrationali, & genus omne à suis differentiis. Quod demonstratio; nam hic conceptus, & ratio, probabilitas vel opinio probabilis indifferens est ad opiniones probabiles veras, & falsas, easque sub se tamquam species suas claudit, sicut genera alia species suas; ergo sicut animal, & reliqua genera à suis differentiis præscindunt, ita genus probabilitatis & opinionis probabilis præscindit à veris, & falsis, atque à differentiis veritatis, & falsitatis; ergo præscindit à lege naturali, & divina quæ qua tales essentialissimæ veræ sunt, & minimè indifferentes ad verum, & falsum, præscindit etiam à Deo, & ab omni ejus directione, & sapientia, quæ cuncta determinate ad verum se habent.

Esse ergo ex hoc, quæ monstra sequantur jam enim imprimi ante Deum, independenterque, & seorsim ab omni ejus lege, directione, & voluntate habent rectam regulam conscientiæ quod perindè est atque si seorsim, & independenter à Deo felicitatem reponerent. Sicut denuò, ut inveniam animal, opus mihi non est quærere hominem, sed seorsim, & independenter ab homine, eoque ignoto, animal invenio, & universaliora hac de causa sunt notiora; & ubique patentia, ut 1. Physic. r. traditur, & declaratur ita his, qui seorsim, ac independenter à Deo, & in aliquo præsciso habent regulam conscientiæ, in quo agnoscant, quomodo sit vivendum, opus planè non est, Deum quærat; noo lege, non voluntate, scripturaque ejus indigent; non consequenter Ecclesia, nec libris sanctorum; nam in eo genere sic ab his cunctis præscindente, & præscisso habent, quidquid necessarium est ad universam directionem morum, regimenque Ecclesiarum, & Regnorum. Indè interpretationibus nihil indigebunt magis, quam qui nosse vult, quid sit animal, indigeat discutere; quid sit homo: & ideò fortè in praxi tam rara est discussio scripturarum, & verborum Dei. Cum iterum hoc sic præcisum præscindat à lege Dei, ut est ostensum, erit regula quædam minimè subordinata, sed per se prima, & suprema: ergo divina sine Deo, & divinitatis vacua: idolum ergo, & Numen falsum; sicut si causam aliquam primam, finem supremum, & similia confingeres in aliquo præcisso à Deo. Cum denuò hoc sic præcisum haustum nec partim quidem sit à Deo in quonihil est probabile, sicut genera reliqua omnia hauriuntur à suis speciebus, in quibus scilicet totum

totum genus invenitur, planè totum illud præscisum haustum est à cognitionibus hominum. Est ergo suprema quædam, , & prima regula, ac si divinitas quædam in totum hausta à nobis. Superest ergo, o viri præclari, ut præter Deum verum, viventem, & videntem compingatis vobis, quem colatis, Deum quemdam probabilem, qui à Deo vero præscindat; cui indifferens sit, ad Deum verum contrahi, vel ad contrarium.

Dicitis, genus illud, præscisum illud esse apparenter, esse probabiliter, & existimativè Deum verum: nam probabilitas illa, & opinio probabilis repræsentat tamquam legem veri Dei id, quod ipsa enunciat. Profectò hoc ego vocabam Deum probabilem, divinitatem apparentem, & existimatam. Etenim ut Logicè demonstratum est, illa ratio generica probabilitatis, & apparentiæ est quid indifferens ad Deum re vera Deum, ad legem Dei revera Dei, sicut ad verum, & falsum. Salvantur ergo Deus vel verus, vel solùm existimatus; non autem determinatè Deus verus; ego porrò cum de Deo loquor, de eo loquor, quem colo, vero, vivo, & videnti determinatè, si vobis alius est Deus, alius gubernator, alius Legislator supremus; hęc enim cuncta evertibilia cum Deo sunt, eum, si placent, loquimini.

§. VIII.

Hinc, ut omittam alia, illudendus venit sanctus David in Psalmo obvio: beati immaculati in via.

HOc inter alia beneficium nobis contulere opiniones probabiles, ut nulla attentione opus sit, dum recitamus. Certè ego mirari mecum sæpè soleo providentiam Matris Ecclesiæ, ex qua inter alia Breviarium sic est compactum, ut eo solo instrui sacerdotes maximè possint magis multò, quam multis libris Casuistarum, scireque, quid sit credendum, & agendum.

Delegi itaque consulto psalmum, quem quotidiè legimus, & intuli, in eo illudendum venire sanctum Prophetam, si in via Probabilistarum retineatur. Suppono verò, quod ipsos magnis etiam suis reflexionibus negaturos non puto, Davidem, dum de Deo loquitur, non loqui de Deo aliquo probabili, seu probabiliter Deo, qui est. Sic etiam quandò legem Dei, verba Dei, judicia, testimonia, eloquia, legem, atque vias ejus enunciat, & memorat, cum loqui de his verè talibus re ipsa talibus, & quæ solùm falsa opis, ut cum de pane, vino, auro, cæterisque rebus omnibus loquimur; & quæ falsa opinione etiam probabili talia sunt, non esse talia, sed contraria, ut in præsenti. Suppono item, quod Augustinus etiam animadvertit, dum viatores beati dicuntur, beatos intelligendos esse spe solùm, & pignore, non possessione: hoc est, justos esse. Cum igitur omnes homines, etsi nolint, si nolle tamen possint; desiderent esse beati, ad eos magnum istum psalmum Propheta dirigit, in quo quinam beati sint, declarat. Ex eo itaque nos aliqua cursim percurramus, ut ostendamus, quam sint ista omnia inania apud Probabilistas, qui præter, & contra etiam ipsam legem Dei aliam beatitudinis viam, & aliam beatitudinem in spe confixerunt.

Beati primùm inquit *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Non sanè qui eam norunt, & hærent, nec ambulant; non item qui in ea ambulant, quam non norunt, quod esse non potest. Beati ergo qui in ea jam sibi cognita ambulant. Sed probabilitatis sunt alii beati, qui in lege Domini non ambulant, sed præter, & contra eam re ipsa (materialiter ipsi vocant) ambulant, estque alia via, in qua immaculati sumus, scilicet probabilitas, cui causale sit esse cum lege, vel contra; & qui hanc viam ambulant, tam sunt immaculati, atque ambulantes re ipsa in lege Domini. Nugatur Propheta ergo, dum hos solos beatos prædicat, viamque cum lege Domini confundit, cum sit amplior alia legis, & non legis.

Beati, rursùs ait, *qui scrutantur testimonia ejus, & in toto corde exquirunt eum.* Nec enim ad beatitudinem satis est scrutari testimonia, nisi ad hoc ea scrutemur, ut in toto corde Deum exquiramus. Sed & hic deficit Propheta; nam beati etiam erimus, si probabilitates, quæ à testimoniorum ejus re talibus præscindunt scrutemur. Et praxis aliquorum sanè demonstrat, quantò testimoniorum ejus scrutinio probabilitates cudantur, quæ ingenii magis, & discursus, quam testimoniorum sæpè filiæ sunt.

Tu mandasti, subdit, *mandata tua custodiri nimis*, hoc est, valdè custodiri. Jam diximus, mandata hæc illa esse, quæ re ipsa mandata sunt. Sed & in hoc hallucinatus est Propheta; quia in probabilibus omnibus, quibus, ut dixi ingentes libri implentur, & ad quæ omnes fermè casus inter fideles quoquo modo dubitabiles praxi revocantur, non magis mandata ipsa, quam contrarium custodiri mandavit. Et rursùs via quædam universalior ab his mandatis; quasi à sua specie præscindens, & explicatum est. Hæc autem est, quam valdè custodire mandavit; quam scilicet si sequamur, beati, justique sumus: & mandata interim ipsa non custodire non magis noceat, quam non saltare. Esset revera in hac urbe panis veri copia; & alterius, qui videretur panis, sed non esset. Conveniret verò inter Medicos, utrumlibet eodem modo ad sanitatem ægrotantis Petri conferret. Desiperet sanè, si eorum quispiam Petrum urgeret, ut non apparenti eo pane, sed vero vesceretur. Quid ergo urget Deus, mandata sua adeò custodiri, si iis contraria via ad salutem æquè ducit.

Propheta denuò de se ipso, justorum, opinor, & beatorum omnium nomine contestatur: *in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Certè, ut inferius magis exponam, Probabilistæ divitiarum in loco legem, & testimonia Dei habere non videntur, qui tot adversus legem lites movent, quasi hostis, & noxia nobis foret; certè qui divitias amant, & in eis delectantur, non minores, non æquales probabilitates quærunt, quibus eas effugiant, sed quibus suas faciant. Sed & hic malè Propheta arbitratus forsitam est, à viris justis, & verè beatis divitiarum saltem in loco habendam esse legem Dei: quæ scilicet, ut lib. 4. differimus, nec à ritè Christianis negari potest, non illatum aliquod nobis malum, sed collatum ingens beneficium Dei est: & interea sicut in contentionibus contrariantes solent, & in litibus adversarii, dicere quidam audent, si lex me obligare vult, probet,

bet, & convincenter probet; sin minus quid mirum ipsa. O novi Doctores Ecclesiæ divinæ legis egregii amatores! Et quid vestris cavillationibus certò demonstrandum unquam est? Profectò qui Deum amat, legem ejus amat & non has lites movet, *sed in mandatis ejus volet nimis*, de quo lib. 4.

Sequitur Propheta, & ait, *doce me justificationes tuas: viam justificationum tuarum instrue me*: & post pauca quasi concludit: *viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus*: & hæc cuncta connexa, & quasi unum sunt. Sed etiam nunc lapsus est: quid enim tantopere desiderat doceri justificationes Dei, & instrui, cum satis sit ad justitiam, si opiniones probabiles falsas, non quidem à Deo, sed a mundo, vel ab alio Magistro discat: quæ sanè via veritatis non sunt, sed falsitatis, & erroris. Sed inquiris: reflexæ vero sunt, quas Deus docere debeat. Cæterùm non reflexæ, sed opiniones ipsæ magis falsæ, per quas illæ ducunt, via sunt; sicut non cognitio legis, non cognitio Christi, sed Christus ipse, & lex via est. Hæc dein reflexarum lectio sanè lectio brevis est, quam uno pænè momento citra tantam orationem addiscere Propheta potuisset. Vertat ergo se ad harum opinionum probabilium falsarum Autores, & oret, docete me probabilitates vestras, quibus à legis jugo liberer, non orem; & justus tamen, & beatus sim. Propheta itaque, viam ipsarum justificationum, quas doceri vult, & instrui, hanc ipsam viam veritatis habet, quam eligit, nisi aliam eligere placuerit, quam oraverit. Ab hac porrò via tam distat, via probabilistarum, quam distent opiniones falsæ à mandatis Dei.

Quid verò omnia commemorem? cum quidquid in hoc psalmo, sicut & in aliis traditur, præter viam probabilium sit, & ipsis Dei mandatis legi, justificationibus, verbis testimoniis, veritati, & scientiæ, quam Deus docet, & falsa utique non docet, ligatum, determinatum, atque ab eis impræscissum sit, contra quam de via, & præsciso illo, & abstracta probabilium §. præc. declaratum est. Portionem suam inter alia dicit esse custodire legem Dei; portio verò probabilistarum non hæc est, sed custodire probabilia sua; imò hoc suum negotium esse censent, si opinionem probabilem alicubi inveniant, qua consultans quisque liberetur, & nemo ad se venientium tristis, ac obligatus abeat. Supponi ergo magis videtur, portionem, hæreditatemque nostram non hanc esse, quomodò custodiamus legem Dei, sed quomodò res alias mundi salvas habeamus, & legis jugum evadamus. Si autem Propheta personam justi cujusque agit, justi esse non poterunt, qui legem Dei, ejusque observationem, hæreditatem suam, portionemque esse non existimant.

Quam deindè lex probabilium ab iis abest, quæ Propheta ingerit de dilectione legis: quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est: super inimicos meos prudentem me fecisti, &c. super omnes docentes me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea sunt; super senes intellexi; quia mandata tua quæsivi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo. A mandatis tuis intellexi, & cætera, quæ omnia legem Dei valdè amantis sunt; non verò considerantium eam tanquam rem sibi odiosam; quasi eò fœliciores simus, quo magis ab ea soluti, liberique, sitque, nobis res amata libertas nostra, possessio nostra, quam contra eam, nimis, opinor, impudenter allegamus. Nemo amat divitias, nemo voluptates, filios, uxoremve nemo; & libertatem, & possessionem, & jura allegat, divitiasque amatas recusat, quia possessio stat pro libertate; aut dicit, se nolle eas recipere, quandiù certò, evidenterque non constabit, illas à se recipiendas esse; aut dicit; se magnum præstare hominibus beneficium, si divitias, quas amant, aut filios abstulerit; & tamen dicunt, se conferre beneficium, si peccata tollant, id est; legem tollant. Hæc porrò sunt velut axiomata, & principia philosophandi multorum Probabilistarum. Hic verò videtur esse error circa prima principia, ex quo perindè infinita quædam deceptionum series nascatur, necesse est. Etenim legem Dei, quæ maximè diligenda est, rem odiosam esse, ac minimè diligendam, ac velut sententia a judicum nos in lite condemnantium excipiendam, axiomata illa supponunt; quorum falsitatem, nobis etiam tacentibus, totus hic magnus psalmus demonstrat. Vel ergo Propheta illudendus est, vel ad ipsam re ipsa veritatem, ad ipsam re ipsa legem, ad mandata Dei, ad Deum, ad verba ejus, ad judicia, testimonia, verba eloquia, & justificationes ejus determinatè ligandi sumus, & omnis alia via non salutis, sed erroris est.

QUÆSTIO XV.

Utrum ergo Magistro cuique Theologiæ, maxime autem morum pernecessaria sit scientia & peritia divinarum scripturarum?

CONstituta jam superius gravissima Magistrorum ad veritatem obligatione; remotis dein illius quærendæ, & tradendæ impedimentis maximis probabilitatum, quibus vera, & falsa, sicut in area triticum & paleas confundere quibusdam consilium est, atque subtilitatum, divisionum, interpretationumque antecedentium, quibus quæ nostra sunt, non quæ Jesu Christi quæruntur, his, inquam, omnibus, quæ rectitudinis doctrinæ, & Theologiæ, atque Magisterii pesteas sunt, remotis; contritisque, superest, ut de scripturarum divinarum peritia, & scientia, deque ejus necessitate pro rei tantæ gravitate, majestateque operosiùs etiam, quam inter Christianos necessarium videretur, dicamus; verè enim, ut Chrysostomus luget, malorum omnium origo est ignorantia, & neglectus divinarum scripturarum, & scientiæ Dei, quæ quoniam in terra non erat, olim populus captivus ductus est.

§. I.

§. I.

Quid sit tenendum?

Affirmandum planè est, & clamandum, Doctori cuilibet, & Magistro Theologiæ universim, maximè autem Magistro morum necessariam simpliciter esse scientiam, & peritiam divinarum scripturarum: ubi tradita etiam verba comprehendimus. Neque conclusionem materialiter, ut vocant, & de causa per accidens intelligimus, ut musicus ædificat, sed prorsùs per se ita; ut Doctor Theologiæ, ac Magister morum primùm quoad se talis constituatur; dein alios doceat ex ipsa scientia, & peritia scripturarum. Hæc conclusio, & illius indubitata certitudo quasi Theoricè constat ex definitione ipsa Theologiæ, & ex locis Theologicis, eorumque ordine, serie, & gradu; utinam praxi, & opere res adeò constaret: quæ decursu magis exponentur.

Excitandum porrò in primis Lectorem existimavi grandi illa, liberaque, sed vera Melchioris Cani prolocutione lib. 8. de locis. cap. 1. Sed in omni oratione momento, Lector, inquit, eam me defendere scholæ doctrinam, quæ sacrarum litterarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram scholæ doctrinam, quæ se titulis Magisterii defendat, miseram etiam, atque haud scio, an multò magis quæ detracta scripturæ auctoritate syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur. Imò ne de rebus divinis quidem, sed nec de humanis, verum de his, quæ nihil ad nos attinent.

Intelligo autem, fuisse in schola quosdam Theologos accipitrios, qui universas Theologicas quæstiones frivolis argumentis absolverint, & vanis, invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum bibliorum testimonia sint rarissima, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihilne ex gravi Philosophia quidem, scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur; nec scholastici sunt, nec Theologi, qui sophismatum feces in scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatores ad contemptum.

Quem verò intelligimus Theologum scholasticum? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor, in eo, qui de Deo, rebusque divinis aptè, prudenter, doctè è litteris, institutisque divinis ratiocinetur. Quod si ita esse pluribus verbis posteà differendum est, illud tamen nunc brevi confitendum est, nisi qui is sit, esse scholæ Theologum neminem. Hæc ille; quæ falsa nulli, quid Theologia sit, intelligenti videri possunt; liberiora forsitam videantur, adulatoriam magis, quam Theologiam colentibus. Atque hic de Cani sensu planè constet; sæpè enim, ut hoc obiter animadvertam, Theologorum eorum, quos ille Theologos minimè habuit, numerum ingentem in aliquem movent, eumque temeritatis mox nota configunt, verè enim illorum, quos Canus definit, describitque Theologorum auctoritas gravissima est; cæterorum illorum, quos etiam exsufflat, planè nulla.

Hæ itaque duæ voces, *Theologus Scholasticus* nequaquam se se interimunt, nec Theologus scholasticum destruit, aut scholasticus Theologum; fatendum alioqui sanè foret, scholasticos non esse Theologos, nec Theologos scholasticos: tunc porrò præstaret, Theologum esse, & quid hoc nomen, *scholasticus* efferat, scholasticis ipsis explorandum relinquent. Constet igitur differentiam *scholastica* non destructivam, non distractivam, aut amplicativam esse, sed determinativam, ac explicativam Theologiæ.

Decet planè nos maximè Christianos esse ingenuos, valdeque veraces, nec fucum facere rebus gravissimis involucro, abusuque verborum; nam districtè judicandi demùm sumus de hac etiam ipsa quæstione, ac verbis singulis. Constat apud omnes, sacram Theologiam, & Philosophiam tam primam, seu Metaphysicam, quam naturalem, & moralem differre planè plusquam specie, & alteram, ut ita dixerim quasi terrestrium hominum esse; quasi cœlestium, de cœloque haustam alteram. Constat intereà de rebus sæpè eisdem, de divinis, & humanis, de Deo, & De Divinis, de moribus hominum, de vitiis, atque virtutibus utramque differere: & tamen differre. Theologiæ ergo naturæ, & indoles, ut omnes 1. part. quæst. 1. & in prologo senrent. ponunt, & magis exponemus quæst. seq. hæc est, ut altiori planè medio prophetici, divinique sermonis differat, definiat, procedat tam de rebus illis, quæ sub Philosophiam cadunt, quam de altioribus aliis, quæ nisi Dei revelatione innotescere non poterunt; Philosophia verò ratiocinetur, & procedat naturali investigatione.

Hæc ergo cum ita sint, neque negari possint, Reipublicæ, Ecclesiæque valdè expediret, ut suo non alieno uniquique nomine appellarentur, & Theologi Theologi essent, Philosophi verò, aut Metaphysici hoc ab omnibus nomine compellarentur, scirentque fideles, utrum à Philosophis gubernentur; an etiam Theologum invenerint. Fatendum scilicet est, quod Deus videt, & mundus videt, edi passim magna volumina, quæ ut speculativa prætermittam, de moribus Christianorum, vitaque Christiana; de via illa salutis, quam Dei Filius homo factus demùm demonstravit, latissimè differant, in quibus nihil præter humanam quamdam ratiocinationem invculas, scripturarum Dei, Conciliorum, sanctorum mentio vix fit ulla: quin quod dolendum est, ipsi se Metaphysicos esse, & Metaphysicam quamdam exercere, & colere, aliquandò glorientur, & ubi contentio abest, fatentur. Coram Deo planè judice hoc à nobis protestandum est, similium Philosophorum quantocumque numero, in quibus vel ipsa moralis Aristotelis Philosophis sæpè deest, nos non magis corde moveri, ubi de recta doctrina morum hominum itaque Christianorum, & credentium disputamus, quam si Geometrarum mole obruere vellent, etsi in foro exteriori silendum aliquandò censeamus. Agant ex Evangelio, ex Apostolis, ex Conciliis, & sanctis; probent indè

falsas doctrinas Deo, & legi ejus contrarias esse rectam, & sanam doctrinam, & salutis; & humillimè eos, & tamquam doctiores etiam audiemus, & discemus plurima, quæ ignoramus.

Audiendus est hic mitissimus alioqui Doctor Ecclesiæ S. Bonaventura in prologo sui Confessionalis. Cum secundùm B. Gregorium, inquit, cura pastoralis sit ars artium, regimen animarum, & occultiora sint vulnera cogitationum, quam viscerum; *horrendum profectò est*, videre quosdam Sacerdotes nostri temporis, qui sacram scripturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissimè traditur, & jura canonica, & scripta Doctorum, in quibus plenissimè declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt; & tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt, &c. Tali ergo Deo odibili ignorantiæ per obedientiam compulsus, &c. Hæc S. Doctor, qui horrendiùs multò censuisset, quod quis scripturæ Dei prorsùs nescius Doctorem tamen universalem, & Medicum omnium agat. Et S. Thomas opusc. 67. si videmus, sit, Medicos corporum revolvere quotidiè, & legere libros &c. magna stultitia est, non legere libros sanctorum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras. Hæc Doctor Angelicus; jam autem sæpè notamus, in libris sanctorum legi scripturam, ut est res facti notoria. Uterque verò hic Doctor ignoravit nuper inventam illam magnam Theologiam de differentia medici corporalis, & spiritualis; nam ille quidem, si erret, occidit hominem; at Medicus spiritualis, etsi erret, animam non occidit; quin ipso etiam errore suo, & errando dat vitam, & salutem; idque tam certò, & evidenter, atque si Paulus è Cœlo delapsus responsum dedisset. Liceat & nobis cum tantis Doctoribus has novae subtilitates ignorare, & effugere etiam quam longissimè. Nuper denique, quod sæpè inculcamus, sancta congregatio sanctæ Romanæ Inquisitionis mærorem animi, doloremque fel. Recor. Alex. 7. denunciavit universis Christi fidelibus, eò quod in rebus ad scientiam pertinentibus modus opinandi irrepsisset alienus omninò ab evangelica simplicitate: sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela; & quoniam Romani etiam Pontifices ignorant hactenùs magnam illam corporalium Medicorum, & spiritualium ingeniosissimam differentiam; arcet fideles, ne eam sequendo pereant, ab ea regula. Hujus verò Philosophandi, qui irrepsit, potissimum illud est, quod via rationis, discursuque humano, non ex Evangelio, non ex doctrina sanctorum de vis christiana definiat; ex quo planè necesse est modum illum genitori suo simillimum evadere: alienum verò omninò ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina. Nihil itaque à recto exorbitamus, si visibilem in terris fidem, morumque regulam sequentes eos minimè Theologos arbitramur, qui eum modum de moribus Philosophandi sectantur. Deindè seorsim quæst. seq. Theologicè, & ut volunt, scholasticè, hoc idem punctum tractabimus.

§. II.

Doctrina constituta ipsarum scripturarum testimoniis commonstratur.

PRimum ea proferre visum est, quæ in bibliis quibusdam in exhortatione ad ipsorum lectionem, scientiamque præmittuntur. Exodi 13. *narrabis filio tuo in die illo dicens, hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto, & erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, ut lex Domini semper sit in ore tuo*, &c.

Deuteronom. 12. *non facietis singuli, quod vobis rectum videtur* (intelligite opinatores vestrisque judiciis definientes) *sed quæ præcipio tibi. Hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Deuteronom 31. *Leges verba legis hujus coram omni Israel audientibus eis, & in unum omni populo congregato tam viris, quam mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus.*

Josue 1. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Non declines à verbis legis hujus ad dexteram, ut intelligas cuncta, quæ agis.* Ubi sunt nunc qui alias vias docent, & qui additiones, & ablationes, id est, falsas doctrinae tanti habent.

Proverb. 30. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se: nec addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax.* Ad Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.*

2. Ad Timotheum 3. *Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi sciens, à quo didiceris; & quod ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ergo nisi mentitur Apostolus, Theologia moralis, recta doctrina morum, veræque justitiæ hauri potest, & haurienda etiam est ex scriptura ista divinitus inspirata. Et 1. ad Timotheum 4. *dum venio, attende lectioni exhortationi, & doctrinæ.* Atque iterum: *attende tibi, & doctrinæ*; utique scripturarum. Nisi Paulus, & Timotheus morum doctrinam ignoraverint, aut alios erudiendos sortiti sint, quam Christianos, & ejusdem cum nobis fidei, & religionis homines; vel tunc quidem ex scripturis docendi illi essent; nunc verò prorsùs præter illas.

Totum item procemium Ecclesiastici conferri huc potest, ut velint nolint, intelligant demùm, in eum maximè finem hos libros omnes fuisse à Deo inspiratos, & donatos, ut quo uno universa moralis Theologia clauditur, scirent homines, quomodo esset vivendum. Multorum, inquit, nobis, & magnorum per legem, & Prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est; in quibus oportet laudare Israelem doctrinæ, & sapientiæ causa: quia non solùm ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed

etiam

etiam extraneos posse, & discentes, & scribentis doctissimos fieri.

Avus meus Jesus, postquam se ampliùs dedit ad diligentiam lectionis legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nostris traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam, & sapientiam pertinent, ut desiderantes discere, & illorum periti fieri, magis, magisque attendat animo, & confirmentur ad legitimam vitam, &c.

Itaque bonum, & necessarium putavi & ipse aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi librum istum, & multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis ad illa quæ ad finem ducunt, librum istum dare illis, qui volunt animum intendere, & discere, quomodò oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini voluerit vitam agere. An hoc uno non vertitur tota quanta moralis Theologia? At opinor, nec desipio, Evangelium etiam in hunc utique finem scriptum est. Opinor item, nec sanè desipio, Apostolos quoque in eundem finem Epistolas suas scripsisse, quibus fidelibus omnibus, & tunc illis, & nunc nobis rectam tam salutis, quam etiam majoris perfectionis viam per veram fidem, rectosque mores commonstratunt. Quæ si ita sunt, absurdum planè est, non hoc ex libro, sed ex aliis, ac præter illum mores nostros rectè, christianeque formari posse existimare. Totus demùm liber sapientiæ pro hac scientia Dei, quam in scripturis suis nobis consignavit, necessitate clamat.

Matthæum 22. moventur quæstiones illæ, alia de tributis solvendis Cæsari, vel non solvendis: alia de resurrectione, & captiosum hoc, circa argumentum proponitur. Responsio Domini fuit, *erratis nescientes scripturas, nec virtutem Dei*. Consequens planè illud est, ut ii errent, qui scripturas nesciunt; item virtutem Dei ignorant, quæ per scripturas nobis revelata est, & manifestata. Falsæ etiam illæ traditiones seniorum, & Doctorum, quibus mandata Dei evertebant, ut fusè tractavimus, natæ fuere ex ignorantia, ac prava interpretatione scripturarum. Causam deindè cur Judæi Christum Messiam esse non agnoverint, ad ignorantiam scripturæ Dominus Joan. 7. revocavit, & dixit: *scrutamini scripturas; quia vos putatis, in ipsis vitam æternam habere, & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me*: nam etsi eas legerent, quia tamen non scrutabantur, quæcumque de Messia dicebantur, de temporali felicitate ex nimio suo temporalium amore intelligebant; cum tamen collatis Prophetarum testimoniis in aperto esset, Messiam tamquam ovem ad occisionem ducendum, & alia sine fine, quæ felicitati temporali congruere minimè possent. Sed verò existimo, & si finis scripturarum Christus sit, & hoc maximum sit, eas tamen non prætermisse, quid nobis esset agendum. Dormimus sanè, dormimus: & Augustinus Sermon. 47. de verb. Domini somnum nostrum discutiat. Scrutamini, inquit, scripturas; audite pauca non numeranda, sed appendenda; nam ista omnia facilè est intelligere de Judæis: sed cavendum est, ne cum illos nimis attendimus à nobis oculos auferamus. Discipulis enim suis Dominus loquebatur, & utique, quod eis loquebatur, & nobis posteris loquebatur. Ergo scripturarum nescius paro volumen ingens de moribus Christianorum. Profectò Dominus id ad me dicet, quod Judæis olim pro me etiam dixit; *errastis nescientes scripturas, nec virtutem Dei*, ex cujus ignorantia multa impossibilis, alia duriora arbitratus es, & legem ejus emollire voluisti.

Hùc etiam faciunt, quæ 4. Reg. 22. narrantur de volumine legis invento, tantaque veneratione, & diligentia perlecto, & servato; quæ & 2. Paralipp. 34. iterantur. Item Jeremi capit. 36. item actu 17. qui susceperunt verbum omni aviditate, quotidiè scrutantes scripturas: nam beati, qui scrutantur testimonia ejus. Quoniam, quæso, erant isti? An non quidam homines Christiani? Quid ergo? illi quotidiè scrutabantur scripturas, & nobis præter illa alia via capessenda est? Hùc infinita alia pertinent, quæ ex scripturis facilè quivis pro ipsarum necessitate colligat.

Ea prætermittenda haud sunt, quæ cuivis morum Magistro, & Concionatori (nam idem finis est) dicta videntur Ezech. 3. Et dixit ad me; fili hominis: quodcumque inveneris, comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo: & dixit ad me; fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud, & factum est in ore meo tamquam mel dulce. Et dixit ad me: fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.

Hic est profectò rerum ordo; hunc librum nobis omnibus Deus dedit, comedereque, id est, ex illo nos primum ipsos vivere, atque in nostram quasi substantiam eum convertere; alios deindè ex eodem docere jussit: sin minùs instrumenta Dei non sumus, nec ab eo missi loquimur, nec verba ejus planè loquemur, quæ non hausimus, sed nostra, & cuncta invertemus. Quod verò vel doctrina, vel praxi quidam distinxerunt, quasi Concionatorum sit, librum istum benè nosse, & velut comedere: Theologorum verò Moralium non hoc sed nescio quid aliud, & suo ratiocinio cuncta conficere, miseria miseriarum est, ut superiùs disseruimus: quin ex quo munera hæc, & utriusque etiam muneris doctrinæ separatæ sunt, Theologo potissimùm dictum est, *comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel*; quia ex Theologorum maximè dictis vivunt filii Israel; alioqui verba sua, sensa sua, & judicia, & voluntatem non Dei eis tradent.

Concludamus itaque, nihil in sacris litteris esse manifestius, quam Magistro cuique morum necessariam prorsùs esse scientiam, & peritiam ipsarum scripturarum: atque eos, qui ex illis non docent, Theologos vocari quidem posse; esse tamen non posse: item illudere eos fidelibus sub nomine, & persona Theologorum. Quod ad nos attinet, iterùm protestamur, similes omnes nobis Theologos non esse, nec eorum quantocunque numero movendos esse ma-

gis, quam geometrarum. Verbum enim Dei, ut Apostolus Petrus præscribit, est lucerna lucens in caliginoso loco, quemadmodum & Propheta dixerat; lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Atque hæc vera, & verissima sunt, & non solùm ore confitenda, sed in corde etiàm fingenda; & delyrat humana ratio nisi à Deo discat, circa divina tam quoad se, quam quoad nos, ut sæpè demonstravimus. Qui ergo hac lucerna pedes suos, aliorum; qui hoc lumine semitas suas, & fidelium non dirigunt, profectò nisi ludus sint verba Dei, similes sunt hominibus in atra nocte ambulantibus, viamque ignorantibus; & tamen lumine, quod offertur, uti nolentibus. Sed prædixisti, Domine, per Prophetam tuum, futuram esse famem verbi tui in terra.

§. III.

Concilium, sanctorumque indubitato consensu de Episcopis maximè eadem veritas comprobatur.

Multa dabimus libr. seq. ubi ostendemus, doctrinam revelatam, quæ in scripturis continetur, non solùm quasi objectivè esse omninò necessariam ad rectam doctrinam morum, hoc est, non solùm esse necessariam cognitionem scripturarum, & doctrinæ revelatæ, sed ipsam prætereà morum scientiam, sectamque doctrinam esse donum, & gratiam Dei: nunc verò, quia utraque causa commixta est, aliqua, quæ eò magis directè pertinent, delibavimus. Fuit itaque olim actis in Ecclesia Dei contentio cum Pelagianis, qui gratiam quidem scientiæ admittentes negabant ulla prætereà gratia virium, & adjutorii nobis opus esse ad rectè vivendum. Ecclesia porrò Dei non recusabat, sed fatebatur etiam eam scientiæ, & cognitionis gratiam: qualiter verò utrumque illa requirerer, & Concilio Melevitano cap. 4. apertè constat.

Item quisquis dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit, &c. & post pauca; cum sit utrumque donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus. De quo plura libr. sequen. De fide ergo est, gratiam Dei esse per Jesum Christum, quod nos doceat, quid facere, quid vitare debeamus; ad quæ duo ut dixi, moralis Theologia revocatur. At qui de lege ordinaria docet nos illa duo Deus libro suo; sicut Diana, vel quivis alius libris suis nos docet: quid ipse agendum, vel vitandum existimaverit; & qui semel apud se statueret, ex Diana se discere debere; aliundè verò libros ejus præteriret: nec nosse curaret, fatuus esset. Ergo ad scientiam, & rectam morum doctrinam necessaria est de lege ordinaria cognitio, & peritia libri Dei. Quo circa multipliciter syllogizare quisque potest.

Concilium Toletanum 4. cap. 74. ignorantia, inquit, mater cunctorum errorum maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Thimotheum, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ quoque, & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes scripturas sanctas, & canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione divina, & doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. Hæc quidem de sacerdotibus, seu Episcopis, qui eo olim nomine intelligebantur; quia scilicet docendi officium in populis susceperunt: quarè Doctores fidei, & morum omnes comprehendunt, maximè verò eos, qui editis libris non unam Diœcesim, sed omnes docent.

Synodus 7. cap. 2. Inquiratur autem diligenter à Metropolitano, si in promptu habeat legere scrutabiliter; & non transitoriè tam sacros canones; & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam scripturam, atque secundum mandata Dei conversari, & docere populum sibi commissum. Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitùs tradita, id est, vera divinarum scripturarum disciplina; quemadmodùm magnus perhibet Dyonisius. Quod si disceptaverit, & docere minimè sponponerit, nullatenùs consecretur. Ait enim prophetice Deus: tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Notavimus jam Sacerdotum nomine Episcopos maximè olim significatos, ut versato cuique notum est, & Pamelius super Cyprianum pleniùs declaravit. Cum vero Concilium ad legendum scrutabiliter scripturam Episcopos obligat, non de lectione Physica, quod pueri etiam præstant, & ad minores quoque ordines requiritur, sed de lectione intelligendo, sciendoque, quæ legunt, intelligit, ut patet ex contextu; nam totum requiritur, ut secundum mandata Dei rectè conversari possit, ac dein docere populum sibi commissum.

Sed quoniam nunc de necessitate solùm cognitionis scripturarum tractamus; non autem de quantitate doctrinæ necessariæ tam Episcopis, quam cæteris, qui regendarum animarum curam suscipiunt, de quo inferiùs differemus, omitto aliquotum glossas, qui hæc Conciliorum decreta fermè ad nihil reduxerunt; videbimus scilicet, utrum illa juris purè Ecclesiastici sint, an etiam divini, quæ nulla consuetudine in contrarium abrogati potuerint. Modò autem colligitur, hæc, quæ pro Episcopis maximè dicta sunt, comprehendere omnes Theologiæ moralis, morumque Magistros; illa enim ad Episcopos pertinent, quia Doctores ex officio sunt: ergo Doctores eodem jure comprehendunt. Causa scilicet omnia necessitatis scientiæ, & peritia scriptura-

pturarum eò revocatur, quod citra eam recta morum doctrina, salutisque vera via sciri planè nequeat. Doctores loquor, qui statuts omnes docere solent, de Confessoribus verò horum, vel illorum, infrà distinguemus, & dicemus, minorem proportione scientiam sufficere: at omnibus dicimus necessariam cognitionem scripturarum majorem, vel minorem.

Jam pro hac necessitate extant præterea plurima in Decreto distinct. 36. 27. & 38. Hæc duo sunt Pontificis opera, asseritur 36. distinct. cap. *Si quis* ex Hieronymo, *ut aut à Deo discat legendo scripturas divinas, & sæpius meditando aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet.* Errant ergo, qui quin à Deo scripturas suas legendo didicerint, proprio sensu, suis rationibus, & speculationibus de universa salutis via magnis etiam voluminibus philosophantur.

Idem Hieronymus cap. 8. rem totam conficiat: nam sine divinæ legis, & disciplinæ cœlestis notitia, difficile esse, quemquam posse salvari, non mens, sed divinus sermo probabit. Ait Esaias Propheta: qui non didicerit justitiam Dei, veritatem non faciet. Item de hoc in libr. Sapien. & quis erit consummatus inter filios hominum, si abfuerit ab eo sapientia Dei: in nihilum computabitur; vani enim sunt omnes homines, quibus non est scientia legis Dei. Undè Dominus in Evangelio ad eos, qui aliter, quam se habeat veritas, suspicantes erant; respondit: erratis nescientes scripturas, ostendens, in summa rerum salutarium nebula, & tenebris constituros eos, qui spiritualem lucernam, id est, divinæ legis scientiam, nollent habere accensam, &c. Nullo igitur modo passim nos nostro judicio committamus, ne vobis exclamet Esaias; væ, qui prudentes sunt apud semetipsos, & in conspectu suo periti. Undè & Paulus Apostolus, &c. & infrà. Bonum est quidem homini sapere, si juxta scripturas ad hoc sapiat, &c. Cæterùm si quis usurpatæ semel intentionis ducatur intuitu, & sua se magis, quam Dei velit gubernari sententia, &c.

Iterùm in Decreto ex eodem Hieronymo. Si juxta Paulum Apostolum Christus Dei virtus est, Deique sapientia; & qui nescit scripturam, nescit virtutem Dei (ex Mattheo 22.) ejusque sapientiam, ignoratio scripturarum ignoratio Christi est. Si quis ignorat ea etiam mandata minora, quæ Paulus 1. ad Corinth. 14. posuit, juxta ipsum ignorabitur, & peribit, qui præter totius pœnè scripturæ cognitionem non solùm vivit ipse, sed alios etiam instituit, haud dubiè ignorabitur.

Augustinus lib. de Past. cap. 11. & pascam eos super montem Israel. Constituit montes Israel Autores scripturarum divinarum: ibi pascite, & securè pascatis. Quidquid indè audieritis, hoc vobis benè sapiat: quidquid extra est, respuite, ne erretis in nebula, &c. A montibus enim, quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis Evangelicæ: erunt stabula earum illic, id est, ubi requiescant, ubi dicant, benè est, verum est, manifestum est, non fallimur. Ubi sunt nunc illi quibus tam benè sapiunt opiniones falsæ, modò probabiles sint, quibus libri morales ad medietatem implentur, quæ non solùm extra montes illos sunt, sed contra? atque hæ sunt, quibus pascunt, quæ respuendæ docentur; atque stabula ipsorum ibi, id est, ubi requiescant, non ubi dicant, verum est, manifestum est, sed probabile est, & falsum esse, & falli materiale est, nihilque interest? Ubi deniqué est modus ipse universus philosophandi multorum præter montes Israel, & scripturas divinas?

Idem Augustinus libr. de moribus Ecclesiæ Cathed. nisi Genadii liber iste sit. Quarè deinceps nemo ex me quærat sententiam, sed potiùs audiamus oracula, nostrasque ratiunculas, divinis subjiciamus afflatibus. Videamus, quomodò ipse Dominus in Evangelio nobis præceperit esse vivendum. Audiamus ergo, quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas; nec dubium est, quin is erit finis, quonos summo ardore tendere jubes, diliges Dominum Deum tuum. Ergo qui suis vel ratiunculis, vel rationibus libros implent; ac divinis maximè oraculis non docent, quomodò sit viuendum, verè Theologi morales non sunt.

Item libr. 8. Confess. cap. 20. & 21. Sed tunc lectis Platonicorum libris (perindè est Peripateticorum, aut aliorum purè, vel potissimùm philosophantium, & ratiocinantium) garriebam planè quasi peritus, & nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem. Jam enim cœperam velle videri sapiens plenus pœna mea, & non flebam; insuper inflabar scientia. Ubi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod est Christus Jesus? Aut quandò illi libri me docerent ea, in quòs non propterea priùs, quam scripturas considerarem, voluisti me incurrere, ut imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem: ut cum posteà in libris tuis mansuefactus essem, & curantibus digitis tuis] contrectarentur vulnera mea, discernerem, atque distinguerem, quid interesset inter præsumptionem, & confessionem: inter videntes; quò eundem sit: nec videntes, quà, &c. Itaque avidissimè arripui venerabilem stylum spiritus tui, & præ cæteris Apostolum Paulum; & perierunt quæstiones illæ.

Hic planè textus est verissimis doctrinis confertus: sed non hùc pertinet ostendere, quomodò acceptis ritè, expensisque scripturis, cessent, sintque quasi de subjecto non supponente innumeræ quæstiones morales, & peteant, & quamquam integri operis hoc argumentum sit, nonnulla tamen in specimen lib. 4. conferemus: verè enim, qui secundum scripturas, atque ex eis vivunt, & spiritu facta carnis mortificare nituntur, vix his tot opinionibus indigent, & quasi ex toto

alia via incedunt. Magnum deindè illud est, quod docet, ideò ipsum à Deo permissum in alios priùs libros, quàm in sanctas scripturas incidere, ut imprimeretur memoriæ suæ, quomodò ex eis esset affectus, discerneretque, & distingueret, quantum interesset inter præsumptionem, & confessionem: & inter videntes; quò eundum sit, & non videntes quà. Verè enim hæc ipsa experientia & nos à multis libris abstraxit, & ad sanctiores alios deduxit, in quibus ædificans illa charitas à fundamento humilitatis doceatur, ingeratur, alaturque. Sed & de hoc lib. 4. est tractandum ad eam regulam Salvatoris; ex fructibus eorum cognoscetis eos tum Doctores; tum libros. Nunc confessione profectò nobis quoque opus est: fatendum est enim ingenuè, nos planè haud præstare Platoni, Zenoni, Aristoteli rationis naturalis vigore, mentisque virtute; quin plerosque nec consetti quidem eis posse. Quarè de moribus, viaque salutis rectè philosophaturis, tam necesse est, se ipsos, suaque ingenia relinquere, quam necesse fuit à summis illis Philosophis, eos relinquendo, & ad Dei doctrinam confugere. Ineptus ergo prorsùs est ad docendam salutis viam, moresque Christianos instituendos, qui avidissimè non arripit venerabilem stylum spiritus Dei, & ejus scripturas novit.

§. IV.

Aliæ Autoritates in idem.

DEdimus prætereà tum aliàs, tum præced. quæstion. mirabilem locum Augustini: *non afferamus stateras dolosas*, &c. Sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis tamquam de thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius, appendamus; imò non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus. Hoc tamen vix non delyrium quibusdam videtur? & stupent, vel rident, dum nos audiunt, dicentes, ex sancta Scriptura moralem Theologiam esse docendam, perindè fermè atque si de libro Vitrubii loqueremur. Sed sinant, nos cum Augustino; cæterisque sanctis Dei delyrare; & ipsi contra sapiant. Afferamus itaque, ait Augustinus; divinam stateram de scripturis sanctis, &c. atque in eodem nos cum ipso errore sumus. Mutata est planè quasi ex toto rerum facies; hoc est, quod nuper Alexand. 7. dolebat, irrepsisse modum de rebus conscientiæ philosophandi alienum à doctrina sanctorum. Nam vix ridiculum paradoxum quibusdam non est, moralem Theologiam, & rectam doctrinam morum ex Dei scriptura esse docendam; quam intereà omnes sancti Dei, ut res facti notoria est, & apertis libris constat, ex scriptura docuerunt, & docendam esse prædicarunt. Sumus ergo quasi in alio mundo à doctrina sanctorum, de quo, & de doctrina morali in pristinum restituenda differemus libro 4.

Neque verò Augustinus quasi ex nimia quadam erga Deum religione eam necessitatem divinæ stateræ adstruxit, sed celsissimæ mentis Doctor experimentis ipsis, rerumque observatione didicerat, quam dolosæ staturæ sint discursus nostri ad appendenda peccata. Primò siquidem deprehenderat typhum illum Manichæorum, nimiamque illam rationis existimationem, & cultum; in quem & ipse errorem inciderat. Observaverat deindè, multa juxta divinam stateram esse gravia, quæ stateris nostris levia, vel nulla visa fuissent: ut quæ exempla Doctoris sunt, observare menses, dies, & annos, ut superius ex ipso docuimus, esse peccatum mortale: item qui dixerit fratri suo, fatue, reum esse gehennæ ignis; item eum, qui sine veste nuptiali intraverit; non corrigendum quomodolibet esse, sed mittendum ad tenebras exteriores. Omnes denique superiores quæstiones nostræ, & quæcunque infrà tractanda sunt, fidem faciunt. Nam primùm ex 1. libr. si ex Dei scripturis mores rexissent, numquàm, sanè dubitassent, ignoranter etiam & per ignorantiam, & nesciendo, nec advertendo peccari propriè posse: si rursùs ex scripturis docuissent, dubitassent planè numquàm, Doctores quosque privatos sequendo peccari posse: dubitassent item numquàm, officium Magistri morum esse periculosum; teneri eum ad ipsam præcisè veritatem, nec probabilibus satisfacere; illicitas demùm esse omnes suitates antecedentes doctrinarum, & divisiones, ac interpretationes, quibus scilicet quæruntur, quæ nostra sunt. Ecce hæc omnia velut primi cardines sunt rectè docendi: in quibus tamen contrarium ore, vel praxi tuentur multi: sed nullis scripturis res tantas, sanxerunt, sed proprio Marte philosophati sunt. Et certè si hanc ipsam, in qua sumus, quæstionem ex scripturis tractarent, omnis quæstio cessaret. Patet ergo ex his, quam summè necessaria sit cognitio scripturarum, nec nisi eam, quæ ex illis eruitur, esse veram Theologiam.

Ex uno Chrysostomo multos codices implere possumus. In cap. 1. Genesis homil. 5. *videte*, inquit, *dilecti*, *quantum malum sit non attendere ad ea, quæ in divinis scripturis sunt contenta. Hi enim si cum gratitudine doctrinas divinæ scripturæ accepissent, & non sua ex proprio capite excogitassent, neutiquam in tantam amentiam venissent*: proprium quippè caput citra doctrinæ cœlestis cognitionem in amentiam trahit. Multa tom. 2. Concil. 3. de Lazaro resuscitato ex capit. 16. Lucæ, inter quæ, magnum præcipitium, inquit, profundum Barathrum scripturarum ignoratio; magna salutis perditio nihil scire ex divinis legibus. Ea res & hæreses peperit; Ea vitam corruptam invexit. Rursùs homil. 43. in Matthæum capit. 13. quarè qui scripturarum divinarum imperiti sunt, non erunt hi certè Patresfamilias, scilicet in domo Dei, quæ est Ecclesia. Plura tomo 3. in capite 4. Joannis homil. 31. & alibi malorum omnium causam hanc ponit, scilicet ignorantiam scripturarum: hortatur alibi laicos omnes scripturam emere; miratur demùm alibi, Christianum hominem ignorare, quot sint pauli Epistolæ.

Hom.

Homil. 3. in cap. 1. Matth. vult, laicos etiam qui possint, vacare lectioni scripturarum. Inducit mox eos excusantes se, & dicentes: non sum ego Monachus, & uxorem habeo, & filios, & domus curam gero. Hoc enim est, subdit, qood omnia quasi una peste corrumpit, &c. Non audis Paulum dicentem, quoniam ad correctionem nostram bæc omnia scripts sunt? Tu verò evangelium, etiam si illoeis, ut ajunt, manibus contrectandum daretur, ne attingere cupias. Et inferiùs arguit ex Proph. Amos: dabo eis non famem panis, nec sitim aquæ, famem audiendi verbi Dei. Sed si de christianis etiam non Doctoribus hæc tanta ingerit, quid de eis dixisset, qui sine scientia scripturarum Doctores etiam morum, & salutis se constituunt; qui animas dirigunt ratione sua, non divina; qui demùm eas verbis non Dei, sed suis pascunt?

Magnus Gregorius confert plurima lib. 15. in cap. 20. Iob. & in primis volumen illud volans Prophetæ Zachariæ sanctam scripturam interpretatur: quid tu vides? & dixi: ego vidi volumen volans, &c. Et dixit ad me: hæc est maledictio, quæ eg reditur super faciem omnis terræ: Gregorius, sed quia hæc sacra eloquia, inquit, ad æternam damnationem sunt eis, qui illa vel scire nolunt, vel certè sciendo contemnunt, rectè de hoc volumine dicunt: hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem universæ terræ. Maledictio ergo erit etiam eis, qui scire nolunt: magis ergo iis, qui nesciunt, & tamen vias Domini docent. Similiter etism volumen, quod primùm comedere, & posteà loquere, & docere filios Israel jussus fuit Ezechiel. Gregorius hom 7. sacram scripturam interpretatur, quæ in primis, & aureà omnia scienda sit. Sed ajunt multi ad nos, per illam res conscientiæ sciri, resolvique non posse. At verò quid tu, Gregori, quem Doctorem habuimus in terris? In hoc volumine ait hom. 9. cuncta, quæ ædificant, omnia, quæ erudiunt, scripta continentur, hoc est, ut magni viri intellexerunt, continentur saltem tamquam in principiis, ex quibus reliqua eliciantur. Et hom. 10. inquir. sacra scriptura cibus, & potus est: sed terrent, quæ sequuntur: Dominus per Prophetam alium minatur: mittam famem in terram, nom famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei: quod de fame scripturarum interpretatur, in quibus scilicet continetur verbum Dei. Quæ autem, oro te, excogitari fames, sterilitasque major potest, quam si Doctores, Rectoresque morum, & animarum has scripturas, & verba ignorent primùm ipsi; & de in animas alendas, docendasque credant cibo alio, & potu. Sed inquis: Concionatores hoc faciunt. Facerent utinam id ipsi serio. At quod maximum est, tam populi crediderunt non Concionatorum dictis, sed Moralistarum sib esse vivendum; & intereà in multorum illorum libris sterilitas quædam extrema est scripturarum, & verbi Dei, nec hoc verbo, sed discursu suo pleraque resolvunt. Itineri ergo potest, ore steriliras, famesque illa venerit audiendi, sciendique verba Dei in scriprura ejus.

Denuò Hieronymus redeat in prolog. galeato ad Paulinum: taceo, inquit, de mei similibus, qui si fortè ad sanctas scripturas post sæculares litreras venerint, &c. quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint. Et superius: Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum, & hortatur ad studium lectionis, Tito præcipit, ut inter cæteras virtutes Episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque in eo eligat scripturarum. Inquem porrò finem sciendæ illæ ab Episcopo erant? Anne ut scirentur solùm? Non sanè. Ergo ut populos rectè pascere possent, viamque rectam saluris edocere. Num ergo post sæcula nobis alia, quam Timotheo, & Tito saluris via revelata est, quam doceamus, & quâ fideles in salutem dirigamus.

Omitto ex cæteris sanctis plurima; nam in hoc sunt contestes. Et facto ipso omnibus publico constat, eos omnes de moribus, vitaque Christiana philosophatos potissimum esse ex scripturis Dei, atque hoc ex loco, qui in Theologia primus est, causam egisse, resolvisse, statuisse, docuisse. An Cyprianus non indè disseruit? an aliundè Basilius, aut Ambrosius, aut Athanasius docuerunt? Et sic de cæteris: atque ut vetustiores prætercam, Bernardus quid aliud, quam scripturas loquitur? S. Thomas vix ullum casum sine scriptura, sanctorumque doctrina expedivit. Si ergo Cajetanus, quoniam aliquid in aliqua quæstione particulari doceri propter urgentem rationem contra communem Patrum sententiam posse existimavit, severè, & jure a cano mulctatur, qui Augustinum in simili contra Julianum Pelagianum imitatus est, quid, oro te, dicemus, ubi de universa fermè scientiæ morum possessione tractamus? Sancti Patres unà omnes ex scripturis eam hauriendam, potissimoque earum usu contexendam esse, & contextati sunt verbis, & factis simul executi sunt. Qui ergo hoc maximè ex loco scientiam morum, vitamque christianam vel non docent, vel docendam non censent, prorsùs respuendi sunt; nam vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei, & scientia Sanctorum; quam certè ipsi de communi lege non privatis revelationibus, sed publicis illis, & authenticis, quæ in libro suo extant, edocet.

§. V.

Aliquarum objectionum solutione præcedens doctrina magis confirmatur.

Murmura ignorantium non loquor, sed objectiones, & argumenta. Ad murmura porrò revocandum est, si quis dixerit, Lutherum hoc maximè ex loco de necessitate Scripturæ, & verbi Dei exorsum fuisse, contexuisseque hæreses suas. Sunt scilicet quidam, quibus is est locus topicus differendi ad omnia, quippè fugere hæreticorum dicta omnia; & si illi quidem dixerunt, homines esse bipedes, hoc in primis negandum est; quasi verò, quod olim Eucychianis, aliisque accidit, hæreses incurri non possint, ab hæreticis nimium discendo. Jsm agite; Lutheranus admisit, inculcavitque Cbristum, & evangelium; negemus igitur utrumque. Lutherus igitur aut erravit in hoc, quod necessarium arbitratus sit evangelium, ac reliquum verbum Dei, in quo magis cum Ecclesia, ejusque sanctis concordat; sed desipuit, ut scitut, quia Ecclesiæ Matris judicium recusavit, sanctos Patres contempsit; judicio suo cuncta commisit, aliaque

sine fine blateravit. Si ergo Lutheri Ecclesiæ sensa, Sanctosque Patres contemnentis, & licet ex Scripturis agendo, eas tamen suo judicio intelligentis spiritus diabolicus est, & hæreticam planè viam salutis confinxit; profectò nos quoque a periculo non vocabimus, si de eadem salutis via ex ingenio, discursuque nostro statuere, disfereque pergamus. Errari enim utrovis modo æquè potest, vel scripturas malè intelligendo, vel scripturas ignorando. Erravit autem ille eas malè intelligendo. Errâvit ergo quilibet easdem ignorando.

Aliud, quod etiam ad murmura revocandum censeo, est; inquis, scilicet, quid de iis libris viam salutis docentibus agendum sit, in quibus rarus, vel nullus Scripturarum usus, vel qui potissimum ex Scripturis Dei, & Sanctorum decisiones suas non probarunt, sed ratione purè naturali, & humana sanxerunt. Quid, inquis, de iis libris est agendum. Respondeo, si qui erunt hoc genus libri, id omni jure esse agendum cum illis, quod in ipsis actum est de libro Dei. Quis nimirùm erga Deum, ejusque librum tam irreverens sit, qui de sententiæ hujus justitia, & æquitate conqueratur? Si qui sunt, qui ad vitam Christianam edocendam prætierint, & praxi saltem, & opere velut librum ad eam rem inutilem neglexerint librum Dei, & evangelium unius Magistri nostri, omni nos jure vicem rependimus, & clamamus; jaceant ipsi, & prætereantur cum libris suis, & colantur, cognoscantur, & sciantur Scripturæ Dei, evangelium Jesu Christi, Prophetæ, Apostoli, omnia intelligendo juxta sensum Matris Ecclesiæ, & doctrinam Sanctorum. Hinc verò murmur retorquendum est; nam si qui sunt similium librorum Autores ægrè admodum ferent, quod eos abigendos prætereundosque constituamus. Qui porrò sumus nos, qui omnipotenti Deo, qui Magistro nostro Christo conferamur? Qualiter ergo feret ipse, quod liber suus, & evangelium prætereatur, docereque velimus, quomodò sit vivendum, quin doctrinam suam in primis didicerimus? Augustinus in proœmio libri de Pastor. adjuvabit, inquit, ipsa, & vera dicamus, si non nostra dicimus, Si nos nostra dicamus, pastores erimus pascentes nos,non oves; si autem illius sunt, quæ dicimus, per quælibet ipse nos pascit. Sus porrò in libro suo sunt, in evangelio suo sunt; sicut mea, quæ utinam illius sint, in libro meo. Prætereundi ergo, qui citra ejus libri cognitionem, & meditationem docere nos volent, quomodò salvandi simus.

His itaque, & similibus contemptis murmuribus, opponi primùm potest, Ecclesiæ sensa, & firmissime ubique tenenda, esse illibatè servanda, & tenenda. Subsumis nunc, Ecclesiæ sensum non esse, scientiam, & cognitionem Scripturarum esse necessariam ad mores Christianos, ac vitam Christianam Christianè instituendam. Quod probas; quia Ecclesia prohibuit vulgares versiones Scripturæ, id est, noluit, eas converti in linguas vulgares. Noluit ergo, eas legi a fidelibus ignorantibus linguam latinam, qui sunt plerique. Ergo nec voluit, certè non curavit, eas sciri ab illis. At non ideò voluit, viam salutis, & modum Christianè vivendi ab eis ignorari, ut patet. Ergo modus is, & vis sciri potest citra, & præter cognitionem Scripturæ. Et confirmatur; nam quoniam necessarius est cibus ad vivendum, qui vellet nos vivere, vellet nos comedere: Ecclesia autem vult utique fideles omnes vivere vitam gratiæ, & christianam: aliundè verò non vult eis usum, & pastum Scripturarum concedere, cum nolit, eas converti, & legi in linguis, quas intelligere, plerique possint. Non ergo cibum, & potum Scripturarum necessarium censuit ad vitam gratiæ, & Christianam. Et confirmatur rursùs; quia hoc ex loco hæretici Ecclesiam inter alia insequuntur; quod defraudet fideles cibo, & potu verborum Dei, versiones illas prohibendo: nimis ergo ad hæreticos declinamus, dum Scripturarum cognitionem adeò necessariam constituimus ad mores christiane regendos. Undè Concilia, & Patres explicandi erunt dicendo, vel eos locutos esse de suo tempore, non de nostro; vel scripturæ doctrinam necessariam dixisse, non christianis omnibus, sed solùm illis, qui ad majorem perfectionem contendunt; cæteris verò Doctores alii, & doctrinæ citra Scripturas sufficient: habent enim quidam aliqua hujusmodi loca communis, quibus cuncta evertant,

Enim verò & hæreticis hinc in Ecclesiam garrientibus, & simul Moralistis, si qui necessitatem cognitionis, & scientiæ Scripturarum negaverint, resistendum est. Et primùm quidem hæreticis; nam Ecclesia sancta non ideò eas vulgares versiones prohibuit, quia Scripturæ cognitionem necessariam non arbitraretur, ut statim videbimus, sed in necessitate duorum malorum, ut majus vitaret, minus malum sapienter elegit, ut sapiens Medicus venam scindit, ut imminentem morbum præcaveat. Fervebat enim, ac in dies serpebat bestialis illa hæresis, quæ ajebat, sine ulla visibilis regulæ necessitate sacram scripturam patere universis, & Ecclesiæ indè judicium detrectabant; ex quo, ut alibi diximus, id factum fuit, quod ut unum Papam tollerent, omnes efficerent Papas sutores, sartores, ancillas, & nefarios quosque, qui scilicet in defectibiliter, ac citra errorem scripturam intelligerent, interpretarenturque: *hanc garrula anus, hanc delyrus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant, ajebat Hieronymus.*

Miser sanè Eunuchus ille, qui Isaiam legebat, & non intelligebat: *putas ne* (dixit Philippus act. 8.) *intelligis, quæ legis? Qui ait: & quomodò possum intelligere, si aliquis non dixerit mihi: rogavitque Philippum, ut ascenderet*; & ab illo edoctus est. At Eunuchus, ais, advena erat. Sed miseri ipsi etiam discipuli, & Comites Salvatoris, qui toties alia ejus dicta non intelligebant; toties alia aliò detorquebant, ut patet ex evangelio, & Lucæ 24. necesse fuit, ut duobus illis discipulis a Moyse incipiens legem exponeret. Sed solutio sit, discipulos Christi rudes, ac uno verbo piscatores quosdam fuisse; at piscatoribus Zelandiæ, pyratis etiam, & avaris perspicua esse, patentiaque omnia verba Dei. Sed de hac stultitia aliàs satis; cui ut occurreret Mater Ecclesia vetuit eas versiones vulgares.

Neque tamen, si qui erunt, negantibus necessitatem scientiæ, & doctrinæ scripturarum ad regendas

regendas animas, & conscientias est ullo modo consentiendum. Et ut hac primùm instantia utar, quid Moralistæ quique boni, & præcipui, ac ferè omnes eam doctrinam, quâ regendas conscientias existimarunt, non vulgari idiomate, sed latino dumtaxat edunt, & ediderunt? improbantque, & jure omnes quosdam, ut vocant, morales romancistas; quo factum est, ut nuper in causis religionis docebamus, ut laici, & fæminæ, & quilibet facti sint. Doctores non tam conscientiarum dixerim, quam multarum relaxationum: & quæ de sacra scriptura ajebat Hieronymus, jam hac ætate morali Theologiæ sanè congruunt: hanc garrula anus, hanc delyrus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam didicerint. In primis enim, ut diximus, ex romancistis, ut vocant, istis jam fæminæ ipsæ, & quilibet Doctores, ut credunt, facti sunt; deindè verò innumeri, quibus nulla alia scientia docenda crederetur, moralem Theologiam non solùm docent, & quorumcumque conscientias regunt, & casus resolvunt, sed libros etiam edunt; hanc enim omnes præsumunt, & non nisi lacerent, necesse est.

Jure itaque morales Theologi doctrinam etiam eam, quam ipsi ad formandos mores necessariam existimarunt, latino solùm idiomate plerisque fidelium inaccesso docendam esse arbitrati sunt: idque jure, inquam, meritò tum ad vitanda nunc attacta incommoda; tum ut in Ecclesia ordo servaretur, quem Paulus præscripsit, nec oculi omnes essent nec omnes pedes, sed essent alii Doctores, & Pastores: alii solùm oves: quem ordinem Uvaldensium, ac Presbyterianorum factio sustulit contra expressas scripturas. At orthoxi omnes servant, & Doctores morum ideò censuerunt, se quidem scire debere eam doctrinam moralem, quâ putant, conscientias esse regendas: ad quod satis sit, si linguam ipsi norint, quâ illa tractatur; nam ad ipsos ut potè Doctores pertinet, doctrinam eam fidelibus pro uniuscujusque statu, & conditione vulgari lingua communicare. Undè stultam eam argumentationem dicerent: hæc doctrina non nisi latino idiomate plerisque omnibus impervio docetur, & traditur: ergo illa necessaria non est pro moribus christianè instituendis: atque hac instantia argumentum factum retorquetur. Nam idem prorsùs, ac eodem modo proscripturarum necessitate respondemus, eas nimirùm sciendas esse a Doctoribus morum; quas ipsi dein fidelibus communicent, mores illorum, & vitam ex ipsis; non autem dolosis nimium humanorum discursuum stateris mensurando, ac instituendo.

Quin quò apud fideles est hujus cognitionis major inopia, & sterilitas, eò scientiores, doctiores, diligentioresque esse tenentur Doctores. Neque Ecclesia sancta sensa sua aliquorum instar mutat, sed semper tenuit, tenetque scientiæ scripturarum necessitatem, & tunc, quandò vulgares versiones quasi una manu removit, ea de causa maximè manu altera necessitatem istam demonstravit, summa quadam diligentia cathedras scripturæ erigendo, atque ad ejus cognitionem obligando.

Totum caput 1. sessio 5. Concilii Tridentini est hac de re. Inter alia verò jubet. In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio sacræ scripturæ habeatur; qua in re si Abbates negligentes fuerint, in hoc Episcopi locorum ut sedis Apostolicæ delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ scripturæ lectio similiter habeatur; quæ lectio a Capitulis Generalibus, vel Pronuncialibus assignetur dignioribus Magistris. In quibus, ne quem nugari contingat, patet, sermonem haud esse de ea scripturæ lectione, quæ inter prandendum haberi solet, id est, de recitativa, sed ut ad 7. Synodum suprà dicebamus, de lectione Magistrali, ut moris est, in Academiis lectiones appellare. Obligaverat etiam ad idem ecclesias Cathedrales.

Postremò ad Academias veniendo inquit: in gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica, & cæterorum maximè tam necessaria lectio hactenùs non fuerit, religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & charitate ad catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem instituatur, & ubi instituta foret, & negligeretur, restituatur. Hæc inter alia sacrum Concilium: atque mox docentes, ac discentes scripturam privilegiis cumulat. Et priùs Concilium Basileense. 23. de numero, & qualitate ipsorum etiam Cardinalium agens: sit saltem, inquit, tertia, vel quarta pars de Magistris, aut Licentiatis in sacra scriptura, quod si non conciliarem, tot saltem ibi congragatorum Patrum mentem, ac desiderium manifestat. Et Concilium Provinc. Franctord. eas tantas præsentium hæresum eo temporis vires indè maximè auctas existimavit, quod catholicos Doctores in scripturis minùs versatos, & ad alia distractos invenissent.

Profectò ea, quæ ex Tridentino adduximus, satis declarant sensa & desideria Matris Ecclesiæ. Non infert sanè Concilium, ut inferentes aliquos doluimus; Scripturæ lectio negligitur; ergo relinquatur; sed restituatur. Neque dicit; hæc, & aliæ facultates doceri simul non possunt, & Magistri desunt; ergo ista prætermittatur, sed ista tam honorifica, & cæterorum maximè necessaria instituatur. Eam in Ecclesiis quibusque Cathedralibus; eam in Monasteriis Monachorum, & in reliquorum Regularium Conventibus, ubi studia commodè vigere possunt; eam in Academiis publicis, id est, in omnibus docendi locis vult doceri. Tanti porrò rem istam pro illius otique necessitate fecit, ut, perrarum est, Episcopos locorum sedis Apostolicæ delegatos constituerit pro compellendis Abbatibus; item voluit, digniores ad id Magistros deputari. In quem verò finem ista omnia requisivit? Et scilicet lectionem cæterorum maximè necessariam ad catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem restauraret. Hoc scilicet uno, siquid judicare mihi concessum est, morum sanam doctrinam, quam relaxatam omnes docent, reformandam existimarem, si Magistri morum instar sanctorum Patrum, ac librorum etiam spiritualium cogerentur ex scripturis potissimùm philosophari, indè colligere, & docere; quod Theologi proprium est; neque adeò ratiocinio nostro discursuque uteremur,

uteremur, & resolveremus. Erectæ sunt itaque studio matris Ecclesiæ ubique locorum Cathedræ scripturæ: si tamen in eis non ipsa colitur, sed aliud omnino agitur, hoc non Ecclesiæ, sed nostrum est, de quo haud dubiè judicabimur, qui de omni verbo otioso judicandi sumus. Neque tentatio illa sanè fortissima movere nos debet; quæ ubique occurrit, & toties ideò ex Augustino eam confringimus; *an non omnes hoc faciunt? Et quis non facit? Nam omnes perditurus est Deus?* Confundimus enim consuetum cum lege, & per multos non lex, sed consuetudo probatur; atque tritum illud est, *non dixit, ego sum consuetudo*, sed dixit, *ego sum veritas*: veritas autem est, sanctam ecclesiam velle, quod in cathedris scripturæ scriptura doceatur, ut ex locis docendi omnibus ea ad fideles omnes eorumque fidem, & mores derivetur.

Objici 2. potest, hoc pacto confundi Theologos cum scripturariis: quæ tamen ex praxi ferè omnium differunt, & prorsùs alii sunt, qui scripturas elucidant, & interpretantur: alii, qui Theologiam specularivam docent; alii, qui moralem; & sunt denique alii, qui etiam scripturam colunt, & hæreses oppugnant, scilicet controversistæ, & sic etiam sunt libri diversi. Confundimus ergo professiones, & facultates omninò diversas, Theologos omnes ad cognitionem, & scientiam scripturæ obligando.

Quam vellem, ut Theologiam illam, & Theologos, quid sint, palàm definirent, si Theologiæ, & Theologi hoc opus non sit, scilicet catholicæ fidei defensio, & incrementum, sanæque doctrinæ conservatio, & propagatio: ad hæc enim, opinor, præstanda Majoris nostri, ut ex ipsorum proœmiis constat, sacram Theologiam instituerunt, necessariamque existimerunt: at ad ea cæterorum maximè necessaria est lectio, ac proindè cognitio scripturæ, ut nuper magna Synodus Tridentina statuebat, & sancti Patres, & scripturæ consectabantur. Fateamur ergo, eos apud nos Doctores Theologos non esse, qui caruerint scientia necessaria ad catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem: quibus sanè ablatis Theologiæ solùm nomen superest, non res significata.

Distingui nihilominùs quasi accidentaliter possunt Theologi, scripturarii, & controversistæ; non quod aliorum sit scriptura, & aliorum non sit; quæ scilicet est fundamentum, & primus locus, atque potissimus singulorum. Nam primùm scripturariorum non est intra terminos suos sistendo ex scripturis alia colligere, sed eas interpretari, sensumque manifestare, & illustrare: Theologi verò proprium est scripturæ loco tamquam principia assumere, atque ex illis conclusiones in eis latentes elicere, & nectere; & hæc sic hausta, & collecta scientia est Theologia. Deindè multa in eisdem scripturis ad scripturarios pertinent, quæ liceat ignorare Theologo, ut sunt genealogiæ, versiones variæ, locorum difficiliorum concordantiæ, nomina, loca, bella, urbes, tempora, & historiarum etiam pars illa, quæ ad mores instituendos non confert; etsi vix ulla sacra historia documentis magnis careat, ut §. sep. dicemus. Ubi alias differentias prætereo, ut Theologi sensus proprior est litteralis; scripturariorum verò omnes. A controversiis porrò differt Theologus, quia illi hæreses speciales, & in speciali insequuntur, Theologus porrò universaliorem contra omnes scientiam habet, ex qua ad hæreses particulares descendere, & revincere promptum sit. Est deindè & Controversistæ, & Theologo necessaria quidem historia Ecclesiastica et exactior, minutiorque, & amplior esse deberet controversistæ; cui præterea, & chronologia temporum, & hoc genus alia, quibus utuntur, necessaria sunt.

§. VI.

Quæ ergo maximè ex scriptura scire oporteat Theologiæ, & præsertim Moralis Magistrum?

De Scriptura planè veriùs multò est, quod Philosophi de natura verè proloquuntur; nihil in illa esse otiosum, nihil superfluum. Paulus porrò Apostolus de ea universim testatus est, nec mentitur, ad Rom. 15. *quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*: & 2. ad Timoth. 3. *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia*. Nulla ergo pars est otiosa, nulla superflua ad doctrinam nostram, usque in justitia erudiendos. Quemadmodùm tamen in natura plura sunt non æquè, sed alia aliis, magis necessaria, & hæc quidem ad simpliciter esse, illa ad melius esse deserviunt: ita de scriptura quoque est existimandum; & quicunque illam pleniùs possidebit, cæteris non longè imparibus, præstabit cuivis alteri morum Magistro.

Absolutè itaque confert utrumque testamentum, vetus, & novum ad mores instituendos; sed rerum majori explicatione, Auctorisque majestate præstat cæteris evangelium, quod dicta ipsa Salvatoris consignat, & dein etiam reliqua pars novi testamenti; & siquid ex veteri ignoraretur, valdè hic defectus scientia, & cognitione evangelii, & Apostolorum suppleretur: non tamen omnino; non enim Dominus solvere venit, sed ad implere, neque Prophetas sustulit, sed perfecit.

Ex veteri testamento liber Deuteron. & ex Levitico multa; item Tobias, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Sapientia, Ecclesiasticus, & Prophetæ quasi ad necessitatem pertinent, & scienda sunt: & plurimum ejusdem generis doctrinæ in dictis, & factis Prophetarum docent etiam libri Regum. Ibi veritatis amator multa invenier, quæ multò aliter, ac durius a Deo judicata sunt, quam nobis, humanoque sensui visum fuisset; discet abjectionem Saulis propter duo facta, ad quæ excusanda nec ipsi quidem ratiunculæ humanæ defuerunt, nec defuissent forsitam nobis, si a Rege, in simili consilium peteretur; ibi quantum enumeratio illa Davidis Deo displicuerit: ibi quomodò Reges etiam mali interficiendi non sint, nec tangendi; ibi fœdera cum infidelibus ineunda non esse; veros animi Rectores Regibus quoque palam veritatem etiam duriorem edicere debere; atque multa alia, quorum aliqua libris sequentibus magis expendemus, intelliget, ex quibus practicè ad similia instruatur; ad nostram enim doctrinam scripta sunt, & permanserunt.

In Prophetis verò mirum est, quantum proficere possimus; sunt enim illi non aliud, quam Doctores

Doctores quidam morum, de quorum veritate dubitare minimè liceat, missi a Deo ad populum quemdam hominū ejus nobiscum speciei. Omitto illud, quod ad idola declinaverit cæca gens. De cætero non est, cur eos horreamus; quia Judæi erant; non eò temporis ex toto humano genere, ut nos modò Christiani, Dei electus populus erant, quam ipse tam quam vineam suam colebat, & jam propter peccata corrigebat: jam visibilius etiam quam nos protegebat. Erant itaque quidam homines verè homines non alterius, sed ejusdem, ut dixi, cum nobis speciei, & naturæ, similis concupiscentiæ, similis iracundiæ, similis superbiæ, in peccato instar nostri concepti, & ad peccandum instar nostri proclives. Nec erant quidam homines quasi in aëre, & nullius professionis, & status; sed alii Reges, alii nobiles, ignobiles alii, & judices, Pastores, Sacerdotes, Doctores, agricolæ, cæterarumque artium, & statuum, sicut nos. Jam de horum moribus judicatum est a Deo per Prophetas, & hoc fermè totum eorum negotium fuit præter Messiæ, futurorumque prædictionem. Ibi quid de Regibus, quid de judicibus, quid de populo, de Sacerdotibus, de Doctoribus, Pastoribusque, & Prophetis. Israel decretum sit, legemus, & sciemus, si volumus; de injustitia, de dolo, de usuris, de legis Dei oblivione, quid Deo visum sit, intelligemus; & haud dubiè si similium morum simus, similiter, imò duriùs de nobis Christianis judicabitur, qui multis de causis ad majorem, quam scribarum, & Pharisæorum justitiam obligati sumus. Hæc planè non pro Judæis solum, sed ad nostram etiam doctrinam, & ad nos de moribus edocendos scripta permanserunt. Ibi de idolorum magna illa servitute avaritiis scriptum legemus, a majori usque ad minorem omnes avaritiæ studere: avari autem Regnum Dei non possidebunt; cujus intereà vitii quanta est apud multos existimatio? & si, quod gemendum esset, multos Christianos cum Judæis saltem illis in amore, solicitudineque cumulandæ pecuniæ conferre placeat, exiguam planè, non quantam optares, distantiam invenias. Disces etiam, illi tunc populo non defuisse suos morum Magistros, qui mores illos probarent, pacem promitterent, & omnia benè se habere docerent; quin disces, hos fuisse plures; veritatis verò assertores, quique falsis solatiis non blandirentur (a blandis quippè blandiri dictum est) pauciores, qui etiam plerumque persecutionem passi sint, & alios lapidaverunt, alios occiderunt. Ex quibus omnibus, maximè si in particulari singula discat, plurima valdè practica morum documenta quivis morum Magister planè colliget. Nec verò opinor, Prophetæ tam duri extiterunt erga mores alioquin justos, & rectos, quia quæ amplissima quorumdam occasio est, salva substantia justitiæ, ad perfectionem ulteriorem non tendebatur, sed justitia ipsa, rectitudoque morum desiderabatur; nam omnes, idest, prosperò maximè devocat. Gent. luculentissimò interprete, plerique, & ferè omnes declinaverunt, nec erat, qui faceret bonum; labiis quidem Deum honorabant; cor autem eorum longè ab illo, id est, in pecunia, in ambitu, in terra, & in mundo erat, quæ longè a Deo distant. Cor quidem, ut Stoici pulchris sententiis, & dicteriis desipuerunt; nullibi esse non potest, sed alicubi est, & ibi certè, ut veritas dicit, ubi est Thesaurus noster; longè autem alia cuncta a Deo sunt.

Jam evangelium hæc omnia, & populi unius illius, Sacerdotumque, & Doctorum mores, & corda manifestat, novisque doctrinis copiosè nos in illis instituit. Charitatem maximè, quæ gratia evangelii est, sine qua nihil nobis prosint cætera bona, quæque finis legis est, & spiritus filiorum Dei, inculcavit; & tum hoc, tum quædam alia evangelii documenta maximè moralia prosequemur lib. 4. quibus admissis plurimæ morales quæstiones cessent, atque ut loquebatur Augustinus, planè disparеant. Ibi etiam copiosè constat, quo in loco salus, & vita; quo in loco cætera bona exteriora; in quo demùm honor, & reliqua mundi habenda sint; ex quibus quasi principiis Theologiæ moralis pars magna texitur. Neque enim ad perfectum Magistrum, qualis utique unus noster Magister est, pertinet ad singulas conclusiones, quæ numero carent, distrahi, sed falsa principia, ex quibus illæ colliguntur, evertere, veraque statuere. Hoc autem fecit uberrimè Dominus vel in uno illo sermone in monte de beatitudinibus, Philosophiæ sapientium mundi, mundoque contraria omnia disserens, & eos beatos denuncians, qui humanæ sapientiæ miseri certè sint; eos contra miseros, qui a mundo beatissimi existimantur. Docuit etiam, & damnavit, ut hoc libro visum est, doctrinæ moralis, & legis Dei relaxationes, & falsas interpretationes, & seniorum opiniones, nec per probabilitatem tunc illis existimatam, aut per ignorantiam invincibilem, ut multis hodie moris est, eos excusavit. Item ad diligendos etiam inimicos obligavit, hypochrisim, & exteriorem solùm pietatem sine interiori, fraudes omnes, dolos, & injustitias execratus est. An hæc morum doctrina non est, aut aliundè præter hanc dicendum est Christianis, quomodò sit vivendum? Duas illis vias pauciorum, & plurium; spatiosam istam, arctam illam declaravit, undè quod lib. 4. prosequendum est, conjicere quisque possit de sua via. Quanto dein institutiones sunt, quinque illæ, & si in parabola, damnatæ tamen virgines, quæ nec furabantur, nec occidebant, & quæ forsitam apud nos, & in humano die honestissimæ, laudandæque viderentur: atque alia multa moralissima, & practicissima, de quibus tamen, ut dixi, pleniùs lib. 4. erit disserendum.

Apostolorum verò epistolæ omnes aliud non continent, quam sanam doctrinam fidei, & morum; atque hac doctrina morali & Ecclesiam, & Christianos tunc regendos illi Ecclesiæ fundatores, Doctores, & Pastores existimarunt; neque in alium eas finem scripserunt: erant verò etiam tunc in Ecclesia, quemadmodùm paulò ante de Judæis advertebam, status varii, sicut modò; & erant viri, & fœminæ, docti, & indocti, nobiles, & plebeji, & sic de cæteris; nec eorum vocatio, & professio una erat; nostra autem alia: nec tempore, aut consuetudine abrogari Apostolica illa consuetudo potuit. An ergo hoc unum illi prætererunt, hoc unum non docuerunt, vel ignorarunt, quomodò Christianis esset vivendum? quomodò salvare animas suas possent? quomodò effugere venturam iram? Qui ergo præter istam Apostolorum doctrinam, eaque quasi prætermissa, & ignorata, populos rectè ad salutem

uteremur, & reſolveremus. Erectæ ſunt itaque ſtudio matris Eccleſiæ ubique locorum Cathedræ ſcripturæ: ſi tamen in eis non ipſa colitur, ſed aliud omnino agitur, hoc non Eccleſiæ, ſed noſtrum eſt, de quo baud dubiè judicabimur, qui de omni verbo otioſo judicandi ſumus. Neque tentatio illa ſanè fortiſſima movere nos debet, quæ ubique occurrit; & toties ideò ex Auguſtino eam confringimus; *an non omnes hoc faciunt? Et quis non facit? Nam omnes perditurus eſt Deus?* Confundimus enim conſuetum cum lege, & per multos non lex, ſed conſuetudo probatur; atque tritum illud eſt, *non dixit, ego ſum conſuetudo*, ſed dixit, *ego ſum veritas*: veritaa autem eſt, ſanctam eccleſiam velle, quod in cathedris ſcripturæ ſcriptura doceatur, ut ex locis docendi omnibus ea ad fideles omnes eorumque fidem, & mores derivetur.

Objici 2. poteſt, hoc pacto confundi Theologos cum ſcripturariis: quæ tamen ex praxi ferè omnium differunt, & prorsùs alii ſunt, qui ſcripturaa elucidant, & interpretantur: alii, qui Theologiam ſpeculativam docent; alii, qui moralem; & ſunt denique alii, qui etiam ſcripturam coluut, & hæreſes oppugnant, ſcilicet controverſiſtæ, & ſic etiam ſunt libri diverſi. Confundimus ergo profeſſiones, & facultates omninò diverſas, Theologos omnes ad cognitionem, & ſcientiam ſcripturæ obligando.

Quam vellem, ut Theologiam illam, & Theologos, quid ſint, palàm definirent, ſi Theologiæ, & Theologi hoc opus non ſit, ſcilicet catholicæ fidei defenſio, & incrementum, ſanæque doctrinæ conſervatio, & propagatio: ad hæc enim, opinor, præſtanda Majoris noſtri, ut ex ipſorum proæmiis conſtat, ſacram Theologiam inſtituerunt, neceſſariamque exiſtimarunt: at ad ea cæterorum maximè neceſſaria eſt lectio, ac proindè cognitio ſcripturæ, ut nuper magna Synodus Tridentina ſtatuebat, & ſancti Patres, & ſcripturæ conteſtabantur. Fatemur ergo, eos apud nos Doctores Theologos non eſſe, qui caruerint ſcientia neceſſaria ad catholicæ fidei defenſionem, & incrementum, ſanæque doctrinæ conſervationem, & propagationem: quibus ſanè ablatis Theologiæ ſolùm nomen ſupereſt, non res ſignificata.

Diſtingui nihilominùs quaſi accidentaliter poſſunt Theologi, ſcripturarii, & controverſiſtæ; non quod aliorum ſit ſcriptura, & aliorum non ſit; quæ ſcilicet eſt fundamentum, & primus locus, atque potiſſimus ſingulorum. Nam primùm ſcripturariorum uou eſt intra terminos ſuos ſiſtendo ex ſcripturis alia colligere, ſed eas interpretari, ſenſumque manifeſtare, & illuſtrare: Theologi verò proprium eſt ſcripturæ loco tamquam principia aſſumere, atque ex illis concluſionea in eis latentes elicere, & nectere; & hæc ſic hauſta, & collecta ſcientia eſt Theologia. Deindè multa in eiſdem ſcripturia ad ſcripturarios pertiuent, quæ liceat ignorare Theologo, ut ſunt genealogiæ, verſiones variæ, locorum difficiliorum concordantiæ, nomina, loca, bella, urbes, tempora, & biſtoriarum etiam pars illa, quæ ad mores inſtituendos non confert; etſi vix ulla ſacra hiſtoria documentis magnis carear, ut §. ſep. dicemus. Ubi alias differentias præterco, ut Theologi ſenſus proprior eſt litteralis; ſcripturariorum verò omnes. A controverſiis porrò differt Theologus, quia illi hæreſes ſpeciales, & in ſpeciali inſequuntur, Theologus porrò uuiverſaliorem contra omnes ſcientiam habet, ex qua ad hæreſes particulares deſcendere, & reviucere promptum ſit. Eſt deindè & Controverſiſtæ, & Theologo neceſſaria quidem hiſtoria Eccleſiaſtica at exactior, minutiorque, & amplior eſſe debet controverſiſtæ; cui prætereà, & chronologia temporum, & hoc genus alia, quibus utuntur, neceſſaria ſunt.

§. VI.

Qua ergo maximè ex ſcriptura ſcire oporteat Theologia, & præſertim Moralis Magiſtrum?

DE Scriptura planè veriùs multò eſt, quod Philoſophi de natura verè proloquuntur; nihil in illa eſſe otioſum, nihil ſuperfluum. Paulus porrò Apoſtolus de ea univerſim teſtatus eſt, nec mentitur, ad Rom. 15. *quacunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*: & 2. ad Timoth. 3. *omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in juſtitia*. Nulla ergo pars eſt otioſa, nulla ſuperflua ad doctrinam noſtram, noſque in juſlitia erudiendos. Quemadmodùm tamen in natura plura ſunt non æquè, ſed alia aliis, magis neceſſaria, & hæc quidem ad ſimpliciter eſſe, illa ad melius eſſe deſerviunt: ita de ſcriprura quoque eſt exiſtimandum; & quicunque illam pleniùs poſſidebit, cæteris non longè imparibus, præſtabit cuivis alteri morum Magiſtro.

Abſolutè itaque confert utrumque teſtamentum, vetus, & novum ad mores inſtituendos; ſed rerum majori explicatione, Autoriſque majeſtate præſtat cæteris evangelium, quod dicta ipſa Salvatoris conſignat, & dein etiam reliqua pars novi teſtamenti; & ſiquid ex veteri ignoraretur, valdè hic defectus ſcientia, & cognitione evangelii, & Apoſtolorum ſuppleretur: nou tamen omnino; non enim Dominus ſolvere venit, ſed ad implere, neque Prophetas ſuſtulit, ſed perfecit.

Ex veteri teſtamento liber Deuteron. & ex Levitico multa; item Tobias, Job, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, Sapientia, Eccleſiaſticus, & Prophetæ quaſi ad neceſſitatem pertinent, & ſcienda ſunt: & plurimum ejuſdem generis doctrinæ in dictis, & factis Prophetarum docent etiam libri Regum. Ibi veritatis amator multa inveniet, quæ multò aliter, ac durius a Deo judicata ſunt, quam nobis, humanoque ſenſui viſum fuiſſet; diſcet abjectionem Saulus propter duo facta, ad quæ excuſanda nec ipſi quidem ratiunculæ humanæ deſuerunt, nec defuiſſent forſitam nobis, ſi a Rege, in ſimili conſilium peteretur; ibi quantum enumeratio illa Davidis Deo diſplicuerit: ibi quomodò Reges etiam mali interficiendi non ſint, nec tangendi; ibi fœdera cum infidelibus ineunda non eſſe; veros animi Rectores Regibus quoque palam veritatem etiam duriorem edicere debere; atque multa alia, quorum aliqua libria ſequentibus magis expendemus, intelliget, ex quibus practice ad ſimilia inſtruatur; ad noſtram enim doctrinam ſcripta ſunt, & permanſerunt.

In Prophetis verò mirum eſt, quantum proficere poſſimus; ſunt enim illi non aliud, quam

Doctores

Doctores quidam morum, de quorum veritate dubitare minimè liceat, missi a Deo ad populum quemdam hominū ejus nobiscum speciei. Omitto illud, quod ad idola declinaverit cæca gens. De cætero non est, cur eos horreamus; quia Judæi erant; non eò temporis ex toto humano genere, ut nos modò Christiani, Dei electus populus erant, quam ipse tam quam vineam suam colebat, & jam propter peccata corrigebat: jam visibilius etiam quam nos protegebat. Erant itaque quidam homines verè homines non alterius, sed ejusdem, ut dixi, cum nobis speciei, & naturæ, similis concupiscentiæ, similis iracundiæ, similis superbiæ, in peccato instar nostri concepti, & ad peccandum instar nostri proclives. Nec erant quidam homines quasi in aëre, & nullius professionis, & status; sed alii Reges, alii nobiles, ignobiles alii, & judices, Pastores, Sacerdotes, Doctores, agricolæ, cæterarumque artium, & statuum, sicut nos. Jam de horum moribus judicatum est a Deo per Prophetas, & hoc fermè totum eorum negotium fuit præter Messiæ, futurorumque prædictionem. Ibi quid de Regibus, quid de judicibus, quid de populo, de Sacerdotibus, de Doctoribus, Pastoribusque, & Prophetis. Israel decretum sit, legemus, & sciemus, si volumus; de injustitiis, de dolo, de usuris, de legis Dei oblivione, quid Deo visum sit, intelligemus; & haud dubiè si similium morum simus, similiter, imò duriùs de nobis Christianis judicabitur, qui multis de causis ad majorem, quam scribarum, & Pharisæorum justitiam obligati sumus. Hæc planè non pro Judæis solum, sed ad nostram etiam doctrinam, & ad nos de moribus edocendos scripta permanserunt. Ibi de idolorum magna illa servitute avaritia scriptum legemus, a majori usque ad minorem omnes avaritiæ studere: avari autem Regnum Dei non possidebunt; cujus intereà vitii quanta est apud multos existimatio? & si, quod gemendum esset, multos Christianos cum Judæis saltem illis in amore, solicitudineque cumulandæ pecuniæ conferre placeat, exiguam planè, non quantam optares, distantiam invenias. Disces etiam, illi tunc populo non defuisse suos morum Magistros, qui mores illos probarent, pacem promitterent, & omnia benè se habere docerent; quin disces, hos fuisse plures; veritatis verò assertores, quique falsis solatiis non blandirentur (a blandis quippè blandiri dictum est) pauciores, qui etiam plerumque persecutionem passi sint, & alios lapidaverunt; alios occiderunt. Ex quibus omnibus, maximè si in particulari singula discat, plurima valdè practica morum documenta quivis morum Magister planè colliget. Nec verò opinor, Prophetæ tam duri extiterunt erga mores alioquin justos, & rectos, quia quæ amplissima quorumdam occasio est, salva substantia justitiæ, ad perfectionem ulteriorem non tendebatur, sed justitia ipsa, rectitudoque morum desiderabatur; nam omnes, idest, prosperò maximè devocat. Gent. luculentissimò interprete, plerique, & ferè omnes declinaverunt, nec erat, qui faceret bonum; labiis quidem Deum honorabant; cor autem eorum longè ab illo, id est, in pecunia, in ambitu, in terra, & in mundo erat, quæ longè a Deo distant. Cot quidem, ut Stoici pulchris sententiis, & dicteriis desipuerunt; nullibi esse non potest, sed alicubi est, & ibi certè, ut veritas dicit, ubi est Thesaurus noster; longè autem alia cuncta a Deo sunt.

Jam evangelium hæc omnia, & populi unius illius, Sacerdotumque, & Doctorum mores, & corda manifestat, novisque doctrinis copiosè nos in illis instituit. Charitatem maximè, quæ gratiæ evangelii est, sine qua nihil nobis prosint cætera bona, quæque finis legis est, & spiritus filiorum Dei, inculcavit; & tum hoc, tum quædam alia evangelii documenta maximè moralis prosequemur lib.4. quibus admissis plurimæ morales quæstiones cessent, atque ut loquebatur Augustinus, planè dispareant. Ibi etiam copiosè constat, quo in loco salus, & vita; quo in loco cætera bona exteriora; in quo demùm honor, & reliqua mundi habenda sint; ex quibus quasi principiis Theologiæ moralis pars magna texitur. Neque enim ad perfectum Magistrum, qualis utique unus noster Magister est, pertinet ad singulas conclusiones, quæ numero carent, distrahi, sed falsa principia, ex quibus illæ colliguntur, evertere, veraq; statuere. Hoc autem fecit uberrimè Dominus vel in uno illo sermone in monte de beatitudinibus, Philosophiæ sapientium mundi, mundoque contraria omnia disserens, & eos beatos denuntians, qui humanæ sapientiæ miseri certè sint; eos contra miseros, qui a mundo beatissimi existimantur. Docuit etiam, & damnavit, ut hoc libro visum est, doctrinæ moralis, & legis Dei relaxationes, & falsas interpretationes, & seniorum opiniones, nec per probabilitatem tunc illis existimatam, aut per ignorantiam invincibilem, ut multis hodiè moris est, eos excusavit. Item ad diligendos etiam inimicos obligavit, hypocrisim, & exteriorem solùm pietatem sine interiori, fraudes omnes, dolos, & injustitias execratus est. An hæc morum doctrina non est, aut aliundè præter hanc dicendum est Christianis, quomodò sit vivendum? Duas illis vias pauciorum, & plurium; spatiosam istam, arctam illam declaravit, undè quod lib.4. prosequendum est, conjicere quisque possit de sua via. Quanto dein institutiones sunt, quinque illæ, & si in parabola, damnatæ tamen virgines, quæ nec furabantur, nec occidebant, & quæ forsitam apud nos, & in humano die honestissimæ, laudandæque viderentur: atque alia multa moralissima, & practicissima, de quibus tamen, ut dixi, pleniùs lib. 4. erit disserendum.

Apostolorum verò epistolæ omnes aliud non continent, quam sanam doctrinam fidei, & morum; atque hac doctrina morali & Ecclesiam, & Christianos tunc regendos illi Ecclesiæ fundatores, Doctores, & Pastores existimarunt; neque in alium eas finem scripserunt: erant verò etiam tunc in Ecclesia, quemadmodùm paulò ante de Judæis advertebam, status varii, sicut modò; & erant viri, & fœminæ, docti, & indocti; nobiles, & plebeji; & sic de cæteris; nec eorum vocatio, & professio una erat; nostra autem alia; nec tempore, aut consuetudine abrogari Apostolica illa consuetudo potuit. An ergo hoc unum illi prætererunt, hoc unum non docuerunt, vel ignorarunt, quomodò Christianis esset vivendum? quomodò salvare animas suas possent? quomodò effugere venturam iram? Qui ergo præter istam Apostolorum doctrinam, eaque quasi prætermissa, & ignorata, populos rectè ad salutem

dirigi posse arbitrantur, si qui tamen ita arbitrantur; quive in illa nihil aptum, unde conscientias de necessitate regant, se invenire posse censent, si qui tamen censent, profectò quasi in primis principiis arrare videntur, aliamque docere salutis viam, quam quę tradita fuit. Apocalipsis etiam, cujus misteria suo tempore plenè intelligenda servantur, priores illæ epistolæ ad Episcopos illos valdè, & nimiùm doctrinales sunt, & oculos multorum aperire possunt, & aures arrigere, si ex hoc libro Dei sibi vivendum statuant, & ad hoc speculum, & formam, ut sancti Patres præscribunt, exigant mores suos. Quem ritè Christianum, & corde credentem ad justitiam non torqueant, reformentque illa, quæ vel uni Timotheo Episcopo Pauli Apostoli comiti charissimo, totiesque ab eo probato, laudato, celebrato intimantur? Frustra sanè solatia falsa quærimus; nam ex his, & per hæc judicamur. Et siquidem modò quisquam alibi, qui par esset Timotheo, quin valdè etiam inferioti similia scriberet, & vel corde etiam talia de eo existimaret, delyrare forsitam censeretur: & tamen spiritus Dei eas sententias dictavit, Episcopus tamen illa Laodiciæ rectâ se via incedere, sanctusque esse videbatur. *quia dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, &c. & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Hæc certè omnia, & singula ad nostram doctrinam, non speculativam solùm, sed practicam, hoc est, ad nos docendos, ut toties resumo, scripta sunt. Præteriri possunt, ignorari possunt. Sed ratio exigetur, & reddetur. Joannes verò concludit: *qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis*; atqua hoc certè collyrio scripturarum inungendi sunt oculi, ut videamus; nam videmus, quæ Deo visa sunt, non quæ nobis judicio nostro videntur, & non videmus, quæ sunt, sed quæ non sunt.

§. VII.

Ex his evertitur miseranda illa quorundam inconsideratio, quâ putant, scripturarum omnem pœnè doctrinam non ad simpliciter benè esse, sed ad melius esse pertinere?

Nisi ego homuncio totus desipio, hæc inconsideratio perdit plurimos; videntur enim de libris, & da doctrinis, deque ipsis universim viis, ac institutis vivendi amplissimam quādam fecisse divisionem, quā omnia facilè concilient, & cuncta, quæ obstare possent, nullo negotio expediant. Ponunt enim quasi tres vias vivendi, de quo alias luculentius disputabitur, aliam injustorum, aliam justorum, & in gratia Dei viventium; aliam denique ad perfectionem contendentium. Ut porrò primos omittamus, & de duobus justorum, & ad perfectionem contendentium institutis hic aliquid ad quæstionis scopum dicamus, huic utriqua instituto, & professioni suos etiam Doctores, & libros, & doctrinas distribuere videntur praxi magis, & inconsideratione quadam, opinor, quam ut par esset, res istas tantas primùm discutiendo, & examinando. Atque hi Doctores, libri, & doctrinæ, quibus justitia, & vita gratiæ servatur, quasi ad simpliciter benè esse pertinent; alię ad benè melius esse; quemadmodum Philosophi hæc duo ubi de necessariis disserunt, loqui, & exponere solent: ut in vita naturali ad vivendum simpliciter aliquis cibus, ad melius vivendum salutis cibus necessarius est, & ad iter faciendum simpliciter pedes, vel quid supplens necessarium; ad melius verò equus, aut currus.

Illis itaque duobus divisis spiritualiter vivendi institutis, nemo Christianorum est, qui desipiat, scripturas Dei, & doctrinas in eis traditas non esse optimas, non esse utilissimas, & sanctissimas. Prophetas, & Apostolos non esse Doctores optimos; unumque Magistrum nostrum Salvatorem non esse Doctorum omnium præstantissimum, & optimum. Nihilominus harum scripturarum, horum Doctorum doctrinam pœnè omnem ad eos pertinare censere videntur, qui ad perfectionem contendunt, id est, pertinere ad melius esse, & melius vivere; non ad simpliciter esse, & simpliciter benè, & justè vivere; idemque censere videntur de doctrina sanctorum Patrum, ac librorum spiritualium plerumque, & ut in plurimùm. Ad simpliciter verò esse, & ad simpliciter benè justèque vivere videntur alios Doctores, alioq; libros, & doctrinas assignare, etsi in eis Doctores illi priores, eorumq; doctrinæ non colantur.

Dicis, neminem esse, qui ita existimet. Et utinam nemo sit, & nemo etiam futurus sit. Enim verò hoc concesso, habeo totum intentum quæstionis. Nam sequitur: ergo doctrina scripturarum necessaria est ad simpliciter esse, & ad simpliciter benè, justèque vivendum. Ergo cuivis morum Doctori, & Magistro necessaria est scientia, & peritia scripturarum; necessaria enim illi est cognitio, & scientia doctrinæ ad simpliciter esse, & ad simpliciter benè vivere necessariò. Infertur etiam ex hoc; ergo si qui assent Doctores, vel libri docentes, quomodò sit justè, & Christianè vivendum, expertes illius cognitionis, & scientiæ, profectò hi Autores, & libri boni, sufficientesque non essent.

Illa igitur distributio Doctorum, librorum, & doctrinarum, si ab aliquibus aut fit, aut fieret, esset planè, ut dixi miseranda, & quæ plurimos perderet. Perindè dictu id foret, & magis atque si quisquam planè desiperet, & diceret, naturam extitisse quidem providentissimam; plenam illam totam rebus ad melius vivendum necessariis, & deliciis; at jejunam valdè, & inopem earum, quæ ad vivendum necessariæ sunt; nec ad has habendas principia saltem, & semina dedisse; sed arte da novo quasi creandas, & ex nihilo eliciendas omisisse. Dicas, Hypocratem, in hoc totum fuisse, ut doceret, quomodò sanius vivendum sit; quomodò verò vivere, & sani esse possemus, ferè totùm præteriisse; & Medici plani ridebunt. Idem cernas in scientiarum, artiumque fundatoribus omnibus; & risu, vel miseratione dignus esset, qui diceret, Theologiæ. v. gr. institutores in eo, vel totos vel præcipuos extitisse, ut docerent nos, quomodò melius revincere hæreses possemus, qualiter meliùs sentire de Deo; quomodò autem illas evertere benè possemus, aut qualiter de Deo rectè sentire, hoc aliis Doctoribus, & alteri quasi facultati, scientiæque docendum reliquisse. Quantò ergo illi Doctores nostri, Apostoli, unusque Magister noster Christus omnium artium, scientiarumque cæteris institutionibus præstant, tantò

absurdiùs

absurdius est, eos totos, vel præcipuos in eo extitisse, ut docerent, quomodò meliores esse possemus, salvarique præstantius, at quomodò benè, justèque viveretur, quomodò item salvari possemus, hoc ferè totum Doctoribus aliis, & alteri quasi scientiæ, & doctrinæ docendum, tradendum reliquisse, venit scilicet, ut vitam & habeamus, & abundantius habeamus.

Cujus sanè absurditatis magnitudo declaratur etiam quotidiana quadam lite, incidimus enim passim in argumenta, & processum magnorum virorum; atque pro illorum, ut est, honore litigamus dicendo, hoc, vel illud subintelligendum esse, aut in hoc, vel illo sensu accipiendum esse; quia alioqui diminutè processissent. Ergo processus, & doctrina sic diminuta est labes, quæ de magnis viris, etiam solùm hominibus præsumi non debeat. Minus ergo de homine Deo nostro Magistro, ejusque Prophetis, & Apostolis. At diminutarum omnium diminutissima esset doctrina illa moralis, & morum, quæ plurima quidem sit de melius vivendo autem benè, & justè ferè nulla; opus sit alia quasi facultate, & scientia, quæ nos de necessariis instituat, doceatque benè, & justè vivere. Hæc ergo labes, quam nulli illius facultatis fundatori aspergimus, quam longissimè abest à præstantia Magistri nostri hominis Dei, suorumque Prophetarum, & Apostolorum. Ergo in eorum doctrina continetur, & traditur, non solum quomodò meliùs, sed quomodò etiam simpliciter benè sit vivendum. Ergo Magistro cuique tuorum necessaria est cognitio, & scientia illius doctrinæ: & qui præter illam docent, quique per illam, & ex illa potissimum non agunt, & colligunt, si qui sunt, boni morum Magistri esse non possunt.

Confirmatur, quia sicut in causis, & finibus, sic etiam est suus primatus in Magisterio: & Christus Jesus, sicut Redemptor noster, sic & unus Magister noster communiter cum Patre, & Spiritu Sancto: & præterea quà homo personaliter, non quod (ne in verbis capiamur) persona sit humana, sed divina, quæ tamen persona quà homo etiam sit Magister noster. Christus itaque Jesus est unus, primus Magister noster, non solum quia doctrinam meruit, & quia doctrinam causavit, sed etiam quà Magister, & in hac linea, & in quantum docuit aperiens quidem olim ora Prophetarum; suum verò, & Apostolorum suorum, & Evangelistarum in fine sæculorum. Ergo omnis doctrina morum circa leges eatenùs existentes, & qui docemur, quomodò benè, & meliùs sit vivendum, vel in ejus doctrina expressè continetur, vel ad illam, resolvitur, sicut conclusiones in sua principia resolvuntur: sunt enim principia, ut declarat Philosophus, instar seminum mole quidem minima, quæ obtusiores ægrè discernant, sed virtute maxima; & in uno, vel duobus tota scientia latere solet: nosque lib. 4. declarabimus, universam legem, & Prophetas, id est, morum omnem de lege natura, & scientiam ex duobus solùm principiis pendere, atque in eo sermone instaurari, & contineri. Et confirmatur, quia alioqui unus Magister noster non esset Magister omnium nostrum, non multitudinis fidelium, sed paucorum, vel pauciorum illorum, qui ad perfectionem contendunt; nam illos aliunde ferè omnia discere oporteret; quod tam absurdum esse videtur, ac Deum non esse Patrem omnium justorum, & sic nos dicere oportet, *Magister noster*, sicut dicimus, *Pater noster*. Deindè non unus esset; nam multi etiam alii docerent, & benè docerent: nec sub ipso Magisterio, & in hac linea. Essent rursus Magistri ferè omnium: unus verò Magister pauciorum vel etiam paucissimorum. Essent postremò illi Magistri quasi in necessariis: Christus verò in aliquo: quodque justos esse sciamus, & damnemur, sed cœlum consequamur, ipsorum Magisterio debebimus; Christo autem, quòd majorem gloriam assequamur. Quæ sanè, & alia consequentia absurda sunt; & solùm vitantur tenendo, morum doctrinam ex scripturis, & per scripturas eis docendo, eam prius docendo, & quæ in ea prius sunt, fideliter consignando; & alia inferendo, & colligendo, in omnibus sensum Matris Ecclesiæ, sanctorumque Patrum sequendo: & dein etiam ratione consequenti, & inserviente illustrando, confirmando, & promovendo: ad hoc scilicet, ut toties in ullamus, nobis ratio collata est, non ut imperet, sed ut serviat primæ, & supremæ rationi per scripturas nos edocenti.

Atque ista omnia facto, & sensu notorio ejusdem Matris Ecclesiæ instaurantur. Etenim cujuscumque generis quæstio incidat, sive de fide, sive de moribus, sive de necessariis ad salutem, sive de non necessariis, numquam sancta Ecclesia ausa est quidquam determinare præter doctrinam revelatam aut scripto, aut traditione consignatam, & præter doctrinam Patrum. Nec quoniam ipsi clavis etiam scientiæ collata est, & promissa assistentia Spiritus Sancti, idcircò præsumpsit, quasi de suo arbitrari, & hoc bonum, hoc malum statuere, sed scrutatur Scripturam, servatque, quæ tradita sunt, ut latius exponetur libro quarto. Novit enim eam assistentiam, & directionem cum hoc quasi onere esse sibi promissam: in qua necessaria diligentia nunquam, ut alibi tracto deficiet. Sic porrò est Doctorum reliquorum probabiliter de moribus dicere; sicut Sanctæ Matris Ecclesiæ certò statuere, aliquandò rem de fide esse determinando, aliquandò hoc non faciendo. Absurdum ergo est, nos, quibus clavis scientiæ collata non est, nec specialis illa assistentia promissa, qualibet proposita quæstione, de nostro, atque ratiocinio inconsultis, atque ignoratis scripturis Dei, doctrinaque Sanctorum, promptè dicere, resolvere, definire: Ecclesia enim suo nos exemplo ad loca ducit, ubi quærenda, inveniendaque sit veritas; & fieri planè nequit, ut nos alibi modo nostro, & probabiliter inveniamus, nisi ubi ipsa illam certò invenit, quærendamque præscribit. Esset piscator aliquis egregius, qui certissimè semper pisces optimos colligeret; essent piscatores alii imperitiores an non ferè desiperent, si ea flumina, locaque, ubi primus ille piscari consuevit, præterirent, aliaque adirent?

Sed inquis semper, & instas, ut ostendam practicè, quomodò innumeræ morum quæstiones sanè non tot, quin plures decidi, resolvique possint ex scripturis, & doctrina Sanctorum: si namque fieri hoc non potest, necessarii erunt libri alii, & Doctores præter Scripturæ, & Sanctorum doctrinam docentes. Sin verò fieri potest, facto ipso id practicè persuadendum esset, & non in aere clamandum.

Respondemus, toto opere, & in hac quæstione practicè, & aliquibus particularibus propositis, ostensum esse, quomodò ex scripturis multa resolvi possint: plura, ut præmisi, lib. 4. tradimus. Deindè dico, in tanta quæstionum multitudine ad singulas in particulari non esse descendendum, sed principia examinanda esse, ex quibus illæ ortæ, atque in eis, si falsa fuerint, quęstionum, & opinionum multitudo præcidenda, & resecanda est, hoc scilicet iterfacientea, quo exemplo Author hom. in Matth. operis imperfecti rem declarat, faciunt, quandò errant; redeunt quippè ad principium: & conclusiones omnes, & scientiæ per reductionem ad principia, atque per illa judicantur. Neque enim Dominus, ut veræ doctinæ morum principia jaceret, Aristotelis, Socratis, Epicuri morales Philosophias in medium adduxit, dogmatumque illorum catenam retexuit, sed omnes una à fundamentis evulsit. Rursùs universalissima principia multas morales quæstiones decidendi quibusdam sunt durum, & biádum, & quam multi hoc faciunt: item alioqui perirent plurimi: item jugum Christi suave est in sensu Evangelico, & sanctis contrario. Hæc autem amputata sunt, & ostensa esse contraria scripturæ, & veritati: undè ex illis natæ quæstionea, & opiniones cessant.

Postremò, quod nisi memoria defecerit, li. 4. latius est exponendum, sunt ex ut avangelio constat, duæ viæ spatiosa, & arcta: quæ non tam fide, quam motibus distinguntur, & distant. Opinamur autem, in quaque harum viarum esse non solùm indoctoa, & qui ab aliis doceantur; & ducantur: sed etiam Magisttos docentes, ut in populo Prophetarum, & Salvatoris tempore, & utique in foveam cadentes, & habent etiam suos libros, sua principia, & suum modum scientiæ, & doctrinæ multarum quæstionum, & opinionum. Quęreretur verò unus aliquis Doctor viæ strictę, & vitæ de infinitis illis quæstionibus viæ latæ. Profectò valdè implexus inveniretur, nam sui libri, & sua principia non currunt, non constant in via lata. Hoc ergo ab illo Doctore faciendum, & dicendum arbitrarer: tu via spatiosa ambulas: eam itaque relinque, & ad nostram revertere, ubi quæstiones non habemus; vel Doctores ibi tuos quære; nam ego solam Theologiam scio euntium post Christum per istam viam. Riderent fortè, ac subsanarent eum, qui via spatiosa latissimè gradiuntur quorum tamen gaudium in luctum demùm converteretur.

§. VIII.

Instauratur tota doctrina, quia Scriptura sunt epistola ab omnipotenti Deo ad nos creaturas suas missa, ut sciamus voluntatem suam. Ergo scienda sunt.

VSi hoc argumento sunt Augustinus in psal. & Chrysostomus hom. 3. ad ep. ad Thesal. 90. Gregorius lib 4. Reg. cap. 84. *E ha*, inquit Aug. *de illa civitate, undè peregrinamur, littera nobis venerunt: ipsa sunt scriptura, qua nos hortantur, ut benè vivamus. Quid dicam, venisse litteras? ipse Rex descendit, & factus est nobis via peregrinatione ut in illo ambulantes non erremus.*

Quasi absentibus; ait Chrysostomus, *litteras misit; & has quidem litteras dedit Deus: attulit autem Moyses. Ita ne si à Rege quispiam missus veniat, omnes attenditis: à Deo venit, & ex ipsis cælis loquitur Propheta, & nemo est, qui attendat? Aut non creditis, quia qua dicuntur, à Deo sint? Epistola ista sunt à Deo missa.*

Gregorius verò inquit: quid est scriptura sacra, nisi quædam epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam (Ad Medicum mox hominem, non Monachum addit, si quisquam epistolam Imperatoris acciperet, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset, Imperator cœli pro vita tua tibi suas epistolaa transmisit: & tamen gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis.

Quid facimus, quid hic dicimus? an non confusio operire potest facies nostras? Quam ipsi judici, cum nos judicaturus sedebit, quam, inquam, rationem de his suis epistolia reddamus, si ignoremus? nam judicabimur etiam de hoc utique formali puncto. Quæsitus olim Hieronymus in eo judicio, quis esset, cum se Christianum esse repondisset, *mentiris* audiit; non enim Christianus es, sed Ciceronianus quia scilicet Ciceronis libris, non Dei Scripturia delectaris. Neque hæ nugæ sunt; Hieronymus ipse bonus certè testis, & Doctor testatur. Ecce itaque universalissimum casum conscientię, ex quo uno infinitorum casuum pendet resolutio, hic versamur, utrum Magistro, & Doctori conscientiæ, & animarum necessaria sic cognitio, & scientia istarum epistolarum Omnipotentis Dei ad nos de cœlo missarum. Jam verò hi tanti Doctores vehementer affirmant: Hieronymus ipso suo experimento rem irrefragabiliter evincit: ex terminis, & Regum terrenorum exemplo Augustinus Chrysostomus, & Gregorius eam à fortiori demonstrant. Interesset quæstio inter te, & me, utrum licerent usuræ? Profectò facilè haud esset: ut patentiora ego ad negandum adducerem. Ergo videtur, gravis criminis reos esse, qui ignorando, & nesciendo has Dei epistolas docendorum morum: animarumque regendarum curam suscipiunt. Vel ipsi hanc in terminis quæstionem tractent, & quæ adduximus, realiter expediant; nam in rebus tantis, cæterarumq; velut cardinibus evasiunculæ sufficere non possunt. Sæpè verò contestati sumus cum Augustino, minimè omnium sufficere, *quam multi hoc faciunt?* &c.

Confirmatur ad hominem contra eos, si qui sunt, qui sine scripturis, nullove vel raro illarum usu viam salutis docent. Et quæro, utrum quis esse possit aptus morum Magister, qui ignorat libros suos, vel similes, æquivalentesve alios, atque eam, quæ in eis traditur; scientiam? Opinor, non concedunt. Ergo minùs quis aptus morum Magister esse poterit, si ignoret librum Dei, & suarum epistolarum ad nos missarum: quibus similes, aut æquivalentes aliæ utique in mundo non sunt.

Rursùs si Corinthii, si Romani, & reliqui, ad quos Paulus. v. g epistolas scripsit, eas neglexissent, nec legissent, sed ignorassent, grave certè crimen incurrissent: & si quæ contra eas per ignorantiam fecissent, sua ex ignorantia nequaquam excusavisset: fuisset enim nimium voluntaria, & crassa. Et sic est de Evangelio, & sic de aliis. At epistolæ illæ non ad Romanos solùm, & Corinthios, & reliquos illos, sed ad nos quoque, & ad omnes de vita nostra instituendos scripiæ sunt. Ergo grave crimen eas negligere; & ignorare, nec ignorantia nos nostra excusabit: nec qui eas in primis non benè norunt, boni Magistri morum esse possunt; atque in primo principio errant, ut scripturariorum, aliorum omninò hominum, non autem suum esse arbitrarentur.

Præterea

Præterea universa ferme Theologia moralis, ut eam nunc partem, quæ de Sacramentis tractat, omittamus, est de bono, & malo, & non bono, nec malo; item de magis, vel minùs bono, & malo, de peccato, vel non peccato, de mortali, & veniali: & de actibus bonis, & melioribus; præceptis, vel consultis. Hoc porrò totum resolvitur ad sciendam voluntatem Dei, suæque sapientiæ judicium. Hanc autem suam voluntatem, & judicia manifestavit nobis Deus in his ad nos ab ipso dictatis, missisque, & consignatis epistolis. Stupor ergo, & temeritas magna videtur has ignorando epistolas arbitrari, nos scire posse voluntatem suam, & judicia, & quid ipsi videatur, vel placeat, aut displiceat.

Quam argumentationem confirmo; quia absurdus, & temerarius esset, qui ita se gereret cum Rege, amico, cum quolibet, & habens de ejus voluntate epistolam suam, hanc præteriret, & nesciret; & aliundè hanc & illam voluntatem ejus esse philosopharetur, ac promptè etiam assereret, hoc modo eum dedisse alteri centum aureos amici, cujus ea de re epistolam habet, sed ignorat. Amicus verò consequatur, hanc non fuisse voluntatem suam, idque satis ex epistola sua constare. Nullus, credo, invenietur judex, qui de mala distributione non condemnet, & ad restitutionem non obliget; nec satis se defendet dicendo, sibi visum esse, amicum suum ita velle. Ergo surdi nimis, & temerarii sumus, si habentes epistolas magni Dei de sua voluntate, vitaque nostra nos instituentes, ipsas ignorando audeamus dicere, hanc, & illam esse ejus voluntatem.

Iterùm. Hæc argumentatio valet de homine ad hominem philosophando: valet ergo evidentissimè de homine ad Deum differendo. Patet consequentia: quia homines sumus inter nos valdè similes in judicando, & volendo; & ex nobis quoquo modo conjecturæ possumus aliorum voluntates, & sensa. At Dei nostri, ut toties, ac randem quæst. præc. commonstravimus, aliæ prorsùs sunt cogitationes, & viæ, & magis exaltatæ, quam cæli à terra, & ipse nos de hac veritate centies admonuit. Stupor est ergo habere de viis suis, & cogitationibus ab ipso ad nos missas epistolas, atque his ignoratis audere de eis philosophare, & definire.

Non est certè simile in mundo, quo satis rem istam exprimamus. Litteræ istæ ad nos venerunt. Sunt autem res cæli, & Dei nostris dissimiliores, & nobis ignotiores, quam sint nobis Europæis res Christianorum. Porrò unquam ausus est de rebus Chinensibus disserere, & statuere, nisi prius earum indè notitiam, cognitionemque habuerit? Quis iterò adeò sensus expers sit, qui habens certissimas epistolas, & historias indè missas, has negligat, & ignoret; & scribat intereà de rebus illis volumina? stultitia ergo esse videtur, velle scire res cæli, & Dei, & ad nos indè missas certissimas litteras ignorare. Essent pueri quidam de sapientium sensibus differentes, delyrarent. Multò porrò magis distamus nos à Deo. Ergo nisi ab ipso sua primùm discamus, desipiemus. Ex quibusdam verò ab ipso scitis alia sua colligere moderatione quadam poterimus, si placeat, non plus sapere, quam oportet sapere.

Omissis itaque aliis, fucus omnis, & dolus malus abest inter nos Christianos. Credimus planè omnes, hunc librum esse Dei totum verum, infallibilem totum. Ergo sicut Deus primus inter res omnes colitur, ita liber hic suus inter libros omnes colendus primus videtur. Amicorum certè, & eorum, quos amamus, opera, si saltem bona sint, libenter versamus; quia amor ea bona facit videri. An ergo Deum opere, & veritate amamus; & ejus intereà liber insipidus amantibus est; hic postremus est, ignorantiæ. Hunc agrum illum Sancti Dei existimarunt, in quo thesaurus ille continetur, nec cælorum regnum assimulatur. Num ergo hoc creditur; & emptores tamen desunt, nec libri alii, eorumque studium huic thesauro posthabetur? In hoc præthereà libro à Deo ipso immedistè discimus; in aliis vero ab hominibus. An ego malimus ab hominibus discere, quam à Deo? & cum toti simus in aliis audiendis; eum prætherimus; cui collati cæteri omnes ignorantissimi sunt? vel negare ne possumus, in eo libro Deum, in aliis loqui homines: Qui prætermissis sapientissimis Magistris alios frequentaret eorum vix dignos discipulos, deciperent. An ergo non desipiunt, quin Deum Magistrum docentem non prætexunt, & alios ardenter etiam colunt? Sanè ægrotat, cui cibi optimi sunt insipidi: at hic liber Dei est haud dubiè librorum primus, & optimus; cui ergo insipidus est, in sanè mente laborat, nec palato viget sapientis, aut sapientiam quoquo modo experti. Cui verò sapidus est liber, is illum evolvit, non comedit, nec sapiens est, nec sapientiam degustavit. Omni deindè sapienti, aut in sapientia proficienti sapida est sapientia, sicut amanti sapidus est, & dulcis suus amator; imò indè sapientia dicta est quasi sapida scientia. At in Scriptura est, & continetur, traditurque sapientia cui ergo illa dulcis sapida non est, is planè nec sapiens est, nec in sapientia cæpit proficere. Undè habemus psalmos plenos testimoniis contellantibus, quam sapientibus sint dulcia super mel, & favum verba, & eloquia Dei; & Ezechiel de se supra contestabatur: his autem eloquiis, & verbis tota quanta Scriptura constat.

Ille rusùs, qui unum illud sibi commissum talentum neglexit, & abscondit, ex Evangelio, cui refragari non licet, damnatur. At Scriptura Dei ditissimum talentum est nobis ab ipso commissum. Quid ergo erit de prætereuntibus, nec negotiantibus ex ipso? omnes deindè dicemus, nos sapientiam proferre, sapientesque evadere velle. Scimus autem, & credimus, verâm sapientiam, & simpliciter sapientiam in hoc libro, atque ex ipso doceri, ut ex ipsis prologis Theologiæ constat. An ergo non mentimur, si intereà sapientiam, ubi fatemur, eam esse, non quærimus? Non ergo sapientiam ipsam quærimus, sed aliud nemo enim vinum quærit, & ubi certissimè scit, illud esse, eo non vadit. Omnes etiam dicimus non vera quærere, quin quidem cœlum quæstibus implent, veritatem inveniri non posse, & ejus loco probabilitati regnum omne detulerunt. Hic sanè capimur testimonio ipso conscientiæ: ecce fatemur omnes, hunc unum librum esse in mundo totum infallibiliter verum, & veritate ipsa confertú. Si ergo ad eum non imus, non veritatem, aliud sanè conquirimus, & id quod amamus, inest, quo placere cunctis possimus, volumus, ut inquit Augustinus, esse veritatem; quæ certè veritas in hoc libro non est, sed ipsa veritas. Qui igitur librum istum non diligunt, non colunt, ægrè intelliguntur veritatem diligere. Hic liber is est quo fer-

mè vno olim miliones Monachorum vitam illam sanctissimam, moresque rexerunt; hæc erat continua lectio, & meditatio, & de extero indocti fuerexerunt, & cælumta puetunt: hujus porrò scientiæ Sanctorum expertes eum quantiscumque aliis litteris, timendum, ne volutentur in carne, & sanguine. Quid pluta. Dies me deficeret, si omnia percurrerem. Si ergo nobis homuncionibus tanta pro necessitate Scripturarum occurrunt, quanta, rogo te, nobis opponet ipsarum Authot, Judexque noster Salvator mundi?

Maximis de causis Magna Synodus Tridentina hanc lectionem, hanc cathedram, hanc facultatem ubique doceri in Ecclesiis Cathedralibus, & in Gymnasiis publicis, in Monasteriis, in Conventibus tamquam cæterorum maximè necessariam, tantopere instituit, ut §. 5. visum est, & una vox est ipsarum Scripturarum. Quin sapientior nobis ipse Deus causas omnes calamitatis populi olim brevi compendio complexus, ideò populum captivum ductum asseveravit, quoniam non erat scientia Dei in terra: sicut autem scientiæ nostræ sunt in libris nostris, ita scientia Dei, quam aperta, erectaque schola Ecclesiæ docere nos voluit, est in libro suo.

QUÆSTIO XVI.

Utrum ergo scholasticissimè etiam constet eadem Scripturarum necessitas? ubi præterea de universitate virtutum moralium infusarum à natu ralibus.

PRolixiores esse non debemus, si in re tanta modis omnibus statuenda promovenda, & declaranda fusiùs differamus, præsertim cum arbitremur, ex hoc uno potissimum pendere doctrinæ morum, quam pletique omnes desiderant, reformationem, & res pænè esset confecta, si quemadmodum Sancti Patres Scripturis Dei potissimum, maximoque, & frequentissimo illarum usu de moribus, de virtutibus, & vitiis philosophati sunt; ad idem omnes morum Magistri cogerentur; sin minùs scirent, eos bonos non esse, & Theologos quidem nec bonos, nec malos Notavi verò quæst. præc. hos terminos *Theologia Scholastica, & theologicè scholasticè*, vel etiam *scholasticissimè*, terminos repugnantes haud esse, nec se se interimere. At probata est quæst. præc. scripturarum necessitas Theologicè, id est, autoritate scripturarum, & Ecclesiæ, & Sanctorum ac subserviente etiam ratione. Ergo probata censenda est, etiam scholasticè, & scholasticissimè; hoc est, & si modus nobis est, & stylus scholasticus, & subtilior desuerit, Theologia tamen scholastica, id verum habere debet; quod Theologicè probatum est. Nihilominùs, ut prætextus omnis absit, nunc denuò rationibus ex ipsa Theologia scholastica depromptis eadem necessitas probanda est; & dicendum præterea de Scripturarum sufficientia ad mores regendos. Protestati autem sæpè sumus ex Augustino, eam nobis solutionem non esse, quam multi hoc faciunt, vel non faciunt.

§. I.

Theologorum hac de re judicium, & sensa, præsertim, S. Thomæ.

UT viam ad dicenda sternerem; cum Melchioris cani in raxandis locis theologicis tanta sit apud omnes existimatio, jure sanè quæst. præc. ejus de re judicium satis quidem apertum, & explicatum præmisi. Contuli etiam aliud valdè observandum testimonium D. Bonaventuræ, & aliud D. Thomæ. Nobis moris non est authoritates noo probativas cumulare; & hac sanè in causa paciores plurimi extiterunt; & multi magis Theologiam docuerunt, quam quid illa esset, & ad quid ipsi obligarentur, explicarunt, ut docui in proæmio hujus lib. maximè verò cum in hac quæstione nemo, quem sciam, verbo dissentiat, satis mihi visum est, si Theologiæ scholasticæ, quasi institutores, & Principes Magistrum sentent. D. Thomam, scotum, eorumque, sensa commonstratem. Videri præterea potest Petavius luculentissimus assertor, & Theologi in prolog. sent. & 1. p. q. 1.

Quæ ergo mens fuerit, quæ intentio, & scopus Magistri sent. primi quasi distinctoris, ac formatoris Theologiæ scholasticæ, liquet ex ipsius prologo: sed ex multis pauca proferam: nam Magistri non quanta oporter, est authoritas, ex quo cuncta relicta authoritate ratione definite cæptum est; ipse verò non hac via, sed authoritativa processit.

Deus hujus sæculi, inquit, operatur in illis diffidentiæ filiis, qui non rationi voluntatem subjiciunt, nec doctrinæ studium impendunt, &c. non desiderantes doceri veritatem, sed ab ea ad fabulas convertendum auditum, &c. Lucernam veritatis in candelabro exaltare volentes in labore multo, ac sudore volumen Deo præstante compegimus ex testimoniis veritatis in æternum fundatis, in quo majorum exempla doctrinamque reperies: ac rursùs: complicans Patrum sententias, appositis eorum testimoniis. Hæc Magister, & hæc sua Theologia: nam quod promisit, executus est, & ut aperto ejus volumine constat, totum quantum scripturæ, & Sanctorum doctrina consertum est, maximè Augustini; quin, ut superius notavimus, Ludovicus Vives carpsit veteres Theologos, quod solo fermè Augustino, non autem cæteris Patribus uteretur.

S. Thomas, quo Doctore semper quidem, sed specialiter in hac quæstione dirigendi sumus lib. 1. contra gent. & in prologo sent. & in summa quæst. 1. & alias multipliciter necessitatem revelatæ doctrinæ scripturarum: & traditionum ad salutem humanam demunstravit, & quia Theologia scholastica esset, & qua à scientiis naturalibus differret, metaphysicissimè declaravit. Quærit in 1. dist. 1. quæst. 1. ar. utrum præter physicas disciplinas sit homini necessaria alia doctrina? Et affirmat, & probat, & fusiùs lib. 1. contra gent. cap. 4. dicit itaque, necessariam esse homini superiorem doctrinam, non ex creaturis sumptam, sed immediatè ex divino lumine inspiratam; & hæc est, inquit, doctrina Theologiæ. Ergo non hæc non est doctrina Theologiæ, nec Theologia.

Idem

Idem quærit in sum. quæst. 1. art. his terminis, utrum sit necessarium præter philosophicas disciplinas, id est, naturalem, moralem, & Metaphisicam, aliam doctrinam habere? Respondeo, dicendum, inquit, quod necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quamdam secundum revelationem divinam præter Philosophicas disciplinas, quæ ratione humana investiganrur. Atque hanc doctrinam vocat sacram, doctrinam, ad quam dicit, Theologiam pertinere. Ergo non est Theologia illa omnis disciplina, quæ naturali, & humana, philosophicaque investigatione conficitur. Ergo si verè verum confitendum est, illi libri Theologiæ non sunt, qui non secundum revelationem, sed humana investigatione philosophantur.

Ut S. Doctor positam conclusionem probaret, distinxit de quibus est sacra doctrina, alias excedere rationem humanam, ut Trinitas, Incarnatio, & etiam viam salutis esse viam crucis; alias non excedere. Et de utrisque duplici conclusione posuit, necessariam esse doctrinam superiorem secundum divinam revelationem. Sed Cajetanus primam conclusionem de rebus rationem excedentibus intellexit de necessitate simpliciter, & adesse; secundam de rebus non excedentibus de necessitate secundum quod, & ad benè esse. Nos utramque eodem verbo, & terminis prolatam eodem sensu, & utramque de necessitate simpliciter, & adesse intelligendam arbitramur, tum ne quasi æquivocè in eodem loco eadem voce S. Doctorem usum fuisse concedamus; tum quia, ut videbimus, rationes ejus id probant; & sanè eadem licentia prodibit alius dicens, neutram conclusionem intelligi de necessitate ad esse, & homini ad salutem necessarium simpliciter non fuisse cognoscere aliquid excedens suam rationem: quod tamen, quam sit falsum saltem in hoc statu naturæ lapsæ, & corruptæ, alibi ostendimus.

Enim verò quoniam S. Doctor nomine sacræ doctrinæ multos articulos proposuit, & multa quæsivit, utrum illa sit scientia, & utrum una, vel multiplex, & similia, & meritò Cajetanus hoc loco dubitavit, quid S. Doctor nomine sacræ doctrinæ intelligeret, an solam doctrinam fidei, an, ex illa collectam, haustamque Theologiam, an simul utramque? Cajetanus existimavit, non posse intelligi de Theologia, prout contradistinguitur à fide, & ex doctrina revelata; tum quia alioquin fides sine Theologia non sufficeret ad salutem; quod falsum est ut probat. Putat ergo, nec fidem, ptout à Theologia distinguitur; nec Theologiam prout à fide contradistinctam intelligendam, sed cognitionem formaliter, vel virtualiter revelatam, abstrahendo à ratione crediti, & sciti. Atque has quæstiones, quæ præter scopum nostrum videri possunt, attingo, ut appareat, quam involvatur in hac sacra doctrina, quæ ad salutem necessaria constituitur, doctrina revelata; quin Cajetano visum est, fidem, & doctrinam revelatam non modo esse necessariam, sed ita ad salutem humanam sufficientem, ut falsum putaverit, aliam doctrinam, & Theologiam prout à fide contradistinctam, posse esse necessariam. Quid ergo dicemos de iis libris, qui non solùm doctrina revelata non sunt, sed nec fermè ea utuntur; & tamen putatur, sine illis Christianos vivere non posse, nec scire, quid sibi faciendum sit.

De cætero explicatio Cajetani nobis non placet; nam cognitione à credito, & scito abstrahenti convenire ea non possunt, quæ S. Doctor de sacra doctrina quærit, & affirmat, utrum sit scientia, utrum una &c. nam apertum est, cognitionem, & doctrinam à credito, vel scito abstrahentem, non magis scientiam esse, quam animal sit homo. At S. Doctor de ea sacra doctrina, quam ad salutem necessariam constituerat, quæsivit, & affirmavit, esse scientiam, & esse unam. Non ergo nomine sacræ doctrinæ intellexit doctrinam abstrahentem à credito, & scito, sed doctrinam, quæ esser scientia. & una scientia.

Hæc porrò alia non est, nisi sacra Theologia: doctrina ergo sacræ Theologiæ est doctrina illa sacra de qua est S. Doctor, & cæteri in hoc prologo tractant. Et certè in prologo non ad Scripturam, sed ad ipsam Theologiam pertractandam, quæ de natura, utilitate, necessitateque doctrinæ præmittuntur, intelligantur, necesse est, de ea doctrina, quæ tractanda suscipitur, ut in omnibus prologis con picitur. Sed Cajetano certè nobis longè doctiori: & subtilissimo falsum visum est, Theologiam, ut scientia quædam est à fide contradistincta, vel ei addita, posse esse ad salutem necessaria. Verùm mihi sub sapientium correctione tanta res sacra Theologia videtur, ut necessariam ad salutem existimem, ut S. Doctor nostra sententia existimasse videtur. Quamquam enim absurdum sit, ut diximus quæst. præc. & dicemus. Salvatorem nostrum ad nos edocendos de cælo venisse, nec tamen ad salutem necessaria omnia docuisse, hoc tamen sub Scoti distinctione intelligendum est, eum scilicet omnia necessaria nos docuisse, vel in se, vel saltem in principiis. Nec dubitemus, sanctos Apostolos plenissimè de omnibus necessariis etiam in scripto, & verbo instituisse Christianos, quos rexerunt; nec tamen eorum verba omnia, & singula permanserunt. Cavendi scilicet hoc loco sunt Valdenses ineptientes, nihil tenendum esse, aut agendum, quod non sit expressum in Scripturis: in qua sanè si necessaria omnia expressa extarent, non adeo desipuissent. Utrum ad hæc nimium ab scopo digressi videmur. Quod ad terminos Cajetani attinet, qui de Theologia loquebatur prout contradistincta à fide, dicimus, eam non eo sensu contradistingui à fide, & à doctrina revelata, quo una scientia contradistinguitur ab alia; sed sicut conclusio contradistinguitur à suo principio, à quo essentialissimè pendet, & connotat, magis quam rami arboris ab arbore ipsa pendent. Quarè quod instituti proprii nostri est, necessitas asserta sacræ doctrinæ; fidei, & revelatæ, non solùm propter se, sed denuò etiam quia Theologia est necessaria; & ista cadit illa non salva, & assumpta.

Jam proprius ad institutum redeundo, quærit S. Thomas in sum. art. 3. & in sent. ar. 2. utrum hæc scientia sit una? Et unitati quidem duo obstare videbantur; unum, quod scientia ista tractet de Deo, & creaturis; de speculativis item, & practicis, scilicet de moribus, quæ sub una ratione non conveniunt. quæ ad unitatem, scientiæ postulatur. Alterum, quod Phi-

losophicæ disciplinæ de his rebus tractantes sunt non una, sed multæ scientiæ Physica, & Metaphisica, & moralis, propter multiplicitatem, & diversitatem objectorum non combinabilium sub unam rationem. Ergo Theologia non una scientia est, sed multiplex, & alia prima pars, alia secunda, & alia tertia. Respondet, Theologiam esse unam scientiam: omnia verò ejus objecta considerari quatenùs revelata: undè, inquit, *communicant sub una ratione*. Loquitur autem de objecto formali: hoc enim est, à quo species, & unitas sumitur; nam objecta materialia non tam revelata, quam ex revelatis sunt, & sciuntur. Sic etiam ar. 1. ad 2. ex hoc ipso differentiam assignavit inter diciplinas Philosophicas, & sacram doctrinam, ubi etiam de eisdem rebus pertractant, qui differunt medio, & objecto formali, ut Astrologia, & Physica, dum utraque probat terram esse rotundam. Undè, quod semper concludendum est, quicumque de his rebus medio Philosophico, & naturali philsophantur, sivè de speculativis, sive de practicis, puras philosophicas doctrinas exercent, nec Theologi esse possunt magis, quam Astrologus ostendèns, terram esse rotundam medio abstracto à materia sensibili, sit naturalis, aut Phisicus, nisi quod confundit identitas objectorum materialium, & rerum tractatarum.

Ut innumera prætercam, quorum aliqua infrà dabo, in sum. ar. 3. describit nobis, definit, quid sit Theologus, & quid Theologia. Dicencendum ait, quod argumentari ex authoritate est maximè proprium hujus doctrinæ eo, quod principia hujus doctrinæ per revelationem habeantur. Nec hoc derogat authoritati hojus doctrinæ; nam licet locus ab authoritate quæ fundatur super ratione humana, sit infirmissimus, locus tamen ab authoritate, quæ fundatur soper revelatione divina, est efficacissimus. Hæc S. Doctor: sint intereà, qui latissimè de moribus disserant ex ulla vix authoritate divina; semper autem humana, & humana quidem habente aliam parem contra se, & sæpè & etiam majorem. Fingeremus, à Deo ipso per impossibile revelari contraria; certè nec ex Dei tunc ipsius autoritate evincere quiquam possemus; isti autem homines ex contrariis autoritatibus etiam humanis paribus, & etiam minoribus concludunt quod volunt.

Subdit verò S. Thomas, utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandum fidem, sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina. Cum ergo gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei: sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati ex 2. ad Corinth. 10. Non autem servit, & inservit, si alia ex fide sequuntur; & omninò alia naturali ratione investigantur; nam imperans, & serviens correlativa sunt, & ad easdem res referuntur, Ibi ergo, & in his naturalis ratio servit, & magno merito servit, ubi ea ipsa, quæ ex divina revelatione collegit, illustrat, confirmat, elucidat; nam qui elucidant me inquit sapientia, vitam æternam habebunt.

Ne tamen nimii, nimisque superstitiosi videamur, modò quasi substantia, & doctrina propè modum omnis ex revelatis consistat, particulam aliquam rationis naturaliter philosophantis maximè ejus, qui in revelatis versatus est, & ex illis inferre consuevit ad Theologiam reductivè revocare licebit. Item rationem consequentem, & ejus famulatum ad multa utilem, arbitramur tam absolutè, quam ad hominem contra hostes fidei; quemadmodum rectè hoc loco declarat Cajetanus. Docet verò præterea S. Thomas, sacram doctrinam arguere ab authoritate Philosophorum quasi argumento extraneo, & probabili: ab authoritatibus Doctorum Ecclesiæ velut ex propriis, seu probabilibus; authoritatibus autem Canonicæ Scripturæ, inquit, utitur propriè ex necessitate argumentando; quæ ex Augustino confirmat.

Scotus quæst. 1. Prolog. latè de hac eadem superioris doctrinæ necessitate disputat, & licet rationes S. Thomæ impugnet, tamen statuit eamdem necessitatem multipliciter §. ad quæstionem: & quod propositi nostri magis est §. *tres* utitur, testimoniis Augustini specialiter probantibus de scientia, & doctrina morum: & inferiùs ex eodem scoto quæst. 2. adducemus egregium quoddam ejus his rebus judicium. Doctor solemnis Henriquus etiam disserit fusissimè de his, & de necessitate à nobis afferta ar. 8. quest. 2. & de natura Theologiæ, & quod procedit ex revelatis, ar. 7. quæst. 2. & aliàs.

Adeò porrò constans apud Theologos omnes est, & fuit hæc natura, indoles, & conditio propria ac quidditas Theologiæ, quod ex revelatis agendum sibi sit, ut indè nata fuerit ea inter Cajetanum Aureolumque, & alios quæstio, utrum hæc scientia habeat evidentiam consequentiarum, & consequentium etiam ipsorum; an dumtaxàt consequentiarum? Ut placuit Aureolo, quid ejus principia non evidentia sunt, sed obscura, & credita. Notum ergo, constansquè apud omnes Theologos Scholasticos est, & fuit, hanc esse essentiam, & naturam Theologiæ, quod ex revelatis, quæ quippè in Scriptura sunt, disserat, & statuat: quemadmodùm omnium disciplinarum Philosophicarum natura est agere lumine, & investigatione naturali. Constat ergo scholasticè ista propositio: omni futuro Magistro Theologiæ, id est, omni verè futuro Theologo necessaria est peritia, & scientia, & cognitio revelatorum, & Scripturarum: item necessarium est, quod ex his maximè, & potissimùm, agat, & statuat. sequitur ergo hi Magistri, vel libri, qui ita non disserunt, sed vel unicè, vel maximè ratiocinio suo philosophantur, ut Canus palam clamabat, nec Theologi, nec Theologici planè sunt.

Dicis, nos in rebus otiosis, & vanis, id est, ab omnibus scitis, & notissimis persuadendis paginas implere; qualè sanè est, hanc quam diximos, esse Theologiæ naturam, & essentiam, indeque illam differre a Philosophicis disciplinis. Et nos quidem rem arbitramur clarissimam, notissimamque, quam tamen multi verbo solùm, & lingua fateantur: factis autem, & praxi negent. Utinam ergo, quod quæst. præc. dicebamus, uniquique suo appellarentur nomine, ac distinguerentur tam homines, quam libri! quod sanè & Reipublicæ, & Ecclesiæ utilissimum foret.

§. II.

§. II.

Demonstrat primùm S. Thomas necessitatem doctrinæ revelatæ ex insufficientia naturalis investigationis.

DUm dicimus, necessitatem doctrinæ revelatæ, dicimus planè necessitatem scripturarum, & traditionum: in quibus scilicet duobus omnis revelatio authentica, & publica continetur, & clauditur. Dum item necessitatem, & necessarium loquimur intelligimus, ut compertum est, necessarium nobis instituendis, dirigendis, docendisque.

De duplici porrò genere rerum; ut S. Thomas distinguebat, scripturæ, & Theologia tractant; quarum aliæ prorsùs supra rationem naturalem sint; aliæ sub rationem ipsam naturalem cadant in hac verò demonstratione de utrisque simul, & incōfuso, & specialiter etiam de rebus sub rationem naturalem cadentibus agendum est. Cum autem demonstratio sumenda sit ex falsis hominum, nomine demonstrationis Logicam, vel Metaphysicam intelligere non possumus, sed moralem, id est; probationem omninò concludentem apud eos, qui res humanas norunt, & considerant, nec de moribus hominum in aëre philosophantur: & si in confirmationem adducenda aliqua sint, quæ strictè demonstrativa nobis videntur.

Probationem istam instituit S. Doctor in omnibus locis allegatis. in summa quæst. 1. ar. 1. sic: quia veritas de Deo per rationem investigata à paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniet. Ergo necessarium fuit, hominem instrui revelatione divina. Rursùs 2. 2. q. 2. ar. 3. probans necessitatem fidei arguit sic ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens; quia signum est, quia Philosophi de rebus divinis naturali investigatione perscrutantes in multis errarunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest Hæc porrò ratio non solum probat de rebus divinis in se, & quoad se, sed etiam quoad nos, id est, de ejus erga nos providentia, lege, judiciisque ut dicemus.

Id circò eodem medio 1. 2. quæst. 91. ar. 4. probavit necessitatem divinę legis, & divinitus datę: quia propter incertitudinem humani judicii, inquit, præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus contingit de actibus humanis diversorum esse diversa judicia; ex quibus etiam diversæ, & contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid sit ei agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitùs datam, de qua constat, quod non potest errare, Ergo de divinis in se, & quoad nos; atque de speculativis, & practicis necessaria est homini doctrina revelata: ar in ea scripturis continetur: hæc ergo, ipsarumque cognitio necessaria est homini.

Hæc tota ubique probatio sumitur ex insufficientia naturalis investigationis: hęc rursùs insufficientia probatur ex erroribus eorum, qui naturali investigatione processerunt: quo nunc nos medio uti volumus, Quod idem Scotus probat ea quæst. præter authoritates Augustini, etiam quia Aristoteles improbat politias dispositas à multis aliis 2. Politic. sed nec illa Aristotelis est, ait irreprehensibilis, nam lib, 7. docet; Deos esse colendos; item orbatos non esse nutriendos: item abortum fieri debere. Ipse rursùs Aristoteles eo lib. 2. refert errores Socratis, Platonis, Lacedæmoniorum, & aliarum, Rerumpublicarum: & societatis erat, quod nihil erat proprium, nec conjugia quidem, Philosophorum deindè de Deo, de divinis, de providentia, de libertate sum Dei rum nostra errores noti sunt.

Paulus præterea ad Rom. 1. locupletx testis est ignorantiarum, delyriorumque ipsorum; id est; omnium, qui naturali investigatione, atque in propriis ingeniis evanescendo philosophati sunt; undè & 1. ad Corinth. toties omnem talem sapientiam atterit. Chrysostomus eam Solonis legem de masculorum usu memorabat: Tullius item contestabatur, non, quasi de finibus & confiniis, sed de universa possessione virtutum, & boni, & mali esse litem inter scholas, & dissentionem, ut sitetur: ubi omitto rei evidentissimæ infinita testimonia

Confert plura Augustinus de Civit. Dei: illud nunc adducam, quod ad nos etiam instituendos appositissimum est ex lib. 19. cap. 41. ubi eamdem à nobis intentam conclusionem infert: ut autem, inquit, jam cognitionem omittamus historiæ; ipsi Philosophi, à quibus ad ista progressi sumus, qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi ut invenirent, quomodo esset vivendum accommodatè ad beatitudinem capessendam (an hoc ipsum non est totius moralis Theologiæ institutum?) cur dissenserunt & à Magistris discipuli, & inter se condiscipuli, nisi quia ut homines humanis sensibus, & humanis rationibus ista quæsierunt? Et post alia ad præsens aptissima, quid agit, exclamat etiam ad nos, aut quò, vel quà ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit authoritas? Denique Authores nostri, in quibus non frustra sacrarum literarum figitur, & terminatur ea non, absit, ut inter se aliqua ratione dissentiant.

§. III.

Valet consequentia & insufficientia Philosophorum ad nos, ubi naturali solùm investigatione philosophantur.

CUm factum de erroribus Philosophorum sit innegabile, jam consequentia ad nos est ducenda, ut constet omnimoda necessitas cognitionis divinæ doctrinæ, & scripturarum. Quod ut clariùs conficiatur, tria vel quatuor præmittenda sunt, quæ reponi pro nobis quoquo modo possint, alia profectò vana, & omnia insufficientia.

Primùm negando factum: quod tamen, ut diximus, innegabile est; secundò dicendo, nos præstare illis ingenio. Tertium, illos fuisse Gentiles; nos autem Christianos, qui ipsa fide nostra de plurimis indubitatè instituimur, atque à contrariis erroribus liberamur. Quartò dici ex Cajetano potest, necessitatem sacræ doctrinæ ad ea, quæ sub rationem naturalem, cadunt, ut sunt plurim divina, atque etiam totum jus naturale,

turale, intelligendam esse non simpliciter, & ad esse, sed ad benè esse.

Omissa nunc tantisper Caietani interpretatione, reliqua illa effingamus. Quod Philosophi gentiles fuerint; nos verò Christiani, est disparitas in re, non ad rem, si qua Christiani, & doctrina propria Christianorum non differamus, sed humanis rationibus, naturalique investigatione instar illorum agamus: sicut quod alter nobilis sit, alter ignobilis, si uterque furetur, est disparitas in re, non ad rem, quin nobilitas crimen enim adauget. Sed doctrina propria Christianorum; undè à Gentilibus distamus, ac propriè differimus, est doctrina revelata, & Scripturarum. Ergo quod illi Gentiles fuerint, nos autem scimus Christiani, non est disparitas, nec solutio ad rem pro Christianis differentibus, & agentibus non ex scripturis, sed humanis rationibus, investigationeque quadam naturali.

Rursùs quia Augustinus, Thomas, & Patres, quos quæst. præc. dedimus, & Theologi, qui his de rebus tractaverunt, omnes necessitatem doctrinæ revelatę haud revocarunt ad insufficientiam humanæ rationis Philosophorum, sed ad insufficientiam humanæ rationis, ac naturalis investigationis. Sed nostra etiam ratio est humana ratio, & nostra investigatio præter scripturas instituta est naturalis investigatio. Ergo insufficients. Ergo nobis etiam necessaria est doctrina revelata, & cognitio Scripturarum.

Confirmatur: ratio, & investigatio Philosophorum fuit insufficiens, multumque deficiens. Ergo etiam nostra, ubi sine scripturis philosophamur. Consequentia patet saltem de plerisque omnes quia saltem plerique non æquamus Aristoteles, Platones, aliaque summa ingenia in virtute, ac vigore ingenii: rationisque naturalis. Ergo de plerisque saltem valet consequentia à fortiori, sicut ab strenuo Duce ad gregarios ferè milites. Quin proposito hoc problemate, utrum sit modò in Europa, vel fuerit hac ætate ingenium aliquod par Aristoteli, Ciceroni, vel Senecæ fortè plerique negabunt, alii forte etiam ridebunt; certè facilè non erit aliquem unum assignare. Atqui ingenia Aristotelis, Ciceronis, ac Senecæ fuerunt insufficientia, à multorumque efficientia ad aptè statuendum de divinis in se, & quoad nos. Ergo etiam erit insufficiens unum illud summum ingenium, quod nunc in Europa superesse, transmirimus. Insufficientissima ergo erit reliqua omnis multitudo ex ingenio dicentium, & philosophantium. Ubi alia in hunc scopum prætermitto.

Præterea eodem medio probatur de nobis, quo Augustinus, Thomas, & cæteri probarunt de investigatione Philosophorum. Etenim medium fuit quod in multis errarunt, At modò etiam erramus: quia alii ab aliis dissidemus, & nobis ipsis contraria sentimus: quæ erat probatio S. Thomæ; evidens etenim est, ex dissidentibus, & contraria sentientibus errare alterutros: Augustinus verò probabat, quia dissentiunt & à Magistris discipuli, & inter se condiscipuli. Atqui hoc idem ad verbum apud nos accidit, ut vident omnes. Ergo sicut Philosophis, ita etiam nobis necessaria est doctrina revelata, quâ vel contradictiones resecentur; vel ea tanta, ut dicetur, omittamus, quæ ex doctrina illa dirimere non valemus. Ergo ad nos quoque exclamat Augustinus: quid agit, aut quò, vel quà, ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, ubi divina non ducit authoritas?

Jam hic nescimus; quid dicturi sunt Probabilistæ: nam quo modo, & remedio errores, & falsa nostra ipsi conciliant, eorumque insufficientiam tuentur. Dicendo & si falsa, esse tamen probabilia: eodem planè ad verbum sectæ Philosophorum conciliari potuerunt, eorumque sufficientia defendi dicendo, earum tunc dogmata fuisse ipsis probabilia; quin plurimis etiam certa sua certitudine existimata; nec ullus de rebus humanis judicare quoquo modo idoneus dubitaverit Philosophiam, quam Tullius tantus apud suos vir, scilicet Academicam; & quam Seneca scilicet stoicam propugnabant, tam probabilem visam tunc esse Romanis; & similiter alias sectas Atheniensibus, quas quippè scholæ integræ tuebantur; quam nunc errores, & falsa nostra sunt nobis probabilia. Desipuerunt ergo Doctores Ecclesiæ, & summi quique Theologi, & doctrinæ christianæ, divinæque propugnatores, dum ex erroribus, falsisque Philosophorum naturali investigatione inquirentium tum Philosophiam despexerunt; tum insufficientiam ejus, ac doctrinæ revelatæ intulerunt necessitatem; haud enim viderunt, quod oculatiores posteri invenerunt, verum, vel falsum nihil ad morum rectitudinem interesse: atque punctum omne, & momentum pendere ex probabili. Atqui falsa sua dissentientium scholarum, & discipulorum à Magistris, ac condiscipulorum inter se sic erant eis tunc probabilia: sicut nobis nostra dissentientium scholarum, & discipulorum à Magistris, ac condiscipulorum inter se. Ergo desipuerunt, hoc, ex quo uno totum pendebat, non videndo! Rursùs etiam desipuerunt, dum ex vero, vel falso doctrinarum sufficientiam dijudicarunt; nam hoc impertinens erat, & id unum Philosophiæ insufficientiam demonstrandam probare debuerunt, de quo quidem nec verbum fecerunt Philosophorum dogmata non solum, quod nihil intererat, falsa fuisse, sed improbabilia. Etiam relativè ad statum, in quo ipsi tunc erant, scilicet destituti in totum ferè Magisterio, & institutione doctrinæ divinæ, & superioris. Eia finant, quæso, nos desipere cum summis quibusque viris, & Theologis.

Intentam itaque conclusionem, & consequentiam ex Philosophis ad nos, qui utique inexcusabiliores existimus, prætereà urgeamus. Eadem incertitudo rerum, & Academismus oritur, quin etiam ortus est ex nostris investigatione naturalibus, qui olim ortus fuit ex investigatione Philosophorum, ut partim visum est pat. t. & latiùs lib. seq. iterùm ostendetur: & ferè omnia, quæ investigatione humana apud nos differuntur, quod ad vitam hominum, moresque attinet, à plurimis, non verò, vel falso, sed probabili, vel improbabili expediuntur, & diriniuntur. At hæc rerum incertitudo, & Academismus ortus ex contrarietate, dissensioneque scholarum, & sectarum Philosophorum palàm ipsarum insufficientiam demonstrabat: quod multi etiam ipsorum Philosophorum factis ipsis convicti confessi sunt. Ergo etiam demonstrat, nostrarum investigationem naturalium insufficientiam.

Denuò

Denuò quia verum, & falsum omittendo, & de ipso probabili loquendo, quo medio majores nostri ostenderunt Philosophiæ, & Philosophorum insufficientiam demonstratur insufficientia nostra etiam ad probabile. Quod patet, quia Majores nostri in verum, vel falsum, & falsius duntaxat, ut sapientes decebat, oculos conjicientes probarunt eorum insufficientiam, quia inter se dissentiebant, & discipuli à Magistris, & iterùm condiscipuli inter se dissidebant. Sed hoc idem in nostra investigatione naturali accidit non solùm circa verum, & falsum, sed etiam circa probabile, vel non probabile: quod patet ex ipsorum confessione; nam aiunt, multa olim, & apud Magistros nostros probabilia nunc facta esse improbabilia; & alia tunc, & apud eos non probabilia reddita esse probabilia. Et similiter etiam apud ipsos nunc etiam præsentes, ac superstites alia sunt aliis probabilia, & aliis non. Ergo quo medio ex vero, vel falso, probarunt Majores nostri insufficientiam Philosophiæ, & Philosophorum, demonstratur insufficientia investigationum naturalium nostrarum etiam ad probabile; nam discipuli à Magistris, & illi rursùs dissentiunt inter se circa probabile. Superest, ut fateantur, quod alibi ex eorum dogmate, sed doctrinam unicuique esse sufficientem suam propriam existimationem, & Philosophis suas. Quid ergo oportuit, Domine, te de cœlis descendere, fierique nostrum Magistrum ad nos edocendos? Quid scripturæ tempora illa populi produnt, & dicunt, in rebus illis non erat Rex in Israël, sed unusquisque quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat, & sua idola, & conflatilia effingebant.

Ex hoc ad homines sic rursùs argumentor. Non sufficit populis nostris, & indoctis sua existimatio, & quod sibi rectum videtur, sed tenentur sub gravi Magistros quærere, & consulere, ut patet. Ergo nec Magistris sufficit sua existimatio, & quod sibi rectum videtur, sed tenentur sub gravi Magistrum nostrum in suo libro consulere, & scire. Hæc consequentia est à fortiori, quantò plus ratio nostra, sufficientia, & doctrina dictat à sapientia, & scientia unius Magistri nostri, quam existimationes populorum nostrorum, & indoctorum distent à nobis, & ratione, & doctrina nostra, inquam, nostra id est, naturali inquisitione acquisita. Undè libri sine cognitione doctrinæ Magistri nostri compositi quoad scienda divina vel in se, vel quoad nos et vix in loco habendi sunt, in quo haberentur quoad doctrinam libri populorum, si existimationes uniquique suas typis mandarent, librosque ederent.

Præterea probatur, quia propter contrarietatem opinionum speculativarum, & moralium plurimi non solùm sentiunt, sed hoc unum fortissimè omnium clamant, atque in nos intorquent, qui ad veritatem ipsam obligamus, scilicet veritatem ipsam in se invenibilem: & propterea sufficere probabile ad docendum: & ad regulandum mores nostros, & hoc probabile quasi in defectum veritatis illius subsistunt, promovent, propagant. Infero; ergo in his omnibus, in quibus inducunt probabile, necessaria est doctrina revelata, & scripturarum. Nam disputamus de necessitate quoad Theologiam, utque quis sit, & fiat Theologus, sciatque Theologiam. At superius logicè, & metaphysicè demonstratum est, Theologiam non constare probabilibus à vero, & falso abstrahentibus, nec item probabilibus fallis, meliusque esse, ignorare prorsus res quaslibet, quam probabiles etiam falsas cognitiones habere. Ergo ex ipsa sua confessione de vero invenibili nec Theologi possumus esse in talibus, nec Theologiam scire, nisi nobis sapientior aliquis, scilicet Deus, veritatem, nobis ostendat, eamque invenibilem efficiat. Hoc porrò facit Deus revelando. Vel ergo revelationibus jam factis, & Scripturis suis id facit? & tunc illæ sciendæ sunt, & sic Theologi esse poterimus: vel revelationibus hactenùs factis eas veritates adhuc invenibilea non præstitit? Et tunc ergo illæ Theologo, utque fiat quis Theologus, & Theologiam scire possit; necessariæ non sunt: nam Theologia scire potest saltem quantum ad necessaria veritates illæ, ut aiunt, sciri non possunt; ergo illæ Theologo necessariæ non sunt. Ubi omitto alia.

Ex his etiam dictum Cajetani satis videtur improbatum: quod alibi rationibus S. Doctoris confecimus: nec rursùs inferiùs alia S. Doctoris ratione redarguatur. Nunc verò ex dictis sic: illud enim moraliter simpliciter est necessarium, quod semper contingit; & oppositum numquam. At in omni humanâ investigatione de divinis in se, quoad nos semper contingit errare, etiam in eis, quæ sub rationem cadunt, quid de rebus procedit probatio præsens S. Tho. & Augustini. Ergo moraliter simpliciter necessarium in omni humana investigatione de talibus est errare. Major constat ex inductione: & etiam ex differentia probabilium, ac plerumque contingentium à certis, necessariis. Minor autem constat ex dictis. Sed necessitâ Superioris, & divinæ doctrinæ intelligitur ad vitandum errores, & falsa. Ergo talis superior doctrina est moraliter simpliciter necessaria ad scientiam, & rectam doctrinam divinorum in se, & quoad nos etiam cadentium sub rationem naturalem. Ergo necessaria est adesse. Sed divina doctrina necessaria est, ut sit talium conscientia: nam necessaria est, ut ea sit vera: ipsa autem nequit esse, quin sit vera. Ergo divina doctrina est necessaria adesse ejus scientiæ, non ergo solùm ad benè esse.

Præterea particulis positis à S. Thoma: ut ergo esset indubitata, inquit, & certa cognitio de Deo, oportuit, &c. ac rursùs: ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid sit ei agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, &c. Sed non solùm ad benè esse, sed etiam adesse scientiæ cujusque requiritur certitudo, & ablatio dubitationis: Theologia autem est scientia: ergo ad ejus ipsam esse necessariam: est doctrina revelata tam speculativa, quam practica. Nec exclamatio Augustini locum habet in rebus non adesse, sed ad solum benè esse necessariis: uterque verò Doctor in his tractat de divinis cadentibus sub rationem naturalem: nam tractat de iis, in quibus Philosophi erraverunt, ut sunt Deus, ejus unitas, libertas, providentia, & jus naturale. Atque ideò propter insufficientiam humanæ rationis Deus gloriosus totam ipsam legem naturalem sua denuò lege sanxit, ac firmavit, & quasi renovavit.

Itaque S. Thomas paucis multa semper complectens, ac respiciens, vidit, quid Philosophis & investigationibus naturalibus evenerit circa manifestissima etiam divina de unitate, de libertate, providentiaque divina; quid rursùs

rùs

sùs de immortalitate animæ, quid demùm de lege narorali: atqne hinc vera, hinc falsa eas misceuisse: & audiris scholis omnibus vix non omnia remansisse dubia, & ambigua; nam hujusmodi sunr omnia utrinqne probabilia, & plurimùm non se excedentia, ut par, 1. lib. 4. ostensum est, atque in hac quæstione iterùm dicetur. Quarè quisquis seriem, Philosophorum, totiesque investigationis naruralis evolverit, capitalia fermè omnia remansisse hinc indè ambigua; quod & ortus Academicus confirmat, & Tullius acutè testatur lib. 1. de nat. Deorum. Sapientissimus ergo Doctor ad hæc omnia respiciens, & alludens particularis illis usus est; ut ergo esset indubitata, & certa, &c. ac item: ut ergo homo absque omni dubitatione, &c. Omitto alia ad hoc, & tractavi alibi, quomodò investigatione naturali divinorum in se, & quoad nos occurrant rationes contra rationes, ut in concordia libertatis Dei cum immutabilitate; & præscientiæ ejus, ac providentiæ cum libertate nostra, & sic io aliis, & ideò alii unum, aliud alii negabant: cujusmodi plurima ponderare possem etiam de lege naturali, maximè admittendo quædam falsa, quæ moralistæ aliqui ponunt.

Hinc factus aliquorum miserandus est, & contundendus, quibus videtur, se maximum aliquid dicere, cum dicunt, rationi instando hoc, aut illud, ita, vel ita est, vel esset, vel esse posset, quandò in contrarium authoritatem vident, cui repugnare non liceat. Quod Profectò puerile quidpiam est, & occultior quidam, & simulatus contemptus authoritatis: & sensus est insufficienris judicis hoc ita, vel ita est, vel esset, vel esse posset. De quibus iterùm de cursu dicetur.

Adversus dicta duo graviora opponi possunt, quæ solutione indigent, atque eam, ne doctrinæ series rumpatur, infrà dabimus. Unum est, nos habita etiam doctrina Dei, & Scripturarum, in earum interpretatione, & explicatione errare posse; sicut in investigatione naturali. Ergo vel necessaria erit alia denuò doctrina divina interpretativa, ne erremus, & sic in infinitum procedemus; vel facta argumenta à nobis etiam solvenda sunt. Aliud est, quod Theologia non est ipsa doctrina divina expressè saltem revelata, sed doctrina ex eis haulta, & illata, collectaque. Sed nos sicut in statuendo, & assumendo, sic etiam in inferendo, & colligendo errare possumus. Ergo necessaria erit alia doctrina revelata illativa, & sic Theologia nostra cessabit: quæ, ut promisi, inferiùs expediunrur. Ad quæ §. 9. respondebo.

§. IV.

Insufficiens est humana ratio, & investigatio ad assequendum finem hominis. Ergo etiam ad media, & ad bonum, & malum dijudicandum, taxandum, & mensurandum.

HÆc alia probatio est, qua ubiqne S. Thomas, & cæteri, qui his de rebus scripserunr usi sunt, & est universalissimum quoddam principium ad universam tractationem moralem, & ex quo multorum purè rationalistarum insufficentia, ac defectus deprehendatur; nosque ideò hanc præ aliis probationem pro necessitate doctrinæ revelatæ, & Scripturarum consultò delegimus. Ea porrò utitur S. Thomas in sum. quæst. 1. ar. 1. & in 1 quæst. 1. ar. 1. & lib. 1. contra Gentes cap. 4. & 5. & propositio sanè ad probationem assumpta de superioritate, & excessu finis nostri ad rationem nostram est de fide, & omnium confessione planè constat.

Arguit in sum. S. Doctor: quia homo ordinatur ad Deum sicut ad qnemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit secundum illud Isai. 64. oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Finem autem oportet esse præcognitum hominibus, qui suas intentiones, & actiones debent ordinare in finem. Undè necessarium fuit homini ad salutem, quod nota fierent quædam per revelationem divinam, quæ rationem humanam excederent. Quamquam autem hoc loco S. Doctor solùm concludere videatur de aliqnibus humanam rationem absolutè excedentibus, adjunctis tamen aliis ejusdem verissimis principiis concluditur universim de bono, ac de vitiis, & virtutibus etiam sub humanam rationem cadentibus, licet non eodem modo.

Rectè verò omnis de moribus doctrina ex doctrina de fine texitur; & sic Aristoteles suam scientiam moralem ex fine nostro ortus est; Tullius etiam de finibus intitulavit: S. Thomas omnem de vitiis, & virtutibus, in genere, & in specie, atque de actibus humanis tractationem ex doctrina de beatitudine 1. 2 adorsus est sic demùm Magistri sent. suam Theologiam ab universalissima illa fruendorum, & utendorum, id est, finis, & mediorum distinctione retexuit.

Quorum ratio est manifestissima; nam quibus sunt fines homines diversi eorum diversa debet esse morum doctrina, & aliæ virtutes, & vitia bona, & mala. Ut porrò processus sit clarus, & in certioribus quibusque pervius, pooe, finem hominis esse, quem Epicuri præscripserunt, vel quem Stoici, vel quem Peripatici. Profectò unisquibusque ea viria, & mala erunt, quæ suum singulorum finem impediunt; ea item bona, & virtutes, quæ in finem illum aut sunt necessaria, aut juvant. Undè quantò distabant, & differebant fines Epicureorum, Stoicorum & Peripateticorum, tantò planè distabant, & differebant ipsorum morales scientiæ, ut patet.

Ex quo pro conclusione sic arguitur. Quorum finis est diversus, sunt etiam diversa media, & bona, & mala. Sed verus finis hominis saltem de facto, & finis investigabilis ratione naturali sunt valdè diversi. Ergo etiam valdè diversa media, & bona, & mala. Major constat ex nuper declaratis in finibus Philosophorum. Mioor autem est propositio assumpta à D. Thoma, quæ est de fide.

Sed quoniam dici potest, habito semel per revelationem fine nostro, rationem nostram esse sufficientissimam ad judicandum de mediis, explicandum nunc est, & confirmandum, ejus, cujus rationem excedit finis, etiam excedere media, eorumque taxationem, & proportionem. Ideò Dominus post Paulum electum ad portandum nomen suum, dixit, ipse sciet, aut colliget,

colliget, sed ego ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati: & cum in morte Domini Discipuli etiam sui scandalizati fuissent, ad duos eorum dixit Lucæ. 24. o stulti, & tardi corde, &c. Nonne hæc oportuit pati Christum: & ita intrare in gloriam suam. In cujus quippè cor venire umquàm potuisset, hoc oportuisse? Impleri his rebus quasi ostensivè probantibus volumen integrum posset ad ostendendum, post revelatum etiam finem prorsùs aliter Deo de mediis visum esse, atque nos existimaremus: & aliqua dedimus quæst. 14. & percurrendo scripturas, Ecclesiæque fundationem, & incrementa, & decrementa quasi cernitur ipsis oculis, Deo aliter visa esse etiam de mediis plurima; nec de fine solùm, sed de mediis magis est illod, non enim cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ, nec viæ meæ, sicut viæ vestræ, &c. Sicut ergo finis verus noster excedit rationem nostram, & exaltatur, sicut exaltatur cœli a terra, sic etiam media, & quid, & quantum oporteat, nos agere, & pati, exaltatum est super rationem nostram.

Confirmatur, & declaratur; nam, ut assumit S. Doctor in sentent. eo art. 1. oportet, ut ea, quæ sunt ad finem, proportionentur fini; & etiam assumit tit. 2. quæst. 83. art. 14. Nam uniuscujusque rei quantitas debet esse proportionata fini; sicut quantitas potionis sanitati: estque sapientibus loco principii, finem esse mensuram eorom, quæ sunt ad finem. Hoc assumptum principium patet in omnibus ordinatis ad finem, & exemplum S. Doctoris de quantitate potionis taxanda per morbum, & sanitatem apprimè rem declarat. Sed hæc taxatio, & proportionatio mediorum per finem excedentem rationem nostram, & intelligentiam non est quid naturale, sed propriissimè supernaturale, & excedens rationem nostram. Ergo ad eam necessaria est doctrina, & cognitio superior; quæ sanè alia non est, quàm doctrina revelata: & scripturarum. Atqui bonitas mediorum consistit in ea proportione, & taxatione debitæ quantitatis ad finem. Ergo ad agnoscendam bonitatem, & defectum mediorum, & morum nostrorum, utque sciatur, quid, quantum, ubi, & quandò, & quomodò oporteat agere, & pati propter finem nostrum, id est, propter regnum cœlorum necessaria est doctrina superior, & revelata scripturarum.

Rursùs quia ad rectè judicandum de mediis non satis est qoquo modo, & imperfectè, & obscurissimè finem cognoscere. Sed oportet eum bene intelligere, ejusque pretium, & valorem, & quasi quantitatem ritè nosse, & penetrare. Patet hoc in exemplo adducto de potione; nam si Medicus obscurissimè solùm, ac valdè imperfectè cognoscat morbum, enmque magis credit esse, quam intelligat, qualis, & quantus sit, profectò præscribere nequit, qualis, & quanta porio adhibenda sit, ut patet, & opus erit alio peritiore, intelligentioreque Medico. Sed nos etiam habita fide finis nostri, solùm obscurissimè, ac valdè imperfectè eum agnoscimus, & credimus magis esse, quam intelligamus, quid, qualis, quantusque sit. Ergo impares prorsùs, insufficientissimique existimus ad præscribenda, taxandaque media, sed peritiore alio, & intelligentiore opus est, qui eum finem benè noverit, sciatque, quid, qualis, quantusque sit: qui sanè vel Deus ipse est, vel beatorum aliquis ab ipso missus; certè de facto taxationem aliam, & proportionalizationem non habemus præter eam, quæ in Scripturis sanctis, & traditionibus facta est, velindè ritè deducta.

Ob istas rationes valet: quorum vires activas excedit finis, excedunt etiam media; & ideò vires naturales nostræ non sufficiunt ad media apta, & ut oportet operanda ad finem illum superiorem. Ergo valet etiam; quorum cognitionem, & rationem excedit finis, excedunt etiam media, ut oportet, adhibenda; ergo ratio naturalis non sufficit ad cognoscenda media ut oportet adhibenda, & hoc denuò confirmatur; quia vires naturales operativę, & cognoscitivæ proportionantur, & adæquantur inter se; alioqui alterutrę essent superfluę, & redundantes in natura, vel aliæ deficientes, & diminutę, sequereturq; in natura vitiū illud, *de quâ nimis; vel quâ minùs*: quod repugnat in opere perfectissimi artificis, & sapientis, & præterea vires illæ cognoscitivę excedentes vires activas essent tortivę naturę. Idcircò etiam cum per peccatum vulnerata fuit natura hominis, & punitus homo à Deo justissimo, in otrisque viribus passus est vulnus ignorantię. & vulnus concupiscentię utrasque eas vires illatum nobis est. Ergo sicutmedia, ut oportet, & quanta, & qualia oportet, adhibenda excedunt vires nostras activas; sic eadem, ut oportet, & quanta, & qualia oportet, adhibenda excedunt vires cognoscitivas nostras, & quorum cognitionem, & rationem excedit finis, excedunt quoque media.

Prætereà idem commōstratur; quia in præsentia per rationem homanam, ac naturalem eam intelligimus, quę philosophica est, & ex elemētis hujus mondi philosophatur, colligit, ratiocinaturq; Hæc autem ratio, & indè parta sapientia, præterquam eam ut ineptam tanta orationis mole contrivit, & evertit Paolos 1. ad Cor. & insufficientissima; nam hæc ratio; partaq; indè sapientia judicat de mediis, & contrariis, & de bono, & malo: quemadmodum jodicasset, si homo fuisset sibi relictus, & solùm ordinatus ad suum finem naturalem vel hujus vitæ, vel alterius; nam ratio naturalis sit solùm lumine naturali ea bona, vel maladictat; quę bona, vel mala esse, naturaliter assequi potest: ea autem sunt talia relativè ad finē illum naturalem vel proprium, vel communem; & civitatis. Ergo ratio naturalis sic judicat, & dictat de mediis, & contrariis atq; de bono, & malo: sicut judicat, si ordinatus remansisset ad suum illum finem naturalem. Sed hæc ratio, & mensura est insufficientissima, ac statera valdè dolosa. Nam finis, ad quem de facto ordinamur, & S. illa Civ. Hieru. à qua peregrinamur, plus distat à fine quolibet imaginabili naturali, quam distent Regum Palatia à Tuguriis Pastorum, pauperumq; tabernis, quin non est comparatio. Ergo sicut ars, & ideæ, quibus tuguria illa taberneq; delineantur, & fabricantur, prorsùs deficiunt ab ideis, & arte, quibus palatia sunt delineanda, & fabricanda; sic ratio naturalis apta nata judicare de mediis, & cōtrariis, atq; de bono, & malo relativè ad finem naturalem, prorsùs insufficiens est ad jodicandum, quid, quanta, & qualia agere, patiq; oporteat pro bonis illis, quæ Deus præparavit diligentibus se omnesque ideæ, delineationesque nostræ sunt plus minos instar idearum, & artis puerorum, qui domificando ludere solent.

Quod etiam exemplo sagittarii aptè declaratur pone enim scopum prope terram; & sagittarius propè terram obtutum intuitumque figit, & hac quasi

quasi lines sagittam dirigit. Sed si ad Cœlum usq; scopus attollatur, erigendus prorsùs erit visus, intuitusque, omninò alius figendus, altiorq; alia directio instituenda: in hunc modum planè differût, & distant finis quilibet naturalis, & finis verus noster, quem de facto virtutibus, à moribus attingere debemus. Non ergo sufficiunt oculi quidam quasi terrestres, neque directiones naturales, sed attollenda est mens, & elevanda supra mundum, & elementa ejus per lumen directionemque superiorem divinæ doctrinæ. Neq; ad rem est, si dicas, virtutes morales obedientiam, castitatem, fortitudinem, &c. in se ipsis absolutè, & sine directione ad fines illum excelsiorem esse virtutes, & bonas; & similiter vitia mala. Ergo licet ad directionem, ordinationemq; illam lumen superius, & alia, quasi mens requiratur, tamen ratio naturalis ad judicandum de virtutibus illis, & vitiis in se & absolutè: Ad hoc enim dicitur, requiri in mediis, & virtutibus, si non actualem directionem, & ordinationem, saltem dirigibilitatem, ordinabilitatem, proportionabilitatem, vel mensurabilitatem; quod scilicet media ea sint, & talia, & tanta, quæ, quanta, & qualia esse oportet pro fine illo. At implicat, ea, quæ sunt commensurata mensuræ minori, & proportionata fini inferiori esse commensurabilia mensuræ majori, & proportionabilia fini superiori, sicut quod est commensuratum palmo, nequit esse commensurabile ulnæ, & sic in aliis. Ergo etiam ad judicandum de virtutibus moralibus in se, & absolutè, atque de vitiis oppositis requiritur lumen superius divinæ doctrinæ.

Confirmatur hispano proverbio, *mucho cuesta lo que mucho vale*; proverbiis scilicet, id est, per multas experientias probatis verbis, Aristoteles maximè suam moralem Philosophiam retexuit; quam proinde acutissimè Em. Card. Pallavicinus non aliud, quem sensus naturalis, & naturaliter plerisque probati commenratorem existimavit; & quod omnium maximum est, habemus librum canonicum Proverbiorum, quo Proverbiis nos docere dignatus est Deus noster. Lumine itaque naturæ compertum videtur pro quantitate pretii, valorisque rei consequendæ esse expendendum, utque de plano habemus in Breviario, ad magna præmia perveniri non posse nisi per magnos labores; & sic est in finibus, & sic etiam, in emptionibus, & rei pretiosioris majus pretium solvitur. Ergo pretium illud, labores illi, media illa, quæ fini naturali, sive proprio uniuscujusque, sive communi, & civitatis commensurata essent, proportionatumque quasi pretium, & meritum, imparia sanè, & deficientia sunt pro regno cælorum. Ratio porrò naturalis, & naturaliter disserens, & omnes discursus nostri humani de mediis his, & laboribus, & quasi pretio judicant, vel absolutè solum, & in se sine ordine, & proportionalizatione cum eo regno, qui finis est, vel judicant solum quoad finem naturalem qui scilicet sub rationem naturalem cadit. Ergo judicant defectuosissimè, & fermè sicut si pretio ovi Regnum coemere velles, aut iis solum laboribus, & præliis, quæ oppugnandæ arci sufficiunt, ex pugnare Europam.

Iterùm commonstratur; nam ut perpetuo assumit ex Philosopho S. Th. sic se habet finis in operabilibus, sicut primum principium in specularivis? & conclusiones, & media eodem modo comparantur ad finem hęc, & ad principia illæ; ideòq; ejusdé etiá facultatis est de fine, & mediis judicare; & absurdú esset, si artis Medicæ esset consideratio, & judicium de fine, & alterius facultatis, artisque judicium, & consideratio medìorum. Sed ejus, cujus lumen, & rationem excedit principia, excedunt etiam conclusiones, & sic sciétia. Ergo cujus lumen, & rationem excedit finis, excedunt etiam media. Excedit autem lumen naturale nostrum, & rationem finis noster. Ergo etiam media. Sicut ergo finis hic solùm de doctrina revelata, & superiore constat, & innotescit, sic etiam ejusdem ordinis doctrina & lumine media constare possunt, & innotescere. Ubi omitto plurima rei hujus declarativa, & confirmativa.

Nec est instantia in scientiis subalternatis, quæ subalternantium principia quasi fide accipiunt, & credunt, & indè ad se pertinentia inferût. Primum namq; & imperfectissimę sunt sciétię subalternatę, quandiù subalternantes non adducútur, & principia ipsa non intelliguntur. Deindè scientię istę sunt ejusdem ordinis, & luminis naturalis; undè vis ipsa nata est, & proportionata ad inferendum; secùs in casu nostro. Eadem de causâ in scientia subalternata aliquatenùs intelliguntur ipsa principia subalternátis: at nos lumine naturali nec intelligimus neq; semi intelligimus finem nostrum; quinimò ad eum etiam, qui imperfectissimus modus cognoscédi ex genere suo est credendum necessaria est superior virtus.

Sic ergo ex altitudine finis nostri; & ejus item obscuritate quoad nos; ex ejusdem demum pretio, & valore ostensum videtur, lumen naturale nostrum, & rationem esse insufficientissimam ad judicandum de mediis, & de modis; atque de contrariis, & malis, & omnino esse necessariam ad hoc doctrinam superiorem, & revelatam scripturarum: unde quicumque morum Magister eam doctrinam nesciens, aut ex ea non disserens insufficientissimus, ineptusque habendus sit. Quæ infinitis scripturis firmari denuo possent, & aliquas in reliquarum specimen infra dabimus.

§. V.

Ex his sequitur practicissima quædam. & ad totam moralem Theologiam vitæ solis doctrinam insignis S. Th. de differentia, virtutum moralium naturalium & infusarum.

NOn solius S. Th. hæc doctrina est de differentia virtutum moralium naturalium. & exercitatio acquisitarum a virtutibus moralibus per se infusis, sed communis jam Theologorum, mihiq; indubitata, & certissima. Disputant vero Theologi, utrum in Concilio Viennensi, & ab Inno. 3. determinatum sit, infundi nobis habitus virtutum non solum Theologicarum fidei, spei, & charitatis, sed etiam moralium? & plurimi censent, rem esse determinatam, & ita nos quoque arbitramur. Verum quia alii reluctantur, & virtutis nomen ad actus etiam transferunt, multaque confundunt, ab hac die lite abstrahendum est, inferendumq; ex dictis, & denuo confirmandum, sive habitus, sive actus nomine virtutum intelligantur, dari planè virtutes morales per se infusas; quod jam omnes concedere videntur; idem has per se infusas virtutes differre ab acquisitis, & naturalibus non ex principio solum efficiente, ut quidam Recentiores philosophantur, sed objecto & ideo principio, quia ad altius objectum altior actus, virtusque & principium desideratur.

Hæc tota doctrina probata est multipliciter §. sup. nam attendimus rationem virtutis, & ipsum medium taxatum ratione inferiori, & commensuratum similiter inferiori non esse medium proportionatum rationi superiori, nec item proportionabile; neque item commensuratum, aut commensurabile fini superiori tum propter ejus altitudinem, tu etiam propter pretium ejus & valorem Stoicismus vero est, quod quidam [illegible] dunt, virtutes non esse media ad finem ultimum, sed fin[illegible] statemut enim, virtutes quasque amare sua objecta propter finem ultimum, quatenus tales speciales virtutes sunt. At Stoicismus est, quod in ipsis sistendum sit; quare tam ipsæ virtutes in se, quam objecta debent esse saltem referibilia in finem ultimum alioqui quod probare omitto: virtutes non essent sed quidpiam indifferens: insuper debent esse referibilia in finem ultimum tanquam quidpiam ei proportionatum, & commensuratum; nam finis est mensura, ut explicatum, ac probatum fuit. At nec ipsæ virtutes acquisitæ, & naturales, neque earum objecta ut talia sunt quid proportionatum, & commensuratum fini nostro totam

naturam

naturam excedendi, & altissimè posito; ut etiam probatum est, & declaratum. Ergo tam virtutes ipsæ infusæ sive habitus, sive actus, quam objecta altius quidpiam, & superius sunt ad virtutes morales naturales, & earum objecta, distantque toto cælo, & revera cælo ipso distant.

Quod, antequam ad rationes S. Thomæ accedam, confirmo, nam virtutes morales acquisitæ nostræ ejusdem rationis sunt cum virtutibus moralibus Philosophorum, & Gentilium. Hæ porrò insufficientissimæ erant, ac maximè deficiebant à fine nostro, & ab esse virtutis simpliciter, & in oculis Dei; nec in hoc saltem de Augustino litem moveant, cujus aperta sententia est, eas non virtutes fuisse, sed virtuti similes, & rem exemplo auricalchi declarat, & solum erant proportionatæ finibus humanis; & ideò humana etiam felicitate remuneratæ sunt & quantum distat Romanum Imperium a cælo, tam virtutes illæ distāt à veris virtutibus, quas bonus taxator, & æquator Deus à nobis requirit. Et alioqui si tota ea vetutū moralium series sufficisset, profectò Deus eā etiam sapientiam Philosophorum, per quam illæ regulabantur, non destruere, sed retinere debuisset, & illis, quæ sufficientissima erant, retentis addere sapientiam, & doctrinam de virtutibus solū Theologicis. Non autem hoc fecit, sed contrariū, ut constat ex Evangelio, & Apostolo. Ergo illæ insufficientissimæ erant. Ergo & nostræ ejusdem rationis, & medii, & objecti. Ergo necessariæ sunt nobis virtutes per se infusæ, & superiores ordinis, & alterius rationis, & medii, & objecti.

Sed nobis longè sapientiùs, ordineq; scientifico rem statuat S. Thoma 1. 2. qu. 65. ar. 5. Dicendum, inquit, *quod dupliciter habitus distinguuntur specie. Uno modo secundum formales, & speciales rationes objectorum, &c. Manifestum autem est, quod alterius rationis est modus, qui imponitur in concupiscentiis secundum regulam rationis humanæ, & secundum regulam divinam, puta in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur: ut nō noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum. Secundum autem regulam legis divinæ requiritur, quod homo castiget corpus suum, & in servitutem redigat per abstinentiam cibi, & potus & aliorum hujusmodi*, &c. Manifesta visa est S. Doctori, & nobis quoque videtur diversitas ista medii. Quid enim in probatione neges. Num medium virtutis temperantiæ naturalis, & philosophicæ non esse, quod assignat & tunc Philosophi omnes te rejiciunt. Num mediū virtutis temperantiæ infusæ, & christianæ non esse, quod ponit? & tunc ex Claravalle te Bernardus redarguit, & magni quique virtutis hujus cultores improbant. Utraque verò pars à S. Doctore probata est ex tota Philosophia, & ex Paulo.

Deindè dicit juxta ea, quæ §. præc. docebat: *aliò modo habitus distinguuntur specie secundum ea ad quæ ordinantur, non enim est eadem specie sanitas hominis, & equi propter diversas, &c. Et eodem modo dicit Philosophus in 3. Pol. quod diversæ sunt virtutes civium, secundum quod benè se habent ad diversas Politicas, (seu Politias) Et per hunc etiam modum differunt specie virtutes morales infusæ, per quas homines benè se habentes in ordine ad hoc, quod sint cives sanctorum, & domestici Dei, ac aliæ virtutes acquisitæ, per quas benè se habet homo in ordine ad res humanas.* vel adde, si placet, in ordine ad quemlibet finem imaginabilem naturalem. Atque hæc etiam probatio nobis manifesta videtur ex una præmissa de fide, & ex alia naturali notissima, quod diversæ sint virtutes civium secundum quod, &c. & constat etiam ex dictis.

Neque sensus Doctoris est, ut quidam satis imperitè interpretantur, quasi materialis, & nihil ponens in ipsis virtutibus, neque eas diversificās, quasi idem quidem agant, aut vitent utriq; cives loquendo in genere; & in specie cives sanctorum, domestici Dei; & cæteri vel cives civitatis terrenæ, vel in quemcunq; alium finem naturalem ordinati: re ipsa tamen sint alii unius Politicæ, & alterius alii. Neque homo conclusisset intentum de diversitate non habentium virtutes, sed ipsarum virtutum infusarum ab acquisitis, ut patet.

Liquet, igitur, ut fusiùs ex eo lib. 3. Polit. constat, ipsas etiam formales virtutes civium esse diversas juxta diversitatem Politiarum, & finium tā conferendo ipsas Respublicas inter se, quam eas omnes comparando cum Monarchia; quin quæ sunt virtutes in una Politia, sunt vitia in alia, ut sciunt, quotquot de moribus hominum; non philosophantur à moribus, rebusq; humanis abstrahēdo: atq; omissis Regnis, & Rebuspubl. quas Arist. enumerat Platonis, Socratis, & Lacedemoniorū, Atheniensium, Cretensium, &c. & his, quas etiam modo conspicimus, in Politia laica, & Ecclesiastica, quæ solùm ad diversos fines proximiores ordinantur, cernitur ea diversitas in rebus multis; nec satis est, neque decet, eadem agere, aut vitare Ecclesiasticos, sed plura etiam alia. Cum ergo politia christianorum sit civium sanctorum, & domesticorum Dei, atque ad hoc ordinetur, virtutes eorum tam debent esse aliæ, & diversæ, ab omni alia Politia, atque mores exteriores, & modus domesticorum Principis diversus est à modo, cultuque rusticanorum; quin non est comparatio, sed differunt proportione sicut Deus, & Princeps.

Similiter intra eamdem etiam Politiam ex diversitate finium sunt diversa officia, & officiorum diversæ virtutes, aliæ militis, mercatoris aliæ, & ita aliorum, & si quæ gerunt milites, tractaret mercator, ac vice versa, essent vitia; nam ut Augustinus contra Julianum multipliciter ostendit, non officiis, & iis solum quæ agimus, sed finibus distinguuntur virtutes, & videndum est, in quem uniquique finem simus ordinati. Ergo ordinatorum ad celsiorem, superioremq; finem debent esse virtutes celsiores, & superiores. Hæ autem sunt virtutes infusæ; & propriæ christianorum. Ergo virtutes infusæ, & earum actus, habitus, & objecta distant, distantq; ab acquisitis. Quod etiam confirmatur; quia altioris subjecti, & dignioris alterior etiam est, atque dignior ipsa scientia; neq; scientia inferior, ac de subjecto inferiori potest ipsamet converti, & fieri scientia subjecti superioris, aut Physica, seu naturalis fieri Metaphysica, aut transnaturalis, sed virtutes naturales morales sunt ad finem objectiorem, & naturalem: finis autem noster est longè dignior, & excelsior, & transnaturalis totamq; naturam transcendens, ac supernaturalissimus. Ergo virtutes ipsæ ordinatorum ad illum sunt digniores, neque ipsæ morales naturales quasi transnaturales fieri magis possunt ex principio activo vel aliundè, quā scientia naturalis, & Physica transnaturalizari quest. Inculcant itaq; semper diversitatem principiorum activorum, ac alias differētias purè subjectivas. Faciant, quæso, & hoc miraculum, ut Physicam convertant in Metaphysicā, datis illi pro principiis activis habitibus Metaphys. effictis vel aliis differentiis purè subjectivis.

Sed siquidem S. Thom. ad rem istam ostendendam diversitate Politiarum usus est, percurrendo libros solùm Politicorum Philosophi mille modis illa confirmari potest. Esset homo natura sua non sociabile, sed solitarium, profectò caruisset sermone quo tamen indiguit, quia est animal perfectè sociabile. Numquam

homines de civitate cogitassent, sed solùm de domo. Planè hominis aliæ virtutes requirerentur, & hominis, qua domestici, & qua civis aliæ ac diversæ sunt virtutes, quæ ibi declarantur. Erexit autem nos Deus in civitatem novam Hierusalem descendentem de cælo, quæ tota cælestis est, & doctrina, instituto, legeque magis à terrena civitate distat, quam hæc à pago, vel domo. Ergo sicut virtutes hominis vel qua solitarii, vel qua domestici, & quà civis terreni differunt, sic à fortiori virtutes hominis qua naturalis, & quasi philosophi, civisque terreni, & Scipionis, & Horatii, Cocles, & Fabiorum, & Lentulorum, hisque similia differunt à virtutibus, moribusque hominis quà civis sanctorum, & domestici Dei: atque hoc ex se ipsis, & non solùm ex principiis nihil speciale in virtutes ipsas, & mores conferentibus. Ubi omitto alia.

Est aliud principium ista demonstrandi ejusdem. S. Doctoris, quod habitus per actus, & hi objecta specificantur, & distinguuntur: de quo, quoniam jam alias tractavi, hic non retracto. Sunt etiam diversitates actuum circa idem objectum ex modo ipso tendendi, sed discernibili, ut affirmationis, & negationis; amoris & odii: conjunctioni, & disjunctioni recti, & obliqui, & in verbis tempora, sive in his denuò adsit diversitas aliqua objectorum, sive non adsit. Sed recentiores quidam alias diversitates nobis indecernibiles, ac purè entitativas in modo tendendi comminiscuntur, omniaque confundunt, & rerum nobis certissimarum assensus incertos ponunt, & nobis incertissimarum certissimos, atque alia sine fine; quibus omnem sciendi modum, scientiasque ipsas intervertunt. Consulebar aliquando, ut hæc talia prosequerer. Sed verò horum nullus est finis, quia nullum principium; quarè ex præscripto modi sciendi prætermittendi magis sont. Quod adpræsens attinet, si in actibus ipsis, & objectis virtutum infusarum, & acquisitarum nulla est diversitas præter quamdam entitativam, & materialem, frustra sanè, & vanè infunderet nobis Deus, & donaret habitus virtutum infusarum. At infudit nobis eos Deus, & donat, ut concedunt; neque frustrà, & vanè infundit, & donat, ut patet. Ergo objecta, & actus utrarumque virtutum differunt plusqoam entitativè, & ex objectis, vel in modo aliquo perceptibili, & discernibili, ut supra de certitudine dicebamus, ad quam etiam, & ob quam doctrina revelata necessaria fuit. Major facti syllogismi patet illo principio, sed hoc etiam negabunt, quod potentia est propter actum: Ergo ubi sufficit potentia naturalis, frustra, & variè nobis infunditur, & donatur potentia supernaturalibus habituum virtutum infusarum. Et alioqui dici eodem modo posset vel nobis omnibus, utpotè elevatis ad finem supernaturalem, vel beatissimæ Virgini propter dignitatem personæ loco potentiarum naturalium, aut simul cum ipsis infundi ad idem alias supernaturales visivam, auditivam, olfactivam, nutritivam, non quibus alia, vel eadem elariùs cerneret, audiret, & solùm ea differentia interesset, quod alii actus essent entitativè naturales, alii supernaturales, & eliciti à principio supernaturali. Et sequitur etiam superfluitas, & redundantia utrarumque simul habituum, & potentiarum. Et præterea ut arguit in simili rectè Suarez, utrisque simul potentiis, & habitibus nobis ad idem prorsùs objectum, & medium prosequendum inexistentibus, planè liberum nobis non esset, quod aliis præ aliis uteremur, ergo nec quod naturaliter vel supernaturaliter operemur, sed esset in nobis quid casuale, & ex alio determinante: ergo nō esset in potestate hominis habentis habitus infusos, & gratiam actualem, & facientis, quod in se est mereri. Quæ, & similia egregie prosequitur Suarez tom. 1. de grat. lib. 2. cap. 11. disserens pro diversitate virtutum infusarum Theologalium, & multa ibi adducta probant etiam de moralibus, quæ videri possunt; nam longiùs ab scopo nostro morum distant: certè non tam de proximo eos respiciont.

Sed qood ex his sequitur, celebre illud Concilii Arausicani 2. & Tridentini de particula illa, *sicut oportet*, omittendum non est; & si enim Tridentino particularis de fide, spe, charitate, & pænitentia sit sermo, Arausicani tamen universalissima est definitio, nos sine gratia, neque credere, neque conari, laborare, vigilareve posse, *sicut oportet*, ad gratiam, vel fidem, vel gloriam consequendam. Sed in his exponendis, quod aliò spectat, alibique tractavimus, non hæreo; nam concedunt omnes, nos viribus solis naturæ, & sine gratia nihil prorsùs agere posse sicut opoctet, & prout oportet, ad gratiam, consequendam ideoque hæ particulæ, *sicut oportet, & pro ut oportet*, contra Pelagium, & semipelagianos salvæ sunt saltem quoad verba, & nomina.

Dupliciter vero ipsa significata dempta à quibusdam videtur. Nam alii ajunt, ipsos etiam naturales actus virtutum, modò fiant ab homine habente gratiam, fieri ex hoc solo, *sicut oportet*, reddique meritorios à gratia & dignitate operantis. Alii negant quidem, ipsos actus naturales fieri onquam, sicut oportet, reddive meritorios vitæ æternæ, at dicunt, alios actus entitativè supernaturales, per quod idem prorsùs amamos, & agimus, atque per poros naturales, fieri, *sicut oportet*, quia à gratia, principioque supernaturali peraguntur: & jejuno quidem in pane, & aqua, idemque per omnia objectum amo; si autem per naturale principium hoc amo, & ago: non sicut oportet, jejono: at jejuno, sicut oportet, si ex principio efficienti supernaturali id ipsum amo, & ago.

Uterque hic modus contra sensum naturalem est, & rem à Conciliis contra hæreses statutam auferre videtur, ut si loci id hujus esset, plurimis commonstrarent. Primus modus sectatores vix habet, & à multis fortissime revictus, trusùsque est. Perindè is mihi videtur, ac si diceres, Petrum, antequam Episcopus fiat non operari, conversarique, sicut oportet, & Episcopum deceret: hnnc deindè ipsum Episcopum creari, ac illa ipsa agere, eadem loqui, tractare; jam verò, eum operari, vivere, conversarique, sicut oportet, ipsam dignitatem Episcopalem, quæ subjecto inest, actiones illas, & conversationem moraliter significare, facereque, ut sit sicut oportet, & sicut Episcopum decet: quæ, & similia nugæ sunt, & nemo in rebus humanis vel proponeret quidem; certè à cordatis rideretur. Ergo si ego antequam justus sim, vel gratiam ullam habeam, jejuno, vigilo, laboro, oro, neque ista, sicot oportet, facio, & si postea gratia accedat, vel justus fiam, ipsa illa, & non aliter, neque plus agendo & volendo, non jejuno, non vigilo, non oro, sicut oportet.

Secun-

Secundus etiam modus perindè est, at si diceretur, me nunc quidem citharizare eodem prorsùs modo pulsando chordas, & eas movendo; demonstrare etiam iisdem eadem expressione, firmitateque sumptis principiis, eamdemque conclusionem eodem terminorum modo inferendo: neque tamen citharizare, ac demonstrare, sicut oportet, id est, non rectè cithatizare, neque demonstrare. At si hæc eadem ipsa eodem quoad cętera modo agam alio principio eliciente, neque aliam diversitatem præterquam entitativam istam à se dependentiam conferente, jam tunc benè, & rectè cirharizo, atque demonstro, & sicut oportet: & siquidem demonstrem eodem quoad cætera omnia modo, neque uno dempro jota, triangulum habete tres angulos æquales duobus rectis, si habitu mathematicæ concurrente, & eliciente; id agam, demonstro, & rectè, & benè demonstro; & sicut demonstrare oportet sin verò alioquopiam principio eliciente utar, jā omnia pessum eunt, & nescivi demonstrare, neque demonstravi, sicut oportet. Alio etiam exemplo modorum hoium ad communem, ac naturalem sensum repugnantiam olim in schola explicavi. Habeam ego duas mensuras auream alteram, & alteram ferream, utramque verò omnino, & æquè rectam, & æqualem: differt tamen utraque entitativè, quia altera autea est, & ferrea altera: & jam una, an altera pannum mensuro. Quis, oro, te, adeò sensus est, qui audeat dicere propter illam entitativam, differentiam, me non rectè mensurare, neque sicut oportet, mensurare, si mensura fetrea utor, & non tam benè mensurare, quam aurea. Nemo planè in rebus humanis tantopete desipit. Ergo si ego amore naturali, & supetnaturali eumdem Deum quoad omnia diligo, eademque pto ipso agere, & pati, ac eadem firmitate vi urriusliber amoris paratus æqualiter, ac promptus existam; & similiter si eamdem quoad omnia abstinentiam, ac eadem firmitate, delectabilirate, promptitudineque prosequor temperantia infusa, profectò absonum dictu est, propter entitativam differentiam me alio actu amare, sicut oportet, & alio non amare sicut oportet: & sic etiam jejunare.

Sed verò hoc ad omnem Pelagianam hæresim penitus effugiendam punctum essenrialissimum relinquere debeo plenissimè tractandum, & ex Augustino maximè nostro ostendendum illustrissimo Domino meo, ac pro sua erga me benignitare etiam amicissimo Domino D. Michaëli Perez olim in Academia complutensi celebratissimo ingenio, & Doctori; nunc verò Arcadiæ solum titulari Episcopo, inter Theologos verè Theologo, ac nulli, quem noverim, planè secundo. Ex eo, lector, quam primum disces naturæ lapsæ insufficientiam, & quomodo non solum eadem benè agete sine gratia supernaturali non possimus, & quasi vincere, sed neque pugnare quidem.

Certè omnia scripturæ loca, quibus Concilia, Augustinus, cæterique Patres contra Pelagianos, & reliquias usi sunt, *quid habes*; *quod non accepisti, sine me nihil potestis, sicut palmes, &c. non sumus sufficientes* &c. non entitativam illam, ac purè physicam differentiam probant; sed diversitatem ac superioritatem ipsorum actuum salutarium in se, ac in ipsa rationis virtutis, & actuum humanorum; atque hoc sensu à Conciliis, Patribusque sumpta, & intellecta sunt; quòd libentissimè, si propositi præsentis esset planè common stratem.

§. VI.

Prædicta virtutum differentia magis in specie declaratur, & confirmatur, indeque ostenditur, quantum inter philosophicismum, ac naturalicismum, atque christianismum intersit.

CHristianismi à philosophicismo, naturalicismoque differentiam, & diversitatem nemo non videt, habemus enim fidem, spem, & charitatem præter, & supra naturam omnem, atque Philosophiam, & in ipsa fide plurima mysteria, habemus etiam humilitatem, virginitatem, & pœnitentiam de cælo allatas, edoctasque virtutes. Hæc itaque extensiva virtutum augmenta ptætermittendo, de cæteris virtutibus moralibus, in quibus, cum Philosophis, naturalicismoque quodam modo communicamus, & dictum hactenùs est, & nunc magis in specie est dicendum, ut intelligatur, quæ sit vita christiana, innotescatque necessitas propositæ doctrinæ revelatæ, & scripturatum.

Videtur verò, in aliquibus saltem virtutibus nihil discriminis esse posse inter utrasque, ut in justitia, cùjus medium est medium tei, consistensque in indivisibili, præsertim in justitia commutativa; & sive christianus sit, sive gentilis, qui centum debet, non nisi centum ex justitia solvere potest, & si excedat, hoc ipso à justitia egreditur, & ad aliam virtutem transit. Hinc & ad hanc saltem virtutem sufficientissima est ratio naturalis; quod patet, quia juris civilis Conditores omnes fermè Gentiles sola ratione naturali illud ediderunt; & plerumque salrem sufficientissimum est, ac pauci demptis inter Christianos accipitur, & ex illo judicatur. Et confirmatur; quia excogirari non potest, in quo justitia infusa, & acquisita interesse possint quoad suum medium, & objectum: in qua proindè virtute instantur, quæcumque hactenùs differverimus.

Dato deindè, quod in aliquibus virtutibus, ut in tempetantia, fortitudineque ad aliquid amplius se extendant virtutes infusæ Christianorum; at iis objectis, in quibus, & ubi concurrunt, nihil distare videtur: ut cum quis aliquo actu temperantiæ non tendit ad redigendum corpus in servitutem, & ad hanc quasi extremam temperantiam, sed ad communem, & regularem non excedendi in cibo, & potu, & cenam v. g. prætermittit. Ergo sunt saltem multi actus utriusque temperantiæ, qui nec medio, nec objecto ullatenùs discrepent; quorum proindè differentia alia quam entitativa illa esse non possit, in fortitudine similiter, quamquam amplior forte sit fortitudo christiana, tamen actibus saltem quibusdam heroicis virtute solùm naturali peractis nihil deesse potest ad omnen hujus virtutis excellentiam, nisi ut summum, quod à principio supernaturali peracti non fuerint est enim omnium terribilium terribilissimum mors; multi autem naturali fortitudine promptè, constanterque pto Patria mortem obierunt: nec virtute infusa in simili saltem opere aut efficitur plus, aut amatur plus aut major ulla promptitudo, constantiave superest, atque ita in aliis. Ergo dicendum

est, vel præterquam indignitate personæ operantis, aut entitativa actuum differentia non differre utrasque virtutes; vel saltem in quamplurimis suis actibus non plus differre; & si interea virtutibus infusis amplior quidam agendi campus, aliaque exercitia concedantur. Atque conferre huc poterunt subtilissimas illas Senecæ, Plutarchi, aliorumque Philosophorum de virtutibus, de mundi contemptu, de similibusque sententias; quibus nihil altius, & sublimius doctrina revelata, & scripturæ Dei docere nos videntur. Ergo sufficit doctrina naturalis, nec interest ea, quam posuimus, utrarumque virtutum differentia: etsi pergere placeat, ex his forsitam Philosophus irrideat has nostras, & christianorum virtutes infusas: magis autem, opinor, irridebit, si universam hanc virtutum infusarum supellectibilem ad hoc unum requiramus, non quidem, ut alia, & aliter, aut majora efficiamus, sed ut physicè entitative differant.

Dictisque itaque est insistendum, & nunc in specie tenendum, quod universim dictum est, utrasque has virtutes morales, scilicet infusas, & christianorum differre in omni, & quolibet actu suo quoad aliquid objecti, & quoad alia propria actuum in esse virtutis: qua una de re ex solo Paulo, & Augustino longissima quæstio impleri fanè posset: modo tamen aliqua in reliquorum specimen, dictorumque majorem charitatem, atque confirmationem brevissimè perstringemus.

Scribit ergo ad Thess. 1. c. 4. scitum illud Paulus Apostolus: *Nolumus autem, fratres, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus*, &c. Ubi resurrectionem nostram, ingerit, & dicit, *& sic semper cum Domino erimus*: & concludit: *itaque consolamini invicem in verbis istis.* Nuspiam planè gentium, & nullibi Philosophorum, qui tanta subtilissimè de morte scripserunt, invenitur, inveniturve solatium in morte charorum, huic Apostolico æquale, quodq; ex certissima fide resurrectionis convictusque æterni inter bonos futuri tristitiam minuerit.

Hoc dictum Apostoli concludens est, & eò magis ad præsens pertinet, quo clausula ipsa collativa, & particula *sicut* utitur. Non igitur oportebat sic contristari, & tantum contristati eos, qui spem habent; sicut cæteros, qui non habent: ipsique modo, & quantitati tristitiæ aliam formam, & mensuram imponit fides, ac spes christiana de resurrectione, ac societate æterna futura cum eis ipsis, ob quorum mortem tristamur: & aliam omninò formam, mensuramque præscribit ratio naturalis ea fide, speque non taxans; ut patet de se, & in ipsis naturalibus; nam aliter tristatur mater de filio, qui rediturus abit; aliter si rediturus non sit, aut moritur. Jure vero Apostolus in solatium non solam fidem resurrectionis assumit, sed spem, qua speramus, nos cum Domino semper futuros, convictur osque cum iis ipsis, de quorum morte tristamur.

Hoc porrò, quod de tristitia dicit Apostolus, de omnibus omninò virtutibus eodem jure edicere potuit, & retento sensu liceat gratia brevitatis elocutionem tantisper mutare: edicere, inquã, potuit: fratres, nolumus vos vivere, sicut & cæteri, qui spem non habent: fratres, nolumus vos loqui, nolumus vos conversari; thesaurizare; sicut & cæteri, qui spem non habent: fratres, nolumus vos comedere, & vivere, jejunare; sicut & cætti qui spem non habent: nec item tentationibus contra unamque virtutem; sicut illos resistere, sed grandius; rursus etiam, o sorores, nolumus vos ea prophanitate vestiri, sicut cæteræ, quæ spem non habent: de quo puncto plura lib. 4. dicentur. Etenim hæc omnia eodem jure, eademque fidei nostræ, & spei consequentia postulare potuit, & inferre Apostolus. Idcircò Dominus in Evangelio, ut eo lib. 4. dicetur, distinxit omninò, ac alios esse voluit mores nostros, & vitam, etiam in bonis à moribus, vitaque gentilium; atque hoc insufficiens, diminutumque existimavit; ideoque arguere solet, *hoc enim gentes faciunt; hoc & Ethnici faciunt*: ergo regula virtutum gentilium etiam in bonis tam universim, quam in singulis diminuta est & differt à regula christianorum. Neque mirum; quia justitia scribarum, & Pharisæorum superioris regulæ erat, quam justitia Gentium. Si ergo dixit, nisi abundaverit justitia vestra, plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum; quia scilicet ipse legem implevit, & ad majorem perfectionem deduxit, quantò minùs intrabimus, si justitia nostra, ac proindè virtutes singulæ sub ea clausæ non abundaverint plusquam Gentilium suo modo bonorum.

Quoniam verò tentationes contra singulas virtutes contingunt, in hac maximè materia rem declaremus. Dicebam nuper, Paulum, quo jure dixit, fratres, nolumus, vos ignorare, ut non contristemini, &c. Dicere potuisse, nolumus vos tentationibus resistere, sicut cæteri, qui spem non habent, sed fortius simius, & diuturniùs. Scilicet negari videtur non posse, eum, qui firmiter credit. se propter peccatum mortale æternæ beatitudinis jus omne amittere, exponereque se, quantum ex ipso est, æternæ condemnationi, qua cum Diabolo, & Angelis ejus sempiterno igne ardeat, ad majorem mensuram intentionis, promptitudinis, extensionisque, & constantiæ obligari, quam eum, qui nihil credit, aut sperat, vel timet, aut quoquo modo ex dictis quibusdam Poëtarum imperfectissimè suspicatur. At in primis virtutes singulæ sufficientes de se, & ex sua specie sunt ad tentationes contra se insurgentes modo sibi debito, & commensurato evincendas. Ergo singulæ virtutes infusæ in propria materia sufficientes virtutes sunt, etsi juberi etiam ab aliis possint, ad resistendum tentationibus in ea superiore mensura firmitatis, promptitudinis, & constantiæ; & quandò oratione, & majori auxilio opus est, ad hoc etiam movent. Rursùs quia fides illa, ac spes, & timor æternæ beatitudinis, vel condemnationis, sicut aliam mensuram imponunt quantitati, & modo resistentiarum, sic etiam aliam mensuram imponunt quantitati, & modo affectus, & adhæsionis ad ipsum bonum, & honestatem virtutum, ut identitate rationis patet; & etiam quia fuga, & aversio à malis, & à contrariis est, ut ex libris Polit. constat, cives facere non malos; sed facere bonos; & ita etiam lex nostra est declinare à malo, & facere bonum, & hic est finis. Ergo virtutes infusæ singulæ differunt ab acquisitis hasque excedunt in ipsa quantitate, & modo affectus, & ad hæsionis ad bonum suum; honestatemque specialem. Hoc porrò est quidpiam pertinens ad ipsam formalem rationem virtutis in esse virtutis, nam ut non ut ex christianis, sed ex alienis

probe-

probemus, patet ex 2. Eth. ad operandum non solum bona, & justa, sed etiam benè, & justè, requiri ut eligens firmo, ac immobili animo agat. Ex quo deindè & illæ proprietates virtuosa virtuosè,& ex virture operantium nascuntur; ut scilicet prompte, & delectabiliter operemur: nam operamur juxta inclinationem, scilicet juxta virtutem, quæ inclinatio est; quod profectò est delectabile. Quò ergo major est quantitas resistentiarum debitarum, eò est major mensura debita virtutum, quoad affectum, & adhæsionem: & quò affectus, & adhæsio est major, eò firmiori, immobiliorique animo eo item promptiùs, & delectabiliùs operamur. Ergo meliùs, virtuosius,& honestius. Hinc est illud Gersonis, Deum non tam amarorem esse verborum, quam adverbiorum; nec enim tam quid agamus, respicit, quam quomodo, quoq; affectu agamus, & potioni aquę frigidæ debite donatæ promissum est regnum cælorum.

Hinc etiam in humanis, & naturalibus virtutibus potissimum est, quod fit, in infusis autem, & christianis quomodo, & qua voluntate, animoq; fit: & quod summorum artificum est, in materia etiam minima egregia opera edunt, ut in calice aquæ frigidæ modo dicebamus; & aliquando etiã in nulla, quando factum impedit necessitas, neq; tam res, quam affectus pensamus, & ponimus pauperes spiritu cum multis divitiis, & è contra; atque ita in aliis. Undè rursus virtutes naturales maximè se habent ad extra; infusæ verò, & christianæ maximè ad intra: in quo imitantur modũ perfectissimũ operationum Dei: ac proindè omnis etiam gloria nostra ab intus; & pro minimo nobis est judicari ab humano die, aut ab alio judice quantocumque, sed noster, nostriq; ordinis judex proprius, & competens est solus Deus, qui intuetur cor, ac scrutatur renes, & corda. Quatè quasi ex toto diversus est christianismus à naturalicismo, & philosophismo: qui morbus in diverso modo ipsarum utriusq; ordinis virtutũ consistit.

Ut porrò diversam istam mensuram affectuum, & quoad affectus magis innotescat, constetq;, quã diversè nos haberi oporteat non solũ erga virtutes ipsas affectivè, & circa cõtraria aversivè, sed etiam erga eas res, quas res, quas amare, curareq; obligamur, taxatio nostrarum virtutum est, ut ementes sint tanquam non ementes, & sic etiam vendentes, & possidẽtes, & qui uxores habent tanquã nõ habentes *utuntur hoc modo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Quę sanè doctrina est universalissima, & res omnes, & materias virtutũ in singulis, & in omnibus complectitur; atq; in omnibus, & singulis diversitatem ponit. Circa multa, & circa empta, & vendita, & possessa, & patrimonia affectum diminuit: in aliis non diminuit, sed diversificat; uam viri christiani uon minus; sed magis diligere debent uxores suas, qui scilicet jussi sunt eas diligere, sicut Christus Ecclesiam, quam sanguine suo fundavit, id est, ad instar hujus amoris; quod profectò altius quidpiam est, & alterius omninò ordinis à dilectione, quam ratio naturalis, ac Philosophia præscribere conjugatis possit: undè & matrimonium Dominus in Sacramentum evexit, & vires, & gratiam confert; & ad multo plura pro uxoribus agenda, compatienda, sufferenda, & ad fidem conjugalem firmiùs servandam tenentur viri christiani, quam cæteri. Amor itaque præscriptus est quidem major, fortior, constantior, magisque activus, & passivus.

Est tamen diversus, & alter quasi carnalis, & alter spiritualis: ac pro sua diversitate diversa etiam ea sunt, quæ uxoribus per utrumq; amorem maximè appetuntur: alter quasi fruitur uxore, & vix omninò non fruitur; alter bonis hujus mundi potissimum intendit; alter primùm spiritualibus: alter vix de Deo cogitare cogit; alter virum saltem dividit inter Deum, & uxorem, & divisum esse facit, vel sinit: odii etiam spiritualis, & gladii divisivi Salvatoris capax est alter: at alter de his nescit, quæ sunt, quasi alterius mundi. Patet ergo, ut in amore conjugum exposuimus, diversæ rationis esse affectus virtutum infusarum circa sua objecta à virtutibus naturalibus, & in aliquibus quantitatem esse majorem, in aliquibus minorem, sed semper diversam.

Hæc universim probavit Apostolus ea causali, præterit enim figura hujus mundi. Sed objici potest, gentilibus etiam, & ex sola ratione naturali viventibus, indeque virtutes suas regulantibus, & taxantibus præterire figuram hujus mundi; neque enim ipsis quasi manifit, hoc tamen ipsi ignorant; sed norunt, & videntur; atq; ex hoc ipso multa subtilia pro rerum mundi omnium contemptu philosophati sunt, pulcherrimasque sententias quasi margaritas intexuerunt.

Verùm hæc omnia vanissima sunt, & ad convertenda corda hominum insufficientissima; & ad hoc sanè quantum interest inter Paulum Apostolum, & Senecam Philosophum, tantum interest inter naturalicismum, & christianismum, & utriusque virtutes. Aliter itaque nobis credentibus, ac spem habentibus; aliter cæteris figura hujus mundi præterit, atque inter utrumq; distat, quantum fermè somnum inter, & mortem: ac ideò aptè justorum mors somnus, dormitio appellatur, ac morientes; dormientes; est enim spem habentibus mors instar somnii temporalis, & nova vita æterna per resurrectionem succedit; ideò non fuco verborum, sed verè mors victa fuit à salvatore. Idcircò etiam propriissimè viatores sumus, & vocamur, morsque nobis transitus est ad Patriam. Hi ergo, quibus sic præterit figura hujus mundi, tenentur ea moderatione quoad res, & affectum mundo uti, quam Paulus præscribit: cæteri non ita; quin problema manet, utrum quia ita citò mundus præterit, eò magis, & celeriùs, & inteosius mundo perfruendum sit, quia nihil postea saltem certum fruendum superest juxta eam illorũ illationem; *comedamus, & bibamus; cras enim moriemur*; utrum è contra mundi omnia tanquam tam tacitò transitura contemnere, omittereq; magis oporteat: & haud dubiè prima pars multò plures habuit, habebitque sectatores, & Philosophi utraque philosophati sunt.

Ex hoc porrò alia diversitas sumitur virtutum nostrarum præter eas, quæ de diverso modo, ac mensura affectuum dictæ, & explicatæ sunt, nam sequitur etiam diversitas circa medium ipsum objectum, de quo superius dictum fuit, & nunc magis est exponendum. Diximus scilicet, hoc medium virtutum nostrarum, & christianorum esse proportionatum, commensuratumq;, vel cõmensurabile fini nostro, qui cum mensura sit, ac major, & altior, ita etiam medium superiùs, majusq; esse oportet, sicut diximus: transmisimus autem virtutes ipsas actu non proportione, cõmensurareq; honestatem, quam prosequuntur, fini illi, & mensuræ. Nunc hoc est magis explicandum,

& restringendum : nam ex argumento Pauli sequitur, nos in rebua, & affectibua omnibus gerere nosmet debere tanquam quibus prætetit figura hujus mundi ad transeundem in alium mundum ; quippè non habemus civitatem permanentem, sed futuram inquirimus. Si enim unius cujuspiam solius virtutis esset ista consideratio, non autem omnium, & singularum, ubi quidem eam virtutem exerceremua, oporteret geri noa, tamquam transeuntes, & viatores, quibua figura ista præterit; non autem in cæteria virtutibus, de quarum consideratione res ista non est. At Paulus de omnibus rebus, & affectibus concludit, ponitque emptionea, & venditiones, & possessa omnia, & uxorea; ac demùm volens omnia compleri, adjecit, & *qui utuntur hoc mundo, tanquam non utuntur.* Omnes ergo, & actua; virtutes, & objecta comprehendit. Ergo omnium virtutum propria est ista consideratio.

Sin verò dicamus, virtutea infusaa omnes, & singulas ordinare actu sua specialia objecta ad finem, in primis contra experientiam loqui videbimut ; ac prætereà confundere virtutes tam inter se, quam cum charitate ; cujua scilicet tanquam virtutia Architectonicæ est cæteraa virtutes speciales tum movere, tum in ultimum finem ordinare, nt S. Thomaa declârat. Ergo de ratione, & consideratione cæterarum virtutum non est, ut eis res omnes ad ipsas pertinentes prosequamur tanquam bomines, quibua præterit figuta hujus mundi, & sic transitua fuit ad Pattiam, quodque sub hac relatione, respectu, & taxatione medium vitium respiciamus, capiapiamusque.

Nihilominus santentia communis Theologorum est, quam S. Thomaa 1. 2. quæst. 1. art. 6. demonstrasse videtur, non omnia, quæ appetimus, sanè appetere propter ultimum finem: quod propositi nostri non est in præsentia discutere. Verum ex hoc constar, nos in nullum absurdum, sed potiùs in verissimam quamdam doctrinam discursibus factis incidisse : quod enim sententia ista ponit in omni nostro actu relativè ad ultimum finem quasi in genere, hoc noa damna omnibus actibus virtutum infusarum relativè ad ultimum fioem determinatum, & verum, & nobia revelatum. Et ipsa theologissima elocutio Apostoli, *& qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur*, rem declarat, & confirmat : aliter ad ipsas tanquam fruendas ; & primo modo tanquam media, secundo modo tanquam finea appetuntur. Vel ergo virtutibua infusis prosequimur res, & objecta tamquam fruenda, & tunc peccaremua, contrariumque Paulua supposuit; vel prosequimur tanquam utenda, & tanquam media? ergo ut utilia : at non tanquam utilia in aliquem alium finem ; nam tunc rursùs peccaremus : ergo tanquam utilia, & proportionata, commensuratoque vero nostro fini, id est, credentium, & christianorum proprio, & altissimo. Et nisi boc modo virtutibus utamur; neque virtuosè, neque modo proprio christianorum operamur.

Hæc diversitas modi tendendi in res tanquam utendas, vel fruendas ; & tanquam in media, vel finem multipliciter exponi posset, si ad hunc locum pertineret. Olim in schola rem inter alia explicabam exemplo S. Thomæ eo art. 6. ad 3. ubi dicit, necesse non esse, nt quis semper cogitet de ultimo fine, sed remanere in quolibet actu virtutem primæ intentionia de fine: *sicut non oportet*, inquit, *quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine* : quod exemplum eo est aptius, quò sub omnium experimentum cadit, & rei nostræ, siquidem viatores propriè sumua, apprimè congruit. Confabulamur sæpè in via; sæpè etiā disputamus; sæpè res nobia charissimas impensissimè mente versamur; neque fieri posse videtur, ut tunc super noa de Matrito : quo imus, cogitemus; ea tamen cura continuè subest, scilicet eundi, & si non instat, celerius pergendi. Quod verò instituri magia nostri est, si hospitium contingat valdè incommodum, & vile, sicut libri spirituales ponderant, non ita tristamur, sicut si ibi remansuri essemus : si verò quis iret Regnum acceptutus, labores viæ omnes etiam maximoa vix ullos arbitraretur : & sic Paulus, qui benè intellexerat quid, quantumque esset Christum lucrifacere, omnia arbitrabatur stercora, ut Christum lucrifaceret : de omnibua item iis, & tantis, quæ passus fuit, existimavit momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ, & suæ æternum gloriæ pondus operari in nobis, & in se.

Hoc ergo iterfacientium exemplo cernitur, opus non esse, ut actibus quibusque virtutum infusarum noa semper, & actu in ultimum finem feramur; sed virtute solum primæ intentionis, & sicut is, *qui vadit per viam:* undè nulla confusio sequitur nec virtutum ipsarum in se, neque cum charitate. Cernitur item longè aliter accipi, & respici bona, & mala hujus mundi ab eis, qui virtutibus illis tanquam viatores tendunt in patriam, etsi patriam non semper actu, & expressè mente recogitent ad quemcumque actum; sed *sicut qui vadit per viam*. Cernitur etiam, potentiorem quem reddi à virtute qualibet infusa, quam ab acquisita, ad agendum, & patiendum plura in propria materia : *sicut qui vadit per viam* ad accipiendum Regnum. Undè demùm cernitur, superius esse medium, & multò plura agenda, & patienda complectens, medium virtutum infusarum, quam acquisitarum, & naturalium. Atque bic cogimur sermonem his de rebus abrumpere; & plurima vel in uno Augustino de civit. Dei prætermittere. Atque multa in hunc scopum confert S. Thomaa 1. 2. quæst. 18. art. 2. & quæst. 12. art. 4. & alias.

Ex bis porrò quasi præcipitanter ad ea respondemus, quæ bujua 3. principio objiciebantur. Dicebant, saltem de justitia præsertim commutativa satis, & rectè determinatum esse à jure civili per solam rationem naturalem. Nam in primis in aliquibus erratum fuit, nt in usuris; quæ ab Ecclesia improbata sunt. Deindè distinguendum est *tò satis, & rectè*; satis scilicet, ac rectè determinatum est, quantum ad humanam politiam, & convictum, civiumque temporalem felicitatem spectat : prorsus verò diminutè, & defectuosè, quantum sumus cives sanctorum, & domestici Dei, tamquam peregrinantes à Domino, ac viarores manentem illam aliam civitatem, regnumque inquirimus. Quod punctum, & diversitas facilè denuò in specie ex Deuter. Evangelio, Epistolisque Pauli ostendi posset. Nihil in primis de justitiis & injustitiis ad intra determinat jus civile : quas tamen maximè respiciunt

ciunt leges nostræ; & siquidem Dominus ad implevit legem ipsam suam datam per Moysam, quantò magia lege Cæsarum. Quoad exteriora etiam multò majora præscribit lex Evangelii; omnes emptiones, & venditiones, contractusque nostri debent esse commensurati, & compatibiles cum dilectione fraterna, quâ diligamus proximos tanquam nosmet ipsos; quæ taxatio valdè jus omne civile excedit. Sic etiam nobis haud licet debitores opprimere, & vexare, sicut gentilea; ut ex Deuter. constat nec item judicio instar eorum contendere, sed multò aliter, ut Apostolus denunciat: indè etiam legales fraudes, ac multa in litibus occurrentia, quibus proximos circumvenimoa, à jure Cæsarum prætermissa à lege christiana improbantur, & mulctanrut: de quibus omnibus, & singulis multa, ut dixi, adduci in specie possont ex doctrina revelata; cujus ad singula necessitatem vel hoc ipsum demonstras. Undè forum interina, & exterius non ita differunt, ut qoibusdam inconsideratissimè visum est, ut interius quidem laxius, exterius autem strictius sit, sed contra; ac multo plura, & majora lex christianorum, & conscientiæ injungit, aliqua consulendo, alia etiam jubendo, sicut in aliis materiis, sic etiam in ipsa justitia: atque hanc legis christianæ majorem perfectionem, puritatem, & quæ ex hoc nascitur, difficultatem supposuerunt tamquam rem mundo notoriam: quotquot pro religione nostra disputarunt. Undè denoò constat virtutum nostratum altitudo, & diversitas: nam Deus gloriosus nobis confert vires, ac virtutes legi suæ proportionatas: at lex christianorum in unaquaque materia est altior, purior, ac difficilior. Virtutes ergo eorum propriæ, scilicet infusæ sunt altiores, potiores, ac potentiores.

De actibus heroicis Gentilium nihil opus est, ut dicamus: nam nobis etiam tacentibus libri loquuntur, & absurdum potius est facta illa conferre velle cum martyriis Christianorum. Ex jam dictis multæ differentiæ constant: illa omninò omittenda non est, sed insinuanda, quam S. Thomas, & alii subtilissimè declarant, fortitudinem, ad quam virtutem facta hæc heroica in specie sua pertinent, principaliter non in aggrediendo terribilia, sed in sufferendo sitam esse; quia quæ aggredimur ipsi, voluntaria nobis sunt, & eò minus difficilia; quæ autem purè patimur, involuntaria; undè fortitudo martyrum nostrorum omnium maxima, gloriosiorque extitit. Atque uno verbo, quas commensurationes sæpè usurpamus, fortitudo christianorum commensurata est charitati. Jam ergo omnis Philosophia cum suis virtutibus sileat; viri fortes pro patria terribilia omnia passi sint: quis tamen usquam cogitavit, pro fratibus quoque, id est, pro proximis etiam inimicis ponendam esse animam, ut nostræ gentis conditor, & legislator, ac ductor & posuit ipse, & suos ad idem hortatur: *quoniam cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est* ad Rom. 5. *vix enim pro justo quis moritur*; & 1. Joan. 3. *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hùc usque elevata, exaltataq; est charitas christianorum; & charitati matri suæ proportionata est etiam fortitudo ipsorum. Agnoscamus, oro te, dignitatem nostram, neque nosmet, & legem nostram; & virtutes cum Gentilibus, eorumque degeneri vilitate commisceamus nos ipsi, atque confundamus. Obtrudi hic, & forsitam apparentiùs possent Pseudomartyres quidam hæreticorum, & Judæorum: quorum proindè fortitudo conferri queat cum fortitudine Martyrum. Sed jam Theologi, nosque alias cum illis declaravimus, eorum fidem non esse divinam, sed differre objecto; atque ex eodem sumenda etiam diversitas objectorum fortitudinis veræ Martyrum, & solùm existimata Pseudomartyrum, est etiam fortior, & potentior fortitudo illa vera tum quia plura sufferre potest; tum quia falsa sufferre solum potest per accidens propter errorem, & ignorantiam: & errore ablato cessat. Et postremò ut in existimata eorum fide immiscetur motivum aliquod illegitimum, & spurium, nec accipiunt verbum Dei, ut verè est, tamquam verbum Dei; sic etiam in ipsorum fortitudine, & patientia spurium aliquid, ac vitiosum commiscetur, & vitiis magis, quam virtute fortes quoquo modo fiunt; ut Romani etiam aliis vitiis, maximè amore gloriæ in alia vitia pugnarunt: sicut avarus avaritia sua in luxuriam pugnat. Verissima quippè est illa Concil. Arauf. 2. can. 17. sententia: *fortitudinem gentilium humana cupiditas; fortitudinem Christianorum Dei charitas facit.*

§. VII.

Ex circumstantiis actuum humanorum eadem altitudo, & præstantia Christianismi, ac virtutum infusarum magis illustratur.

TRactat de circumstantiis actuum humanorum S. Thomas 1. 2. quæst. 7. & earum quidditatem, & quomodo ad Theologi considerationem pertineant; quod item, & quænam sint; & quæ earum potissima sit, sapientissimè declarat. Rursus verò quæst. 18. art. 3. docet, & probat, quomodo actiones hominum de cætero bonæ ex mala circumstantia malæ fiant. Ac denique quæst. 28, art. 10. & 11. exponit, ubi, & quandò circumstantiæ novam etiam speciem malitiæ actibus nostris conferant, vel non conferant.

Cum itaque, ut Doctor statuit, ad Theologum pertineat consideratio circumstantiarum, quæ non omninò per accidens, sed per se actibus nostris convenire solent, instituti nostri esse existimavi in præsentia brevissimè quærere, quod alii plenius prosequantur, utrum circumstantiæ actuum humanorum christianorum sint eædem cum circumstantiis actuum humanorum hominum, & sic in genere? an potius, quia ut dixi, in altiorem finem ordinati sumus, actiones humanæ vel solum Christianorum, vel etiam omniũ absolutè possint de facto esse malæ, quamquam non malæ, sed bonæ futuræ essent, si non in hunc finem, sed alium vocati, ordinatique fuissemus.

Septem esse circunstantias ponit S. Doctor ex Tullio, quas omnes accipiunt, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*: quæ nisi serventur, & si bonum quidpiam agamus, haud tamen operamur virtuosè, & sicut oportet, ut ex 3. Ethicor. ecce quam longè à vero absunt illi, qui illud Conciliorum *sicut oportet* per entitativas

differentias exponere, vel magis confundere nituntur. Inter omnea porrò circumſtantias principalior eſt circumſtantia *cur*, vel *propter quid*.

Eſt igitur Chriſtianismus profeſſio quædam jam accipientium per fidem finem verum noſtrum altiſſimum, de quo dictum eſt, tendentiumque in illum ſaltem jure omiſſis autem reliquis, qui etiam in hunc ipſum finem vocati, ordinatique ſunt, accipio chriſtianum; quæ ratio chriſtiani profectò aliquid, & multum quidem ponit ſuprà hominem; ſicut Eccleſiaſticus aliquid ſupra Chriſtianum; & religioſus ſuprà Eccleſiaſticum Chriſtianum; & Epiſcopus ſuprà Eccleſiaſticum, & religioſum; quia religio ſpecialiter ſchola perfectionis eſt; Epiſcopatus autem ſtatus perfectionis.

Præterò nunc cæteras omnes circumſtantias, & ſolùm accipio has tres, *quis*, *quid*, & *cur*, ſeu *propter quid*; Et aſſero, has tres circunſtantias eſſe diverſas in homine chriſtiano, & actum de cætero bonum hominis Chriſtiani poſſe eſſe malum ex defectu alicujus horum circumſtantiarum? qui vel in homine non Chriſtiano, vel ſaltem ad noſtrum finem non vocaro malus non foret.

Primum probo ratione, qua S. Thomas qu. 7. art. 2. probat, conſiderationem circumſtantiarum ad Theologum pertinere, & arguit ex circumſtantia vel quid, vel propter quid, vel utraque potius involvitur. *Quia Theologus*, inquit, *conſiderat actus humanos, ſecundum quod per eos homo ad beatitudinem ordinatur* (ad noſtram utique, & veram.) *Omne autem, quod ordinatur ad finem, oportet eſſe proportionatum fini: actus autem proportionantur fini ſecundum commenſurationem quamdam, quæ fit per debitas circumſtantias: unde conſideratio circumſtantiarum ad Theologum pertinet.* Hæc Doctor; quem reprehendere quidã, ſi placet poſſunt, quod eadẽ principia toties ſumat, & inculcet: quod hi cenſores vitioſam repetitionem in aliis dicere ſolent. Sed ſanè iſta eſt profectò ſcribentium ſumma conneхione, nec procul à primis principiis diſcedentium inſtar ipſorum; eodemque modo Paulum Apoſtolum reprehendere poſſunt, qui pauciſſimis principiis ſemper inculcatis totam quantam divinam ſuam doctrinam ſtatuit: cujus ſcribendi generis præſtantiam multis oſtendere poſſemus.

Sed ad rem. Ex circumſtantia *propter quid*, ſeu finis diligit diverſitarem circumſtantiæ *quid*; nam ut multiplicirer ſuprà probavimus, quid mediorum debet eſſe proportionatum fini, quod fit perquam commenſurationem circumſtantiarum: ergo diverſæ circumſtantiæ *cur*, ſeu *propter quid* correſpondet diverſa circumſtantia *quid*: ſed cur, & propter quid hominis chriſtiani valdè differunt, & diſtant; ergo quid hominis, & quid hominis chriſtiani valdè diſtant, & ſunt diverſa. Non ergo ſufficit ad bonitatem actus hominis chriſtiani videre quomodolibet, quid agat, ſed præterea hoc *quid* debet eſſe proportionatum circumſtantiæ *cur*, ſeu *propter quid*; & contingere poteſt loquendo de homine non ordinato ad noſtrum finem, ut quid hominis ſit bonum, & pro homine chriſtiano ſit malum propter defectum. Declaro exemplo: ſcopis ſolùm verrebat quidam non nimium accurate: S. Pater Ignatius, qui præſens tunc fortè aderat, quæſivit ab eo, propter quid, ſeu propter quem ſolùm verteret, Propter Deum, inquit ille. Tunc ſapientiſſimus Pater: ferri ſanè poſſet, ſi propter me, vel alium hoc operis exerceres: at quod propter Deum hoc agas, & agas tamen ita, non laudem, ſed pœnam magis meretur. Exemplum propius probat diverſitatem circunſtantiæ, *quomodo*: ſed eodem modo probat etiam de *quid*, nec idem quid pro civitate, & pro Regno, & pro Deo agendum eſt.

Rursùs probatur; nam diverſa circunſtantia *quis* petit diverſam circunſtantiam *quid*, & utraque inter ſe coordinanda eſt, & proportionanda; Hoc patet in officiis, & actibus: diverſa circunſtantia *quis* in homine, ſeu hominis eſt eſſe nobilem, vel plebejum, & inter nobiles rursùs ſunt ſui gradus diverſi, & quaſi ſummus eſt, quia Rex ſit, vel Imperator. Profectò quoad humanam politiam quid plebeji, & nobilis eſt valdè diverſum: & ſimiliter quid nobilis, & quid proceris, & quid Regis in agendo, in loquendo, donando, accipiendo, &c. Sic etiam valdè diverſum eſt quid ſolum chriſtiani, & quid chriſtiani Eccleſiaſtici, & rursùs Eccleſiaſtici religioſi, vel Epiſcopi; atque diverſitas circunſtantiæ *quis* ſæpè facit, ut idem quid ſit bonum in uno; ſit autem malum in alio. Ergo diverſa circunſtantia *quis* requirit, & petit diverſam circunſtantiam *quid*.

At profeſſio chriſtiana, & hæc quaſi qualitas Chriſtianiſmi multo magis, quam in hic tactis exemplis, diverſificat circumſtantiam quis. Ergo profeſſio Chriſtiana, & hæc quaſi qualitas chriſtianismi petit, & requirit valdè diverſum *quid* in agendo, in loquendo, patiendo, compatiendo, &c. Niſi Conſilium eſſet iſta magis ſignificandi, quam proſequendi, facilè ſubſumptam minorem multis ſcripturis, Patribus, rationibusque latè ſtabiliremus: Paulus ad Epheſios cap. 4. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione veſtra cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate*, &c. ex vocationis ſcilicet, & profeſſionis magnitudine cætera illa infert: & 1. ad Phil ip. 2. *teſtificati ſumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos in ſuum Regnum, & gloriam*: quod genus plurima ſuppetunt; quibus & major propoſitio, quam præmiſimus, & minor, quam ſubſumpſimus, & conſequentia etiam ipſa ſimul probentur; atque lib. 4. aliqua latiùs proſequemur, ubi probabimus chriſtianos omnes teneri ſub gravi ad ſtudium perfectionis proprii ſtatus, & prorsùs abſurdè ſæculares hanccutam ad ſolos Monachos rejicere. Ibi itaque proſequemur, & ſtatuemus circunſtantiam, & hanc quaſi qualitatem chriſtiani plus diſtare ab homine ſic ſolum conſiderato, quam circunſtantia religioſi etiam Carthuſiani diſtet à chriſtiano. Ergo profeſſio chriſtiana, & hæc quaſi qualitas chriſtianismi multò plus, quam in attactis illis exemplis diverſificat circumſtantiam *quis*, quantum ſcilicet, ut ex Paulo loquar, vocarus à Deo in ſuum Regnum, & gloriam differt à vocato, ut loquar ita, ad patrocinium, vel ad nugas. Et confirmo, quia chriſtianismus diverſificat valdè circumſtantiam *quomodò*; & tenemur ad ſerviendum diligentiùs, & intenſiùs, quam ſi ad tantam gloriam, & regnum, ac in admirabile lumen ſuum tranſlati non eſſemus. Ergo etiam valdè diverſificat circumſtantiam *quis*; Ergo & circumſtantiam

tiam *quid*. Iterum quia ut eo libro tractabimus, circumſtantia chriſtianiſmi graviora facit cæteris paribus chriſtianorum peccata, quam paganorum, vel aliorum, ut Salvianus inter alios fusè probat. Ergo chriſtianiſmus diverſificat circumſtantiam *quis*: alioqui aggravare peccata non poſſet. Ergo etiam diverſificat circunſtantiam *quid*.

Circunſtant itaque nos chriſtianos molta objecta, & motiva ingentiſſima, quæ & nos ſuprà Paganos, & quoscumque alios, ac ſupra naturam totam extollant, in alio quaſi mundo conſtituant: ad quæ omnia vel expreſſiùs, vel latentiùs reſpectivnm eſt hoc nomen *Chriſtianus*, & res ſignificata. Præſefert enim primùm expreſſiſſimè Chriſtum, id eſt, Dei filium Deum pro nobis hominem factum, illuſum etiam, atque crucifixum: hunc rursùs ipſum Salvatorem noſtrum, viam, & Ductorem, & Magiſtrum: atque vel hoc uno chriſtianus diſtat à non chriſtiano ſupra omnem proportionem. Præſefert deindè & vitam reliquam, ac cæleſtem doctrinam Salvatoris. Rursùs etiam refert erga nos maximè catholicos immenſam Dei miſericordiam in ſacramentis, in gratia, in virtutibus, rebusque aliis, quibus & boni eſſe poſſimus, omnibus in immenſum præſtamus. Denuò infernus, judicium, æterna gloria, atque alia, quæ non modò gentium inſtar inter fabulas hallucinamur, ſed certiſſima fide credimus. Ad hæc tot tanta ad movendum nos tam ingentia reſpectivum eſt hoc nomen, *chriſtianus*, ac res etiam ſignificata. Ea porrò omnia conferunt ad circumſtantiam *quis* hominis chriſtiani. Ergo hæc circunſtantia eſt valdè diverſa; Diverſæ etiam reliquæ, ut pote coordinatæ, & proportionatæ inter ſe.

Hinc verò ſequuntur multa, ea quibns pauca breviſſimè inſinuabo. Primùm Theologi non eſſe operationes noſtras, vel omiſſiones, vel affectus, & voluntates conſiderare ſolùm ſecundum ſe; ſed conſiderare etiam debet, ut S. Thomas ſtatuebat, proportionem cum fine ſecundum quandam commenſurationem, quæ fit per debitas circumſtantias; ex quarum defectu, & improportione actio ſecundum ſe, etiam bona fier mala, ut liquet ex ea quæſt. 18. art. 3. Secundo ſeqnitur, Philoſophi eſſe, & non Theologi conſiderare actus noſtros, & vitam; quatenùs ſunt actus, & vita hominis: ergo Theologi eſt conſideratio actuū noſtrorum, & vitæ hominis chriſtiani, id eſt, ordinati ad æternam gloriam cum cæteris ſimul illis objectis, quæ nos, ut diximus circunſtant, & urgent, ac ſtatum noſtrum tantoperè variant. Tertio ſeqnitur, ideò fortè aliquorum moralem Theologiam tam eſſe diſſimilem doctrinæ morali Apoſtolorum, ac Theologiæ ſanctorum Patrum, & librorum ſpiritualium: quia hi quidem de homine chriſtiano, & quaſi cive alterius Reipublicæ: illi de homine, & de vita ſolum, & actibus hominis ſcribunt: non quod de hominibus non tractent, qui re ipſa chriſtiani ſint, ſed non ſub hac conſideratione quoad mores inſtituendos, vitamque, & conſilia capeſſenda. Undè etiam illud accidit, de quo ſuprà dictum eſt, ut aliqui conſcientiarum directores, ac etiam concionarores; alia prorsùs, eaque veriſſima miſſionarii Apoſtoloci tradant, & inculcent: quia hi ad Chriſtianos, illi ad homines loqui videntur. Atque etiam ſequitur intentum ptincipale quæſtionis de neceſſitate ſcripturarum; quia hæ commenſurationes, & proportriones cum objectis captum noſtrum, & lumen excedentibus dignoſci à nobis, & rectè capi non poſſunt niſi per lumen ſuperiùs, & ejusdem generis, ut declaratum fuit.

Sicut verò de conſideratione Theologi dictum eſt, etiam ſequitur de chriſtianis ipſis, eos non ſatis agere, ſi agant ſolùm, & vivant tanquam homines, & juxta menſuram humanæ rationis, ſed debent præterea agere, & vivere tamquam homines chriſtiani, & juxta menſuram ſuperiorem divinam, quæ in ſcripturis revelata, & tradita eſt. Undè Apoſtolus inter infinita alia ad Epheſ. 5. *Fornicatio autem*, inquit, *& omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtulti loquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Illa ſcilicet eſt regula chriſtianorum, *ſicut decet ſanctos*, nam ad ſanctitatem vocati ſumus; & quod eſt in Ariſtotele *ſicut oportet*, eſt in Apoſtolo, *ſicut decet ſanctos*; quam tamen regulam chriſtianorum omnium pervertunt multi, & ad monachos rejiciunt: de quo lib. 4.

Et certè ad hanc diverſitatem totius quaſi vitæ, & inſtiruti teneri chriſtianos videtur compertiſſimum, ut ex dictis accipitur. Ex hoc autem quaſi toto conſequentiæ ducuntur ad ſingula, ut nuper deducebat Apoſtolus; & circa famam, & honores, & pecunias, & ſalutem, & reliqua ſequuntur etiam, regulæ diverſæ. Atque ex hoc loco breviter diſſeremus lib. 4. contra prophanam, & impudicam denudationem, ſeu ſcortationes, quas vulgò *gargantas* mendaciſſimè vocant, ut rem voce minuant, fœminarnm noſtrarum; quod certè moris non ſolum ſanctos non decet, ſed etiam valdè dedecet: & ita in aliis: ideoque multum etiam diverſa ſunt principia moralia Evangelii, quam naturalia, de quo alio die; natura ſcilicet per gratiam deſtructa quidem non eſt, elevata tamen eſt, & ferè in immenſum exaltata.

Quemadmodum itaque, ut hoc exemplo rem magis declarem, dantur actus indifferentes in ſpecie, ut elevare feſtucam, fricare barbam, &c. & tamen melior ſententia Theologorum negat, dari actus indifferentes in individuo; qùia ſcilicet homo rationalis eſt, & hoc ipſo debet operari, ut hominem decet; non fruſtra, non vanè, & otiosè ad ſunm finem; ſed utiliter ad illum; qnare ſi finem honeſtum omnino prætermittat, hoc ipſo illi ipſi actus in ſpecie indifferentes mali funt ex defectu circumſtantiæ debitæ finis, & ſi imperitiſſimi quidam, qui ſpeciem, & circumſtantias diſtinguere nondum didicerunt, arguant, actus tunc illos fore etiam malos quoad ſpeciem. Ad hunc modum chriſtianus homo non ut homo duntaxat, ſed tanquam chriſtianus homo ſe gerere debet, atq; in altiorem finem ferri per media proportionata; ut explicatum eſt; atque actus, qui comparativè ad hominem ſic conſideratum mali non eſſent, in homine chriſtiano mali fient ex defectu circumſtantiarum ſtatui ſuo confotmium.

Hanc porrò circunſtantiam *quis*, id eſt, hominis chriſtiani præſentiſſimam nos habere oportet in univerſa noſtra converſatione. Atque hoc explicabo iterum lib. 4. exemplo uniuscujusque noſtri; nam quisquis fatuus, aut valdè imprudens non

non est, fuimet & quis fit, continuè sću; vel quasi actu meminit: & sic sive In loquendo, sive in legendo, sivs in scribendo &c. hac regula dirigitut, ut agat, loquatur, scribatve modo sibi proportionato, & etiam illi, ad quem scribit, vel loquitur, aut coram quo agit, aut movetur: quam propositionem si prætereat, statim à stulto non differet, & religiosus aget tanquam secularia, & homo vilis, tamquam Princeps, & vir sicut fæmina; & articulos, & adjectiva invertet, & cum Rege sget quasi cum piucerns &c. Unusquisque igitur etiam quando maximia negotiia immersi sumua, & vix locua superesse videtur, ur de alia cogitemus, præsentissimum tamen hoc hsher, quis ipse sir, & quo cum etiam agat: & hoc ablato, quoad convictum humanum à fatuo non dubitamus. At unusquisque christianus est quasi *alius quis* professione christiana. Hoc ergo præsentissimum haberi oportet; quod si prætereamus, & si coram hominibus videamur prudentissimi, tamen coram Deo, & Angelis ejus fatui erimus, dum omittimus, qui simus, quo cum agamus, ac reliquarum circumstantiarum proportionem, modum, & formam.

Discutiendum superesat, utrum hæc circumstantia *quis* hominis christiani, & reliquæ correspondentes sint aggravarivæ solum intra eamdem speciem actus, quando prætermittuntur, an etiam sæpè saltem speciem murent; an item de veniali faciant mortale, ut v. g. parvitas illa materiæ, uel scurrilitas, vel prophanitas aliqua vest um, quæ comparamus ad hominem sic sumptum, vel paganum esset veniale, fiat mortale in Chr stiano, non quidem in omnibus, sed tamen in multis? De his aliquando, si Deus concedet, dicemua instituto consilio, & aliqua ex lib. 4. constabunt, profectò loquendo de vita universa evidentissimum est, honam vitam christianam differre plusquam specie à bona vita hominis sive considerati in puris, ut ajunt, naturalibus, ac in alium finem ordinati; sive hominis pagani, ut constat ex dictis multipliciter: ex quibus etiam de multis actibus particularibus judicati potest; atque res facilè declarsre potest jam proportionem, vel improportionem cum fine; jam compatibilitatem cum dilectione proximi, & Dei; atque alia propria nostra considerando, & quæ in similibus à Deo judicata sunt, bene ex ejua scripturis cognoscendo; ibi enim, ut Augustinus suprà differebat, multa inveniemua, quæ à Deo gravia judicata sunt; nobis autem homana consideratione vel levia, vel nulla vila fuissent. Utraque scilicet tatio divina, & nostra, & tegula distant plua multò quam palmus, & ulna; & sicut quod ab explendo palmo parum deficit, & est quid parvum ab ulna multum deficit, & est defectus magnus; ita in eodem actu, relativè ad regulam nostram parvum defectum habet, & quid modicum est, poterit esse quid magnum relativè ad rationem, & legem divinam propriam christianorum.

Ex his ad eaa quæstiones scholæ, utrum sine gratia propria Dei per Christum fieri posset actua aliquis moralis simpliciter bonus; alter de homine, si in puris naturalibus relinqueretur; & multò aliter de gentilibus de facto, & multò magis aliter de homine christiano philosophandum est; neque ex gentilibus, quibus sine illa gratia nullum bonum morale, id est, benè, & sicut oportet, factum concedimus, quamquam contrarium teneretur, nulla est consecutio ad christianos; quorum *sicut oportet* est longè diversum.

§. VIII.

Ergo casus conscientia resolvi debent, non motivis humanis, & naturalibus, sed supernaturalibus, & divinis saltem in modo.

Hic locus amplissimua est, ex quo inter Theologias & Theologias facilè quisq; discernat, & videat, otrum humanam quamdã Philosophiã, eamq; vel sine Atistotele, & aliis Philosophię moralis Princioihus compactam, an Theologiam verè talem haheat. Nemo enim est inter christianos, qui nesciat, quænam sint motiva humana, & naturalia, quæ verò supernaturalia, quæ etiam divina, & æterna vocantur; & licet de aliquo uno aliquando ignoret, potissima tamen, & quasi prima principia, quibua quasi cardinibua vita christiana vertitut, norunt sanè omnes; & quid inter utrumque genus motivorum, & rationum intersit, percipiunt.

Inferimus itaque quam brevissimè, casus conscientiæ resolvendos esse non motivis humania, & naturalibus, quæ ex elementis mundi hujua depromantut, sed supernatutalibus, & divinis saltem in modo, quæ à Deo nobis revelata sunt, & consignata, & ita Henricua etiam ait, Theologiam tractare de rebua modo divino, & super humano. Hoc sequitur ex tota hac quæstione, & singulis punctis ejus; & ex quæstione præcedenti; nam probatum est, Theologiam quà à Philosophia differt, & distat, & est quædam superior scientia addita omnibus Philosophicis disciplinis, habete medium, & objectum formale, & motivum revelatum, & superius; quia vel id ipsum, quod est revelatum & movet, est quidpiam supernaturale, & soperius; vel licet sit aliquid naturale, illud tamen sumit Theologia tamquam à Deo dictum, & revelatum: & sic tamquam aliquid excedens lumen naturale, & motiva naturalia. At casus conscientiæ non per Philosophiam resolvendi sunt, sedper Theologiam, & fideles Theologum quærunt, & non Philosophum; & non Theologus eoa gravissimè decipit se Theologum sopponendo, magis multò, quantò pluris est anima, quam si non Medicus se Medicum effingeret, & euraret. Ergo casus conscientiæ non motivia humauis, & naturalibus, sed supernatutalibus, & divinia saltem in modo resolvendi sunt. Inquam, *in modo*, quia licet aliquandò motiva sint humana, & naturalia, non tamen sic sumenda sunt à Theologo, sed tamquam à Deo dicta, & sic supernaturalizata, & divinizata. Confirmatur; quia Doctor aliter respõdens non est, undè, & in quo à puro Philosopho differat, si agat de rebus naturalibus, sin verò tractat de supernaturalibus; eò agit absurdius de rebua altioris ordinis, earumque ordine, proportione, & mensura per lumen, & rationem inferioris ordinis philosophando, & statuendo, id est, tes ulna mensurandas vix palmo dimetiendo. Confirmatur tursùs, suscitaretur à Deo Aristoteles, & Corinthiorum illi Philosophi suscitarentur, atque inter nos ponerentur; quales fuerunt, id est, Gentiles, & puri quidam Philosophi. Quidentissimum

tissimum est, nisi Paulus totus desipuit, eos sufficientes non futuros ad casus conscientiæ resolvendos per suas Philosophias, & motiva, rationesque humanas: quod qui negaret, injuriua esset Christo, ejusque Magisterio, & sancto Evangelio. Ergo neque nos sufficientea fumua eorum via philosophando, hoc est, motivis, & rationibus solùm humanis, & naturalibus disserendo & solvendo Patet consequentia; quia ut superius diximus, vix unus, aut veriùs nullus iu Europa nunc superest par Aristoteli in pura Philosophia, & in philosophando motivis & rationibus solùm humanis, & naturalibus. Constat ergo consequentia, &, constabit certè apud omnes; si quosdam excipias omnis modi sciendi, & saporis expertes, quique cum vix milium sint, se montes esse arbitrantur. Ergo casua conscientię modo dicto resolvendi sunt; sin minùs defectuosè, maleque deciduntur: & explicari multifatiò potest ex dictis.

Declaratur, nam in unaquaque facultate, & scientia resolutiones ejus sunt conclusionea: motiva autem, & rationes sunt principia, & præmissæ intellectum ad assensum conclusionum moventes; ut ignorat nemo: cujua proindè generis, & naturæ est ipsa scientia, sunt etiam conclusiones: ergo etiam motiva, & rationes assentiendi. At Theologia non est Philosophia, sed superior, & supernaturalis: ergo & ejus conclusiones, & resolutiones, ergo etiam motiva, & rationes assentiendi, & resolvendi: Ergo resolutiones casuum factæ per rationes humanas, & naturales non sunt Theologicæ. At casua conscientiæ Theologicè resolvendi sunt. Non ergo humania solùm, naturalibusque motivis, sed supernaturalibua, & saltem in modo divinis resolvendi sunt. De quo universalissimo puncto facilè indocti quique, ne decipiantur, instrui sanè possunt, ut videant, quibus demùm motivis, an purè humania, an supernaturalibua, & Deum & Christum; vel cælum sapientibus sui sibi casus resolvantur.

Haud tamen, quod in hoc opere, & aliàs quoque diximus, ac explicavimus, rationia consequentis, humilisque, & pedisequę utilitatem, commodaque negamus, quæ quippe non imperet, sed serviat sapientiæ revelatæ multiplici modo, ut aliàs explicatum est. Quod si quando autoritas, & doctrina revelata, qua dirigamur, desit, & sola ratione esset agendum, tunc etiam eò dirigi, ducique, & ducere debet ratiocinatio, quo scimua duci, nos, dirigique per doctrinam revelatam; sin minus non ædificabimus, sed destruemus: apertis portò, & vel leviter lectis scripturis, patenter cernitur, quò, & quorsùm illæ noaducant.

Sic satis probata, & explicata illatione, eam mihi omni argumentatione fortius persuadet simplex ipsa consideratio rerum, ut enim de libris loquar, quos bonoa esse non dubitamus, sive scripturaa ipsas aperiamus sive libros sanctorum, clarè videmus, in eis motivis supernaturalibus, æternis, & divinia causam ferè totam agi, eisque vitam, & mores christianorum institui, esseque doctrinam quamdam, qualem plus minus Theologiam esse declaravimus, longè superioris ordinis, ac omni Philosophiæ dissimilem, verbo Dei, & doctrina revelata contextam totam, confertamque.

Ergo sanè ad adulationem non scribo; de his enim me gravissimè discutiendum, judicandumque credo. Quarè sincerè fatendum est, multoa esse, qui Doctores morum, & vitæ christianæ se constituant, sine cognatione, & usu ferè ullo doctrinæ revelatæ, & supernaturalis. Si ergo eos ad scripturas remittam, ut hoc punctum, an scilicet casus conscientiæ modo dicto resolvendi sint, ritè exeminetur, ac sciatur, timeo: ne remissio futura sit otiosa, & vana; jacet enim apud multos his libet librorum quoad usum saltem, & praxim perindè, atque si non pro nobis, sed pro aliis nescio quibus scriptua fuisset, vel in alium nescio quem finem conscriptus fuisset; non autem, ut ex illo, & secundum illum vivęremus.

Ecce Ergo mitissima, & facillima postulo: ad unam Pauli Epistulam, eamque brevissimam, scilicet ad Coloss. quæ quatuor solùm capitibus constat, appellemua: est enim ista, sicut cæteræ, & omnea inter se germanæ. Non de geometria tractat Paulus, sed christianos quosdam fratres nostros de moribus, conscientiaque scribit. Videamus itaque quibus motivis, & rationibus causam agat, an naturalibua, & philosophicis, an superioribus supernaturalibus & alterius quasi mundi, & ordinis, propriis christianorum, propriis scientiæ sanctorum, propriia scientiæ Dei. Quod si epistola ista displicuerit, aliam quamlibet adeamus; ibi inveniemus singulia pænè verbia Christum inculcarum charitatem item ejus crucem, & mortem, judicium, vocationem nostram, & similia supernaturalia, æterna, & divina. Idem etiam cernitur in Evangelio; idem in Petro, Joanne, Jacobo, Juda. Ergo horum ad instar, motivis similibus, rationibusque conscientiæ à nobis regendæ sunt, & casus resolvendi.

Atque in hac ipsa Epistola ad Coloss. 1. cap. 2. ut toties etiam aliàs, signatè, & reflexè hoc, quod intendimus, stabilivit. *Hoc autem dico*, inquit, *ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonis.* Qui verò hoc nomen *probabile* tanti faciunt, & quasi tutissimum quidpiam & sanctissimum venerantur, accipiant hoc loco versionem Chrysostomi mentia Apostoli probati sanè testia: hoc autem (legit) *ne quis vobis imponat Probabilitate sermonis. Vides, quod ista ideo dixerim, ne ad hominibus sapientiam quæratis: nequis vobis imponat Probabilitate sermonis. Quid enim, si Probabiliter dicat.* Abita jam voa, quibus tanti est, probabilitas Sermonis, & sanitas, ac rectitudo sermonis. Nihili habet Doctor vitæ nostræ ab Ecclesia nobis consignatus, quod probabiliter dicatur: *quid enim*, inquit, *si probabiliter dicatur?* Vobis potro hoc totum est, hoc negotium sęculorum, utrum probabiliter dictum sit, vel non.

Sed ad Paulum punctumque nostrùm redeamus. Sicut ergo accepistis, subjicit, *Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati, & superædificati in ipso & confirmati fide, sicut & didicistis, &c. Videte, nequis vos decipiat per Philosophiam, & manem fallaciam secundum traditionem hominum secundum elementa mundi, & non secundum Christum.*

Removit itaque primum causam deceptionis, quæ provenit ex elegantia, sublimitateque sermonia; nam ut ex Tullio usurpavimus, nihil est tam horridum, & falsum, quod non dicendo fiat probabile, & oratione quasi excolatur: ideo Chry-

Chryſoſtomus cò in *ſublimitate ſermonis*, legit, ut vidimus, *in probabilitate ſermonis*. Remotia itaque oratoribus, Rhetoribus, dein removet Philoſophiam; ac etiam inanem fallaciam ſophiſtarum, & univerſim eam doctrinam, quæ ſecundum traditionem humanam fit, & ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtū. At traditiones humanæ aliud eſſe non videntur, quam opiniones ratione humana collectæ, & ſecundum elementa mundi, id eſt, ſecundum principia & motiva naturalia, quibus mundus ſine Chriſto utebatur.

Paulus itaque non vult Chriſtianos Coloſſenſes ambulare, & vivere his doctriuis, ſed quemadmodum acceperunt, & didicerunt; & non aliter: ſed doctrina, quam acceperunt, erat per motiva, & rationes ſuperiores, & ſupernaturales; nam hæc eſt, quam ſcriptam reliquit, quæ tota ejusmodi eſt, & quæ voce docuit, & tradidit, ſimilia utique, & ejusdem rationis fuerunt. Ergo Paulus vult Chriſtianos Coloſſenſes, ac proindè etiam nos ambulare, & vivere, non doctrinis humanæ traditionis, & opinamenti, ſed ſuperioribus, ac ſupernaturalibus, quæ non ſint ſecundum elementa, & principia ſolùm naturalia, ſed altiora. Confirmatur; nam non eſt nunc alia lex, & via ſalutis chriſtianorum, & alia tunc illorum chriſtianorum, quos Paulus, cæterique Apoſtoli docuerunt; at Paulus, & Apoſtoli, qui Philoſophos non egerunt, ſed à Deo miſſos Apoſtolos, ſanè doctrina ſupernaturali, motivisque divinis docuerunt tunc chriſtianos ut cernitur. Ergo ſequendi, imitandi ſunt.

Rursùs quia illæ particulæ *ſecundum traditionem hominum*, *ſecundum elementa mundi*, & *ſecundum Chriſtum*, duæ quaſi differentiæ ſunt doctrinæ unius quaſi naturalis, & alterius ſuperioris, & ex iis etiam, quæ Apoſtolus continenter ſubdit, apertè patet; quæ ſanè aliud omninò ſunt ab opinionibus humanæ rationis, ſubdit enim circumciſionem ſpiritualem, quod item conſepulti ſimus in baptiſmo, & ſimilia plurima, quæ humanam, & naturalem rationem longè tranſcendunt, ut patet, ea perlegendo. Hæc autem, ſimilia ſunt quæ ſecundum Chriſtum vocantur. A quibus planè inanis fallacia, ob quam omnes prorsùs falſæ opiniones nulla exceptа pertinent, per falſitatem quaſi contrariè; Philoſophia autem ipſa etiam vera per defectum, ut expoſuimus, longiſſimè diſtant; ac proindè utraque decipit, niſi vera Philoſophia elevetur, & chriſtiana, & ſecundum Chriſtum fiat.

Hanc eamdem ſupernaturalis, & à Deo dictæ, & revelatæ, & ita firmiſſimæ regimen, & directionem indicat, dum inquit, *in ipſo ambulate radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut didiciſtis*. Veriſſimum licet eſt, & omnis experientia confirmat, quod hic tradit, & fusè proſequitur Chryſoſtomus; *nequit, enim*, ait, *ſolidè perſiſtere, qui rationes humanas conſulit, & inquirit*: ac paulo antè de hac radicatione, & conſolidatione Apoſtoli agens *idem quoque*, inquit, *fides facit*. Undè Apoſtolo velut morale principium eſt, juſtum ex fide vivere, id eſt, mores ſuos, & vitam, conſcientiamque ex fide regere. Ex his ergo fidei, & revelatis, ac creditis principiis, & motivis juſti vivere, caſuumque conſcientiæ ſuæ reſolutiones habere debent: ac ſimiliter etiam Doctoribus reſolventibus formam præbet dicens, credimus; *propter quod & loquimur*, ut alias declaravimus; & hoc nunc punctum illationis ad inſtar breviſſimè tractamus. Nimirùm ut dicebat Chryſoſtomus, nequit ſolidè perſiſtere, qui rationes humanas conſulit, & inquirit. Nam ratio humana ferè ſemper eſt ad utrumlibet, ſicut pars apprehenſiva, quæ eſt quaſi genitrix ſua; & ſic ſemper ferè videmus, adeſſe rationes, contra rationes; & inde etiam filias opiniones contra opiniones ſine fine, & nulla unquam cauſa concluditur, & terminatur; & ſi hæc pars conſilium petat, pro ſe habet reſolutionem; & ſi pars contraria veniſſet, etiam pro ſe habuiſſet. Contrariæ omninò naturæ ſunt motiva ſupernaturalia, & æterna; concludunt prorsùs, & os obſtruunt, neque ſolutionem habent. Et ſic aliquoties mihi accidit, quærebat enim, utrum ſolvere & reſtituere quis teneretur, & ratiunculas ſuas, vel rationes humanas proponebat, quibus ſe excuſaret. Ego qua poteram vivacitate fidem futuri judicii ei excitabam: tunc eum cum ſuis rationibus coram Chriſto judice conſtituebam, & hoc, & illud pro imbecillitate mea quaſi vice Chriſti ad ſuas rationes mitiſſimè reſpondebam: atque hac imperfecta judicii repræſentatione, & umbra quaſi in alio mundo, & ſuprà traditiones hominum conſtituti aliter judicabamus, & reſtituerunt, & ſolverunt, nec certè inviti; quia non in relaxatione legis, ſed in hoc alio benignus, & benigniſſimus eſſe confeſſor debet, ut motivis ſupernaturalibus, quibus Dei gratia in ſua Eccleſia abundamus, amiciſſimè, & affectuoſiſſimè non ſolum quaſi invitos cogat, ſed volentes etiam, & hilares efficiat, & reddat: quod aliquando conſequetur, aliquando non conſequetur; nam multi plus amant pecuniam, & concubinam, quam animam: his porrò non eſt ſalus in Theologo, & fruſtrà eruut humanæ reſolutiones. Jam verò ſuperius ſæpè notavimus, hæc Apoſtoli documenta contra hæreſes, & primum quidem valere, & à ſanctis etiam pro ſua tunc cauſa, & oportunitate ità explicata eſſe: hoc tamen non ob eſſe, ut contra malam doctrinam morum directiſſimè adducantur; nam ad chriſtianos, & pro eorum moribus, conſcientiaque inſtituenda directiſſimè ſcripta ſunt: ibi in primis omnes univerſim docentur *induere viſcera miſericordiæ*, *humilitatem*, &c, ac multa alia. Ibi mulieres jubentur viris ſubditæ eſſe *ſicut oportet in Domino*: viri etiam inſtruuntur: & patres erga filios, & viciſſim: ſervi erga Dominos, & è contra. Si hæc non eſt morum doctrina, quæ alia in mundo de moribus eſt? Porrò nugæ ſunt, ſi vel dicas, hæc ad ſolos Monachos pertinere, vel ſolùm non ad eſſe, ſed ad meliùs eſſe ſalutis, & juſtitiæ omnem ferè, & vix non omnem doctrinam Evangelii; & Apoſtolorum ſcriptam eſſe, de quo tractabimus. Legatur, quæ ſervis erga Dominos in hac Epiſtola injungat; ſanè neque ratione humana, nec motivis naturalibus, ſed ſuperioribus æternæ retributionis ad ſervitutem quamdam ſervi chriſtiani propriam eos inducit. Neque in his immorandum eſt, quæ ſcilicet multis modis jam inſufficientiam humanæ ratiocinationis toties factis ipſis oſtendendo, jam ſcripturarum neceſſitatem ſtatuendo commonſtrata ſunt: & conſtant etiam ex his, quæ lib. ſeq. tradedemus, Dei ſcilicet donum eſſe doctrinam morū,

ficut gratiam virium; qui nimium docet hominem fcientiam; in quo, & fimilibus plurimis fermo non magis eft de doctrina naturali, quam de gratia aliqua natura fermo fi in locis, quibus gratiam Dei per Chriftum evincimus. Væ ergo dicere animabus illis poffumus, qui rationibus, & motivis humanis vel unicè, vel maximè vitam fuam confcientiamque regunt.

§. IX.

Quod §. 3. opponebatur de defectibilitate noftra etiam in intelligendo fcripturas, & in inferendo ex ipfis folvitur, & declaratur.

EX punctis quibufdam aliis levioribus, diximus §. 3. fine duo alia graviora opponi poffe. Alterum erat, quia ficut humana ratione, morivifque naturalibus, & quafi terreftribus philofophando erramus, & ideò neceffaria eft doctrina cœleftis revelata; ita hanc ipfam doctrinam revelatam interpretando errare poffumus; ergo vel neceffaria eft denuò alia doctrina revelata prioris interpretativa, & hujus rursùs alia, & fic in infinitum; vel quæcumque pro ratiociniorum naturalium infufficientia, fcripturarumque neceffitare adduximus, nulla funt. Et confirmabunt nimii quidam cultores rationis naturalis; & ingenii, quo uno de tota fapientia decernunt: doctrina quippè revelata, & divina non tam in littera, & in ipfa materiali fcriptura confiftit, quam in fenfu, ut oftenfum eft fuprà quæft. 14. Hic autem fenfus, & mens Dei humana demùm ratione eruitur, & intelligitur. ergo refolutio demùm ultima eft ad rationem, & ingenium. Confirmabunt iterùm, quem locum libenter quidam arripiunt, de facto etiam ad fanctos Parres provocando fic effe diverfas, & contrarias interpretationes fcripturarum fine fine; ficut funt diverfæ, & contrariæ opiniones fidei, & morum, & rerum fine fine, ubi accuratè proferunt, & perfequuntur contradictiones; & etiam fi quos poffunt errores fanctorum Patrum: at propter contrarietatem iftam, & diverfitatem opinionum rerum diximus, rationem humanam, & Philofophiam effe imparem, & ineptam ad judicandum de rebus, moribus, & vita Chriftianorum. Ergo adhuc habitis fcripturis propter eamdem contrarietatem interpretationum impares, infufficientefque manebimus. Undè vel academizandum omnibus erit; vel folvenda ab omnibus funt, quæ adduximus.

Alterum erat, quod Theologia conftat ex revelatis, & crediris conclufiones alias inferendo. At ficut erramus in affumendo, & fubfumendo propofitiones, fic etiam erramus malè inferendo; utque liquet ex libr. Elench. & par. 1. tractavimus, ficut funt fallaciæ falfæque apparentiæ pertinentes ad materiam, fic etiam aliæ pertinentes ad formam; ob quam caufam fcripti funt libri Priorum. Ergo vel ad ipfas res affumptas, & ad ipfam quafi materiam fufficit ratio naturalis, nec fuperior revelata doctrina requiritur, vel rursùs neceffaria erit alia doctrina illativa, & nova quædam fupernaturalis, & divina Logica. Et fic videmus, hæreticos paffim defipuiffe utroque modo, & fcripturas malè intelligendo, & ex eis alia malè colligendo.

His tamen fortiffimè ab omnibus, opinor, refiftendum eft; quia convellunt facra omnia, & Theologiæ naturalibus fcientiis additæ, & legis Dei divinitùs datæ, & fcripturarum omnium neceffitatem, & momentum omne tollunt, ac fcripturis ipfis, & Ecclefiæ, & fanctis Patribus, ut vidimus, adverfantur. Atque eodem oppugnare poffunt fcripturarum ad caufas fidei neceffitatem. Sic etiam philofophare quis poterit, fibi opus non effe, ut fuperior, vel Princeps de fua ipfum voluntate circa negotium inftruat, & edoceat, fed propria ratione dicat id exploratum effe: & fi dictis ipfum in eo fallendum, opponet ex dictis, falli etiam fe poffe in intelligendo dicta Superioris, vel Principis, atque etiam alia ad commiffum negotium neceffaria indè inferendo: & genus alia abfurdiffima confequuntur, quæ ab omnibus circa præfentem controverfiam folvenda fint.

Dicimus etiam igitur, falli poffe Theologos, & privatos quoque Doctores in intelligendo, interpretandoque fcripturas; ideòque Hærefiarchæ vel omnes; vel plerique ex Theologis, ac privatis Doctoribus facti funt malè fcripturas interpretando: abfurdum porrò eft ut fuperiùs oftendimus, Theologum quemque etiam graviffimum in fide quidem errare, quin & Hærefiarcham fieri poffe; in doctrina autem morum, quod minus eft, errare, ac peffimum eriam Doctorem fieri non poffe: nec aliud hoc eft, quam dicere, Petrum quidem adulterare, & cum beftiis etiam peccare poffe; non autem fimplicem fornicationem incurrere. Itaque in utraque doctrina errare, & animas mactare, ac in foveam trudere poffumus etiam fcripturas fciendo, & ex eis docendo, fed malè intelligendo, & interpretando.

Hinc illud fequitur, non quidem fcripturas non effe fciendas indeque docendum; ficut & fi multi comedendo moriantur, non fequitur comedendum non effe; fed illud fequitur, quod in Ecclefia Dei Sanctum eft, fcilicet præter Theologos, & Doctores quofque graviffimos etiam fcripturarum fcientiffimos neceffarium effe interpretem infallibilem fcripturarum quoad fidei, morumque doctrinam; ac etiam in colligendo, inferendoque ex fcripturis. Hæc competit fanctæ Matri Ecclefiæ cum Sponfo fuo Chrifto Magiftræ noftræ. Scripturæ Itaque non ingenio noftro, & ratione, fed juxta mentem, ac fenfum Ecclefiæ intelligendæ funt, ut quæft. 14. habitum eft: quare fatis non eft folas fcripturas perlegere, fed relictis, vel pofthabitis aliis libris, in quibus legendis teritur, mens Ecclefiæ indaganda eft, & exploranda in Conciliis, in fanctis Patribus, quos velut Doctores ipfa fequitur, in jure canonico, qua parte ad confcientiam magis pertinet: Atque ex his locis fcripturas intelligendo. & fi malè interpretando, errare poffimus, raro tamen errabimus, fi mundum fit cor, ac pura intentio, nullaque latens fuiras, & fi ut alia omittam, Paulum Doctorem imitemur: qui ad Theff. epift. 1. cap. 2. *fcribit: exhortatio enim noftra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, &c. ita loquimur, non quafi hominibus placentes, fed Deo, qui probat corda noftra. Neque enim aliquando fuimus in fermone adulationis, ficut fcitis, neque in occa-*

sive avaritiæ, Deus testis est: eque quærentes ab omnibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Hæc est sanè forma docendi; quam si sequamur, & loca prædicta scrutemur, rarò in interpretando, vel inferendo error continget; si non servamus, non scripturæ, sed pravum cor nostrum nos fallet.

In his præterea, quæ nondum in Ecclesia scriptum ab Ecclesia determinata sunt, ex locorum collatione, ad quod scripturarum peritia necessaria est, sensus verus, rectè, & probabiliter colligitur; inquam, *probabiliter*, non illa vulgari, sed probabilitare ferè semper connexa cum veritate: & ipsæ scripturæ ad se vicissim intelligendas, mirè juvant, ut quæst. 14. exposuimus. Deindè in scripturis sunt alia, quæ ad perfectissimam fidem, vitamque sanctissimam necessaria sunt, & sufficiunt: atque hæc sunt jam certò, sunt probabiliter nullo, vel raro erroris periculo sciri possint modo dicto; alia sunt non ita necessaria; quæ ignorari nihil conscientiis Doctoris, & fidelium obsit: atque de primis nostræ quæstiones sunt. Undè negamus ad humanam demùm rationem resolutionem fieri vel interpretando, ac intelligendo, vel etiam in inferendo, & colligendo. Nam in Ecclesia fit resolutio, tamquam ad conditionem, & applicationem, ut de tract. de fide declaratur, nosque alibi displicuimus: in iis porrò, quæ non ita certò scimus, resolutio eodem modo fit ad authoritatem Sanctorum, aliorumque virorum; in quibus hanc semper conditionem requirimus, ut scripturarum scientes sint, ex illisque docuerint: sin minùs, ut toties protestamur, apud nos Theologi non sunt. Siquandò verò aliquid præter aliorum authoritatem intelligamus, nec tunc quidem resolutio fit ad humanam rationem, & naturalem, sed ad edoctam, instructamque doctrina revelata, si ut oportet, procedamus.

Opponebatur Sanctorum etiam Patrum diversitas, & contrarietas. Sed nos ubique negamus hanc Sanctorum Patrum dissensionem saltem frequentem in doctrina fidei, & morum; sicut nunc nulla est morum quæstio sine contrarietate opinionum de peccato, & non peccato: item de morali, vel veniali: producunt similes libros, & tractatus Sanctorum ita inter se dissentientium, vel cedant. Profectò si Patribus hæc exceptio attribuatur, arripiant eam hæretici, & omnis locus ab authoritate Pattum contra ipsos hoc uno ictu extinguetur; sicut & illo alio, quod modo concionatorio locuti sunt. Hæc autem sunt contra praxim, ac mentem perpetuam sanctæ Matris Ecclesiæ. Tenemus itaq; ac tenebimus semper de moribus, & de vita Christianorum non fuisse has dissensiones, & contrarietates sine fine apud Sanctos. Causam porrò esse existimamus, quod illi non ratione humana, motivisque naturalibus disseruerint, sed ex Scripturis Dei? quas in primis ebibebant, de vita nostra, ac moribus decreverunt, ut cernitur in ipsorum libris, ipsisque sibi hanc docendi legem præscripserunt ut visum est quæst. præc.

Sed proferunt, eorum dissentiones aliquas, nam Augustinus, & Hieronymus disputatunt. utrum simulatio esset licita; & dissenserunt. Item Hieronymus docuit, juramentum Christianis esse illicitum semper, & malum. Item ut superius diximus, magna dissensio fuit de rebaptizandis, vel non rebaptizandis iis, qui extra Ecclesiam baptizati essent, inter S. Stephanum Papam, & Cyprianum, aliosque Episcopos. Atque in rebus speculativis Naziancenus, aliique Patres pro pueris sine baptismo docentibus ponunt limbum: Augustinus tenuit, peccata reviviscere, quod Gelasius Papa negasse videtur; negant certò Theologi umnes: & alia etiam hi, & illi proferunt, quibus & Sanctos Patres inter se dissensisse, & alterutros errasse commonstrent.

Cæterùm de his in specie dicere, quod libenter faceremus, instituti nostri non est. Ad præsens ergo respondemus, transeat, ex quo illud ut summum sequi potest, quod contra doctrinam nostram haud est scilicet sanctorum Patrum quemq; non esse certam, sed probabilem, & ferè semper veram, & tutam regulam fidei, & morum; contra quod non est, si paucæ aliquæ, & raræ vel dissensiones, vel errores transmittantur. Ex quo tamen illud accipitur, valdè ridiculum esse, & miserandum, quod quidam, dum hoc modo de Sanctis Patribus philosophantur, intereà se ipsos, qui eorum comparatione vix quidquam sunt in omnibus ferè dissident, & alterum proindè necessariò in suppositione ignorant, & errant, sive per directas, sive per reflexas indefectibiles regulas constituunt, comminiscanturque, De cætero plura sunt, quæ ad eas Pattum dissensiones, vel prætentos errores reponi queant.

§. X.

Ex his etiam habetur, ut quis inter Patres Ecclesiæ annumeretur, opus esse, ut ex scripturis docuerit neque non esse privilegium solius antiquitatis.

Suitates, quas insecuti sumus, multorum velut capitalium errorum causæ sunt: atque ex illis inter alios natum videtur, quod aliqui non qualem oportet, existimationem habeant Patrum Ecclesiæ; & dum hoc non nisi annorum ac vetustatis solius privilegium arbitrantur, eisque alios nondùm certè inter Patres Ecclesiæ connumeratos vel æquant, vel præferunt, fit, quod non tanti fiant Pattum doctrinæ, facileque, iis omissis, novæ aliæ admirantur, & colantur.

Hæc causa longè gravissima est, & digna, quæ justa disputatione tractaretur. Nobis porrò consilium non est de ea planè dicere, & omnes qualitates exponere, quæ ad hanc Patris Ecclesiæ prærogativam desiderantur, non solùm de Patribus, qui simul Sancti sunt, vel insuper etiam Doctores Ecclesiæ, sed de omnibus in genere, & de hac præcisa ratione Patris Ecclesiæ disserendo.

De sanctitate primùm nihil nunc tractamus, & inferius ostendemus, quam sit illa necessaria ad rectam doctrinam fidei, & morum, quamque adauget, & quasi duplicet intellectum, neque mihi, & similibus, qui non facimus, alia via superest non errando, nisi sequendo eos, qui fecerunt, & sicut fecerunt, etiam docuerunt, ut alibi dicto.

Deindè certissimum est, aliorum priorum Patrum filios, & discipulos fieri etiam Patres Ecclesiæ juxta vulgatum illud, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, &c. Præterea etiam haud dubiè, postremis etiam his æratibus floruisse viros præclaros; qui planè digni sint, ut Patribus Ecclesiæ annumerentur, & quondam fortè annumerabuntur. Nullos tamen insinuo, ne quem

Ex

offendamus; aut exorbitare videamur.

Ex dictis itaque illud sequitur, nec Patribus Ecclesiæ pares esse, neque eis, ut existimemus, annumerandos unquam ab Ecclesia eos, qui scripturarum Dei scientissimè non fuerint; atque ex eis prætereà maximè, & potissimùm non docuerunt.

Probatur hoc breviter, & declaratur ex dictis. Nam nomen *Patris* Ecclesiæ in præsenti significat Patrem quoad doctrinam, & quoad docendum. Doctrina porrò universæ Ecclesiæ, & Ecclesiastica revocatur ad doctrinam, fidei, & morum, quo etiam cultus, & ritus reducuntur. At ostensum est ad hanc utrumque doctrinam pernecessarium esse, ut Scripturæ Dei sciantur, comedantur, & bibantur; utque rursùs ex eis doceantur. Ergo ut quis par sit Patribus Ecclesiæ, & illius quasi ordinis, & classis necessaria est duplex es conditio.

Declaratur; nam Pater Ecclesiæ plus aliquid significat; quam Theologus, vel Doctor præcisè, famosiusque aliquid in hoe genere nomen Patris Ecclesiæ ponit. At qui scripturas nescit, nec Doctor, nec simplex quidem Theologus est, sed aliud quidpiam; & qui ex eis non docet, Theologum non agit, neque in hoc genere docet. Longè ergo à Patrum ordine abest, quamquam plurima, ac etiam subtilissima docuerit: ut utique Philosophi docuerunt non solum de rebus curiosis, & vanis, sed de ipsis etiam virtutibus. Quemadmodùm itaque vita, sic quoque doctrina longè alia esse debet Patrum Ecclesiæ, & Philosophorum: quicumque ergo Philosophorum instar ratione naturali, investigationeque humana, & non ex altiori doctrina philosophantur, non modo Patrum via non gradiuntur, sed Philosophi magis sunt, & ordine, a Patribus Ecclesiæ differunt.

Argumentando deindè à certis ad incerta, nullum hactenùs Ecclesia Dei inter Patres suos locavit, qui ea duplici: qualitate insignis non esset, scilicet & scripturarum scientia, & ipsorum usu in docendo. Ergo quemadmodum physicè, quia nulla hactenus pETIa volavit, rectè inferimus, nec deinceps unquam volaturam; ita moraliter vestigiis, factisque sanctæ Matris Ecclesiæ inhærendo, rectè inferamus, ipsam numquam annumeraturam Patribus suis ullom; qui scripturarum scientia consertus non fuerit, & ex illis alios potissimum, & primo loco erudierit.

Undè etiam, quod lib. 4. tractabimus circa discretionem Spirituum, ac doctrinarum, plurimum interest inter Patrum doctrinam, & aliorum, qui ipsorum via ex scripturis non docent: nam alia doctrina spiritualis est, ac sancta, moresque virtutibus ædificat; à mundo, rebusque abducit; timorem Dei, qui initium est sapientiæ; humilitatem, quæ fundamentum est vitæ christianæ, orationem, pœnitentiam, charitatem, & Christum, qui finis legis est, ingerit, tradit urget: in quibus continetur scientia Sanctorum, & Scientia Dei. Humano porrò discursu docentes hæc, & similia prætererire videntur, neque eorum doctrina eos efficit ita causat, quos doctrina Patrum: de quibus ut dixi lib. agemus. Hæc ergo prærogativa Patris Ecclesiæ non temporis; & annorum privilegium est, sed præstantiam quamdam, præter alia in docendo deposcit, & maximè sanctitatem doctrinæ, id est quæ nos ad sanctitatem, ad quam vocari sumus inducat. Diximus autem huic doctrinæ sanctitati contrariam non esse Theologiam scholasticam; quia hi termini repugnantes non sunt, nec altero alter destruitur.

§. XI.

Sequitur etiam ad praxim, valdè defectuosè quosdam se excusare à jejunio, & ab abstinentia carnis.

Ex his, quæ de doctrina propriè christiana, virtutibusque, & vita Christianorum dicta sunt, ut plurima sanè in omni materia sequuntur, multarumque opinionum philosophicarum defectus quidem quasi transcendentalis deprehenditur; quo circa superiùs aliqua cursim, & obiter significavimus. Vellent certè quidam, ut plura in specie hoc in opere prosequeremur; quod tamen nostrum universale institutum est; & satis aliqua in specie, & in particulari indicamus in specimen, & directionem reliquorum. Nunc verò, quia S. Thomas ad superiorem doctrinam exponendam exemplo temperantiæ in cibis usus est; & quia res hæc multorum existimatione plurimum prophanata est, hanc in specie in materia illarionem fecimus.

Hæc itaque universa causa, sive sit quæstio, an jejunandum sit, sive an carne abstinendum, sæpè humana, & impari regula resolvitur. Quicumque enim quærat, utrum ad jejunandum teneatur, & an ab usu carnis abstinere debeat; ferè semper ab obligatione liberatur, & tot fermè sunt opiniones excusandi, quot rationes dubitandi. Satis notæ, vulgaresque sunt opiniones, quas proindè referre supervacaneum sit; & alios propter nocumentum salutis liberando pauciores, miseriorésque quidam sub obligatione relinquuntur? quin illud mirum est, quod hi opiniones demonstrationes saltem morales, ac multa alia, quæ vix in mundo reperiantur, postulant, ut quem sub mortali ad aliquid obligemus; at interea ipsi in tebus illis, quæ carni, & sanguini, ac mundo indulgent, quale est non jejunare, & à carnibus non abstinere, nihil promptius habent, & magis in ore, quam peccatum mortale, consilium perenti in his, & similibus sæpè responderet; ipsum non solùm non teneri jejunare, sed peccaturum mortaliter, si jejunet. Imò adeò à recto distamus, ut homines etiam professione Theologi non vereantur aliquando dicere, magnum quidpiam se dicere arbitrantes, Medicum sibi dixisse peccaturum se mortaliter, si jejunet, aut carne non vescatur: & quid, rogo, non dicat similiter æger, Theologum sibi dixisse, moriturum se, nisi venam scindat! Haud enim, opinor, Hypocrates, & Galenus de peccato mortali magis tractarunt quam Apostoli nostri de scissione venarum. Atque hæc citra aliam impugnationem demonstrant, quo in loco sint, & æqualiter tractentur res conscientiæ, ac morum, altissima, profundissimaque scientis.

Eminens illud ingeniorum decus Cardinalis Pallavicinus indè opinionum harum absurditatem, falsitatemque ostendebat, quod ex eis sequeretur, legem inter Ecclesiasticas quasi primam, & potissimam de quadragesimali, aliorumque temporum jejunio cessasse jam, & nullos obligare, sed

desiisse: nihilque proindè superesse, cur tanto pere hac de re conligatur. Sequelam verò probabat, quia in tractatu de legibus omnes supponunt legem pro aliquibus, & quasi paucioribus, sed pro omnibus vel plerisque saltem communitatis ferri; neque eam legem esse consultam quæ plerosque saltem comprehendere, & obligare non possit, sed juxta opiniones de jejunio, & abstinentia à carne lex Ecclesiastica de quadragesima, & cæteris jejuniis nos plerosque Ecclesiæ sed pauciores comprehendit & obligat, ut quicumque eas opiniones, & apertissimas earum consequentias tantisper consideraverit, inveniet. Ergo hæ opiniones falsæ, absurdæq; non essent, sequeretur, cessasse jam, & desiisse legem Ecclesiasticam de quadragesima, cæterisq; jejuniis; solidiusq; qui opinabitur, legem, quæ non omnes, non plerosq; sed pauciores communitatis comprehendit, nullos comprehendere, quam ipsi opinentur sartores, concionatores, equo etiam iter facientes non teneri ad jejunandum. Ex sequelæ ergo absurditate dignoscitur opinionum earum falsitas.

Ex his illud inferrem, eum laborem, illud item salutis nocumentum, quod ex observantia quadragesimali per se sequitur in plerisq; cujuscumq; status non excusare ab ea observantia, sed requiri vel laborem, vel præjudicium salutis esse extraordinarium, & plerisq. uniuscujusq; status regulariter non conveniens, sed majus: quia lex quadragesimæ statibus omnibus Ecclesiæ communis est. Sed hoc nunc non prosequor; nec enim directè de jejunio hic disputo, sed ex dictis laxiorum tot opinionum defectum ostendendum suscepi; nam de cætero tot absurda in praxi irrepserunt, ut satis magnum argumentum suppeditent deprehendendi statum doctrinę morum, & opinionum. Vidi quosdam, qui quidem non audèrent carne vesci; & illud intereà, & sanè ex Theologorum consilio excogitarunt, ut prandium dividerent, & partem pro prandio sumerent; partem pro cœna servarent; & aiebant, si totum in prandio sumerent, se in digestionem; & laborem sentire; sin verò partem acciperent; nec deindè cœnarent, famc, inediaq; laborare. Alii toto anno ova cœnant & inter annum uno solo die veneris ovis uti non possunt, & carnem comedunt: alii etiam in Castella, ubi die Sabbathi colla, capita, viscera, ac plurima alia atietum, boum, altiliumque valdè sanè salubria comedere licet, teliqua prohibita vescuntur. Sed habent privilegium illud amplissimum non peccandi, quin etiam viram æternam promerendi, scilicet non facere scrupulum.

Hæc certè toto cœlo distant à mente sanctę Matria Ecclesiæ, quam satis palam edicit in orationibus quadragesimę omnibusq; apertè notificat, quis suus finis sit, & intentio in ista solemni institutione: neque quadragesimam in eum finem instituit, ut benè valeremus, vegetioresque indè redderemur, & pateremur nihil; scit quippè ipsa absque consultatione medicorum; salubriorem cibum esse carnem, quam pisces, & si, ut audio, non defuerint Medici, qui hoc etiam negaverint: scit etiam ipsa; si saltem in quantitate excedatur esum quadragesimalem nocere posse, & rem demùm istam laboris, pœnalemque esse, non deliciarum.

Ut itaq; ex publicis orationibus liquet, duplex fuit finis sanctæ Ecclesiæ: alter, & quasi potior, ut pro peccatis nostris hanc pœnitentiam agamus, qua non modo aliquid patiamur, sed etiam, sicut ipsa dicit, pro peccatis nostris justè affligamur, atque in corpore maceremur: alter, ut hac corporis castigatione mens, & anima reficiatur. Hæc publica sunt in Ecclesia Dei, quorum proindè non tam ignorantia, quam inconsideratio, & libertas neminem excusare potest.

Respice; inquit, &c. ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Item: devotionem populi tui, quæsumus Domine, benignus intende, ut qui per fructum boni operis reficiantur in mente. Item: præsta &c. ut familia tua; quæ se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando justitiam à culpa jejunet. Item: ut qui justè pro peccatis nostria affligimur, &c. Omitto ex reliquo ejus temporis officio alia omnibus obvia; & dixit sæpè Breviarium esse bonum certè librum moralem.

Hæc porrò Breviarii Theologia est de plano illa ipsa, quam S. Thomas §. 6. tradebat, quamque non in libro aliquo spirituali, sed in sua Theologia Scholastica docuerat. Tradebat itaque duplicem distinctionem virtutum naturalium, & infusarum. Uno modo, dicebat, eas distingui secundum formales, & speciales rationes objectorum. *Manifestum autem est, aiebat, quod alterius rationis est modus, qui imponitur in concupiscentiis secundum regulam rationis humanæ, & secundum regulam divinam, puta in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum secundum autem regulam legis divinæ requiritur; quod homo castiget corpus suum, & in servitutem redigat per abstinentiam cibi & potus, & aliorum hujusmodi.*

Ecce ergo, undè contrarietas, orta sit legis, ac intentionis Ecclesiæ, & tot opinionum ejus intentionem frustrantium; nam alia regula hi opinatores; alia verò Ecclesia Mater utitur. Opinatores scilicet utuntur, regula humanæ rationis, idque primum habent, & respiciunt; utrum jejunium, & abstinentia à carne nocitura sit valetudini corporis; & si quidem nocitura est, afflictura; jejunantem, à jejunio liberant. At Mater Ecclesia non hac regula, sed altiori alia dimetitur, scilicet divinæ legis: & vult, ut per abstinentiam quadragesimalem verè pro peccatis nostris affligamur, patiamurque in carne; item ut maceremur in corpore, sicque illud in servitutem redigatur; mens verò evadat robustiot: atque ipsæ voces pœnitentiæ afflictionis in carne, macerationisque corporis satia palam efferunt eum modum, qui per regulam divinæ legis imponitur: neque opiniones contrariæ sunt profectò castigativæ, pœnales, aut afflictivæ carnis, neque commercium habent cum maceratione corporis. Hanc rem supra exemplo etiam resistentiæ declarabimus, in qua regula divinæ legis est, quod usque ad sanguinem restititia, quæ si regula humanæ rationis sumantur, ut sumontur, a pluribus opinionibus circa occasiones peccandi, cuncta profectò invertuntur. Sic ergo etiam in pænitentia christiana, & seorsim à pœnitentia etiam in abstinentia necessaria ad subjiciendum animæ corpus, lex Dei, & ea utens Mater Ecclesia in constitutione quadragesimæ haud sumit valetudinem, vel invaletudinem corporis; sed per aliquam etiam ejus invaletudinem vult ipsum castigari, affligi, macerari, & ita in debitam servitutem redigi, atque debitas peccatorum pænas quoque modo exsolvi

ſolui. In hunc ipſum finem à Deo, & quidem per miſericordiam aliquando morbis affligimur: eadem da cauſa Sancti Dei corpora ſua jejuniis & pœnitentiis extenuabant: Bernadus conſultò Monaſteria in locis minùs ſalubribus ædificabat, ut Monachi minùs quidem corpore, multum verò valerent mente: & ordines integri regulares jam voto, jam præcepto ſe obligant tum ad multas in anno peragendas quadrageſimas, tum ad perpetuam abſtinentiam carnis. Qualis ergo eſt is modus philoſophandi jejunium, & cibi quadrageſimalas ſtomacho, aut capiti nocent, vel dolorem etiam cauſant: ergo lex non obligat? Libro autem præcedenti tractavimus de illo alio philoſophandi principio, quod Eccleſia eſt pia Mater. Pientiſſima ſane eſt; tamen vult nos pati, affligi, caſtigari, macerari.

His, ergo nulla ratio habenda erit valetudinis, vel invaletudinis nulla ægritudinis, vel etiam mortis negamus conſequentiam; vel diſtinguimus, & dicimus eam invaletudinem, vel ſalutis detrimentum conſiderandum non eſſe, quod per ſe ſequitur ex abſtinentia, pœnitentia, ac maceratione corporis, cum hoc per ipſam legem intendatur; conſiderandum verò eſſe, ſi quod aliud majus, & extraordinarium immineat. Ad hoc porrò diſgnoſcendum dedimus illud ſignum, utrum ſcilicet invaletudo, vel dolor, aut labor ſit regularis, & pleriſque convenire ſoleat in unoquoque ſtatu, an non? rari enim ſunt poſt tranſactam ſaltem juventutem, qui malo aliquo non laborant. Quod ſi labor, vel invaletudo, vel dolor regulariter convenire pleriſque ſoleat, non ſufficit, ut diximus. Aliud jam ſignum eſſe poteſt videndo, quæ cauſæ ſufficere ſoleant in Religionibus obſervantibus ad ſe excuſandos à quadrageſimis, abſtinentiaque carnis, quam præcepto, vel voto profitentur? Et ſimiles ſufficient, minores non ſufficient in ſæcularibus, ac viris etiam Principibus quoad quadrageſimam Eccleſiaſticam, & communem. Sed rides, & dicis; hi laici ſunt; illi autem religioſi: ergo ſtultitia eſt utroſque conferre. Verum dicet lib. 4. Chryſoſtomus, hoc eſſe, quod omnia perdit. Itaque loci non minùs; opinor, peccarunt, nec item, opinor, habent corpora rationi magis ſubdita. Ergo magis in eis urgent fines Eccleſiæ; quæ proindè non minùs lege ſua eos obligare vult ad communem quadrageſimam, quam regulares voto, vel præcepto obligentur ad ſuas particulares quadrageſimas, & abſtinentias. Sed verò ſunt, qui chriſtiana inſtituta non ad ſe, ſed ad Monachos pertinere arbitrentur; & ſi mortificationis, aut pœnitentiæ, aut humilitatis, aut macerationis val nomina ſola audiunt, ita ſua eſſe vel ad ſe pertinere poſſe non magis exiſtimant, quam ſi alterius cujuſquam religionis eſſent.

Atque hæc quaſi à ſigno dicta ſint. A priori verò res hæ, ut plurimæ aliæ, pendent à cognitione magni, & parvi in unaquaque materia in furto, in jejunio, in recitatione, in ſtudio ſerviendi Deo; ſciendi item leges noſtras; item in dolore, in labore, &c. Sed hoc ad moralem Theologiam velut tranſcendens punctum, non in hoc opere, ſed alibi tracto. Hic illud addo, cibos quadrageſimales ſæpè non tam propter qualitatem, quam propter nimietatem nocere; quin & etſi corpus per abſtinentiam extenuetur, & debilitetur, ut etiam ſciſſione venæ debilitatur, ſi in quantitate modus ſervaretur per regulam temperantiæ divinæ legis, hæc extenuatio ſæpè prodeſſet etiam ſaluti corporis: ut ipſa Eccleſia in quadragesimali oratione ſua ſupponit.

Salubriter autem in ea inſtitutum eſt, ut cum utroque medico corporis, & animæ res iſta conſulatur, & tractetur & utriuſque licentia requiratur. Ad hoc autem ſatis non eſt, ut medicus ſpiritualis ſcilicet Parochus ſit materialiter Medicus, ſi ſtatū, ac diſpoſitionem ovis ſuæ non benè noverit, & intellexerit. Et hoc quidem de Medico corporis idiotæ quique probè ſciunt, ſatis ſcilicet non eſſe Medicum corporis conſulere, niſi ipſe ritè noverit intellexeritq; ſtatum: ac diſpoſitionem ſui corporis; ideòq; minuta, exactaq; relatione eum inſtruunt, nec periculū plerumq; eſt ut multa ſua diminuant, ſed ut magnificent; & parva quæq; magna videantur. Ergo abalienatio quædam eſt à debita vera animæ exiſtimare Medicum ſpiritualem non debere ſimiliter intelligere ſtatum, & morbum vel ſalutem animæ: & ſatis eſſe, ſi Parochi, qui nihil ſtatum animę ſuę agnovit licentiam conſequantur.

Duæ ergo ſcientię, cognitiones in utroque Medico deſiderantur, alia corporis, alia animę. Hāc jure ſupponit Eccleſia in Parocho, nā bonus Paſtor, & qui mercenarius non eſt, cognoſcit oves ſuas; & ob hoc ejus licentiam requirit. Quare licentia iſta non eſt clavis gravis poteſtatis, ſed clavis ſciētiæ ſaltem principaliùs. Nec item pendet à ſola ſcientia, cognitioneq; Medici corporis, quam hac in re hoc ſolùm ſit Parochi ſcilicet videre, quid Medicus corporis exiſtimaverit, & ſubſcribere ejus dicto.

Tractatur itaq; de duplici ſalute, corporis quippè, & animæ; & ideò utriuſque Medici judicium requiritur, & potior eſt medicus animæ, & ſi unum huic alterum illi videretur, & invaletudo aliqua corporis peteret, Petrum non jejunare, ſed lætari, & epulari; multitudo autem peccatorum ejus magnam pœnitentiam poſtularet; item ſi in concupiſcentiis totus arderet, & in magno eſſet periculo, poſtponi corpus debet, & Medicus ejus; & Medico animæ ſtandum eſt, & jejunandum, & corpus affligendum, & caſtigandum, quouſq; in debitam ſervitutem redigatur, nec animas noſtras, id eſt, vitam noſtram pretioſiorem facere debemus, quam nos, id eſt, quam ſalutem animę noſtrę, & noſtram. Atq; hoc pari plus minùs intelligitur, quæ ſint pares utriuſq; Medici; & periculum erit, ne Medico ſpirituali tam de plano aperiamus infirmitates, & morbos, & pericula animæ noſtræ, quam Medico corporis dicimus minutiſſima quæque. Quod verò multi cenſent, ſe habita licentia utriuſque Medici peccare non poſſe falſiſſimum eſt, ut ſuprà de Magiſtris oſtenſum eſt; & uterque Medicus peccare poteſt, & etiam qui ſequitur.

Hic obiter, & conſequenter dici poteſt de voto Carthuſianorum non comedendi carnem, etiam in morbo lethali, de quo magnas quæſtiones quidam ſuſcitarunt. Sed ex dictis nobis haud videtur res digna diſputatione, ſed ſanctiſſima, & plurimorum ſine fine Sanctorum factis in Eccleſia Dei adeò illuſtrata, ut quęſtioni ſubjicienda minimè fuerit. Quę verò diximus, in longum poſſunt ex publicis illis adeò rigidis pœnitentiis, & pænis, quas Eccleſia olim peccatoribus imponebat: quæ in modo philoſophādi harum opinionum locum habere numquam potuiſſent: & erant pręter, & ſupra communem omnibus quadrageſimam. Ubi ergo ſumus & quid conſideremus dum tam facilè tam multos à quadrageſima lege liberamus.

QUÆSTIO XVII.

Utrum doctrina revelata, & scripturarum non modò sit necessaria, Doctori Theologo, sed etiam sufficiat ad sapientiam comparandam?

POst statutam scripturam, & verbi etiam traditi necessitatem superest, ut de ejus nonc sofficientia ad sapientiam differamus; jam enim ad nihil fermè & ad minimam sapientiæ partem videtur illa sufficere: quod utrum jure, an injuria ita existimare videtur, examinandum modo est.

§. I.

Sensus quæstionis, & Theologorum.

SApientia multipliciter dicitur; alia enim est carnis, eaque potentissima; & alia spiritus; & hæc Dei, illa mundi est, & invicem, sicot caro ipsa, & spiritus, adversantur; atque prima non sapientia, sed pseudosapientia quædam, & sophistica est, & si plures, quam ipsa sapientia, sectatores, discipulosque habeat. Eam, si loci hujus id esset facilè describeremus, & per plurimas proprietates suas exponeremus.

Sapientia deindè alia est simpliciter talis, alia talis secundum quid; sicut alibi de prudentia disseruimus. Sapientia secundum, quid talis aliud non est, quam scientiæ particulares; neque ad finem hominis qua hominis, & simpliciter talem, sed ad alios particulares pertinent; & hujusmodi sunt præter Theologiam, & Methaphysicam saltem: omnes cæteræ scientiæ, quæ hominem, in hoc genere, vel in illo sapientem præstant; simpliciter verò sapientem non præstant. Undè nescimus, qua ratione Jurisperitis in mentem venerit existimare, suam jurisprudentiam esse simpliciter sapientiam, ac divinarum, humanarumque rerum cognitionem, antequam novus nobis mundus ionotuisset, & de sola terrena civitate tractabatur, existimari ququo modo potuit illam sapientiam; nam Metaphysica, quæ à Deo, divinisque plus differebat, erat ex dictis colligitur, & mox etiam dicemos deficientissima: Jurisprudentia verò, quæ in divinis extiterat parcior, saltem homanas plenius, utiliusque expediebat: at ex quo novus nobis mundus, novaqoe civitas vel inventa, vel manifestata est, nullam sapientiæ simpliciter speciem, specimenvè jurisprudentia habet, quæ ad solam civitatem terrenam, ejusque felicitatem respicit, neque Paolo consulto, aut Scævolæ, Papinianoque, sed Christo, & Apostolis suis sapientiam acceptam deferimus, hisque Doctoribus in mundum illata ea est.

Vera ergo, & simpliciter sapientia est iterùm doplex, alia quasi ex toto infusa, quæ judicat per modum inclinationis; alia, quæ studio acquiritur, quamvis etiam ista ex revelatis principiis sumatur; cujos utriusque sapientiæ differentia magis explicarur 1. p. quæst. 1. ar. 6. & alias sapientia judicans primo modo est unum ex septem donis Spiritus Sancti, atque de ea tractatur 2. 2. nunc nobis sermo est de sapientia secundo modo, quæ studio comparatur, & doctrinaliter de divinis, ac homanis rebus judicat per altissimam causam. Hæc porrò sapientia aliud non est quam sacra Theologia, ut eo ar. 6. Theologi cum D. Thoma constitount.

Quærimus ergo, utrum ad hanc sapientiam comparandam non solùm necessaria sit, or ostendimus, sed etiam sufficientissima doctrina revelata & scripturarum! quarum proindè cognitione, & eorum, quæ ex eis sequuntur, sit qui futurus perfectè sapiens, & absolutissimus Theologus, & si ignorer plurima, qoæ ex revelatis minimè colligi possint.

Videtur verò, eam doctrinam non esse sufficientem ad sapientiam, & ad Theologiam comparandam. Etenim plutima in hac sapientia tam qua parte qua speculativa, & qua etiam quasi practicè est, eminentius unaque, plurima, inquam, tractantur, quæ nec revelata qoidemsint, neque ex revelatis ulla ratione colligi possint. Ergo doctrina revelata, & Scripturatum non sufficit ad sapientiam. Et certè sumpta morali Theologia, quæ instituti nostri proprior est, illius vix maxima pars vel in scripturis revelata est, vel ex revelatis colligi, deducique ullo modo posse videtur: quod apertis multis libris moralibus, eorumque visis quæstionibus, ac resolutionibus videtur compertum. Ergo doctrina, revelata & scripturarum non sufficiens, sed defectuosissima potiùs est: ex qoa scilicet non omnis cognitio, nec ferè omnis, nec pars saltem media, sed minima haberi possit rerum humanarum tam in ordine ad homines, quam etiam in ordine ad Deum, & vitam nostram, atq; conscientiam. Confirmatur; nam, quod quæst. etiam præc. objici potuerat, ut positivè ad Theologiam, & sapientiam opus non est, ex revelatis agatur; sed satis est, si non contra disseratur. Hujusmodi porrò multa sunt propter scripturas, quæ tamen ab eis non dissentiant; eorum verò scientia, & cognitio ad Theologiam, ejusque perfectionem spectat. Ergo scripturæ non sufficiunt ad perfectionem saltem Theologiæ. Atque huic sensui multorum praxis saltem consentire videtur.

Præctereà quia negari non potest, ad Theologiam pertinere cognitionem etiam legum Ecclesiæ, & constitutionum Conciliorum, ac Pontificiarum. Hæc autem nec in scripturis traduntur, nec ex eis sequuntur. Ergo sicut priùs. Atque alia similia opponi possunt, ut est illud amplissimum, de quo seorsim agendum erit, quod dempto Decalogo, eoque multipliciter jam interpretato, reliqua fermè omnis scriptura tractans de moribus, non quasi adesse justitiæ, & salutis, sed ad melius esse scripta, ideòque ad eos pertineat, qui non salvari, & boni esse solùm volunt, sed prætereà etiam acquirendæ perfectioni student. Quarè reliquis omnibus, qui vix non omnes sunt comparativè loquendo, ex aliis libris est vivendum. Ad sapientiam porrò pertinet judicare, quomodo boni esse, & salvari possimus. Ergo scripturæ non sufficientes, sed defectuosissimæ magis sunt.

Nihilominùs quamquam pauciores hanc rem in terminis tractaverint, sensus Theologorum esse videtur, scripturam, ac revelatam doctrinam sufficientissimam esse ad sapientiam, Theologiamque perfectè comparandam: atque ita omnia, quæ sapientem scire oportet, in scripturis, reliquaque

reliquaque doctrina revelata, & tradita vel ostendi, vel ex ea aprè colligi.

Hoc, inquam, supponere videntur, dum naturam propriam Theologiæ, ejusque à philosophicis disciplinis differentiam commonstrant, ut quæst. præc. visum; nam in eo ejus naturam, & differentiam ponunt, quod ex revelatis sit atque ex revelatis colligat. Ergo sapientia, & Theologia vel esse, datique nequit, vel doctrina revelata sufficit ad eam comparandam; cum aliter nec esse, nec dari illa possit ex sensu Theologorum. Cajetano verò absurdum videbatur quæst. sup. quod non solùm aliæ scientiæ, sed quod ipsa etiam Theologia, prout à fide differt, esset necessaria ad salutem hominum. Magis proindè absurdum ei visum fuisset, quod non solùm ipsa doctrina revelata, & fides non sufficeret, sed quod nec deduci colligique ex ea possint, quæ necessaria sunt. Item Canus his in causis Doctor famosus supra quæst. 14. §. 1. satis apertè, splendidèque hoc idem contestabatur, & scholæ Theologum esse neminem, nisi eum, qui aptè, prudenter, doctè è litteris, institutisque divinis ratiocinetur. Sin verò hæ litteræ, & instituta non sufficerent, nec aptè, nec ineptè ratiocinari ex illis quis posset.

Scotus quæst. 2. Prologi in fine magis adhuc scholasticè rem totam declaravit. Ad tertium Origines in homilia de arca Noë dicit: nulla scientia omnia scienda explicavit, sed illa ex quibus possunt alia sufficienter elici. Undè multæ veritates necessariæ non exprimuntur in scriptura, & si ibi virtualiter continentur sicut conclusiones in principiis, circa quarum investigationem utilis fuit labor expositorum, & Doctorum. Hæc Scotus. Sibi objicit, & solvit aliud, de quo fusè ad finem quæstionis disputabo super illud Pauli, *non plus sapere, quam oportet sapere*, &c. Intereà toto corde amplector theologissimam, ac per necessariam solutionem, quam tradit ibi subtilis Doctor. Sapientissimus etiam vir Alphonsus Salmeron. to. 1. prologom. 1. 5. pauca quædam absolutissimè de sacra Scriptura pronunciat, eam tradere omnem veritatem, arcereque ab omni vitio: item stimulare ad omne opus bonum, provocareque ad omnem virtutem. Atque hæc de sensu Theologorum in reliquorum specimen sufficiant.

§. II.

Scripturarum divinarum sufficientia asseritur, & quibus ex locis ea statuenda sit, indicatur.

QUoniam leges Ecclesiæ, quæ post completam consignatamque scripturam factæ sunt, opponebant, eas primùm, earumque cognitionem ab hac causa removemus qualiterque ea cognitio ad sapientiam, Theologiamque secundariò revocetur, infrà exponendum est.

Quo notato, absolutè asserimus, sacras Scripturas comprehendendo etiam verba non scripta, sed tradita sufficientissimas esse ad sapientiam, Theologiamque perfectè comparandam, ideòque in illis vel formaliter; ac expressè, vel virtualiter, & implicitè, & sicut in principiis contineri omnes, veritates, quarum cognitione sapientia constat. Atque hoc idem tum ab aliis Patribus, tum significantissimè à magno Augustino traditum est lib. 2. de Doctr. Christ. cap. ult. *quidquid*, homo, inquit, extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquam omninò alibi, sed in illarum tantummodò scripturarum altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Alia expressissima ejusdem Augustini, & Gregorii dedimus quæst. 15. & inferiùs ipsorum, aliorumque patrum testimonia cumulabo.

Nunc ad dicendorum majorem claritatem indicandum in primis existimavi, quibus ex locis, & argumentis asserta hæc veritas ostendenda sit. Primò itaque arguemus, probabimusque ex facto; quia plurimi in Ecclesia Dei eminentem sapientiam de facto consecuti sunt non nisi ex Scripturis; & per scripturas determinando, & judicando. Secundo arguemus ex perfectissimo Magisterio unius Magistri nostri Jesus Christi, primique veræ sapientiæ institutoris. Tertiò probabimus ex 2. ad timoth. 23. & ad tit. 3. & quia à Christo promissum fuit, Spiritum Sanctum docturum nos omnem veritatem. Quartò quia ab Apstolo prohibiti sumus non solùm contra, sed aliter etiam, & præter docere, aut discere. Quintò Sanctorum authoritatibus pro more doctrinam comprobabimus. Sextò argumentabimus, vel Scripturas Dei ad suum finem esse defficientissimas, quod absurdum est valere sanè sufficientissimas.

Ex his quasi per consequentiam tractabimus de eo documento Apostoli, *non plus sapere, quam oportet sapere*, &c. & de immensa quadam quasi sylva quæstionum, ad quarum determinationem Scripturæ Dei nec sufficere, nec conferre quidem posse videntur, quid faciendum, pertractabimus, & utrum consequentia illa Augustini lib. de Pastor. cap. 11. admittenda sit: *quidquid indè audieritis, hoc vobis benè sapiat: quidquid extra est, respuite, ne erretis in nebula*: & ex Paulo ad timoth. *& an ut Scotus resolvit, à talibus cavere quis sibi debeat tamquam à periculosis.* Hæc itaque omnia ordine pertractanda sunt, & maximè epistolam 86. 118. & 119. & alias Augustini prosequemur, in quibus omne genus indeterminabilium quæstionum non nisi lites, & contentiones generantium cum Apostolo damnat, magistrales regulas præscribit.

§. III.

Plurimi fuerunt in Ecclesia Dei eminenter sapientes, qui ex Scripturis, ac per Scripturas solùm vel maximè judicaverint. Ergo illæ sufficiunt. ad sapientiam.

OMittamus hic Apostolos, & quasi Principes scholæ, & sapientiæ nostros, & Sanctos, Patres, ac Ecclesiæ in primis Doctores Augustinum Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Chrysostomum &c. proferamus. Hi, aliique ejusdem fermè ordinis innumeri eminenter sapientiam consecuti, sapientissimèque extiterunt. Et tamen hi ex Scripturis, ac per Scripturas vel unicè, vel saltem quasi semper omnia judicarunt, atque determinarunt. Stat ergo positio. Major assumpta à nullo ritè Christiano negari potest; & eam qualem qualem exceptionem, quod scholastici non fuerint, nec verbis scholæ usi sint, statim effringemus. Minor etiam constat apertis ipsorum libris: quamquam enim disciplinas etiam alias inferiores, sæcularesque litteras noverint, atque ex eis in eis multa pronunciarint, & ratione advert-

ſus Gentes, & alios ad homines luculentiſſimè diſputarint; unquam niſi ex divinis oraculis ſtatuerunt, judicarunt, atque determinarunt: quin ita faciendum eſſe, ſignare, & conceptis verbis ſæpè, & nobis præſcripſerunt.

Cætera hujus quæſtionis non habuimus: Et integra alia quæſt. 18. etiam deerat.

QUÆSTIO XIX.

Utrum ergo magna & quanta ſcientia in Doctore morum, & confeſſore requiratur?

ORdo doctrinæ coëgit nos, ut de qualitate prius, quam de quantitate, contra quam faciendum videretur, tractaremus, ne ſcilicet cæptum de ſcripturis ſermonem interrumperemus: neque verò intereà, dum de qualitate diſputatum, eſt, omiſſa eſt quæſtio de quantitate, cum oſtenſum ſit Doctorem morum, & Directores quoſque conſcientiarum præditos eſſe debere ſcripturarum cognitione, idque non ex cerebro ſuo, ſed juxta ſenſum Eccleſiæ, & doctrinas Patrum: in quo certè ipſo magna doctrina, ſcientiaque involvitur: & in hac de quantitate rursùs qualitas ſcientiæ ſcripturarum comprobatur; adeò quantitas, & qualitas connexæ ſunt.

§. I.

Quid in re Theologi, aliqua magni Viri cenſuerint.

COncors Theologorum ſententia aliquam demùm ſcientiam in Confeſſore requirit, & à fortiori in Doctore morum: atque praxis indubitata Eccleſiæ, quæ in ſcientia ad confeſſiones audiendas, & ad Parochias, Eccleſiaſque conferendas examinat, rem evincit. Omnes deindè conveniunt, peccare mortaliter eum, qui ſine ſufficienti doctrina ſe confeſſionibus audiendis exponit; quin Vazquez cum pluribus aliis tradit confeſſiones eſſe, ut quæſt. 8. §. 1. viſum eſt, alii aiunt confeſſionem ignoranti factam eſſe quaſi factam ſurdo; & ſic nullam quod alii inſufficienter impugnant ex valore factæ in neceſſitate: alii aiunt, eam, & ſi validè factam, eſſe iterandam. Ex quo patet, non eſſe, cur tam tutò hoc in negotio dormiatur. Diſtingunt verò, diverſam ſcientiam requiri pro diverſitate pœnitentium, ut inferiùs dicemus. Hanc portò ſufficientem, & neceſſariam doctrinam variis modis expoſuerunt, in quo ſcilicet ſufficientia iſta conſiſtat? de quo infrà.

Hæc autem quæ de Confeſſoribus ponunt, à fortiori Doctores comprehendunt, maximè autem primos ac Superiores, ſcilicet illuſtriſſimos Dominos Epiſcopos: à quibus dirigendi ſunt, & ſi errant, corrigendi inferiores, Doctores, & Confeſſores. Ubi quod ſemper, in hac praxi Eccleſiæ examinandi Confeſſores, ac etiam Doctores, manifeſtum invenies, ſcilicet Eccleſiam tamquam rem ſibi indubitatam ſupponere, ignorantias, & errores, ut quidam Recentiores conſtantiſſimè tenent, non eſſe regulas honeſtatis morum, & ſalutis; ſi enim idiotæ opidorum honeſtè operantur, & ſalvantur indoctiſſimum, ac idiotiſſimum, Parochum ſequendo ſicut ſequendo doctiſſimum quorum Eccleſia de doctis magis, quam de indoctis eligendis curat, ſi utriſque tutiſſimò commiſſas eis oves ſalvat? ſed de his ſatis ſuprà.

Jam graviſſimorum virorum monimenta hîc aliqua præmittenda ſunt, ne in dicendis inferiùs exorbitare videamur. ſuprà quæſt. 15. §. 1. verba D. Bonav. in ſuo confeſſionali conſignavi: cum ſecundum B. Gregorium, aiebat, ſit ars artium regimen animarum, *horrendum* profectò eſt videre quoſdam Sacerdotes noſtri temporis, qui ſacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars ſufficientiſſimè traditur, & jura canonica, & ſcripta Doctorum, in quibus pleniſſimè declaratur vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt; & tamen cordis medicos in audiendis confeſſionibus ſe profiteri impudenter non metuunt, &c. Tali ergo Deo odibili ignorantiæ, &c. Hæc Doctor; & eo loci utriuſque Doctoris Angelici, & Seraphici cum medico corporali collationem curſim expendi, & expendam infrà. Sed novo Medici animæ privilegio hæc utriuſque Medici comparatio everſa eſt; nam non ſolùm opinantur, ſed velut principium etiam quidam tenere volunt, Medicum quidem corporis occidere, ſi erret; at Medici animæ illud eſſe privilegium, quod nihil errando noceat; quin eum ſequenti ſit continuò Medici, & ſuus error: & perſuaſio honeſtatis, ſalutiſque regula. O Deus meus? Magiſter ſenten. in 4. diſt. 19. ſanè dici poteſt, quod altera iſtarum clavium, id eſt ſcientiam diſcernendi non omnes Sacerdotes: undè dolendum eſt, atque lugendum; multi enim licet indiſcreti, atque ſcientiæ, qua eminere debent, exortes, &c. & infrà: quia ſcientia diſcernendi plerique carent.

Suprà etiam B. Franciſcum Saleſium dodi dicentem, ſecundum Ven. Joannem de Avila ex mille vix unum reperiri regendis animabus idoneum; ipſe verò ait ex decem millibus vix unum talem reperiri. Vener. P. Ludovicus à Ponte to. 4. de ſtatibus nact. 5. §. 2. num. 7. eadem Medici corporalis, & ſpiritualis proportione rem iſtam egregiè proſequens concludit, magnam planè ſcientiam, ac prudentiam eſſe neceſſariam Confeſſori. Sed dicis: hi, quos allego, libri ſpirituales ſunt; Theologici non ſunt. Sed utrum verum dixerim, an non, abs te peto. Hi viri ſunt, qui Scientiam Dei, & Sanctorum in terra tradiderunt. Supereſt ut dicas, nec Deum ſcire Theologiam.

S. Thomas in 4. diſt. 24. quæſt. 1. ar. 3. ſibi objici Epiſcopos non habituros Conductores, & Miniſtros inferiores in ſufficienti numero, ſi talem idoneitatem in eis requirerent, à Sanctis deſcribitur, &c. Et reſpondet primò qualis negando, eos non inveniendos, ac deindè ſubdit; *ſi & non poſſent tot miniſtri inveniri, quot modò ſunt melius eſſet paucos miniſtros habere bonos, quam multos malos, ut dicit B. Clemens*: & ſcriptum eſt; *multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam*: eodemque Dei Spiritu S. Patriarcha Ignatius pervidens; Profeſſos Societatis, quales requirit, futuros eſſe paucos, præfert ad ſalutem animarum paucos ejuſmodi.

S. Gregorius in proœm. curæ Paſtor. & lib. 7. Regum ep. 110. & alias multa dicit; & eodem lib ep. 114. Theodorico, & Theoberto Regibus Francor. quod dicere pudet, inquit, & grave tacere

tacere, regendi Doctores, & qui docendi sunt, Doctores nec erubescunt fieri neque metuunt. Ducatum animarum imprudenter assumunt, quibus via omnis ignota est Ductoris, & quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Quod quam quam pravum, quamve sit temerarium sæculari etiam ordine, & disciplina monstratur, nam Dux exercitus non nisi labore, & solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, &c. Hæc inter alia Gregorius. Sed frustra Medicos, & Duces exercitus, & similia urgent juxta novissimas opiniones; nam Dux ignarus, & errans se, & exercitum perdit; & anima salva est, si erret, & eò magis, quo fortiùs erraverit, aut magis ignoraverit: ita scilicet quidam philosophantur; sed novissima, falsissimaque sunt.

Atque hæc, opinor, sufficient ad excitandam mentem ac accipienda placatiùs, quæ dicturi sumus, & ne quod sit, tamquam regula assumatur, & opponatur, quod quippè suo tempore ab aliquibus, sive multis, sive paucis fiebat, horrendum esse; ac Deo odibilem ignorantiam Bonaventura existimabat; & Thoma non absurdum, sed desiderandum censebat, si non tot Ministri, quot tunc erant, sed pauciores, & meliores invenirentur. Quarè adulatio esset, nec præsupponendum ad quæstionem est, Doctores nunc, & Confessores vel omnes, vel plerosque habere sufficientem doctrinam, sed seorsim ab hoc de re ipsa statuendum est de quo inferiùs.

§. II.

Insufficienter aliqui declarant hanc quantitatem doctrinæ, scientiæque necessariæ.

PRoponunt quidem, ut dixi, ac breviter expediunt hanc de confessionibus maximè quæstionem, & quantitatem doctrinæ necessariæ, tribus potissimum modis, verbisque quidam declarant, dicendo, scilicet, vel requiri doctrinam, ac scientiam sufficientem juxta côditionem pænitentium, vel requiri doctrinam communi modo, vel requiri doctrinam, humano & prudêti modo. Inferiùs verò tractabimus de alia declaratione magis doctrinali qua requiri solet scientia, qua inter lepram, & lepram dignoscatur, id est, qua sciatur, quæ sint peccata mortalia, & quæ venialia: & rursùs quæ sint circumstantiæ aggravantes, quæ speciem etiam mutent. Hoc nimirum sic dictum satis magnam scientiam requirit; at in sensu quorumdam Probabilistarum id dicentium nullam scientiam doctrinamve significat, sed historiam, & catenam opinionum tolerantium; & sic re vera omnem prorsùs scientiæ doctrinęque necessitatem tollunt præterquam eorum, quę cunctis certa sunt. Neque hi revera requirunt cognitionem, qua inter peccata, & peccata re ipsa, ac simpliciter talia distinguatur, sed qua sciatur, quæ sint peccata, & qualia secundum opiniones suas probabiles; neq; pensi habent, quæ superius ex Patribus attulimus: quæ item Augustinus aiebat, gravia multa esse, à Deoque judicari, quæ nobis levia vel nulla videantur: quæ demùm Gregorius lib. 4. Regist. cap. 31. scribit Mauritio Augusto: *& sunt multa, quæ de judicio illius homines ignorant; quia fortassè, quæ vos laudatis, ille reprehendet* &c. & libri quique spirituales supponunt. Sed hoc nunc omittamus.

Illi verò tres modi re declarandi sunt insufficientes. Tractavi de his, & convertibilibus aliis modis lib. 1. quæst. 14. §. & 13. Cum namque quæreretur ibi, quæ esset quantitas illa diligentiæ, quam pro scienda veritate, cognoscendisque obligationibus nostris, omnes omninò Theologi requirunt, respondebant quidam, sicut hic, docendo, requiri diligentiam necessariam; item sufficientem: item communi, & humano modo; & quoniam sicut in præsenti pœnitentes, ita etiam negotia sunt diversa, & alia aliis graviora, requirebant diligentiam majorem, vec minorem pro qualitate negotiorum. Atque postremo propter regularum harum exiguam, vel nullam claritatem, sicut in plurimis aliis quæstionibus moralibus, sapientium, prudentiumque judicio rem vel subjiciebant, vel relinquebant.

Rejeci eo luci, & aliàs hos modos explicandi quantitatem diligentiæ debitæ pro scienda veritate; & eodem pacto ad verbum eorumdem hic insufficientia rejicitur pro quantitate scientiæ, & doctrinæ Confessorum Doctorumque exponenda; quin ea hic iteremus, quæ ibi ducta sunt: & nunquam certè mirari satis possumus horum hominum inconsiderationem: qui hinc quidem clamant, veritatem inveniri non posse, nosque ideò lacerant, quia ad veritatem ipsam legum obligamus, eamque unicam conscientiæ regulam constituimus; aliundè verò ad omnia tam obvios, inventuque faciles habent sapientes, & prudentes; ac quos in singulis nos remittant: cum vel pueris à principio Logicæ notum sit, sapientem sine cognitione veritatis non constare. Quarè vel noscunt homines, nunc aliquos, qui in omnibus, vel plerisque saltem quæstionibus moralibus veritatem revera ipsam legum nostrarum norint, vel nullos similes agnoscunt? si secundum planè nugaster, dum ad sapientes nos mittunt ipsis primùm, & à fortiori nobis, & idiotis ignotos: & quod dicunt de veritate, hoc idem de sapientibus constituere deberent, eos scilicet latere, nec inveniri posse. Sin verò homines aliquos norunt, qui in omnibus, vel plerisque quæstionibus moralibus veritatem ipsam directam legum norint; profectò ineptiunt, dum aiunt veritatem vel semper, vel saltem plerumque inveniri non posse, & nos carpunt, quia ad eam obligamus: quia eundo ad hos sibi tam notos, & obvios homines veritas invenitur. Quis, oro te, eò usque desipiat, ut dicat, vinum inveniri non posse; venditores verò vini posse: divitias inveniri non posse; divites verò esse obvios, & patentes. At non minùs, opinor, fatuum est, sapientes ponere, vel vocare, qui cognitione veritatis ipsius careant, quam qui divitiis careant, divites ponere; vel vocare, sed de his, quibus tamen quasi principiis conscientias fideliũ, & regũr ipsi, & regi ab omnibus volunt, satis dictum est.

Itaque modi prædicti exponendi scientiam, & doctrinam Confessorum, & doctorum sunt insufficientissimi juxta dicta loco citato. Deindè hi modi opinandi de communi modo, de humano modo, &c. humanum sapiunt, & is finis esse videtur, ut approbetur, & salvetur, quidquid omninò, vel plerisque communiter fit: quod aliud non est, quam per consuetum tamquam per regulam docere, & philosophari contra scitum *non dixit, ego sum, sed, ego sum veritas*; & juxta illud Cypriani, *consenscere jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est*: item juxta illud sæpe ex necessitate usurpatum Augustini: *an hoc omnes non faciunt. Et quis non facit?* &c. quasi dicas in quasi in præsenti, an omnes hoc modo confessiones non audiunt, & casus resol-

vunt

vunt? & quis non facit? Certè nisi diligenter id caveamus consuerorum, & eorum, quæ communiter præsertim sine scrupulo fiunt, ingentissima est vis, ut ex Philosopho, & ex Augustino, & aliis sæpè noravimus. Egregiè verò Ambrosius lib. 1. de Cain, & Abel cap. 10. id declarat dicendò; *& velut echini cortice quodam nos vulgaris opinionis involvimur; aut velut cochlea, quæ nisi intra testa operimentum sint, spirare non possunt, nec acrem librum capere aut sustinere; sic nos non nisi intra quadam humana consuetudinis latibula terrena versamur*: quod & in vivendo, & in opinando, ac philosophando verũ sępènumero est.

Profectò modi illi philosophandi, declarandiq; Confessorum, & Doctorum sufficientiam usurpari eodem pacto potuerunt Prophetarum, & Salvatoris tempore pro sufficientia Doctorum illorum; tamque durum, & odiosum tunc fuisset plerosque illos Magistros insufficientes dicere; quam modo. Cum rursùs juxta Apostolum plurimi adulterarent verbum Dei, communis, & humanus modus tunc videri potuisset, quod hi plurimi faciebant; & si modò adessent, ne eorum tantam multitudinem insufficientem diceremus, & ad odium concitaremus, is communis modus, & plurimum probandus veniret. Idem divinissimus Apostolus coacervatos etiam Magistros morum, & confusam multirudinem fore prędixit. Dicis causa fingamus, tempus illud advenisse. His sanè viis de communi modo, de humano modo, & similibus eorum sufficientia probari deberet; & siquis Timotheus contradiceret, & præterea etiam increparet, omnis ei doctrina, & patientia esset necessaria: nam omnes hos coacervatos Magistros, eorumque auscultatores, qui erunt plerique ut supra diximus, haberet, sibi valdè infensos; & superbus ipse, ac intolerabilis videretur. Patet ergo ex his, & aliis obviis, modns dictis taxandi sufficientiam Confessorum, & Doctorum esse nimis humanos, & qui temporibus etiam periculosis, ac malorum Magistrorum, quibus utique fortiter resistendum erit, usurpari queant, nisi aliis viis Confessorum nostrorum, & Doctorum vel omnium, vel plerumq; sufficientia declaretur, & statuatur. Dixi præterea superiùs, eos plurimos, qui juxta veritatem per spatiosam viam ad interitum incedunt, non omnes esse idioras, sed habere etiam suos Doctores. & Ductores, & Victores, quos sequantur. Planè horum hac via incedentium communis modus, & humanus modus, & prudens is est, quem sui Doctores servant. Et tamen cum hoc suo communi modo, & humano, prudentique modo ad interitum eunt. Non ergo himodi dicendi satis cavent, quæ sit reveta quantitas illa doctrinæ, quæ est necessaria.

Sed istud & aliud significari potest per terminos, & modos illos, quod scilicet quædam humana scientia, doctrinaq; sufficiat. Verùm hoc rejectum est, & eversum quæstionibus præcedentibus: & priùs per Prophetam, dein etiam à Salvatore doctrinæ hominum, & humanæ expunctæ sunt. Non est ergo, cur per communem modum, & humanum modum, & similia res istas explicemus horrendus modus aliquorum sui temporis visus est Bonavanturæ; & Chrysostomus hom. 2. in epist. *cæterum hoc est*, inquit, *quod maximè Doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & confutare adversarios: cujus rei nullam fermè curam nunc haberi videmus; atque ingemiscimus.* An ergo vox faucibus hærere debet, nec liceat saltem ingemiscere, & cuncta ad adulationẽ dicenda sunt; sed verò scriptum est, melius esse pro veritate pati supplicium, quã pro adulatione beneficium. Et certè si communiter modus Doctorum, & Confessorum per vulgaria probabilia conscientias regeret, eorum nos cum aliis insufficientiam satis Ecclesiæ videremur; si rursùs communis, & humanus modus esset per humanas quasdam rationes, & opiniones gubernare, jam etiam ostensum est modum hunc esse insufficientem: & Hieronymus cap. 4. in ep. 2. ad Timoth. *à veritate auditũ avertent* inquit; *à veritate legis, quæ vitia damnat, ad rationes humanas*; &c.

§. III.

Magnam in primis esse oportet Episcoporum doctrinam; quia Doctores sunt; & indè ad inferiores philosophabitur.

QUamqum de omnibus absolutè Magistris ac Doctoribus multa suppetant in libro Dei, atq; in cæteris libris probativis, & plura superiùs consignara sint pro eorum ad veritatem, & scientiam ipsam obligatione; tamen cum illustrissimi Domini Episcopi sint in Ecclesia Dei post Romanum Pontificem primi, supremi, fundamentalesq; Doctores, expressius, distinctiusq; magnitudo, & quantitas doctrinæ eorum declarata est; atq; ex ea ad inferiores, privatosq; Doctores argumentum, & conjectum, fiet debita proportione servata. Utemur verò maximè epistolis Apostoli ad Timotheum, & Titum, quæ in hac causa clarissimè sunt.

Indubitarum in primis est, Episcoporum ex ipso suo officio debere esse Doctorem constat ex 1. ad Timoth. 3. pudicum, hospitalem, Doctorem. Et cap. 4. dum venio attendi lectiones, exhortationi, & doctrinæ; noli negligere, &c. hęc meditare, & in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnis: attende tibi, & doctrinæ: insta in illis: quæ certè non solùm necessitatem doctrinę, sed magnæ etiam doctrinæ satis palam efferunt & significantissimè denunciant.

Deindè in utraq; epistola multos falsos Doctores futuros denunciat, & quales illi futuri sint describit; vult verò illis omnibus, ac multis etiam speciem pietatis habentibus Episcopum resistere: ad quod sanè & doctrina, & magna quædam doctrina, & virtus necessaria est. Et c. 3. inquit: *tu verò assecutus es meam doctrinam &c. Ac rursùs tu verò permane in his, quæ didicisti & credita sunt tibi sciens, à quo didiceris: & quo ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instituere ad salutem*; &c. *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo ad omne opus bonum instructus.* Ex quibus liquidò patet, magnam debere esse.

Similiter ad Titum cap. 1. sic requirit; Episcopum Doctorem amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & porentem exhortari in doctrina sana, &c. atq; requiri non esse superbum, vinolentum &c. quem locum magis infrà expensurus sum. Ad hoc porrò, & ad doctrinas sanas amplectendas (quod ot Hieronymus, S. Thomas rectè observant, amantium, & benè confringentium est) & non sanas cohfutandas magna sanè scientia opus est. Probabilia verò illa ex veris, falsisque commixta hic semper fugienda sunt: & Sancti quique Dei harum rerum interpretes per fidelem sermonem, & per sanam doctrinam veram intellexerunt: atque ita intelligendam esse, alibi demonstravimus: demonstrationem scilicet syllogismum istum existimamus: omnis doctrina quæ est à Deo, sed nulla falsa est sana, sed innumeræ probabiles sunt falsæ: ergo innumeræ probabiles

babiles non sunt sanæ. Vel sic omnis doctrina, quæ est à Deo, est vera; sed omnis sana est vera. Atque ita Sancti interpretantur Hieron. Chrisostomus, & Thomas, &c. Quare Episcopus non debet amplecti falsas has opiniones non enim sunt dignæ amore, & amplexu sed magis respuere ea debet, & convincere, ad quod sanè nunc maximè quandò tanta est earum multitudo permagna scientia necessaria Episcopi est. *Sermo fidelis* id est, *verus*, inquit, S. Thomas: *in doctrina sana* id est, *quæ nulla falsitate corrupta est*: inquit, Hieronymus: *fidelem hic veracem dixit*, inquit Chrysostomus; & sic alii. Confingunt modò alii, quæ volunt; vera simul, & falsa commisceant, & probent, probabilitatem esse sanitatem doctrinæ, jactent; nobis propositum est in hac confessione moris, ut solas eas doctrinas, quæ à Deo sunt, id est, veras sanas credamus.

Episcopos itaque ex ipso suo officio Doctores esse, magnaque scientia opus habere indubitatum est in Ecclesia Dei; ut ex his indicatis locis, aliisque est manifestum. Idcircò idem Paulus gradus varios præcipuos Ecclesiæ, ordinemque distinguens ad Ephes. 4. ait: *quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Evangelistas; alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum*, &c. Ubi rectè Augustinus ad Paulinum cap. 59. scribit: *Pastores autem & Doctores, ut discernerem, volui, eosdem puto, sicut & tibi visum est, ut non alios Doctores intelligamus, sed ideò cum dixisset Pastores, subjunxisse Doctores, ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam, ideò enim non ait, quosdam autem Pastores, quosdam verò Doctores, sed &c.*

Multis etiam Conciliorum decretis id ipsum declaratum est, & quantitas simul, & qualitas doctrinæ explicata. Concilium tolet. 4 *ignorantia*, inquit, *mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas, frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum, attende lectioni exhortationi, & doctrinæ, & semper permane in his: sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Scitur verò, nomine Sacerdotum olim plerumque Episcopos significari solitos fuisse: de quo Pamel. Super Cyprianum.

Septima Synodus cap. 2. & habetur 38. dist. *omnes ait: inquiratur autem à Metropolitano, si in promptu habeat legere scrutabiliter, & non transitoriè tam sanctos canones, & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam Scripturam, atque secundum mandata Dei conversari, & docere populum sibi commissum. Substantia enim summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitùs tradita, id est, vera divinarum scripturarum disciplina: quemadmodum magnus perhibet Dionisius. Quod si dispeptaverit, & ita libenter facere & docere minimè spopondent, nullatenùs consecretur. Ait enim Propheticè Deus, tu scientiam repulisti; & ego repellam, te ne fungaris sacerdotio meo ex Osea 4. & huc faciunt multi textus* 38. *&* 39. *dist. &* 24. *quæst.* 3. *transferunt; & illud Chrysostomi, multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: & Sanctorum omnium testimonia, ut vel ex solis commentariis eorum* in epistolas ad Timotheum, & Titum sumitur, ubicumque in eas incidunt. Et 1. quæst. 1. cap. *nec sufficere asseritur; nec sufficere nobis ad salutem arbitremur, si turbis negligentium, & quorumcumque indoctorum fide, & actibus adæquemur, quibus sacris litteris unica & credendi pariter, & vivendi regula præscripta.*

Quod porrò in his Conciliis de legendis scripturis, & in consecratione Episcoporum adhuc servatur, non est intelligendum de lectione quasi Physica, quod ad primam etiam tonsuram, & gradus postulatur, & absurdissimè de eo in hoc sensu in consecrandis Episcopis quærerentur, utrum puerorum instar legere sciant utrumque test mentum? in quem quippe finem hoc Ecclesiæ Dei deservisset? Patet ergo sensus ex Apostolo, & his Conciliis: attende lectioni, inquit, utrique scripturarum, ut scilicet ipsas tamquam Doctor sciret, ut in contextu cernitur. Ad hunc modum lectionis Pauli Concilium Toletanum alludit: quare mox quasi pro eodem usurpans scientiam scripturarum requirit dicendo *sciant igitur Sacerdotes*. Etiam 7. Synodus ad eamdem Apostoli lectionem alludit; & insuper ad dictum Salvatoris, *scrutamini Scripturas*, atque Sacerdos, id est, Episcopus in promptu habere debet legere non transitoriè, sed scrutabiliter, & tamquam qui eas non solùm quoquo modo dicit, sed etiam scrutatus est, sanctas Scripturas; ideòque concludit, hanc esse substantiam summi sacerdotii nostri, id est, veram divinarum Scripturarum disciplinam. Atque hoc etiam adhuc Episcopi consectandi, & se scire testantur, & facturos esse promittunt.

Semper verò in consueta impingimus, nec desunt, qui per consuetudinem jura corrigere quodam modo videantur. Nobis porrò firmum est veritatem contra consueta quæque sequi: & de hoc paulo inferiùs distinctiùs dicemus; nunc verò si opponerent, multos Sacerdotes esse, qui ista nesciant, nec scrupulum faciat, respondebit Chrysostomus, multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; atque etiam ingemiscet, ut §. sup. ingemiscebat; & Augustinus, quod semper inculcat, dicet, hunc per paucos, per multos veritatem quærentium modum esse dolosè quærentium.

Egregia est planè hoc circa glossa 38. dist. ad textum Zozimi ad Isichium: ecce, inquit, quod sacrarum litterarum oportet Episcopum habere peritiam: undè in veteri testamento inter cætera ornamenta Pontifex Rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio, & veritas, (doctrinam, & veritatem habet textus ex 18.) quia in pectore Pontificis manifesta debet esse cognitio veritatis.

Hinc etiam David priùs ex gratia Spiritus Sancti donum scientiæ percepit, & posteà administrationem Regni assecutus est (1. Reg. 5.) Salomon quoque non divitias, non longa tempora hujus vitæ, sed sapientiam à Deo petiit, & impetravit (3. Reg. 3.) Hinc etiam Dominus priùs ponit verba sua in ore Prophetæ, & posteà, constituit eum super gentes, & regna dicens ad Hierem. cap. 1. *ecce dedit verba mea* &c. Hinc etiam Malachias ait; *labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.*

Hinc etiam Salvator noster priùs in medio Doctorum, sedit, &c. Hinc & Petrus cum Rectoribus Ecclesiæ scriberet ait; *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe &c.* Hinc etiam Paulus scribens ad Timoth. ait: *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*, ac iterùm, *attende tibi, & doctrinæ; hoc enim facientes, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* Ex quibus omnibus liquido colligitur, quod non sufficit Prælato bona conversatio, nisi addatur scientia doctrinæ

doctrinæ. Hactenùs glosa illa.

S. Thomas, qui non ita Theologiam scholasticam tradidit ut Theologiam planè ipsam relinqueret, sed tenceret; 2. 2. quæst 16. tractat de præceptis fidei, & scientiæ, & opponit sibi à p. 2. præcepta scientiæ magis pertinere ad Sacerdotes, quam ad Reges, juxta illud Malach. 2.& Oseæ 4. sed Regi mandatur, ut addiscat scientiam Deuter. 17. ergo multò magis Sacerdoti. Et respondet. Ad tertium dicendum, quod scientia legis est adeò annexa officio Sacerdotis, ut simul cum injunctione officii intelligatur etiam & scientiæ legis injunctio; & ideò non oportuit specialia præcepta dari, Sed doctrina legis Dei non est adeò annexa Regali officio; quia Rex constituitur super populum in temporalibus, & ideò specialiter præcipitur, ut Rex instruatur, &c Hæc Doctor; ubi habent, quod dicant, & Reges simul, & Sacerdotes; nam verè ignorantia mater cunctorum errorum, & malorum est.

Hæc verò necessitas doctrinæ, & scientiæ Episcoporum ex ipsa Pastoris ratione nascitur, vel in eâ magis involvitur juxta illud Salvatoris ad Petrum, *pasce oves meas*; & Petro quidem omnes: verò cæteris commissa est: alibi tractamus de illo dicto Cypriano quomodò unicuiq; in solidum pars cõmissa sit; neque enim hoc ipse intellexit, ut ad Cornelium nòn recurreret in causa Novatiani, & aliis Episcopi itaq; pascere debent sana, salutariq; doctrina fidei morum gregem suum: ad quod est cap. 34. Ezechielis cum commentariis Sanctorum. Quæ sanè res, nisi Scripturas Dei, & jura divina mutare placeat, sunt manifestissimæ; & hoc saltem caput Ezechielis legere possunt, & intelligere: & ibi sanè dicit, qui nos judicaturus, *væ Pastoribus Israel*: & idem ad similes omnes sive multos, sive paucos, si qui fuerint, dicetur; nec enim Deus noster multitudine terreri potest. Huc etiam pertinent vel ipsa nomina speculatorum, superintendentium, Angelorum, ut Malachias, & Joannes in Apocalypsi loquitur, & similia. Undè rectè Origines, suprà aiebat: hæc si cogitarent homines, numquam principatum ambirent.

§. IV.

Totius proinde scripturæ scientia requiri videtur in Episcopo: & inferioribus Pastoribus & Doctoribus hac proportione.

Totius, inquam, ut superiùs etiam explicatum est, quæ rectam doctrinam fidei morum tradit, ad eamque scientiam, & falsa contraria convincenda, confert, & juvat. Cum namque ut nuper dicebamus, hæc scientiæ; & sciendi obligatio ex officio Pastoris, ac gregē pascendi nascitur vel in claudatur grex autem ea duplici doctrina pasci debeat, nec alia magis Scripturariorum propria nosse teneatur scripturæ scientiam ad eam duplicem doctrinam restringimus: quæ totiua quidem scripturæ non tamen totalis: & quasi totaliter ejus scientia est.

Quærunt ergo Doctores. Utrum Episcopus sive teneatur utrumque testamentum, & an in sua ordinatione rogatus ad hoc, & respondens, quod sic peccet mortaliter, si necessitat? Sylvester ponit responsum Richardi; & ipse nihil dicit, sed transit; quo suo silenrio, satis dixisse videtur. Richardus verò ait, quod mentitur perniciosè, si ignarus sit scripturæ & mandatorum in generali, & articulosi fidei, ac virtutes, & vitia, Sacramentaque nesciat; non autem, si sciat ea, sine quibus officium suum convenienter exercere non possit: licet in aliis sit indoctus; quia videtur, quod consuetudo sic solùm velit. Hæc Sylvester ex Richardo. Sed hæc in primis explicatio, vel approbatio per consuetudinem, ineptissima est. Et deindè cum ad officium Episcopi pertineat docere, nisi explicetur, quæ docere teneatur, res explicatur relinquitur; nec sufficit, quod ea sciat, sine quibus officium suum rectè exercere non possit quoad reliqua; si præterea docere, quod ad suum officium ex divina institutione pertinet, & non possit, ubi aliorum dicta prætermitto.

S. Thomas, ut opinor, sapienter rem totam expedivit in 4 dist. 24. quæst. 1. ar. 3. Ulterius videtur, inquit, quod requiratur scientia totius sacræ scripturæ; quia ille debet habere legis scientiam, à cujus ore lex requiritur, sed legem requirunt de ore Sacerdotis, Malach. 4. Ergo ipse debet totius legis habere scientiam. Hoc argumentum sibi objicit, & promittit; ubi vides nomine scientiæ legis scientiam scripturæ intelligi, ut sæpè alias; quamquam etiam lex à Prophetis distingui soleat, & item legis nomine intelligi vetus testamentum.

Mox doctrinam suam, & ejus rationem tradit, & secundum ordinum diversitatem plus, vel minus requirit. Deindè ad argumentum propositum respondet, & post pauca subdit: alii autem promoventur ad alium actum, qui est suprà corpus Christi misticum; & à talium ore populus legem requirit; unde scientiæ legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes difficiles quæstiones legis; quia in his debet ad superiores haberi recursus, sed sciant, quæ populus debet credere, & observare de lege. Sed ad superiores Sacerdotes, scilicet Episcopos pertinet, ut etiam ea, quæ difficultatem, facere, possunt, sciant, & tantò magis, quantò in majori gradu collocantur. Hæc Doctor.

Hic recursus ad Doctores superiores, id est, Episcopos est juxta illud Deuter. 17. *si difficile, & ambiguũ apud te judicium esse perspexeris*, &c. ut inferius exponemus, & juxta praxim Ecclesiæ; & in causis majoribus, & difficilioribus ad Sedem Apostolicam fit recursus juxta perpetuam à principio praxim Ecclesiæ à sanctis Consiliis comprobatam.

Itaq; juxta S.Tho. totius propemodùm legis, & scripturę de credendis, & servandis scienda requiritur in Episcopo; & hoc saltem evincunt testimonia §. præc. adducta; Inquam totius propè Scripturę nõ autem totius absolutè, ut necessitas recursus salvetur; nam Dominus Ecclesiã, ut in potestate, sic etiam in doctrina ad instar ordinum Angelorum ordinatissimam fundavit; quarè nullus infra supremum Episcopũ ita sufficiens de necessitate constituendus est, ut recursu indigere non possit: nullus ergo, qui ad omnia prorsùs scieda teneatur: de quo Hierarchico ordine, qui per probabilia à fundamẽtis totus evertitur, infrà dicam denuò. Atq; S. Tho. in sua doctrina hanc quasi inferiorem à superioribus dependentiam, & indigentiam, aliquarumque proindè difficultatum in inferioribus etiam Episcopis ignorantiam permittit, nam Episcopos obligat ad scienda ea, quæ in lege etiam difficilia sunt, sed tantò magis, inquit, quantò in majori gradu collocantur: ergo non omnes æqualiter: sed scientiores esse debent Metropolitani; indè Primates & Patriarchæ: ergo non omnes ad omnia prorsùs difficilia sine exceptione scienda obligantur: nam obligatio sua est proportionata, & commensurata

surata jam dictæ indigentiæ, & ordini, nec obligatio excedit eam indigentiam. Quæ magis explicabo.

Dixi superius S. Thomam sibi objecisse, quod haud dubiè nobis objicient, scilicet non inveniendos Ministros, & Coadjutores Episcoporum in sufficienti numero, si talem idoneitatem in eis requiramus, qualis à sanctis describitur. Et prætereà etiam objicitur, si substantia summi sacerdotis nostri sit, ut 7. Sinodus inquit, vera divinarum scripturarum disciplina, sin minus consecrandus non est, nec sufficit Prælato bona conversatio, sed prætereà necessaria est hæc tanta doctrina, & quod ab ore ejus lex inquiratur, non inveniendos dignos in sufficienti numero ad Episcopatus. Hinc denuò peccabunt gravissimè, qui non dignos vel nominant, vel præsentant; item Ministri, qui Principi tales consultant: atque alia sequentur; ac demùm illud, scilicet paucos salvari: quia de his nulla pœnitentia agi solet.

Reddit S. Thomas responsionem tanto Doctore dignam, & planè sinceram, & notandam. Dicendum, inquit, quod Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei Ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et si non possent inveniri tot Ministri, quod modò sunt, melius esset paucos ministros habere bonos, quam multos malos, ut dicit P. Clemens. Hæc S. Thomas, in quibus multa continentur, quæ in longum tradi possent. Meliùs proindè esset paucos Doctores bonos, & scripturarum scientes, ex eisque viram christianam docentes habere, quam omnes, & quoslibet esse Doctores: ac rectè idem Doctor ad cap. 3. Jacobi, nolite plures fieri Magistri, inquit, non ergo prohibet quantitatem; quam tamen nomine quantitatis significat; quia frequenter eam sequitur. Hæc S. Doctor, id est, frequenter plures boni non sunt, obruant nos nunc, si placet, multitudine nihil per scripturas docentium. Dicimus igitur, dignos inveniendos in sufficienti numero, si digni promoverentur, & indigni repellerentur, etsi ita fieri, servarique omnes viderent, plures etiam se dignos efficerent, ac sanctas scripturas addiscerent, qui difficiliora, & prolixiora addiscere solent. Quod de peccato nominantium, ac ministrorum consultantium dicebatur, instatur primum, quia hactenùs illæsum apud sapientes servatum est Episcopatum esse statum perfectionis jam adeptæ: & facilius sanè non est multos perfectos invenire, quam invenire saria in debita doctrina Doctores. Deindè dicimus, rem esse istam summam, & in qua peccari facilè possit, si ministri consultantes dignos exquirant, qualiter matrimonia sua, vel suorum, aliaque hujus mundi exquirere, examinareque solent. Illud autem, quod pauci salvarentur, nos, ut secùs vivamus, terret; ut secus doceamus, non terret; quia non falsum, sed verum est, ut ostendemus.

§. V.

Ex his obiter illa quæstio solvitur, an Theologi an Jurista vel Canonista sint aptiores ad Episcopatum.

EX dictis sequitur, quæstionem istam vix dignam esse, quæ moveatur; nam prorsùs necessaria est Episcopo sacra Theologia, & substantia summi sacerdotii nostri hæc est, scilicet vera divinarum scripturarum disciplina, atque hæc disciplina, qua scripturæ sciantur, & qua eis contraria refellantur, consectaria colligantur, est sacra Theologia, ut suprà habitum est. Ergo prorsùs necessaria est hæc doctrina, & hæc est substantia: cæteræ verò doctrinæ vel sunt quasi accidentia, vel sunt præter doctrinam Episcopi. Hoc est tam manifestum, atque est manifestum in Ecclesia Dei, Petrum, & Paulum, & Joannem, & hos deindè Timotheum, Titum, Polycarpum, Ignatium, Cornelium; Julium, Irenæum, Augustinum, Athanasium, & hujus ordinis alios fuisse perfectissimos Episcopos, & in doctrina Episcopi propria absolutissimos Doctores: quales si haberemus, nihil planè superesset desiderandum. Hi verò Juristæ non fuerunt, neque hac doctrina, sed scientia scripturarum, id est, Theologia, & cognitione juris Ecclesiastici, sacrorumque Canonum Ecclesias rexerunt. Ergo manifestum est, hanc, quam hi nostri Principes & Doctores habuerunt scientiam esse sufficientem ad integram perfectionem doctrinæ Episcopis propriæ, & necessariæ.

Sacra itaque scriptura, & ejus scientia, & sacri canones, & horum cognitio se habent quasi substantia, & accidentia necessaria, & his duobus clauditur doctrina Episcoporum cætera verò ad sunt, & absunt præter corruptionem subjecti & scientiæ Episcoporum propriæ, ut de accidentibus non necessariis dicitur, vel etiam de omnibus alio sensu. Utramque porrò illam cognitionem perfectio Theologiæ requirit. Undè in una Theologia omnis perfectio scientiæ Episcopalis perfectissimè includitur.

Sed de Theologia scholastica quid. Brevissimè respondebo, eam planè necessariam non esse; qua parte Theologiæ absolute acceptæ aliquid adjicitur per eam particulam, *scholastica*. Hoc probo in facto argumento, nam in significatione communi ejus vocis, in qua loquimur, supra memorati Doctores Timotheus, Titus, Linus, Polycarpus, &c. Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, &c. Theologiam hoc modo acceptam nescierunt; nam planè fatemur, eam Theologiam, qua magni hi Doctores Ecclesias rexerunt, esse necessariam, quam proindè si scholasticam vocare quis insistat, nihil nobis adversatur; tamen illi Theologi scholastici minimè existimantur. Abundarunt nihilominus scientia Episcoporum, Pastorumque propria; & adeò eminentes in Ecclesia Doctores fuerunt; ut nisi inverecundè dici nequeat, alios ullos fuisse eis præstantiores. Ergo Theologia scholastica necessaria non est, qua parte per scholasticam aliquid Theologiæ simpliciter adjicitur.

Est nihilominùs illa utilissima, si Theologia scholastica, ut re vera est, hac voce significetur. Diximus quippè suprà, hos terminos *Theologia scholastica*, non esse terminos repugnantes, nec sese interimentes, sed in Theologia scholastica salvam esse debere Theologiam. Terminus igitur ille, *scholastica* neque est distractivus, neque differentiam propriè talem addit Theologiæ; sicut Philosophia naturalis, moralis, & prima, id est, Metaphysica addunt differentias, per quas rationem communem Philosophiæ in tres scientias dividunt. Non sic est in Theologia; nam hæc est una scientia specie infima; & athoma. Non ergo per scholasticam

aut distrahitur, aut contrahitur, dividiturve in aliam scientiam.

Duo itaque potissimum per Theologiam scholasticam addita sunt Theologiæ. Primùm ordo, & distinctio rerum tractandarum; erat scilicet Theologia in sanctis Patribus dispersa in variis libris, & opusculis, quæ pro necessitate, opportunitateque causarum ab ipsis scribebantur. Hanc igitur Petrus Lombardus in unum opus, ordinemque reduxit, ac distinxit: undè opus suum distinctionibus totum contexuit. Atque hoc in primis utilissimum fuit, & est, ubi scilicet ordinatam, unitam, ac distinctam quis inveniat, non otiquo Theologiam aliquam novam, & quæ eatenùs non fuisset, sed ipsam illam, quæ in Patribus, multisque voluminibus dispersa erat, Theologiam, & quidquid pro fidei, morumque doctrina necessarium est. Quod deindè S. Thomas in meliorem ordinem redigit.

Alterum, quod Theologiæ per Theologiam scholasticam additur est modus dictionis pressior, ac brevior, & nescio quid etiam utilitatis. Cum namque hæretici hoc eodem modo adversus fidem pugnarent, & inani sophisticaque Philosophia uterentur oportuit pro veritate exactiorem istam, pressioremque dictionem usurpare. Atque hæc maximè duo addita sunt, quæ ad ordinem, ac modum pertinent, & utrumque sanè utilissimum est. De cætero doctrina est eadem, & una Theologia, quæ fuit, & est: & falluntur prorsùs, ut superius ostendimus, qui putant, nescio quid aliud, & præter doctrinam scripturarum, & sanctorum esse Theologiam scholasticam. De magna vero quadam multitudine quæstionum, de quibus nihil planè in scripturis, & sanctis extra, quid faciendum sit, & an pertineant ad plus sapere, quam oportet sapere, suprà tractavimus; Certè illæ Theologiæ non sunt, neque necessariæ. Patet verò ex his ad quæstionem, Theologos utique esse præferendos; imò eos, qui Theologicam doctrinam ignorant, qualem exposuimus, dignos non esse.

Opponces: Ambrosius, qui omninò Theologiam ignorabat, & ad hoc Cathecumenus erat, seculares que tantùm literas noverat. Episcopos factus fuit, & vix ullus dignior extitit. Ergo Theologia necessaria haud est. Respondemus, Ambrosium speciali divinæ voluntatis manifestatione electum fuisse, ut scitur: ex quo ipso suppòsuerunt eum brevi summum quemdam Doctorem efficiendum esse, ut effectus fuit: verè enim si velit, brevi quis bonus satis Doctor fieri potest, si Evangelium, & Apostolum, reliquamque scripturam somat, & attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ, item sibi, & doctrinæ, & hæc meditetur, & in his, ut Paulus jubet, ac firmiter statuat, & credat, hanc esse substantiam sacerdotii sui, & contentiones & pugnas legis vitet, ac cætera fervet, quæ brevissimis Epistolis Paulus Timotheo, Titoque præscribit: nec aliter permittat pasci commissum sibi gregem, ex peditiorem quippè, & breviorem arbitramur hanc scientiam necessariam, quam utilem, & vanam aliam.

§. VI.

Paulus Apostolus sapientissimè taxavit scientiam Episcopo necessariam, dicendo, ut potens fit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.

Hoc ita exponemus, ut simul jam dicta confirmemus. Ne verò quisquam existimet, nos nova aliqua obtrudere, aut antiqua quidem, sed tamen Theologiæ minùs convenientia, S. Thoma Doctore, & commentatore uteremur.

Dicit ergo Doctor lect. 3. in Epistola ad Titum: super docuit. qualem oporteat esse Episcopum invita, hic ostendit, qualem oportet esse in doctrina. Et nemo ostendit, quod ad ipsam requiritur diligentia studii. Secundo ponit materiam studii. Tertio ejus utilitatem. Quantum ad primum dicit, *amplectentem*; aliquid enim amplectens illud diligenter constringit & amplexus ex dilectione fit. Oportet enim scientiæ inhærere cum amplexus, id est, firma adhæsione animi, & cordis dilectione ex Sap. 6. & Prov. 4. Hæc Doctor. Sed quibusdam displicet hæc ad scientiam propria, & vellent omnia arbitraria relinqui; & nos paratos esse ad sic, & ad non, ut in usu rerum temporalium, id est, vellent nullam esse scientiam, & siquidem hic v. g. omni moda scripturarum necessitate certamus, optarent, & versatili quadam mente, si ipsos ita liberet, diceremus, eas nihil esse necessarias.

Materia studii non debet esse, subdit Doctor, fabulæ, neque temporalia, sed sermo fidelis, id est, verus. Et probat scripturis. Utilitas est facultas exequendi officium suum, officium autem Prælati est, sicut Pastoris Joan. ult. Pastor vero duo habet facere, scilicet pascere gregem ex 1. Petri 5. item arcere lupos. Sic & Episcopus pascere debet per doctrinam veram ex Jerem. 3. Hæc Doctor, vos dicitis per probabilem: sed hæc glossa in nullo sanctorum invenitur; & quidem doctrina deber esse Dei; ergo vera: Christi ergo vera: Ecclesiæ, ergo vera, sana, ergo vera: nam sanitas doctrinæ est veritas ex Doctore, & ex lumine naturæ, nam omne falsum est malum intellectus, & doctrinæ.

His præmissis, accedit S. Doctor ad textum propositum Apostoli, qui expendendus est. Subdit itaque: & ideo dicit, *ut fit potens exhortari in doctrina sana*. Non dicit ut exhortetur, sed ut fit potens exhortari; & probat, & dicit, *in doctrina sana*, id est, absque corruptione falsitaris, & probat ex Exod. 25. & Luc. ult. & 1. ad Thessal. 2. & ideò dicit, & eos, *qui contradicunt arguere*, id est, convincere, & hoc per studium sacræ scripturæ; & probat ex 1. ad Timoth. 3. Hæc Doctor. Ecce nos, oro, te; quæ alia his nostris quæstionibus tradimus.

Notat verò continenter Doctor: & hæc duo secundum Philosophum pertinent ad opus sapientis, scilicet non mentiri, de quibus novir, quantum ad primum, & mentientem manifestare posse, quantum ad secundum. Scitur autem mentientem, vel non mentientem in hac operis sapientis descriptione non de mendacio morali intelligi, sed non mic perindè esse, ac verum dicere, & posse manifestare mentientem, id est, reum, qui falsum dicit, ut ex ipsa etiam descriptione potest, & ex phrasi aristotolica, & quia nò vir bonus

sed

sed sapiens describitur; de cætero scilicet ignorantissimi quique veraces esse possunt.

Post hæc Apostolus probat, quam sint illa duo necessaria Episcopo, quia multi falsi Doctores futuri erant, quos etiam describit, & S. Thomas egregie declarat. Sed modo nobis hærendum est in illis duobus, per quæ Apostolus sapientissimè & Doctorem definivit & quantitatem scientiæ Episcopi necessariæ declaravit, & taxavit. Et huc, precamur, veniant Probabilistæ, & suos illos tot nobis sapientes vel ex Philosopho philosophicè, vel ex Paulo Christianè declarent.

Debet ergo Episcopus esse Doctor, & sapiens in Ecclesia Dei; & materia sapientiæ ejus declarata est, quæ quippè est recta fides, rectique mores, & hoc per studium scripturarum. Hunc Doctorem, & sapientem per suum opus proprium exponit nobis Paulus per ea verba, *ut sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*, id est convincere, & hoc per studium scripturarum, ajebat Thomas, & Paulus ipse toties intimaverat; & deindè hanc sanam doctrinam, & sapientis doctrinam esse verum supponimus nunc tamquam rem luce ipsa clariorem, nisi velis falsorum cognitione quem esse sapientem, id est, errantes esse sapientes.

Propositio Apostoli universalis est, sicut etiam Philosophi, quod sapiens potens esse debeat verum docere, id est, exhortari in doctrina sana & potens etiam, ens, qui secus docent, & falsum docent, manifestare, & convincere: quemadmodum si diceremus, lapidarios potentes esse debere, veras gemmas approbare, falsas autem reprobare; etsi inter utrasque discernere nequeant, seu apparentes omnes approbent, non periti sunt, sed ineptissimi; sicut & in aliis artibus cernitur.

Universalis porrò illa potestas utrumque illud agendi, id est, verum docendi, & falsum convincendi, in primis non convenit, sed ex diametro repugnat Doctoribus Probabilistis, & per reflexas docentibus; nam hæc via non modo non est vera docendi, & falsa per reflexas assumere, commiscere, totamque istam sic compactam massam approbare, ac tueri; ex qua certè massa nullus panis fiat vitæ, & intellectus. Hi ergo non solùm Doctores non sunt, quales vel Philosophus ponit, vel Apostolus describit, sed potius opus eorum proprium est contrarium sapienti, & Doctori, & ad eos Doctores magis pertinent, quos Apostolus ipse 2. ad Timoth. cap. 1. depingit. Quid igitur tam ultro, citroque hos nobis sapientes obtrudunt, quibus nihil, quod in sapientem hominem cadere possit, sed contraria omnia conveniunt, & ideò planè evidenter, ut disputationi nullus sit locus apud intelligentes, quid loquantur.

Deindè nec finitio assertioque Apostolica congruit Doctoribus, aut minùs probabilibus, aut æquè, vel etiam aliquantò plus probabilibus, hoc est, eis, quibus vel magis convenit falli, quam non falli, & falsum docere, quam verum, vel æquè, aut aliquantò plus convenit non falli, & vera docere, & non falsa. Atque hoc etiam evidenter conspicitur; nam Apostolus duas quasi potentias requirit in suo Doctore Episcopo, & quod potens sit exhortari in doctrina sana, id est, vera; & quod potens sit convincere falsa, seu unam potentiam ad hæc duo, scilicet pro veris, & contra falsa; nullum autem pro falsis, & contra vera, & sana. At Doctor, cui magis convenit falli, quam non falli, & falsa docere, quam vera, non solùm non est potens pro veris; & sanis contra falsa, sed potius potentior est pro falsis, & non sanis contra vera: & similiter cui non magis convenit non falli, quam falli, aut aliquantò plus id convenit, æquè; vel ferè æquè potens est pro falsis contra vera, & sana. Neuter igitur est potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, convincere, manifestareque mentientes.

Explicatur; quia utrique hi Doctores non magis essent potentes ad illa duo, quam non potentes, seu impotentes; non ergo essent simpliciter, & absolutè potentes: at Paulus absolutè, & simpliciter ponit, ut suus Doctor sit potens: ergo illi non essent Doctores, quales Paulus requirit. Sic cui non magis convenit esse frigidum, quam calidum, aut verum, quam falsum, simpliciter, & absolutè nec frigidus est, neque verus. Ergo cui magis, vel ferè æqualiter convenit falli, quam non falli, & non sana dicere, quam sana, non est potens exhortari in doctrina sana, & arguere docentes non sana. Probent itaque semel, doctrinas falsas etiam probabiles, id est, doctrinas non utique Dei, sed mundi, & carnis, vel Dæmonis esse sanas; & tunc dicere poterunt, Doctores suos esse potentes exhortari in doctrina sana. Secunda verò pars assertionis Apostoli, *& eos, qui contradicunt, arguere*, id est, convincere, deleri ab Apostolo debebit; nam probabilibus doctrinis vel semper, vel sæpè probabilibus aliis contradicitur: ergo sanis; non ergo arguendi sunt, quæ contradicunt. Itaq; sicut veritati, ita scripturis, quæ veritatem ipsam continent, ubique, ut vides, probabilitates illæ repugnant. Paulus scilicet tamquam rem notissimam supposuit, doctrinæ sanæ per doctrinam sanam contradici non posse; alioqui contradicentes arguendi non essent; ergo supposuit, in omni contrarietate, & contradictione unam solam partem posse esse sanam: at non supposuit, falsam esse sanam, & veram secus: ergo supposuit, solam veram esse sanam; cui quicumque contradicit, arguendus sit, & convincendus, & manifestandus de falso.

Confirmatur, nam. Apostolus in eum finem Doctorem suum Episcopum vult esse ita potentem, ut scilicet pascere possit doctrina sua, sanoque partu gregem sibi commissum, & custodire ipsum ab herbis, doctrinisque non sanis. Hoc porrò non præstat, qui æqualiter, & promiscuè gregem pascit doctrinis sanis, & non sanis, veris, & falsis, seu magis pascit non sanis, & falsis. Rursùs talis Doctor impotens esset discernere inter doctrinas sanas, & non sanas veras & falsas. Non ergo potens arguere, & convincere eos, qui docent non sanas. Quinimò cum ipse magis, vel æqualiter tradat falsa, & non sana: qui verò unum docet, contradicenti resistat, id est, contradicat, fieret. ut potius, vel æqualiter argueret, reprobaretque vera, sana, quæ approbanda, fovendaque erant. Hinc æqualiter dissiparet, & destrueret, atque ædificaret, dum doctrinæ Dei, & veritati contradiceret, & resisteret. Hinc rursùs pessimus superintendens, speculatorque foret in commissa sibi Ecclesia, & grege; & alio superintendente, & speculatore etiam

ordinario indigeret supra se, qui eum toties errantem, & decipientem argueret. Denuò quia ideò ea potestas in Episcopo requiritur, quia Angelus Domini exercituum est, & populus ab ore ejus legem requirit. At si magis, vel æqualiter se habet ad verum, falsum, populus ab ejus ore non magis habet legem, quam non legem, nam quoties fallitur, non legem dicit, sed contrarium. Ob hæc, & alia infinita patet, eum cui magis vel æqualiter convenit falli, non esse potentem exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Non ergo habet doctrinam Episcopis ab Apostolo taxatam nec philosophicè, nec christianè, aut sapientis, aut Doctoris nomen re ipsa meretur.

Diximus itaque sæpè, & explicuimus, omnes enuntiationes, & assertiones universales, qualis utique assertio Apostoli est, vel comprehendere omnia inferiora sine exceptione: vel comprehendere saltem omnia ferè inferiora, & cum rara exceptione. Hoc arbitramur evidentissimum terminos intelligentibus; nam si inferiora ex æquo, vel ferè se habent ad ita, & non ita, non potest universaliter enuntiari, & affirmari magis ita, quam non ita, ut talos coenses projiciendos esse, vel non coenses; Seniores in ludo lucraturos esse, vel juniores; pares exercitus victuros esse aut vincendos; & sic in aliis. Et patet etiam ex ipso actu enunciativo intellectus nam intellectui aliquid enuncianti id videtur verum; quod enunciat; & falsum contrarium, & hoc est, intellectum ferri sub ratione veri. At quoties prædictum non magis convenit, quam non convenit inferioribus, nequit sub hac repræsentatione videri intellectui, unum magis verum, quam contrarium, & illud magis convenire. Nequit ergo unum præ alio enunciare, ut fusè ostensum est part. 1. Undè de Doctore, qui non magis potest exhortari in doctrina sana, quã non sana, nec magis arguere docentes doctrinas non sanas, quam contra, nec mihi, neque Apostolo verum videri potest, eum esse potentem exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere; quia hoc prædicatum non magis convenit, quam non convenit subjecto respectivè ad suas doctrinas. Sicut si plerique Episcoporum essent ad ea duo impotentes, vel media pars esset potens, media autem impotens, universaliter verè dici non possent. Episcopi sunt potentes exhortari in doctrina sana, &c. quia non magis essent, quam non essent: & alii essent, & alii non essent.

Requiritur ergo, ut semper, & ferè semper, id est, in omnibus, vel ferè in omnibus sit Episcopus potens exhortari in doctrina sana &c. Et ita sunt in sacris scripturis assertiones universales, aliæ nullam admittentes exceptionem; aliæ admittentes aliquam, sed raram, & ut in paucioribus, ut multis exemplis ostendit S. Prosper lib. 2. de vocat. gentium. Et ratio est; quia plurimæ assertiones scripturæ sunt instar nostrarum, ut est illa omnes declinaverunt, & similes multæ, & omnes accipimus pro fere omnibus: & ea, quæ ferè semper ita se habent, universaliter proferre solemus, ut Matres diligere filios; senea canescere; benè viventes benè mori; amorem amore conciliari. Atque similia universaliter enunciari posse, patet etiam logicè nam intellectus inter alios modos assentiendi, & affirmandi habet assensus, & enuntiationes particulares; & universales opinativas; de ratione autem assensus universalis opinativi est, ut deficere in aliquibus possit, & per hoc differt ab assensu certo. Sic etiam in sacra scriptura propter eamdem rationem, & causam propheticæ comminationis ex genere suo aliquando carent effectu, ut in morte Ezechiæ, in subversione Ninive &c. & tamen veræ sunt, ut cum S. Thoma Theologi declarant, & sensum habent instar assertionum nostrarum de dispositione causarum secundarum, ut scitur. Quarè de Doctore, qui ferè in omnibus sanam doctrinam docere potest, & contradicentes arguere, verè dicere possumus, eum esse potentem exhortari &c. licet raro, & in paucioribus deficiat.

Existimamus porrò, hoc, & non plus Paulũ requirere in Doctore suo, quia ordo Hierarchicus Ecclesiæ, sicut in potestate, ita etiam in doctrina servandus est, & necessitas recursus ad superiores, maximè verò ad Sedem Apostolicam, ut exponemus. Si Episcopus non magis sciat, quam ignoret, non poterit corrigere, & dirigere, quæ sub se sunt, & alio etiam ordinaro superintendente, speculatore, & Pastore indigebit. Requiritur ergo, ut sicut potestatem, sic etiam scientiam habeat ad omnes causas ordinarias, & quod ferè de omnibus dijudicare possit. Sin verò ad omnem omninò scientiam, & difficillimarum, & majorum quarumque causarum obligaretur, hoc ipso constitueretur non indigens recursu: quod est contra ordinem Ecclesiæ, & dependentiam omnium Pastorum à supremo in terris Pastore. Tales ergo Doctores esse tenentur, ut egere possint alio Doctore supra se. Non ergo scire omnia omninò sine exceptione, sed aliqua pauciora, & magis extraordinaria ignorare possunt, & in quibus ad superiorem etiam ipsis recurrendũ sit. Atque hoc modo quæ Paulus de doctrina Episcopi taxavit, & quæ ipse de ordine Ecclesiæ docuit, & Ecclesia ipsa à principio servavit, aptè conciliantur.

§. VII.

Ex his, quæ de Episcopis dicta sunt, taxatur etiam doctrina cæteris Doctoribus inferioribus, & Confessoribus necessaria.

Memento semper Lector, non de ea doctrina tractare, quæ in scripturis Dei est, vel ex eis aptè colligitur quoad fidem, & jus naturale, & divinum attinet, & quæ præter hoc humanis inventionibus inducta sunt, periculosa, & insufficientia habemus, ut ostensum est. Jam igitur ex dictis de doctrina Episcopis necessaria taxanda etiam venit doctrina cæteris inferioribus Doctoribus, & Confessoribus necessaria.

Et primum quidem in genere loquendo compertum est, sicut in causis cernitur, pro majori, vel minori magnitudine sphæræ agentis requirã majorem, vel non tantam virtutem in ipso; altius porrò agens majorem habet sphæram; major ergo virtus in ipso requiritur; sic autem est etiam in Doctore, Magistro, sicut in causis, & agentibus reliquis. Quarè per se loquendo major scientia, & doctrina in Episcopo requiritur, quam in Doctoribus, & Confessoribus

bus suis inferioribus, Episcopus enim quasi lex est totitus diæcesis, & ipsorum etiam Doctorum, & Confessorum inferiorum; & pastor quoque eorum, qui exempti non sunt. Undè ipse supra reliquos judicare debet, & consequenter etiam scire. Non ergo tanta scientia, & doctrina in inferioribus requiritur, ut Theologi suprà de Confessoribus distinguebant, majorem, vel minorem doctrinam pro qualitate pœnitentium postulantes; & S. Thomas de ipsis quoque Episcopis eodem modo distinguebat.

Hinc conspicitur scientia Episcopis necessaria non æqualitate, proportione taxandam esse scientiam, & doctrinam inferioribus Doctoribus, confessoribusque necessariam. Doctor ergo quilibet, & Confessor tenetur habere scientiam, & doctrinam proportionatam, & commensuratam sphæræ suæ minori; sicut Episcopus commensuratam majori. Explicabat autem Apostolus hanc proportionem: ac commensurationem per hoc, quod Episcopus sit potens exhortari in doctrina sana, suas scilicet oves omnes, & eos, qui contradicunt, arguere. Ad hoc ergo idem tenetur, & obligatur Doctor quilibet inferior, & Confessor respectu eorum, quos docet, sive in particulari materia, si in ea solum docet, sive in negotio universo, si in toto docet.

Eam verò mensuram ab Apostolo postulatam explicabamus, Episcopis dicendo, eos non obligari ad omnia prorsùs sine exceptione scienda; hoc enim tolleret necessitatem recursus ad superiores, cum qua necessitate Dominus Ecclesiam suam fundavit tam in potestate, quam in doctrina. At diximus non sufficere, ut Episcopi magis, aut ferè æqualiter se habeant ad exhortandum in doctrina non sana, & falsa, sicut in sana, & vera, & quod ipsi tam arguendi sint, & convincendi aliis, quam alios arguere possint, & convincere. Undè conclusimus, quod ferè semper, & ut in plurimum debent posse exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, & in quo ignorant, sicut in quo non possunt, ad superiores recurrere. Tantundem ergo, & nihil plus, aut minus requiritur in Doctore quolibet, & confessore inferiori in sphæra sua minori, & respectivè ad eos, quos docent, vel pascunt.

Nunc universim confirmatur denuò hæc doctrinæ mensura & taxatio, etenim Doctores sunt visibiles quædam regulæ eorum, quos docent & ducunt, vel pascunt, docere verò, & ducere, vel pascere debent, ut supponimus in doctrina sana, & vera, id est, docere ac instituere, quæ sit re vera lex & voluntas Dei bona, & bene placens. At par. 1. multipliciter ostensum est, de ratione regulæ esse, quod vel semper, & sine exceptione, vel saltem ferè semper verum attingat, & non erret: atque infrà hoc nullam manere rationem regulæ, sed solùm fortunam, sortem, & casum. Hoc diximus evidentissimè conspici in regulis, & mensuris omnibus hujus mundi, & quibus non multò magis convenit ita, quam non ita, & ulnam v. g. magis mensurare, quam non ulnam, libram, quam non libram; nullam nec infimo quidem gradu competere rationem regulæ, & mensuræ; & cæteras omnes fore stateras dolosas, & Deo abominabiles. Ergo Doctor quilibet tenetur eam doctrinam habere, qua in sphæra sua potens sit exhortari in doctrina sana, & vera; & eos, qui contradicunt arguere ferè semper, & Parochus quilibet, & Confessor ad hoc obligatur, & in quibus ignorat, ad superiores recurrere.

Explicatur, & confirmatur; nam propositio fidei est voluntatem Legemque Dei esse primam ac supremam regulam morum, & actuum humanorum omninò sine exceptione; omnes autem Doctores, vel Angelos, vel puros homines cum omnibus suis doctrinis esse regulas secundarias, ac primæ, & supremæ illi subordinatas, quarum bonitas & rectitudo omnis consistat in conformitate ad primam illam, supremamque regulam, quin hoc quati, labefactarique possit ab ingeniis Recentiorum contra stimulum calcitrantium. Quoties porrò concordant veri sunt; si magis habent discordare, regulæ non sunt, si item æqualiter, aut ferè, nec tunc regulæ sunt, sed sors, & casus, & perindè esset per sortes, voluntatem, legemque Dei explorare; & inquirere, ac Parochorum loco sortes instituere. Necesse ergo est, ut hæ regulæ visibiles, hi Doctores concordent ferè semper cum sua prima, & suprema regula; quod idem est, atque requirere, ut unusquisque sit potens in sua sphæra minori, vel majori exhortari in doctrina sana, id est, vera, & eos, qui contradicunt arguere. Jam verò superiùs explosi illam nescio quam voluntatem consequentem Dei, quæ priores, & quasi suas omnes voluntates deroget, & opinionibus nostris subjiciat, nosque demùm supremas regulas effingat; quod quidem inconsideratissimi quidam Recentiores comminisci possunt, Deus autem facere non potest. Et quid, ô Deus, simili quadam voluntate omnes tuas voluntates non abjecisti, & falsorum Prophetarum, & Doctorum legis, & hæreticorum opiniones non subjecisti? & eam constituisti supremam legem quod quippè nobis videretur.

Dicis, hoc supposito multos damnandos. Respondeo, in Evangelio dictum non esse multos salvandos, & paucos damnandos: de quo satis suo loco. Dicis difficillimum esse, quod hanc tam doctrinam Doctores quique, & Pastores addiscant. Distingo, eam quærant modo philosophandi ab Evangelica simplicitate, & doctrina sanctorum alieno, quem nuper exhorruit sanctissimus felic. record. Alexander 7. transeat: sin vero eam quærant in Evangelio Salvatoris, in beatissimo Paulo, ac cæteris Apostolis, in sensu ipso sanctæ Matris Ecclesiæ, & sanctorum, & unusquisque statuat, hanc esse doctrinam nobis de cœlo allatam, in qua, & perquam nos salvari opporteat, nego. Paulus porrò ad Timotheum cap. 1. cap. 6. contestatur: *hæc doce, & exhortare*, quæ scilicet ipse Prædixerat: *si quis autem*, subdit, *aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ*, id est, quæ pietatem alit, & fovet, *superbus fit nihil sciens* &c. Ecce Ambrosius ex Præfectura ad Episcoparum invitus rapitur; & quam brevi effectus est tantus Doctor? Ecce Augustinus mille quæstionibus plenos, & irretitus stylum beatissimi Apostoli accipit, & statim evanuerunt quæstiones omnes. Vis ergo scire, quales esse debeant Episcopi, quales servi, quales fœminæ, quales viduæ, virgines, nuptæ quales demùm christiani omnes? Accipe duntaxat Evangelium, & Paulum cum commentariis sanctorum, & brevissimè fermè totum confectum est negotium. At inquis; aliter ego scire vellem, & alios dein docere.

Respondeo itaque tibi, quod Paulus, *si quis autem aliter docet*, &c. super has est, nihil sciens. Itam ad Thessal. fideles Epist. 1. cap. 4. rogat, & obsecrat in Domino Jesu, *ut quemadmodum accepistis à nobis, quo me vos oporteat ambulare, & placere Deo. sic & ambuletis: non aliter.* Deindè fateor tibi præter hunc scripturarum canonem; & regulam non modo, ut objicias, difficillimum, sed impossibile etiam esse, quod Episcopi, reliquique Doctores ad eam scientiam perveniant, quam necessariam constituimus.

§. VIII.

Hujus doctrinæ cum sententiis Theologorum concordia, & ulterior comprobatio.

Data de privatis Doctoribus, Confessoribusque doctrina hac propositione clauditur, quod scilicet tenetur saltem plerumque verum ipsum nosse, & docere in materia, & sphæra uniuscujusque sua. Sententiæ itaque Theologorum de doctrina Confessoribus, de quibus magis tractant, necessaria satis concordare videtur. In primis illa, quæ doctrinam efficientem, & pœnitentibus proportionatam postulabat: nisi enim ea saltem doctrinæ quantitas, quam posuimus, requiratur, nihil significare videbuntur voces illæ de doctina sufficiente, & pœnitentibus proportionata. Intentio deindè, & sensus Theologorum & cæterorum ex eo elicitur, quod quoties de confessariis Principum, Ministrorumque primorum incidit sermo, omnes, ut magis expendemus quæst. seq. supponunt, eos debere esse sapientissimos, & doctissimos, magnamque quantitatem doctrinæ desiderant. Hæc porrò quantitas aliter, quam à nobis declarata est, explicari nequit; siquidem regulæ esse debent: & infrà plerumque saltem verum nulla superest ratio regulæ, ut sæpè ostensum est. Quoniam verò Principum, & primorum Ministrorum amplissima est materia, & sphæra agendorum, ideò inter confessores quasi summa, & cæteris major scientia requiritur in eorum Confessariis, eodem autem jure in cæteris requiritur scientia sphæræ, & materiæ uniuscujusque proportionata, & plerumque saltem vera.

Neque verò, quod sæpè demonstratum est, scientia ista, & doctrina sufficiens, & pænitentibus proportionata esse potest doctrina illa, seu magis historia opinionum hominum, sed ipsius re ipsa legis Dei, quæ; non verò opiniones, nisi in quantum cum ea concordant, est regula vivendi. Hoc ratum, & sanè mirandum est, quod Recentiores omnino velint, me, & alios cum suis opinionibus concordare; & sin minùs, offenduntur, & intereà hoc unum, quo opus propemodum omne nostrum clauditur, ferre nolint, suas opiniones, & doctrinas omnes, & capita concordanda; subjiciendaque esse legi Dei, ei nimirum, quam Deus re ipsa dedit; & sin minùs, nullam suam opinionem, & doctrinam esse regulam, sed antiregulam, & contra regulam, & alio, Rogavit quidem olim discipulos, Dominus; *quem dicunt esse filium hominis?* Et responderant, alii *Joannem Baptistam* &c. Sed non in his falsis existimationibus hominum, sed in veta Petri Confessione Ecclesiam suam ædificavit. Sicut porrò de se ipso, ita & de lege sua veritatem requiret, & de ipsa lege sua, & per illam ipse Dominus nos judicabit. Maneat ergo quod toties demonstratum est, doctrinam sufficientem à Theologis requisitam non esse historiam illam opinionum hominum, quas nescias, utrum concordent cum suprema regula, an potius anti-regulæ, & contra regulæ sint.

Jam alii Theologi explicatius tradebant, scientiam unicuique confessori necessariam eam esse qua inter lepram & lepram distinguat, id est, sciat quæ sint peccata mortalia, & qualia, & cujus speciei signatè, vel exercitè; quæ venialia, quæ nulla: quæ circumstantiæ, & quales, & quæ solùm aggravent, & quæ notabiliter, quæ etiam speciem mutent? Et certè hanc communissimam sententiam ego de plano suscipio totam; modo eam historiam reflexam opinionum intelligendo, rotum significatum non evertant.

Ut porrò & sensus Theologorum magis innotescat, qui dum hanc doctrinam ponunt, textum illum Deuter. 17. memorare solent, & doctrina ipsa denuò confirmetur, textus transcribendus est, utilius quippe his, quam ratiunculis hinc indè nostris chartas implebimus. Sic itaque Dominus & tunc illis, & nunc nobis præscribit. Volunt verò Theologi unà omnes textum valere in doctrina fidei, & contra hæreses; velint ergo, eumdem, qui de moribus magis in specie tractat, identidem valere.

Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram; & judicum inter portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus veniesque ad sacerdotes levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis: judicium veritatis. Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco &c. & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam earum, neque declinabis ad dexteram, neque ad sinistram, hoc est, neque addes, neque tolles.

Hic est integer textus, tritus quidem, sed doctrinalissimus, ac Probabilistarum maximè vias; & modos, ut jam aliàs expendi, è medio tollens. Hunc memorare eo Theologi solent, ubi in confessore eam cognitionem, & peritiam, inter peccata, & peccata distinguendi modo dicto deposcunt. Juxta illum ergo mens ipsorum, & intentio intelligenda est: & quamquam non tam ad judices, vel consultores, vel Confessores institutio dirigatur, quam ad eos, qui ad ipsos recurrunt, tamen traditur etiam, quæ, & qualia cognitio in illis requiratur. Textus quidem de cognitione legis magis in specie statuit, quo tamen à fortiori in causis fidei Orthodoxi uti passim solent. Non ergo eæ solutiones adhiberi poterunt, quibus admissis nihil ille aduersus hæreticos valeat. Talis profectò foret nuga illa, & distinctio de foro interno, & externo, quasi de hoc, non de illo accipiendus sit.

Jam ergo in primis protruditur modus ille per reflexas inter causam, & causam, & lepram, & non lepram judicandi, & resolvendi. Patet; quia reflexæ istæ tunc locum habent, & inducuntur, quando judicum, Doctorumque sententias, & verba videmus variari: at tunc juxta Dominum in servo suo Moyse, non in hac varietate ex ipsa reflexam nescio quam veritatem eliciendo quiescendum est: *sed surge*, inquit, *ascende*: non ergo ista

ista reflexa cognitio lepræ,& non lepræ Peccati & peccati sufficit,si autoritas Domini sufficit.usindè juxta Dominum,hæc talia,in quibos nempè Judicei Doctoresq; variant,sunt difficilis,& ambigua, id est propriissimè dubia , ut etiam part. 1. lib. 4. demonstratum est: atqui per se notum est, & Dominus jubet, in ambiguis, & dubiis non esse maoendum,sed ulterius quærendum:& Deus ille , qui iu Synagoga,ut hoc etiam loco vel supponit , vel promittit, non deficiebat,minus multò deerit in Ecclesia sua. Rursùs Dominus judicium veritatis requirit,*quæresq; ab eis*, ait, *judicium veritatis*: hoc porrò judicium veritatis non est judicium variantium,& inter se dissentientium,aut indè haustum subtilissimum illud judicium reflexum,ut putant,veritatis:hæc enim cuncta habeat quisque inter portas suas, & habemus modo in Ecclesia qualibet, & in confessoribus quibusque inter portas nostras ; & tamen Dominus jubet surgere , & ascendere ad locum , & ad sacerdotes ab ipso constitutos pro judicio veritatis, & discretionis inter causam , & causam, inter lepram, & non lepram. Ergo hoc judicium debet esse ipsius directæ veritatis,dato etiam, quod commentitia illa reflexa veritas esset veritas. Demonstrat præterea Dominus quod sit hoc judicium veritatis , *& docuerint te* , inquit , *juxta legem ejus*. Judicia autem reflexa non sunt juxta legem Dei, sed sæpissime materialiter saltem,& re ipsa contra legem Dei ; ideoque ponunt materialia , & quando etiam sunt juxta, casu ita est. Concluditur ergo his reflexis, & historiis relictis , requiri cognitionem, & judicium quo directè inter causam , & causam ; inter lepram , & non lepram , inter peccatum , & non peccatum,& tale dijudicetur: & ubi judicium,& Confessorum, Doctorumque videtimus verba variari, surgendum esse, & ascendendum aliò,ut §. seq. dicemus,& plenius lib. 4. pro ipso judicio veritatis.

Exemplum etiam ipsum lepræ nos hac iu re abunde instituit quamquam enim protsùs voluntatio, & falsissimè illud discrimen inret Medicos corporis, & animæ inductum sit, ut Medicus corporis errando quidem occidat ; animæ verò non modo non occidat , sed per errores etiam ipsos sanet, ac in cælum ducat, hoc tamen quam sit falsum, ex hoc toto libro patet: & hæc etiam quæst. §. 1. significatum est: Cælum enim, & terra transibunt ; transite autem non poterit sententia Domini definientis: *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, nisi etiam hoc, sicut Decreta doctrinalia, ut loquuntur, Romani Pontifices à Consiliis Principum, Senatibusque,probandum sit , ut valeat.Patet autem,lepram haud fieri non lepram,vel non reddi lepram leptam ex verbis,& sententiis Judicum,velDoctorum dicentium lepram , vel non lepram esse lepram (excipe conscientiam erroneam ipsius operantis) sic ergo est etiam de Confessore: & necessaria prorsus est cognitio lepræ, & non lepræ in se,& peccati , & non peccati re ipsa , & juxta legem ipsam Domini : sin minus erit casus cæci cæcum ducentis , & consolantis quidem, sed perdentis.

Postremò quis , ubi adversarios fortiti sumus, qui nihil nobis admittant , & ipsis quasi principiis distamus, pars aliqua felicitatis est, ubi in argumenta ad homines incidimus. Enim vero in præsentia ita ad homines arguere licet. Textus propositus valet in causa fidei , nec adversariorum evasiones de reflexis, & similes valent in causa fidei. Sed textus , ut conspicitur, est magis in specie de causa, & causis morum. In his ergo eodem modo,& jure valere debet: & quæ solutiones in causis fidei vanæ sunt , plane vanæ erunt , in causis morum. Quemadmodum ergo in causis fidei , relictis omnibus ambagibus, & judicibus variantibus, & reflexis, & circumloquiis ipsa directa veritas fidei, ejusque cognitio necessaria est in Doctore tamquam iu Doctore , & docente ; in docto tamquam in docto , & docto ; sic prorsùs idem in causis morum servandum est ; & quibus modis primum adversarii adstruent contra hæreticos, eisdem nos secundum contra ipsos evincemus.

Ostensa itaque necessitare scientiæ, & cognitioois causarum ipsarum in se, & leprarum, & non leprarum in se, & peccatorum , & specierum modo dicto juxta legem Domini , id est , judiciis conformibus re vera legi ejus, quod aliud non est, quam Theologiam ipsam , quæ directa, & vera est, dicere necessariam, jam quantitas hujus scientiæ & paulo antè declarata est;& nunc etiam ex textu ipso sumitur. Etenim hi judices , & cognitores causarum , quos inter portas suas habebant , erant medium commune , & ordinarium, quo , & ex quo finis intentus obtineretur judicii veritatis per descriptionem veri, & falsi, lepræ, & non lepræ, & idcircò quasi extraordinarium, & rarius quidpiam illud in textu ponitur : si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam , & causam &c. & judicum inter portas tuas videris verba variari. Et rursùs quia alioqui insufficientes hi judices forent ; sicut si apud judices nunc nostros Regios causæ non tarò, sed frequentius, ut vocant , remitterentur. Quin cum in ea variatione non eodem in loco terminari causæ possent, sed surgendum esset. & ascendendum ad locum, quem elegisset Dominus, non satis provisum illi populo fuisset, si causæ, & lepra , & non lepra inter portas suas plerumque dignosci non possent: imò hoc ex loco adversarii etiam nostri occlamare solent dicentes, num in causis, casibusque quibuslibet conscientiæ ad Sedem Apostolicam recurrendum sit ? Ergo hoc esset inconveniens. Aliud autem est, quando non propter verba variantia Judicum , & defectum sententiæ , sed propter subordinationem tribunalium per viam appellationis ad superiores recurritur , quamvis & in hoc excessus esse possit, & notus est Bernardus : sed hoc nostrum haud est. Postremò sensus textus propositi ex sensu Ecclesiæ innotescit, & perspicitur, nam ad eam ferè formam Ecclesiæ ordo constitutus est:& scitur,in omnibus pænè Conciliis id sancitum esse , quo dnon obviis , & ordinariis,sed in causis majoribus, & difficilioribus ad Sedem Apostolicam recurrendum sit. Ergo communiter, & regulariter Judices ordinarii sufficientes esse debent, non mi homo, ad judicium probabilitatis, de quo nihil est in libro Dei , sed ad judicium veritatis juxta legem ipsam Domini, cujus civitatis, & reginimis Rex, ut ex Augustino toties ingerimus , veritas est.

Confessores itaque, & Doctores singuli constituti sunt ut secundum legem aliam vel judicent, vel doceant , sed secundum ipsam legem Dei ju-

dicent pœnitentes, & cæteros doceant, suntque visibiles quædam regulæ in Ecclesia, non ut loquantur, non ut causas ultrò resolvant, sed ut ipsorum ministerio vivant secundum legem Domini. Hoc porrò non habetur, nisi semper, vel ferè semper agnoscant legem ipsam, & ex ea dignoscant, quæ sit lepra, & quæ non lepra: quod peccatum, vel non peccatum, & quantum, & quale, &c. Ergo tenentur hoc nosse: sin minus sumus in textu, si cæcus cæcum, &c.

§. IX.

Hoc etiam in loco Probabilistæ Domino contradicunt: ubi aliquid de necessitate recursus ad superiores.

Ecce ergo Probabilistæ, & Dominus per famulum suum Moysem sibi apertè contradicunt. Dominus scilicet dicit, *si difficile, & ambiguum apud te judicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem* &c. *& judicum inter portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum*, &c. ubi habeatur judicium veritatis. Quid est, oro te, judicum verba variari? est opinor, eos discordare, & diffidere, ac alios lepram, alios non lepram propter difficultatem censere. Quid verò tunc facto opus juxta Dominum: *surge*, inquit *& ascende* &c. cujus verò rei gratia surgendum est, & ascendendum? *Quæresque ab eo*, ait, *judicium veritatis*. Vos verò quid dicitis? Judices ecce variant; non alii quilibet de vulgo, sed ipsi constituit, judices, viri, ut loquimini, graves, prudentesque sunt, qui dissident. Num vestra vox non est. Utrumque est probabile? Et inde per reflexas habemus mox securitatem, certitudinem, & evidentiam, quantam volumus. Quid est, *surge*, & *ascende*? Quid est, *quæresque ab eo judicium veritatis*? An si hoc requiramus, nos apud non desipimus, mundumque turbamus? Sed ô Deus meus, tu, cujus verba in æternum stant, *surge*, dixisti, & *ascende*: ac ex variis discordantibusque judicum verbis vivere prohibuisti; ipsa lex tua, quæ veritas est, requirenda est, ex qua vivatur, & lepra, & non lepra dignoscatur.

Neque verò accusari possunt, textum esse extraneum; quem scilicet etiam ipsi ad causas religionis afferunt: ponant ergo in eis solutiones suas, & videbunt, quales sint. Rursùs ipsi ad causas etiam morum, & ad Confessores eum adducunt. Ergo juxta illum in his quoque, & in casibus conscientiæ decernendum est. Non ergo permanendum est in verbis Confessorum, Doctorumve variantium, & diffidentium &c. Sed surgendum, & ascendendum, & quærendum judicium veritatis: nec hanc unquam propositionem ulla multitudo adversantium demolietur, nos per universam Dei scripturam sic jussos esse vivere ex lege Dei, sicut justi sumus vivere ex fide sua: lex autem sua sic est ipsa illa, quam re verà dedit: sicut fides sua.

Jam hinc de recursu, de quo etiam hoc lib. quæst. 1. dictum est, aliquid cursim dicemus. Cum enim verba Moralistarum sint sæpissimè varia, & contraria, & in unaquaque fermè quæstione lepram, & non lepram alii, aliique dicant; nosque contendamus, in hoc dissidio, si veritas alterius partis non innotescat, permanendum, non esse, nec ex hoc incerto vivendum; clamant, & vix non rident dicentes, num ergo singuli ituri Romam sunt, consulturique Judicem causarum doctrinæ fidei, & morum, quærendumque ab eo judicium veritatis? & quasi absurdissimum hoc esset, conquiescunt.

Cæterum hoc in primis non nobis, sed Domino opponant, cujus est sententia. Transferant deinde hos suos questus ad causas fidei, atque in ore hæreticorum reponant. Num ergo etiam hæreticis in incepto suo permanere liceat, ne absurdum id consequatur: ut singuli Romam venire cogantur? Age igitur, & tollamus semel judicium in terris supremum sicut causarum morum, ita etiam fidei.

Itaque lib. 4. ostendemus, quo pacto sine tanto incomodo ab incerto opinionum exire singuli possint, vivereque ex veritate, id est, ex lege Dei. Rursùs verò ipsi Romani Pontifices pro sua solicitudine pastorali hunc nobis laborem præripiunt: & bullæ, constitutionesque quotidie prodeunt, si discere vellemus; nec ita pridem, universis Christi fidelibus intimatus est mæror ille magnus Pastoris tunc in terra supremi Alexandri 7. eo, quod irrepsisset in genere modus de moribus philosophandi ab Evangelica simplicitate, & doctrina sanctorum alienus. Hæc planè universalissima denuntiatio satis esset, ut si quidem Romam consulere adeò durum censent, Romam saltem audirent, caverentque, & sibi consulerent ut facerent sanè in rebus mundi.

Sed verò voces quasdam, murmuraque audimus res has non considerantium, nec considerare volentium, & ut verè dicam, quod sentio, scandolosa, & primo quidem, quasi Doctores privati non quæstiones, & commentarios scriberent, sed Decreta, bullas constitutionesque expedirent, dicere quidam non erubescunt, decreta esse Doctoris privati: alii ajunt; opiniones morales damnatas tamquam ut minimùm scandalosas posse nihilominus esse veras; alii, qui quid cathedra sit, & quid sit ex cathedra dicere, nesciunt, ajunt Romanum Pontificem ex cathedra locutum non esse; alii, eum magnam illam Probabilitatem opinionibus adimere non posse: alii Senatuum approbationem desiderari. Quæ sanè demonstrant, rerum statum miserandum.

Hæc porrò, & similia dicunt, obloquunturque homines, quibus alioqui firma est hæc conclusio: Romanus Pontifex in causis doctrinæ fidei, & morum errare non potest. Hæc rursùs loquuntur homines, qui si quid simile adversus suos contrarios ex sede illa prodeat, se vicisse incunctanter existimant; & pro summo scandalo habent, si similia illi obloquantur. Hæc ergo dum considero, fateor, me haud ita esse stolidum, qui sperem, vi doctrinæ adversus eos confireri quidquam posse,

Jam verò ex his attactis satis manifestè liquet, his opinionibus, & modis ablatam esse omnem necessitatem. utilitatemque recursus ad Ecclesiam, & ad sedem Apostolicam in foro conscientiæ, pro quo potissimùm & Ecclesia, & sedes ipsa illa fundata est. Demonstravimus scilicet part. 1. lib. 1. quæst. 7. quomodo via ista probabilium efficiat Autores omnes privatos, quin re, & praxi Confessores quosque, & Parochos indefectibiles regulas immunitatis à culpa, & ho-

& honestatis: in his ergo non necessarius, sed vanus, otiosusque est recursus, & tantum valet dictum Confessoris, quantum bulla Pontificia, & Canon concilii, & Evangelii. Ostendimus præterea hanc privatorum hominum infallibilitatem esse quasi duplò ampliorem, quam Ecclesiæ, & Dei. Ergo rursùs cessat necessitas, & utilitas recursus ad Ecclesiam saltem in causis morum, & per consequentiam in causis fidei. Undè totus ordo Ecclesiæ, & Hierachia corruit: & nullam censeo salva obedientia ad Sedem Apostolicam excogitari posse opinionem Autoritatis ejus magis evertivam: ex qua deindè via opinandi absurdissima illa, vel dicta, vel murmura nascuntur, quæ nuper referebamus.

Est verò universus hic modus philosophandi contra textum propositum ac sensum etiam Theologorum in controversiis fidei: item ipsi ad Confessores quoqua illum, ut dixi, applicant. Servandus est ergo in utrisque controversiis. At controversia aliud non est, quam dissidium affirmantium & negantium; & plerique libri morales aliud non continent, quam has controversias, dissidia, affirmantium, & negantium lepram. Ergo concludendum haud est, utrumque probabile, & tutum esse; sed ut Dominus dicit, *& judicium inter portas suas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & ad sacerdotes leviticì generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eo judicium veritatis*, &c. Hoc servandum est, hoc in causis majoribus, & difficilibus constitutum est. Sunt autem causæ maximæ illæ de principiis universalissimis totius vitæ Christianæ: in quibus etiam visum est, quo Judex inclinaverit.

§. X.

Sed quid si hæc fermè omnia à multis negligerentur?

Dicet itaquè forsitam aliquis, nos procùl à praxi multorum, & usu, & velut de ideis Platonis per has omnes quæstiones vagari, cum tot, & tanta pro Theologiæ ipsius directæ in se necessitate; contra suitates item, & divisiones, ac interpretationes antecedentes, & postremò pro sacrarum scripturarum necessitate, pro magnitudine doctrinæ in Episcopis, cæterisque pastoribus, & Doctoribus requisita induximus, quæ scilicet cuncta à multis in praxi prætermitti, & negligi videntur. Oportuisset ergo propius ad praxim accedere, aut juxta illam de singulorum obligationibus humaniùs res istas tractare, & statuere, neque ea requirere, quorum nulla sit cum, in quo oleum, & opera perdatur, necesse est.

Cæterum primo hoc libro quæst, distinguemus, & dicemus esse quæstiones, & resolutiones alias absolutas, & nullo præsupposito; alias quibusdam jam positis, & ex suppositione. Et priores quidem sunt de bono, & malo simpliciter; posteriores verò de malo solùm; & minus malo; & illæ magis, & non hæ ad scientiam per se pertinent, & facilè secundæ ex primis resolvuntur, cum per bonum simpliciter, malum, & minùs malum dignoscanrur, sicut obliquum, & magis ohliquum per rectum. Undè ut sæpè diximus, non per praxim, & per id, quod fit sive à paucis, sive à multis, bonum dignoscitur, aut scientia judicetur, sed contra.

Enim verò irrepsisse apud aliquos videtur modos ille philosophandi ab Ezechiele Propheta cap. 13. sub Metaphora parietis prædictus, ut qu. 4. explicatum est; nam populus quidem ipse primùm ædificabat parietem utique malum; & dein venientas Prophetæ, & Doctores, qui deberent parietem evertere, non hoc faciebant, *sed liniebant eum luto absque temperatura*, id est, ratiunculis, & prætextibus cohonestabant. Sic contingere potest in omnibus officiis, & statibus, quod multa mòle inducantur, non quidem primùm à Doctoribus, sed ab ipsis, qui in his officiis, & statibus sunt; & dein superveniant Doctores, quibus cum durum videatur praxim tantorum damnare, & evertere, non valituris rationibus, & sic luto absque temperatura per quandam ut sibi videtur misericordiam liniant, & injustitias manus suæ concinant, ut Regius etiam Propheta loquitur, id est, fuco justitias videri faciant: & hæc sanè magna esset misericordia, si nulla demum harum rerum, & praxia ratio reddenda esset, vel reddenda ea esset his ipsis linientibus parietem, coneinnantibusque injustitias; vel ipsi potestatem saltem haberent obligandi judicem Deum & cogendi, ut non secundum scripturas suas, & dicta sua, sed secundum hæc linimenta judicet mundum. Quæ cum somnia sint, prætensa illa misericordia, & pietas, ut sæpè dolens dico, non pietas sed crudelitas est.

Usurpabo itaque ad hæc, & similia Cajetanum virum non assertoriè, sed scientificè philosophantem. Tractat. 2. 2. quæst. 62. art. 2. quid sit faciendum; quandò quis impedit alium, ne digniori conferat beneficium? & docet, & declarat, quomodo ipse distribuens teneatur ad restitutionem ex integro, & ad æqualitatem, item ejus Consultores: impediens verò non teneatur restiruere in æqualitate, sed proportione, quæ est etiam doctrina S. Thomæ eo ert. Miseri fanè collatores beneficiorum, & etiam judicaturarum (nam par est ratio) & miseri Consultores, si hæc vera sunt; nam Dominus non ex probabilitate veritatis vacua, sed ex veritate ipsa mundum judicabit: illa autem evasio, & subterfugium, quod hi dixerunt, & illi dixerunt contritum satis est.

At verò subsumit ibi Cajetanus, seu subintergat, sicut nos, & inquit. Sed quid dicendum in casu, quo corrupta esset Ecclesia in capite, & omnes avaritiæ studerēt, & sola venalitas, aut voluntas, aut aliqua conditio extranea à justo esset ratio distributionis, aut dissipationis beneficiorum, & unus alium supplantate quæreret, qui cui restituere teneretur, cum omnes sint indigni, cum nulla impediatur distributio, quia omninò non fuisset justè datum beneficium, sed adhibitum, &c.

Respondeo, inquit, quod sicut in moralibus sunt, ut dicitur in 7. Ethicorum vitia duplicis ordinis, quædam humana, ut avaritia, pusillanimitas, furtum, & similia; quædam vero bestialia, ut coitus cum animalibus, veritates, & hujusmodi, & de illis disputatur; ista relinquuntur; ita in Ecclesia (& sic etiam in Curiia) quædam sunt vitia Ecclesiastica, ut intrusio, simonia, & aliqua mala distributio, impedimentum præstare digniori, & hujusmodi, quædam autem sunt vitia babylonica, quæ indigna sunt disputationes;

tatione; & hujusmodi sunt vitia Romanæ curię, quandò (quod avertat Deos) venalitas, voluntaa, lenocinium, & hujusmodi distribuerent beneficia.

Hæc Cajetanus in hypothesi; & hæc ego in hypothesi in ista quæstione, & in omnibus. Verè enim nos abolere, & extirpare non possumus scripturas, & verba Dei; in eis autem traditum est, ipsa esse necessaria, ut sciamus rectè, & christianè vivere; item Episcopum debere esse Doctorem, & potentem exhortari in doctrina sana, & eoa, qui contradicunt, arguere, & reliqua, quæ disputavimus & ex omnibus sequitur, *arcata est via*. Et cur, quæro Recentiores aliquos, cur, inquam, hæc, & hujusmodi alia in Cajetano, & aliis omittant, & laxiora solum aliqua conquirant, & divulgent? Nimirum vel hac sola doctrina hujus articuli si servetur; sufficit ad salutem Reipublicæ magna ex parte; cum ex beneficiis ad Præfecturas, Judicaturas, & omnia fermè Reipublicæ munera consecutio sequatur; nam sunt beneficia ecclesiastica non sunt ipsorum distribuentium, sed hi solùm dispensatores sont; sic nec Reges, nec Consultores sunt domini, sed solum dispensatores eorū munerum, & tenentur legibus justitię distributivæ, sicut notat ibi Cajetanus de Papa non obstante sua plenitudine potestatis: sed laici videntur oscitari, & existimare, rerum quidem Ecclesiasticarum, & spiritualiom reddendam esse exactam rationem, temporalium vero non ita. Si cui autem nimis duri, austerique in his quæstiodibus videbimur, legat, ut alia omittam, sermones duos ad Concilium Rhemense, qui extant inter opera Bernardi, & blandientis ætatis miserebitur.

QUÆSTIO XX.

Ergo Confessarii gravissimè tenentur agnoscere, & tollere ignorantias pœnitentium.

Nisi saoè, ubi multa vera manifestare oportet, aliquibus Domini dicta velut fulcris innitamur, periculum est, ne à mundo, & carne, & sanguine in adversum abripiamur. Illa me modò solantur, quæ dicit Luc. 7. *beati eritis, cum vos maledixerint homines* &c. *secundum hæc enim faciebant Prophetis Patres eorum: item à contrario: væ, cum benedixerint vobis omnes homines: secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis Patres eorum.* Constituimus verò suprà ex Petro Apostolo, hoc esse in Ecclesia Magistros bonos, & malos, quod in populo Prophetas, & ac Pseudophetas: inconsiderationemque illam dictis sanctorum repulimus, qua cum quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt, nihilominùs ad Judæos solùm, & nō etiam ad nos ea documenta referunt, cum ut ex Augustino totica resumimus, depositą jactantia omnes homines simus; & satis etiam nunc tria illa sanè prævalent, quibus malum omne clauditur, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, ac amicitia hujus mundi quam latè dominatur. Pseudoprophetarum natio semper sanè numerosior placentia, undè benediceretur, locuta est; Prophetæ contra tristia, timoremque Dei incutientia denunciarunt: ex quo displicuerunt, & passi sunt, satis certè alienis experimentis instituimur, si discere vellemus: & ea hic ad rem essent, quæ in prolog. lib. 4. ex Salviano adducimus.

§. I.

Necessitas extrema veritatem hic manifestandi.

Memorat illustris Fagnanus in cap. ne *innitaris*, &c. eam aliquorum in Belgio Illustris. Episcoporum verè dignam assertionem, ex rectà scilicet, vel non rectà administratione sacramenti pœnitentiæ perdere potissimum fidelium reformationem, relaxationemve. Cujus asserri ea est ratio potentissima, quod cum hoc sacramentum sit commune, & ordinarium medium ad justificationem peccatorum, qui post baptismum iterùm Dominum crucifigentes lapsi sunt, hoc item medium ad emendationem, & novitatem vitæ in posterum instituendam, profectò ex ejus bono, vel malo usu reformatio, aut corruptio omnis consequitur.

Multi, vel pauci hoc unum considerare videntur, utrum sacramentum hoc suscipiatur, ac frequenter etiam suscipiatur, supponuntque communem, & ferè omnium tam confessariorum, quam pœnitentium praxim administrandi, & suscipiendi esse rectam. Hinc etiam nostras, vel aliorum securiores doctrinas judicant, & taxant dicentes, eas non esse concordabiles cum dicta praxi, & sic eas esse inpracticabiles, ac proindè inutiles, & velut Platonis ideas ut paulo dicebam; quod & religioni Christianæ, & Evangelio objectum pridem fuit. Hæc certè oppugnatio, ut constet, ad hunc syllogismum est resolvenda: praxis communis, & ferè omnium sacrameotum pœnitentiæ administrantium, & suscipientium est recta. Sed hæc, aut illa doctrina huic praxi non concordat. Ergo non est recta. Sanè si majorem propositionem nobis stabilirent, non quidem magis, ut loquitur Augustinus, locorum commonium, sed fundamentis propriis, & autoritativi, rem nobis facerent longè gratissimam, & à magna solicirudine, timoreque liberarent; quod si fiat, quæstiones istæ nostræ muribus corrodendæ relinqui certè poterunt. Sin vero praxis ista recta non esset. non nos taxandi, corrigendive sumus, sed illa.

Illud verò adversus eam nos continuò torquet, oculosque mentis in singulis pœne quæstionibus obversatur, quod verissima sententia illa sit, quam lib. 4. ex Evangelio, ex sanctis, Theologiaque, opinor, demonstrabimus, ex adultis etiam catholicis non plerosque, non plurca, sed pauciores salvari. Sed si communis praxia sacramentum pœnitentiæ administrandi, suscipiendique esset recta, ista est, valida, & justificans, non pauciores, sed plures, & plerique omnes salvarentur: quod constat; quia plures, & plerique omnes susceptis sacramentis, & aliquantò sanè accuratiùs, quam in integra valetudine obeunt, & quamvis contingere possit, ut historiis quibusdam proditur, eos post adeptam etiam justificationem iterum cadere, hoc tamen multis de causis perrarum est. Ergo communis, & ordinaria praxis non recta, sed deficiens est, ac sæpè de-

pè deficit. Et confirmatur; quia aliqua eorum, quibus ostensuri sumus, pauciores salvari, probant itidem, pauciores justificari: ergo praxis frequenter deficit.

Ex nullitate porrò sacramentorum in mortis periculo fit argumentum à fortiori ad nullitatem in sana valetudine: multo enim accuratiùs disponi pœnitentes solent in eo periculo, confessoresque impensius, & diutiùs illis ritè disponendis incumbunt. Et tamen sæpè fallit, & deficit praxis etiam in mortis periculo. Ergo sæpiùs in vita. Quo historia illa S. Francisci facit, qui ex viginti, & pluribus millibus Jubilæi Lucrandi gratia Assisium confluentibus quatuor solum, vel quinque illud lucratos fuisse testatus fuit. Non est ergo, cur tam tutò per hanc praxim doctrinas judicent, & taxent, sed doctrinæ potius examinandæ primum sunt, utrum veræ sint; & si veræ inveniantur, ex eis & per eas de praxi judicandum est, cum impossibile sit, rectæ praxi veras doctrinas repugnare. Hoc itaque nos continuò torquet, qui fieri possit, ferè omnes susceptis sacramentis obire; & tamen tam paucos salvari, si praxis deficientissima non sit, & quod demùm, ut hispanè dicimus, ultimamente salgan tan mallas cuentas, nec tabulæ sibi cohæreant.

Theologi pæne omnes, qui dictam paucitatem tuentur, ut Molina, Montoja, Mendoca, Alapide ad illud Matth. 20. *pauci vero electi*, opponunt sibi hanc difficultatem. Et respondent sacramentum pœnitentiæ sæpè nulliter suscipi etiam ab infirmis periclitantibus. Punctum ergo est hoc longè gravissimum, & quod velut principium moralis doctrinæ Moralistæ examinarent: haud enim pietas, sed crudelitas est, fideles hujus tanti periculi non commonere, & dicere pax, pax, ubi non est pax; quod moris non Prophetarum fuit, sed Pseudoprophetarum: quemadmodum si rogatus ego de securitate itineris, ubi plures pereunt tuta omnia pollicerer, vix fera non essem.

Theologi communiter causantur defectum veri doloris, & propositi efficacis in posterum non peccandi, hocque multipliciter exponunt, & Montoja exemplum affert eorum, qui in mari jactantur: quod nos semper probavimus, & post in mari quasi ad oculum vidimus. Defectus propositi efficacis eo argumento commonstratur, de quo alias fusè disputamus: velle quippè efficaciter non possumus non facere ea, quæ videmus à nobis facienda, nec datur voluntas efficax non futuri cogniti. Sed vident multi fideles, se vivendo, ut vivunt, facilè, ac sæpè peccavisse; in quo si oculos ex industria, & affectatè non claudunt, vident, idem futurum, si modum vivendi non mutent; nec sæpè de hac mutatione facienda seriò, ut in summa rerum oportet, quidquam cogitant, tractant, resolvuntve. Vident ergo, si oculos modo dicto non claudant (quod certè non valet) se peccaturos, & iidem manens idem facturum idem, ut est in proverbio. Ergo velle efficaciter non possunt non peccare; eritque proindè dolor, & propositum oris, & non cordis. Quod utinam non tantæ experientiæ commonstrarent. Liber est, fateor, & mutabilis homo, & nunc verè conversus perverti dein potest, & quod ex decem sensim mutarentur aut sex aut etiam octo mirandum fortè non esset; sed quod tam citò, & tam facilè prompteque, & plurimi maneant sicut priùs, malum signum est. Cæterùm non de hoc nunc tractamus; illud in comperto est, Christum instituendo sacramentum pœnitentiæ legem eam non sustulisse, *convertimini ad me &, ego convertar ad vos*; ac voces ipsæ conversionis, attritionis, qua cor atteritur, & contritionis, qua minutissimè conteritur, plus fortè significant, quam communiter servatur.

Porrò instituti modò nostri non hic defectus est, sed alius scilicet ignorantiarum, quas si contingeret esse plerumque vincibiles, & voluntarias, & plurimas; & confessores ex defectu scientiæ eas haud dignoscerent, (per scientiam quippè ignorantiæ deprehenduntur) vel si licet eas agnoscerent, suum tamen, ac muneris sui non esse putarent pœnitentes edocere, & ignorantes aut in se, aut in causa saltem tollere, profectò, ut de sacrilegio dicere abstineam, multæ confessiones nulliter fierent, & multi frequentare sacramentum possent; salvari tamen sic pauci. Atque hoc sensu verissimam arbitror eam, quam memoravi Vasquii, & aliorum opinionem, ex defectu scilicet scientiæ necessariæ confessorum, non solùm peccare ipsos posse, sed & confessiones reddi nullas, de quo §. 3. Et verus Theologus Alfonsus Rodriguez, & vir ille Dei Balthasar Albarez in suis manuscriptis dolent jure, ac mirantur tanti usus tam exiguum fructum; paucæ quippè sunt conversiones, & ut ait Augustinus, interrumpuntur, non rumpuntur peccata.

Ex his planè cernitur, quanta sit necessitas veritatem hoc loco manifestandi; ut hoc saltem unum punctum advertant Confessores, & pœnitentes, quam ferè omnes sacramenta suscipiant, eisque susceptis decedant, & quam intereà pauci salventur, & quam proindè pauci justificentur: ex quo proindè colligant, siquidem in sacramento nullus est defectus, esse utique in ipsis aliquem, qui deprehendendus sit, & corrigendus. Nobis verò illi duo universalius interesse videntur defectus quippè veræ conversionis, de quo non tractamus; & defectus agnoscendi, tollendique ignorantias.

Hinc in praxi multa occurrunt consideranda, Primum ex parte confessorum; siqui nempè quod horrendum B. Bonaventuræ visum est, sacrarum scripturarum ignari cordis se medicos in audiendis confessionibus profiteri non erubescerent, ut Doctor loquitur. quod quam sit malum, patet ex dictis, ac brevissimè ex ratione Augustini à nobis adducta quæst. 12. §. 7. quia plura consultis scripturis inveniuntur esse gravissima, & horrenda, quæ nobis levia, aut nulla eis inconsultis videantur. Deindè si Theologiam ferè in totum etiam ignorarent; & has de conscientia, quas hos opere universales causas versamus, præterirent: si item potestatem sibi concessam ad solvendum solùm, & remittendum: non etiam ad retinendum arbitrarentur, & ex Augustino can. quem pœnitet, jubemut quærere non solvere solùm scientem, *sed sacerdotem scientem ligare & solvere*: ubi sciens prudensque alia taceo. Illud ex hoc opere nostro est nobis compertum, usu vulgarium probabilium; & præter, & contra opinionem propriam absolvendo sacramentum haud rectè administrari magis, quam si judices

dices nihil, aut contra opinando, & ex ipsis reorum sibi falsis visis opinionibus causas expediremt etsi in temporalibus sententia teneat.

Ex parte pœnitentium multa similiter occurrunt. Illud rerum statum, & necessitatem hic extremam manifestat, quod omnes in rebus mundi omnibus diligentissimè meliora quæque exquirant, & pecuniam etiam solvant, & nihil sibi hoc in genere nimium, nihil durum videtur, sive coquos, sive aurigas, sive famulos, uxoremve eligere oporteat, si dignitates, præfecturasque & pecuniam, & lucra quærant: quo in genere, nobis etiam tacentibus, quantum homines agant, incredibiles pæne eorum navigationes, & bella, facinoraque demonstrant. At pro anima, & conscientia quolibet confessore contenti sunt, quilibet est optimus; & si quem ad meliorem alium quærendum, in alium locum ire obligaremus, horrendum hoc esset. Quod totum ad hanc propositionem resolvitur, pro rebus nimium mundi plurimum esse faciendum, distinguendumque, inter bonos, & malos v. g. artifices; sed verò in rebus animæ quidlibet sufficere: quæ virtualiter in multorum praxi contenta propositio certè ex lib. Dei hausta non est, nec valebit, opinor, cum judicabimur.

Exemplum utriusque Medici, quo uterque Doctor Ecclesiæ Thomas, & Bonaventura cum aliis utebantur, rem declarat, videt sanè quisque quantopere boni quique Medici corporis exquirantur, conducantur, & quanta pecuniæ summa insumatur, De Medico autem animæ quid? Profectò mirandum haud est, paucos salvari. Hæc, & alia satis, nimiumque demonstrant, quo in loco sit corpus, & in quo anima; quantique hæc vita, quanti futura fiat. Illud vero novissimum inventum, inter utrosque Medicos discrimen, quod corporis quidem, si erret, occidat; animæ verò secùs contritum est libr. t. & in isto, & Evangelio nos potius credimus dicenti; si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foveam cadunt, sanè plurimi. Verissimum utique illud est, quo se multi Ministri tuentur, tam validam esse ignorantis confessoris, quam sapientissimi absolutionem. Certè si valida erit; poterunt tamen multæ ignorantis esse nullæ ex defectu doctrinæ, non autem sic sapientis; sicut si cum oportet & quomodo oportet jubeat venâ scindere sapientissimus, imperitissimus Medicus, pariter scissio valebit: & proderit: enim verò periculum est, ne imperitus scissionem imperet, quando mortè allatura sit. Sin verò censeant, confessiones nullas esse non posse, & se susceptis sacramentis damnati, ultrò errant, nec in rebus mundi tam faciles errant.

Mitto alias nullitatum multarum causas; mitto quoad veritatem in dicendo pertinet, Confessorum sæpè à pænitentibus dependentiam, amorem, nometa, metum, potentiam, debitæ libertatis defectum, ut vix aliquandò famulitii forè in loco non sit munus confessoris: de quibus, & aliis, & ubi, & quandò non oportet, id est, ubi & quandò obmurmuramus, loquimus omnes, & convenimus; tacemos verò, vel etiam adulamur, ubi, & quando oportet, id est, ubi, & quandò docendo, & veritatem edicendo prodesse possumus.

§. II.

Cavendum hic est, Sacramentum pænitentiæ institutum haud esse, ut ejus usu quibusdam dissimulatis in aliis minus peccetur.

Hoc sanè potest, incautiores, ut ex usu nulliter etiam administrati sacramenti magnum se fructum colligere arbitrentur: sunt quippè quædam peccata, à quibus sacramentum usus & si nullus valdè præservet; maximè verò, quæ ad sextum Decalogi præceptum pertinent; & qui quoquomodo sacramentum pœnitentiæ frequentant, rarò aut vix in ea cadunt. Tum porrò ex genere suo rerum quarumque spiritualium, & sic etiam peccatorum spiritualium fit imperfecta, exiguaque apud plures cognitio; homicidia verò rarò, & raris fiant; furta autem nisi arcæ rumpantur, ut Augustinus observavit per evasiones quasdam, & opiniones furta esse non existimentur; juramenta quoque, & maledicta per iracundiam propter defectum advertentiæ excusentur: præcepta demùm Deum, & proximum diligendi ad non odium à multis conversa sint; ferè factum est, ut universus Decalogus ad unum sextum præceptum redactus sit, & pro eo etiam, & pro occasionibus opiniones ratæ suppetunt. Ex quo demùm nullitas, vel valor sacramenti per unum illud præceptum dijndicari potest, & errari.

Libr. 4. constabit, quam multa alia ad vitam Christianam, & ad justificationem, saltemque necessaria sint. Nunc illud cavendum existimavi sacramentum pænitentiæ institutum haud esse ut ejus usu quibusdam dissimulatis, ac reservatis vel etiam ignotatis in aliis minus peccetur. Hæc est enim certissima Theologorum omnium conclusio, sacramentum pœnitentiæ valide non administrati, si per illud omnia omnino peccata mortalia non tollantur: sed si quædam per ignorantiam, aut quoquo modo dissimulentur, etsi eo suscepto in aliis peccandum sit minùs, omnia omnino mortalia non tolluntur illa, quæ dissimulantur, vel omittuntur, & de quorum emendatione nullum fit propositum. Ergo Sacramentum valide non administrabitur. At nulla de causa, nec ut in quibusdam minus poscetur, licet sacramentum nulliter administrare. Peccabitur ergo gravissimè sanè, si ita fiat. Salvabit, inquis, à peccato ignorantia invincibilis; censet enim invincibiliter Confessor, vel pœnitens, ea alia omissa, vel dissimulata non esse peccata mortalia. Cæterum non ita facilè nos has ignorantias invincibiles admittimus, ut dicemus. Et deindè nullitas saltem constat; & quibus saltem ea constat, non licebit administrare circa periculum peccati, & sacrilegii,

Itaque sistit se tibi Princeps; vel justitiæ distributivæ Administer; qui certè non furetur saltem sub his terminis; non occidat, falsò non juret, nec mœchetur: tamen ultrò, citroque, ut libet, justitiam administrat, & ut placet, nulloque, vel exiguo examine dictamina conscientiæ formet. Hic certè si sacramenta frequentet, tutius illa ipsa servabit, rariusque in eis delinquet, & facilius surget, si cadat: nihil tamen deliberat, nec resolvit, nec innovare proponit in administratione

tione justitiæ. Atque hic est casus fortè, quam credi possit, frequentior in statibus, officiisque plerisque. Confessor verò vel per ignorantiam, vel alia de causa dissimulat. Dicimus, & cavemus, hanc ignorantiam, si ignotantia fuerit; esse causam nullitatis; & nulla de causa licere, sacramentum eo modo administrare, nec ut peccata duplò etiam pauciora committantur, nec ut totus mundus salvetur. Nam nulla quantacumque de causa licet sacramentum nulliter conferre; confertur autem nulliter, si non omnia nullo excepto peccata mortalia temittantur. Quarè non valet dicere, nisi hoc saltem modo frequentent sacramenta, plus peccabunt. Nam non ad hoc institutum est sacramentum, sed ad remissionem simul omnium peccatorum mortalium indispensabiliter, & ex hoc primùm habito sequi illud debet, non ampliùs peccare vi quidem præsentis dispositionis, & quia homines mutabiles sumus absolutè etiam minùs peccare. Atque hoc eodem ex capite quotidianis aliquorum communionibus plurimum sanè timemus: quid enim si, ut alia taceam, amici manent mundi, & sæculi?

Hæc licet explorata nobis videantur, & decursu magis confirmanda sint textum nunc illum assero ex libr. de vera, & falsa pœnitent. capit. 9. qui quamquam Augustini non, ut patet ex capit. 17. est tamen magni habitus, & ejus sententiæ Decreto insertæ sunt. Sunt plures, inquit, (& utinam non plurimi) *quos pœnitet peccasse, sed non omninò, reservantes sibi quadam, in quibus delectentur (puta superbi in fastu, alii in amicitia hujus mundi, alii in inimicitiis, ac dissensionibus cum summo boni publici præjudicio &c.) Non animadvertunt; Dominum, simul surdum, & mutum à Dæmonio liberasse, per hoc docens, nos numquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet, ex parte peccata reservari, habenti septem dæmonia, manente uno, proficere potuerat sex expulsis. Expulit autem septem, ut omnia crimina simul ejicienda doceret. Legionem autem ab alio ejiciens neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum possideret, ostendens, quod si etiam peccata sint mille, oportere de omnibus pœnitere. Numquam aliquem sanavit, quem omninò non liberavit; totum enim hominem sanavit in Sabbatho* &c. *Quomodo ergo, qui unum crimen reservat: de alio recipiet veniam.* Hactenùs in eo libr. quæ magis eviscerebuntur; nec de patentissima quadam reservatione scientissimè commissa præverecundia loquor, sed de occultiori alia, qua se primum pœnitentes fallere, conscientiamque sedare nituntur, & aliquando etiam sedant. Studendum itaque est, & omni quidem opera studendum, ut sacramenta frequententur certè, sed non utvanè, & nulliter, sed ut benè, & utiliter, & scitur, quanta sit lætitia Angelorum Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, & fructus dignos pœnitentiæ faciente.

Opponès hic forsitam Ecclesiam probè scire hoc nullitatis Confessionis periculum: & tamen hoc non obstante jubet annuam Confessionem: ergo foveri frequentia potest & administrari, eo non obstante periculo. Respondeo primo per instantiam, nam Deus etiam imponit præcepta, quæ præscit esse frangenda; & tamen nulliratem sciendo nemo sacramentum administrare potest. Ecclesia itaque non nulliter confiteri, sed confiteri jubet; & Deus bene confiteri, quod si nulla, vel sacrilega fiat Confessio, pænitenti, vel confessori, vel utrique hoc tribuitur, non Ecclesiæ neque Deo. In dubio porrò, ut hoc obiter dicamus, sententiam Augustini esse arbitramur, conferendum esse sacramentum, maximè in mortis periculo.

§. III.

His animadversis, quid Theologis visum sit de obligatione pœnitentem ubi errat, docendi, ignorantiasque tollendi?

Theologorum sensa, & multæ hoc circa distinctiones videri possunt apud Suarez, tom. de pœnitent. disput. 32. sect. 4. & disput. 28. sect. 2. & apud Cardin. Lugo disput. 22. sect. 2. §. 1. Sanchez libr. 2. de matr. disput. 38. Sotum in 4. distinct. 18. quæstion. 2. art. 4. & quod ad confessarios Principum attinet apud Arauso in se lect. in append. ad quæst. 8. ex quibus, quæ ad salutem animarum, rectamque, & validam administrationem sacramenti pertinent, tractanda, discupiendaque deligere visum est, nec aliorum, & singulorum dicta referendo, quod operis satis multi peragunt, historiam magis quamdam, quam Theologiam nectere.

Conveniunt primo omnes, ut Suarez signanter observat, Confessorem non posse absolvere pœnitentem non oblata ignorantia (intellige ex lib. 1. saltem in causa) quoties ignorantia est vincibilis; in quam vincibilis sensu Theologorum, id est, non excusans. Ratio est manifesta; quia ignorantia ista non excusat à peccato; quarè si pænitens non dedoceatur, non dolet eorum, quæ per eam ignorantiam peccavit; nec item proponit, eadem illa non iterare, si occasio occurrat; quia non credit esse peccata: nec tunc est locus dolori, vel proposito universali: & cum proposito tunc habito cohæret complacentia in factis per talem ignorantia, & voluntas repetendi. Ergo absolutio non est ab omnibus moralibus (de his quippe est sermo:) ergo à nullis; ergo peccat Confessor nulliter absolvendo. Nequit ergo absolvere in casu ignorantiæ vincibilis nisi istam auferendo. Hæc tamen posterorum Theologia indiget limitatione ablationis ignorantiæ vel in se, vel in sua causa; & si in sua causa auferetur, sufficeret; & potest dari vera pœnitentia etiam remanente ignotantia in se, modo causa retractetur, ac rescindatur, ut lib. 1. cum S. Thoma, S. Bonaventura, & veteribus habitum est; nec Recentiores negant: & tunc ignotantia transit in involuntariam, & invincibilem.

Hoc de ignorantia vincibili supposito, disputationem dirigunt ad ignorantias invincibiles. Et communius videntur supponere, ignorantiam esse invincibilem, quoties adest bona fides, ut loquuntur, id est, pax conscientiæ sine remorsu & murmure de his, quæ per ignorantiam fiunt.

Tunc ergo distingunt: vel ablatio ignorantiæ in bonū pœnitētis cessura prudenter operatur, vel in damnū potius versura, id est, vel creditur, pœ-

nitentem de ignorantia, & errore monitum deinceps non eadem illa, quæ per ignorantiam faciebat, perpetraturum; & tunc ignorantia est auferenda; vel timetur prudenter, eum illa, quæ priùs per talem ignorantiam faciebat, deindè scienter commissurum; & tunc non est auferenda. Ratio primi quia tunc ea veritatis manifestatio prodest, & non obest. Ratio secundi; quia non prodest, sed potius obest: quare melius est in pristina bona fide relinquere; & afferunt regulam Augustini, quæ habetur de pœnit. dist. 7. can, *si quis*: si scirem: tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem.

Aliqui limitant doctrinam istam sanè facilem cuique, & expeditam, ignorantiam quippè, quandò cognitio potiùs nocitura est, non esse auferendam, nisi ignorantia redundet in detrimentum proximi. Sed alii repellunt, hanc limitationem.

Quin addunt, ignorantiam non esse auferendam, etsi pœnitens rectè usuris esset cognitione, si remedium esset difficillimum, & scandalum, vel infamia secutum esset, ut v. g. ex separatione matrimonii invalidi. Rationem dicunt esse, quia officium docendi, quod Confessori competit, sicut non obligat cum gravissimo detrimento Confessoris ipsius, ita neque pœnitentis &c. quas universalissimas assumptiones si ex libro Dei, vel Ecclesiæ, vel Sanctorum stabilirent, omnes sanè libenter susciperemus. Et confirmatur: quia doctrina conferenda pœnitenti ordinatur in bonum ipsius; sed in casu non ordinaretur ad bonum; ergo &c. Item quia alioqui usus sacramenti pœnitentiæ valdè difficilis redderetur, & proximi retraheretur. Item quia plures Confessores nesciunt deprehendere has ignorantias; ergo earum ablatio de necessitate valoris sacramenti non est. Autoritates verò in contrarium adductas interpretantur, quando ad populum, & in concione veritas manifestanda est.

Atque ex hac doctrina sic extructa plurimos in praxi casus resolvunt. Si moribundus ignorat, se magnam pecuniæ summam restituere teneri, quam malis contractibus cumulavisset, & à Confessore de sua obligatione monitus creditur minimè testiturus, tunc ajunt, in sua ignorantia obire relinquendus est; nam sic salvatur; & alioquin nolens restituere damnaretur. Si qua item in matrimonio nulliter contracto sua illa bona fide, id est, sine scrupulo, & remorsu vivit, & de nullitate admonita non emendabitur, vel grave scandalum, vel infamia secutura sit, relinquenda est fornicari in sua ignorantia; & etiam obire. Quod si ipsa instar aliarum nuptarum detrectaret reddere debitum, potest Confessor ei dicere, teneris reddere: & pro hoc casu afferunt textum *quia circa* de consanguinitate: quem egregiè urget Navarrus in cap. *si quis autem* de pœnit. dist. 7. Idem ad alios plùrimos casus extendunt; & videtur, quod si quis ignorans malitiam pollutionis, vel simplicis fornicationis, in eas laberetur, & admonitio non profutura, sed nocitura crederetur, in sua bona fide relinquendus eodem modo erit; & similiter usurarii, & simoniaci, qui mille modos usurarum, ac simoniæ ex usu, & praxi multorum citra remorsum exercent.

Sunt tamen ex his ita philosophantibus, qui omninò contrarie statuant de miseris Principibus, Prælatis, & Gubernatoribus, qui muneri suo non satis faciunt in collationibus beneficiorum, in Electionibus ministrorum, &c. quas ignorantias rarò ajunt esse invincibiles. Vocavi miseros Principes; adversum quos scilicet tam duri existant; quasi verò pestium Reipublicæ usurariorum, & aliorum intolerabili lucro ærarium Regium, & patrimonium corrodentium, & Regnum per consequentiam perdentium miserendum sit, & sua bona fides eos salvat, & ignorantiam reddit invincibilem: Principibus verò, quibus operandi, sciendique sphæra adeo est difficilior, & amplior, & excedit privatorum sphæram, sicut Regnum excedit domum, sua bona fides, & somnus non sufficiat, & rarò invincibiliter ignorant. Illustrissimus verò Atauso loco citato, sed citra hanc inconsequentiam gravissimè obligat Confessarios Principum, ad tollendas ignorantias: ac refert etiam sententiam Cajetani obligantis ad interrogandum, quando putant aut rationabiliter dubitant aliquid præteriri.

Sotus duplici propositione rem hanc universam sibi visus est comprehendisse, prima est, nemini ulla de causa licere mentiri, & multo minùs sacerdoti in sacramento. Quapropter nec ad tollendum scandalum, nec ad liberandum de morte æterna pœnitentem, fas est dicere pœnitenti, ut in illo facto maneat, quod ex errore nascitur, qui citra dubium error est. Quarè si suam taciturnitatem, & dissimulationem pœnitens possit prudenter interpretari in favorem sui erroris, non licet aliquo modo tacere, &c. & hoc est verum, inquit, de quacumque ignorantia sive juris divini; sive humani, sive facti. Hæc Sotus in prima propositione. Tu, Lector, in his adverte hujus rei pericula: & vide, utrum post propositionem viri gravissimi liceat subsumere minorem istam: sed ex praxi, & communi persuasione fidelium omnis pœnitens in suæ ignorãtię favorem interpretari prudenter & potest, & de facto omnes interpretantur taciturnitatem, & dissimulationem Confessoris, qui rem eam novit; nec sciunt fideles istas nostras de tollendis, vel non tollendis ignorantiis quæstiones, nec suum est hoc scire: & persuasissimi vivunt, se si in aliquo errarent, monendos fuisse à Confessore rei ejus conscio. Ex quo vide utram sequatur: Ergo tenetur semper Confessor non tacere, neque dissimulare.

Secunda propositio Soti est; quando ignorantia est juris quod omnes tenentur scire sive divini, sive facti, quod ille pœnitens scire tenetur, Sacerdos obligatur pœnitentem instruere, sive prosit, sive obsit. Res est clara inquit; nam omnis talis ignorantia est culpabilis; & peccatum, in iis vero, quæ non omnes scire tenentur, philosophatur, sunt primi; & inter hæc admittit aliqua etiam pertinentia ad jus divinum, ut si ignoretur, uno contracto matrimonio secundum esse nullum.

Arianus

Adrianus in 4. quæst. 5. de Confess. dobio 6. & 7. Sapientissimè rem illam pertractat, & distinguit ignorantiam juris divini, & humani, & facti; & in prima, sacerdos, inquit, tenetur pænitentem instruere. Nec probat, & alii referunt, quia omnis talis ignorantia est vincibilis, sed probationem attulit subtilem, ac dignam, quam rectè animadvertissent, & saltem discussissent; & est ratio, inquit, quis ignorantia juris divini excusat solum, quamdiù manet invincibilis: non manet autem invincibilis quando adest, à quo posset discere veritatem, si vellet, imò tenetur exposcere, ut divinæ legis veritatem edoceatur, ne ignorans etiam à Deo ignoretur ex 1. ad Corinth. 14. Hoc planè acutissimum, profundissimeque dictum arbitramur, & dignum, quod à retractatoribus hujus quæstionis observatum fuisset, & ritè discussum. Probat verò Adrianus conclusionem multipliciter. De secundo, & tertio, scilicet de ignorantia juris humani, & facti ponit varias distinctiones, & aliquando obligat confessarium; & aliquando secus ad instruendum, docendumque pœnitentem. Et hinc salvat textum, *quia circa* de consanguinit. & affinit. quis erat ignorantia juris humanis de valore dispensationi sobtentæ subreptitiè, & interposito quodam mendacio.

§. IV.

Reflexio in hos opinandi modos propositos.

PRimò in hoc universo opinandi, philosophandique modo in id maximè reflectendum est; id fortissimè negandum, ac repellendum, quod supponere videatur, ex bona fide, hoc est, ex non remorsu, & pace conscientiæ reddi ignorantiam quamcumque invincibilem. Hoc mille modis destructum est lib. 1. & hæc una ignorantiæ invincibilis contra omnem Theologiam usurpatio infernum deceptis animabus implere potest, & contrarium velut rem vulgo notam supponit etiam in præsenti Arauso, ubi eos Reges memorat à S. Francisco de Paula reprehensos de peccatis, de quibus sua ipsos conscientia non remordebat. Cum igitur hæc potissimum sit origo primi pæne totius modi philosophandi, patet, quam sit illeà confessore quoque cavendus: fietque alioqui, ut dum omnes tales ignorantiæ pro invincibilibus derelinquuntur; sint verò saltem multæ vincibiles, quod confessiones multæ sint nullæ, & morientes damnentur.

Secundo reflectendum est, plerosque Autores in præsentia de ignorantiis invincibilibus disputationem omnem instituere, supponendo, vincibiles haud dubiè esse auferendas, nec verò, in quo res hujus periculum omne fermè vertitur, explorant ubi, quandò, & in quibus Confessor præsumere debeat, ignorantias esse invincibiles, sed magis, de quo lib. 1. tractatum est, omnes ignorantias videntur supponere esse invincibiles ex dicta bona fide. Quare valdè incertæ sint resolutiones, necesse est. Ubi ex lib. 1. addendum est, virum gravissimum Valentiam contestari difficultatem discernendi ignorantias vincibiles, & invincibiles; qua de causa iterato monet, sæpè usurpandum illud esse, *ab occultis meis munda me*? & Doctor eximius Suarez testatur, eam discretionem excedere sæpè humanum modum. Undè igitur, quove fundamento in praxi de quibusque ignorantiis supponitur, vel præsumitur, eas esse invincibiles? Remissio autem illa ad prudentes tum alias, tum lib. 1. quæst. 15. rejecta est. Cum itaque sint in populo ignorantiæ plurimæ; & aliæ sint vincibiles, nec omnes sint invincibiles: hæc porrò discretio sit negotium arduum, ut ea qu. 15. habitum est ac mox denuò dicetur, videtur sanè res plena periculo, si ex decisionibus universalibus præsentis quæstionis Confessores in praxi omnes ignorantias tanquam invincibiles ultrò supponant, & relinquant.

Tertio in via. Recentiorum videtur inutilis hæc quæstio de ignorantia invincibili; nam ipsi non solùm volunt, ignorantiam invincibilem excusare à culpa, & peccato, sed præterea voluntatem, & operationem ei conformem esse rectam, esse bonam, & honestam. Quorsum ergo torquent illud, utrum profutura sit, vel nocitura, manifestatio veritatis. Nam officere quidem poterit, implicatio autem est, quod profit magis, quam cognitio veritatis Mathematicæ. Patet: non enim, ut quis non peccet; nam hoc habet per ignorantiam: non item, ut gratiam, vel gloriam mereatur, vel ut majorem mereatur: nam hoc etiam habet pariter per ignorantiam & perindè honestè agit, qui ex ea ignorantia adulterat, atque qui legitimo toro utitur. Dicis: prodest, ne materialiter peccet. Sed contrà præter alià; nam materialiter peccare est non peccare, & nibil ex hoc maculæ, vel labis resultat in operationem magis quam ex motu primo in contrarium, ut explicatum est part. 1. libr. 1. quæst. 7. Prodest, inquis, ut lex Deî servetur re ipsa. Verum hæc sunt miracula hujus viæ, ut tanti sit servare legem Dei, & ex ignorantia facere contrarium. Legum quippè finis est cives facere bonos vel terrenæ civitatis, vel cælestis. Si ergo tam boni efficimur ex ignorantiis nostris, atque ex ipsis legibus re ipsa servatis, planè finis omnis legum cessat, nec casus occurrit, in quo ablatio ignorantiæ invincibilis prodesse putest, saltem ignoranti ipsi. Quod si ignorans ipse honestè agit, propter alios, eorumve præjudicium monendus non est, ut de probabilitate disseruimus part. 1. lib. 1. in quo etiam in hac quæstione multi partim concordant.

Quarto labilis valdè videtur ea consideratio, & regula, an profutura sit, vel nocitura admonitio pœnitenti: Nam omittendo, quod consideratio ista habet multas incertitudines, ut dicetur, & instantiam etiam in publica prædicatione, ut tractabitur, profectò si illa firma foret, Deus quoque gloriosus ea uti posset in distributione auxiliorum suorum, & sic nullum unquam dare auxilium sufficiens, quod præscit non profuturum, sed magis ex abusu nostro obfuturum; nam sine auxilio sufficienti non peccaremus, propter

impotentiam antecedentem, eo autem concesso peccamus; Deusque illud confert, præsciens nos peccaturos esse, & abusuros: quarè si Deus ista Theologia uteretur, eamve probaret, nullum tale auxilium conferret; non ergo eam probat: & quæ pro rectitudine illius collationis afferuntur, locum etiam habet in Confessore admonente: cujus muneri, & providentiæ pœnitentem, qui se ei subdit, dirigere, & gubernare.

Quinto hinc reflectitur in eam Augustini sententiam, quam afferunt, *si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, nou te terrerem.* Prodest enim, qui monet, & si admonitus admonitione abusurus sit, & magis peccaturus. Hoc patet in exemplo auxilii inefficacis, cujus collatio Dei beneficium est, & gratia; & in actu primo prodest: & quod in actu secundo obsit, non ab auxilio est, sed ex abusu, & perversitare arbitrii. Sic ergo & in manifestatione veritatis; & tota doctrina in terminis applicatur. Deindè prodest semper; quia ex Augustino eò insanabilius peccamus, quo nescimus nos peccare; quare & si ignorans etiam vincibiliter minùs peccet, quam sciens, non tamen ob hoc in ignorantiis saltem vincibilibus relinquendi sunt pœnitentes, & si timeatur, magis potiùs eos peccaturos, Item ex alia regula Augustini, quia sæpiùs scientia, & remorsus retrahit. Nec ullum fundamentum est ad existimandum, Augustinum agere de ignorantia invincibili; sed magis agit de peccato. Abs re ergo scientia adducitur; nam conveniunt omnes, ignorantias vincibiles, & peccantium esse auferendas; certè absolutionem non esse impertiendam: sed Augustinus tractat de peccante: quod patet etiam ad homines, ex verbis, *non te terrerent:* quod in peccantem cadit, & in immunem à culpa, quin etiam ex ignorantia invincibili rectè operantem cadere planè nequit. Sed hęc de Augustino quasi disputando dicta sunt: nam evidentissimum est Augustino sermonem non esse de manifestatione veritatis facienda, vel non facienda, quia pœnitens ea certè usurus est, vel abusurus, & peccaturus; sed de pœnitentia danda, vel non danda iis, quos serò, & in morte peccati pœnitet; Tunc incertus est Doctor, an ea data pœnitentia profutura sit. Ad quid verò? Anne, ut non peccet, Nec umbra est de hoc in Augustino; sed incertitudo est, an ea pœnitentia profutura sit, vel non ad salutem, id est, an salvandus sit nec ne pœnitens; & sic dicit; nam si scirem, tibi nihil prodesse, non tibi darem. *Item si scirem, tibi prodesse, nou te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio.* Sic cap. *si quis autem* de pœnitentia dist. vel 6. vel 7. & sic etiam homil. 41. Quid hic pro ignorantia invincibili, & de admonendo, vel non admonendo invincibiliter ignorantes, & non peccantes. Quin etiam verba mutarunt, & ubi scriptum est, *si scirem, tibi prodesse, non te admonerem* &c. Addiderunt, *si scirem, tibi non prodesse.* Quis, oro te, hoc credidisset?

§. V.

Denuò propositi opinandi modi discutiuntur.

Prolixiores videndi non sumus: nam rei pondus, & magnitudo integro etiam opere indigeret: facilius inveni, inquit Ambrosius capit. *reperiuntur* de pœnitentia dist. 3. *Qui rectè servaverit innocentiam, quam qui congrue egerit pænitentiam:* at quanti sunt, rogo te, qui rectè servaverint innocentiam? quanti ergo, qui congrue egerint pœnitentiam? qualem scilicet sancti Dei in eis distinctionibus, & aliàs requirunt. Glossa verò probat dictum Ambrosii, *nam pænitentem oportet mutare vitam; quod summè difficile est*: & quasi contra duplicem naturam, id est, corruptam alteram consuetudinem pugnandum est. Non ergo de prolixitate in rebus tantis arguendi sumus.

Redeo itaque iterum ad vulgarem regulam, qua hoc in loco utuntur, utrum quippe profutura sit, vel nocitura admonitio; inquam, profutura, vel nocitura in actu secundo. Hæc in primis via non incessisse sanctos Dei inferius ostendendum est. Nunc hujus regulæ incertitudinem, & pericula significare oportet. Et primum hæc regula est, qua plerique Ministri, & alii quam plurimi evadere solent, & per istam evasionem, & quasi tergiversationem conscientiam formantes, quæ muneris sui sunt, omittentes Regnum, nec non communitates alias aut perdunt, aut perdi permittunt: est tamen omissio culpabilis: sicut submersio navis gubernatori. Cum namque omni homini aliis placere velle sit innatum; displicere autem molestum, maximè superioribus, & majoribus, & Potentibus; veritas verò manifestata displiceat, odiumque; ut est in proverbio, pariat, juxta illud Achab. *remansit vir unus* &c. Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum Michæas: de quo, infra; hinc modos valdè amamus, & quærimus excusandi nos, & evadendi; illaque esse solet universalissima plerisque excusatio, offendetur, nihilque proderit: in quo ex repugnantia ipsa nostra displicendi, quod evidentissimè profuturum non est, haud profecturum esse, facillimè arbitramur, aut divinamus, ac fallimur.

Videbatur proindè, quod sicut circa ignorantias ipsas pœnitentium multi distinxerunt, ita distinguendum fuisset, utrum Confessor, aut superior, aut Minister certè sciat, non esse profuturam admonitionem, utrum solum opinetur, vel dubitet; an non nimetus suus sit displicendi: & juxta hos gradus obligandum, vel de obligandum Confessorem; superioremve; & non ita universaliter liberandum. Porrò difficile est scire, num profutura sit commonitio, tum quia prorsùs ignoramus, quid facere paratus sit Deus; tũ quia sumus in cognitione futurorũ contingentiũ condi-

conditionatorum in suis causis; qui modus cognoscendi valdè incertus nobis est, & fallacissimus.

Præterea & hoc modo philosophandi malæ consequentiæ sequi videntur. Prima illa, quam §. 3. indicavimus, licere confessariis Principum, & Regum, ac Prælatorum eadem illa regula uti contra ipsos opinionis Autores. & fundamentum planè nullum est ad existimandum, horum ignorantias raro esse invincibiles; cæterorum verò passim, sed ad contrarium: est verò magis arduum eis displicere.

Secunda, quod licet vel vincibiliter ignoranti, vel scienter peccanti absolutio dari nequeat, nisi resipiscere velit, sequetur tamen eos non esse admonendos nec in privato, nec in publico, quando manifestatio veritatis, & correctio, vel reprehensio, exhortatiove profutura non est; quod est contra praxim, ac sensum Ecclesiæ, & sanctorum. Patet consequentia, quia sicut peccare eum, qui peccaturus non erat, est malum vel pœnitentis, vel subditi, vel proximi, ita magis peccare est malum ejus, qui minùs peccaturus erat; & admonitio, & correctio; & reprehensio, exhortatiove ordinatur, ut dicebant in bonum eorum. Atqui ignorantia vincibili peccabat, magis peccabit jam conscius factus veritatis: & similiter correctus, reprehensus, & exhortatus magis peccabit; & hæ circumstantiæ aggravant in posterum peccata. Ergo nisi profectura credatur manifestatio, correctio, reprehensio, & exhortatio, super sedendum erit ab his omnibus. Quid ergo non hoc cavit Evangelium, & dixit, *si peccaverit in te frater tuus, & ei profuturum speras, corrige?* quin tamquam Ethnicus, & publicanus ejicitur. Quid hoc & Ecclesia, & religiones non servant.

Tertia alia consequentia erit, quod ipsa illa regula, & modus applicandus erit ad prædicationem Evangelii, reliquæque doctrinæ necessariæ, & diligentissimè considerandum, trutinandumque erit, utrum, & quantum profutura sit prædicatio, & denunciatio veritatis; an potius magis sic nocitura. Quamquam enim Autores prædicti aliter de privata admonitione confessoris, & aliter de publica prædicatione statuant, neque in ista eam regulam valere velint, & sic autoritates etiam interpretentur, videtur tamen, hoc discriminis non esse satis perpensum, & consideratum. Sicut enim confessor, ita etiam Prædicator non nocere debet, sed prodesse; & sicut privata doctrina, & institutio confessoris dirigitur ad bonum pœnitentis, ita prædicatio publica ad bonum populi. Sicut ergo Confessor considerare debet, an admonitio profectura sit pœnitenti; & sin minùs tacere vel potest, vel debet; ita etiam erit de prædicatore; ut ubi in actu secundo profuturus non est, silere aut poterit, aut debebit. Et tantumdem de Prælatis, ac superioribus habendum erit: & tantumdem de iis, qui adversus hæreticos, Judæos, & alios ore, vel scripto decertarunt, & oportuisset eos in suis ignorantiis, quæ eadem facilitate invincibiles dici possunt, planè relinquere: & Dominus Jesus malè fecisset mittens discipulos suos sicut oves ad lupos; cum sæpissimè profuturi non essent, sed magis occidendi. Item Dominus Deus malè fecisset leges condendo: quia cum illis peccata fiunt, & aliter non fierent.

Licet rursùs populus instar pœnitentis non aliquis unus sit, sed multi, & denunciatio veritatis non profutura his juvare alios possit; nihilominùs mensurandum videretur, quod sint juvandi, & quot potius perdendi, nec pro uno aliquo lucrando totus populus videretur in malam fidem conjiciendus, ex qua deinceps peccarent plurimi, qui sua bona fide antea non peccabant. Etenim sicut Confessor de quocumque pœnitenti in particulari; sic Prælatus, vel Prædicator præsumere universim de populo debet, ignorantias esse vincibiles, vel invincibiles. Si vincibiles sint, utrobique, ut omnes concordant, tollendæ sunt, absolutio certè aliter dari nequit. Sin verò invincibiles sunt, nulli obstant, & nemo peccat: manifestata porrò veritate unus aliquis, vel pauci, qui antea non peccabant, fortè ex veritate vivere volent. v. g. in materia usurarum scotaturarum, &c. multitudo verò raro mutatur. Fiet ergo, & sequetur, quod peccent plurimi; & hoc sanè nulla, vel exigua recompensatione; siquidem nec illi qui murantur, antea peccabant, sed ex ignorantia invincibili excusabantur. Ecce in quæ discrimina, incertitudinemque omnia conjiciantur. Neque verò, ut notavi, dici potest, populi ignorantiam esse vincibilem; pœnitentium verò invincibilem, nam iidem ipsi homines sunt, quibus in commune veritas denunciatur, & qui dein seorsim ad pœnitentiam veniunt. Ubi omissis aliis multi videntur, fateor, nimis celeriter, & breviter de rebus tantis decrevisse.

§. VI.

Universaliter ergo loquendo, veritas manifestanda est à Prælatis, & Pastoribus, & à Confessore, maximè verò, cujus sunt oves propriæ.

Dico *universaliter*; nam videbimus, num locus sit alicui rariori exceptioni. Item dixi, *maximè verò, cujus sunt oves propriæ*, quia hic ex justitia, seu ex officio, & ex charitate tenetur, cæteri autem solùm ex charitate; licet quoad non absolvendum pariter obligantur; possunt tamen facilius se expedire ab onere docendi, & pœnitentem ad sacerdotem suum remittere. Eos verò, qui licet ultrò regendæ alicujus conscientiæ curam susceperunt, & quasi ordinarii confessores aliquorum sunt existimo, ex pacto saltem implicito confessoris, & pœnitentis, perindè, atque sacerdotes proprios obligari, quamdiu manus retinent: quales esse solent Confessarii Principum, ac plurimi alii, qui in humeros suos onos hoc conjecerunt. Conclusio tenet maximè de jure divino, utrum autem quoad hoc in humano, vel in facto limitanda sit, decursu constabit.

Præter dicta ab Adriano, & ab aliis, absoluta est conclusio S. Thomæ in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 2. ad 4. quod quoties aliquis de hoc, quod non confitetur, peccata, quæ nescit

esse peccata propter ignorantiam juris divini non excusatur à fictione: de qua juris divini ignorantia lib. seq. agetur. Sacramentum ergo erit saltem informe.

Universalis est etiam præscriptio in allegato libr. de vera & falsa pœnit. cap. 5. *quarè qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare & solvere; ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant.* Cadere ergo ambo possunt. Hoc porro ex dicto veritatis contingit, *si cæcus cæco ducatum præstet*; non utique cæcus corporali visu: ergo intellectuali: perindè autem est, sive cæcus cæcum ducat, sive non cæcus, sed sciens, ac videns instar cæci tamen ducat, & dirigat, id est, non magis dirigat, instituat, doceatque, quam si cæcus ductore vera esset, & materialiter tunc se habet visus, & doctrina. Tenetur ergo tamqoam videns, sciensque dirigere; ergo docere, & ab ignorantiis pœnitentem eruere.

Conclusio ista nunc probatur multipliciter quasi percurrendo aliqua motiva. Primò ex insufficientia, & falsitate modi contrarii philosophandi ex dictis hac quæstione. Secundo ex quæst. præs. ubi de Prælato, & Pastore quolibet, & confessore constitutum est, eos unum quemque in sua sphæra sibi commissa teneri, ut sint potentes exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, & falsitatis convincere. Hæc autem potestas, & potentia non est propter se, sed propter actum, id est, actum secundum, ut de qualibet potentia Philosophis est proverbium; nec oporteret, Pastores, & confessores magis esse scientes, aut potentes, quam quoslibet alios, si officii, obligationisque suæ non esset docere in actu secundo, & instituere oves sibi commissas. Tenetur ergo ad hoc: at sanam doctrinam docendo ignorantiæ tolluntur, ut patet. Ergo tenentur ignorantias tollere. Quò facit locus quæst. prox, expensus de necessitate discernendi inter causam, & causam; inter lepram, & lepram: item de necessitate non remanendi in ambiguis, & in verbis judicum, & Doctorum variantium, & dissidentium, sed surgendi, & ascendendi ad quærendum ipsum judicium veritatis. Ergo cum ex hoc loco omnes sufficientiam Confessoria exponant, patet non in ambiguis sistendo: ac multò minùs sistendo in ipsis ignorantiis judicium sacramentale esse peragendum, sed ipsum judicium veritatis esse necessariorum. Ergo Sacerdos tenetur hoc judicium scire, & si nescit ab aliis quærere, vel ad alios remittere pœnitentem: sin verò scit, eum instruere, & ipsa veritate judicium sacramentale peragere.

Tertio vim mihi maximam facit ea consideratio, quam inter proponendū sori sententiam significavi; quod scilicet, quoties pœnitens conscientiam, ac res suas manifestavit confessori; vel scit, eas, modumque suum, ac institutum vivendi aliundè notum esse Confessori, tunc quidquid ignoret, vel erret: silentio, ac dissimulatione confessoris approbatur, & in hac persuasione, uti diximus, vivunt fideles, persuasumque habent, se ad hoc habere Pastores, & Confessores, ut in via salutis, ac legis Dei ipsos dirigant. Sed omnes conveniunt, ignorantias approbari non posse. Tenentur, ergo veritatem manifestare, ac ignorantias, erroresque adimere.

Assumptio porrò illa, quod in casu tacere sit approbare, multisariam commonstrari potest; cum enim simus in eo, qui ex officio Pastor est, & in eo, qui ex officio Judex, ac Medicus animæ est, ut est Confessor, videntur sanè locum habere tum regulæ juris in 6. 43, *qui tacet, consentire videtur*, tum textus alii ut cap. *error* 84. dist. ex Innoc. *error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum minimè defensatur, opprimitur*, &c. *nec caret scrupulo societatis occultæ* &c. & cap. *Quid prodest illi sui errore non pollui, qui consensum præstat erranti*: Item cap. subseq. *consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.* Item 11. quæst. 5. cap. *nolite*, ex Chrysost. nolite timere eos, qui occidunt corpus, ne forte propter timorem mortis non liberè dicatis, quod audistis; &c. Sic ergo ex his verbis ostenditur, quod non solùm ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palàm pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronunciat, quam liberè pronunciare oportet, &c. & supponit continenter ut rem notam Sacerdotem esse obligatum: & sunt alia in hac quæst. 5. Ecce quanta vi ad veritatem liberè manifestandam constringunt.

Jam quilibet ultro dicere facilè sanè est. In doctrina fidei, inquis, hæc intelligenda sunt. Sed verò, quod extremum ab initio operis semper cavi, hoc est, quasi dicere, solam fidem esse necessariam ad salutem, & in reliquo errare nihil esse. Deindè multa in hoc opere versamus expressissimè in scripturis contenta, & ab Ecclesia tradita: ergo in his saltem, quæ satis multa sunt, scilicet omnia saltem principia rectæ doctrinæ morum, evasio locum non habet; Ubi omitto alia. Autoritates, inquis, intelligendæ sunt de doctrina, ac manifestatione publica veritatis in concione, & ad populum; non de privata Confessoris. Et ego eodem jure dicam ultro contrarium, non de publica, sed de privata eas esse intelligendas, quid rursùs si unus aliquis sit, vel duo, vel pauci, qui ignorant, & errant? Anne tunc, quod reprehendi magis solet, populus non ignorans coram docendus est, vel etiam increpandus; & non satius erit, ut confessarius pœnitentem moneat inter se, & ipsum solum: Videmus deindè, ut superius tractatum est, multa rectè in concione, & ad populum verissimè quidem manifestari: quæ dein à confessore, & in confessaoario, quo fit resolutio ultima causarum omnium animæ, dissimulantur, vel prætereuntur: Ex quo illa manifestatio publica effectu suo cassatur, ac inutilis redditur: necesse est ergo, ut confessarios ad ipsum retineat, & ad idem obligetur. Sciunt prætereà omnes propter peccata nostra solutionem illam, quod in concione dicere sit modo concionatorio dicere, & sic nihil dicere: cui malo causam dedit ignorantia concionatorum, qui suum hoc unum arbitrantur, conceptaa nescio quos, & similia prosequi: non autem causas conscientiæ doctrinaliter, ac Theologicè determinare: quo fit, ut pœnis confessoris, ac resolutores casuum res tota Consistat. Si ergo hi tacere, ac tergiversari possunt, planè labor Ecclesiasticus pænè omnis frustratur, & consultius erit, ut omnes in poterum taceamus, Postremo hæc evasio sup. §. contrita est.

Dicent

Dicent postremo, autoritates illas, & alias intelligendas esse de ignorantiis vincibilibus, non de invincibilibus. Verum hoc est, ut superius tractavi, corrigere, non interpretari antoritates supponendo, illud omne omissum fuisse, quod ponendum imprimis fuerat: sicut præsentia cum hoc totum esset, ut ex ignorantiis vincibiles quidem tollerentur; invincibiles saltem sæpè dissimularentur, Patres nostri ignati sanè, ac inertes homines vincibile, & invincibile præterierunt, & cum de specie solum agere vellent, solùm de genere locuti sunt. Patcent, planè; nam hanc injuriam, & similes nunquam sanctis Patribus irrogabimus. Deindè hoc facto vix nec in publico veritas manifestanda veniet, ut suprà dictum est. De manifestatione itaque veritatis, perquam ignorantia abigatur, mater scilicet cunctorum errorum, & in sacerdotibus maximè cavenda ut loquuntur Concilium tolet. 4. & sancti, de hac, inquam, manifestatione in genere, & generalissimè determinarunt, supponentes fortè, fateor, ignorantias communissime, & generalissimè esse vincibiles, & culpabiles, quin etiam si invincibiles essent universaliter loquendo esse tollendas, quemadmodum, ut in me exemplum ponam, de ignorantiis in genere, de ulla specie determinatè disputo: at sic etiam, eodemque tenore sancti loquuntur. Vana est ergo quæsita evasio. Parùm itaque concordare videtur doctrina universalia sanctorum de manifestanda veritate obligationum, & opines aliquæ etiam pœnè universales saltem in praxi de ea tacenda, & dissimulanda. Certè apud hoa opinatores non tam dure mulctandus servus ille videretur, qui talentum suum abscondit, vel pecuniam Domini in sudario repositam servavit & tot fortè superrunt causæ tacendi, quot placendi.

Ex his itaque videtur satis ostendi, silentium, ac dissimulationem confessionis, maximo viro absolutionem conferentia esse plua quam tacitum consensum, & approbationem ignorantiarum, errorumque pœnitentis: quæ etiam faciunt multæ opiniones ipsorum moralistarum, qui sive ad audiendas confessiones, sive pro regularibus ad expendendum minori forsitam fundamento licentias interpretativas, facultatesque præsumunt, & ponunt: & sic etiam in Magistria puerorum; & Pædagogis, & tutoribus si eorum scripturas, compositionea, & similia videant, & pereurrant, ac etiam subsignent, hoc ipso suo facto testantur, errores nulloa extare. Sic ergo erit etiam in confessore absolvente: & quidquid aliquid hoc circa dici quoquo modo posit, sane in rebus tantis posse dicete non satis est. Fatemur autem sæpè, quod ex circumstantiis colligendum est, tacendo nos non solum non approbare, sed magis teprobare, quæ nobis proponuntur. Hoc porrò cessat in confessore absolvente; & sic facto suo quasi subsignante, & subscribente: atque in aliis superioribua, quorum ex officio est dirigere, instituere, docere: non tacere.

Quarto probatur conclusio ex lib. 1. Ubi primum evidentissimè ostensum est, non remorsum conscientiæ non sufficere, ut ignorantiæ sint invincibiles; quin peccati posse malum bonum existimando, omnemque conscientiam erroneam vincibilem esse eorum horum remorsuum expertem, quam tamen sequendo per omnem à principio Theologiam haud dubiè peccamus, non contra, sed juxta conscientiam ipsam operando, ac proindè non propter violatum remorsum. Jam ergo in primis confessores in praxi ex hoc non remorsu conjicere non possunt, ignorantiaa esse invincibiles, & sic eaa dissimulare, etiam dato, quod invincibiles dissimulare oporteret. Deindè eo libro ostensum est, quam difficilia; & supra captum multorum confessorum sit ista provincia discernendi ignorantiaa vincibiles nisi ut dicemus, per præsumptionem procedant ac supponant, ferè omnes esse vincibiles; atque circa hoc inter alia duorum virorum gravissimorum Suarez, & Valentiæ testimonia consignavimus, quibus rei difficultatem contestabantur. Ergo rursùs etiam dato, quod ignorantiæ invincibiles præterendæ essent, tamen confessores ad praxim non habent, unde communiter supponere possint, ignorantias, & errores non vincibiles esse, sed invincibiles.

Quo circa eodem libro integra quæst. tractavimus de quantitate diligentiæ debitæ adhiberi pro scienda veritate, quæ si omittatur, ignorantia non excuset & diximua, hanc debitam diligentiam esse hand dubiè magnam, & hanc propositionem modò duram dici posse, respui posse, videri posse, ar in Dei judicio non esse falsificandam: tanram scilicet diligentiam requiri, quantam saltem homines communiter rebus suis amatis, & hujus mundi impendunt; tenemur enim, opinor, & Deum, & legem suam amare: item timere, timor autem Domini facit hominem felicitum, ait Bernardus de modo vivendi ser. 4. ac rursùs qui timent Deum inquirunt, quæ bene placita sunt illi, & qui diligunt illum replebuntur lege ejus. Ex hoc ergo rursùs confessor verè timens Deum, cui cujusque confessionia, & absolutionis suæ rationem reddiruru est, timere fundatè potest, se ignorantias sanè vincibiles pro invincibilibus dissimulasse, & enucleasse: & sacramentum nulliter administrasse, nec erga pœnitentem pium sed crudelem, magis extitisse, in peccatis suis abire, vel etiam mori permisisset. Hoc ergo ut periculum tantum caveat, ignorantias tollere debet: cum præsumptio sit, saltem vitæ communis homines nimis segniter res æternas tractare, deficereque in intelligentia debita.

Quod exeo etiam firmatur: nam in ea de quantitate debitæ diligentiæ quæstione demum, conclusimus, quantitatem istam directè, & cathegoticè taxari, nosciquè à nobia non posse: Ex quo & maximæ humilitaria, & timoria judicii Dei sanctia etiam ipsis, quorum comparatione nos nihil fermè agimua, sed dormimus, locus relictus est. Illud propposui à christiano quolibet maximè considerandum, & opertia oculis inspiciendum, sanctos Dei fungos aliquos non fuissa, sed scientia sanctorum; legisque Dei, & viatum ejus; ac judiciorum cognitione confertoa, quorum si verè loqnendum est, nec ego nec mei similes digni quidem discipuli existimus. Hi verò ipsi haud minus etiam in diligentia, & studio voluntatis Dei sciendæ nos; & qualibet vitæ commnnes homines superarunt. Et tamen totum hoc diligentiæ adhibendo hi tanti viri, hi periti, hi versati, ac sapientes timuerunt, utrum satis agerent, Ergo est pro

vincibilitate, ignorantiarum, ergo etiam daro, quod invincibiles dissimulandæ forent consultissima propositio est, universaliter loquendo veritatem esse manifestandam à Pastoribus, & confessoribus: absolutionem certè non esse conferendam.

Quinto ostendendo est conclusio ex praxi omnium judiciorum, & tribunalium: hæc enim in rebus ad unumquemque pertinentibus omnem legis transgressionem præsumunt esse culpabilem, ac omnem ignorantiam vincibilem; præsumptio autem fundatur in his, quæ saltem ut in plurimum ita sunt: & quamquam legis saltem humanæ ignorantias probabiles, seu innoxias admittant, reus tamen probare tenetur ignorandi legitimam causam: quibus de rebus lib. seq. fusè disputabitur: ibique constabit, juris divini quam raræ sint, ac paucæ ignorantiæ invincibiles. Nec illa hic distinctio de foro fori, & poli locum habet. Cum ergo incunctanter judicia, & tribunalia rectè, ac juxta rationem, & leges instituta sint; & procedant, hæc eorum præsumptio recta, & juxta rationem est. Tantumdem ergo confessor, ac Judex in foro poli præsumere, supponereque jubet. Ergo etiam concesso, ignorantias invincibiles prætermitti posse, communiter tamen loquendo, & quamdiù saltem contrarium non probatur, supponere debet ignorantias esse vincibiles, easque tollere: quin nunquam bis, & semel, & iterum eamdem ignorantiam invincibilem fuisse admittent in judiciis, sed reus in posterum manet instructus. Sed de his, ut dixi, lib. seq. plenè tractabitur: ac circa facta maximè regulas dabimus ad dignoscendum, quæ, & quandò ignorantiæ sint vincibiles, vel invincibiles. Atque hoc modo ex toto fermè opere aliæ conclusionis probationes promi possunt.

Est itaque Sacerdos ut ex Malachia superius declaratum est Angelus Domini exercituum, à cujus ore populus legem requirit: quo circa multa suprà consignavimus. Hic planè Angelus omnis ille Sacerdos est, cujus muneris vel ex officio vel quasi ex pacto sit fidelium conscientias animasque regere. Certè aliqui sunt in populo hi Angeli Domini, a quorum ore lex ipsa, ac veritas (quod idem est) requirenda sit. Rogote modo, quinam hi sint, an prælati, & pastores quique, an concionatores, an confessores, ac immediati animarum rectores? nam aliqui profectò sunt. Jam si alii per alios se vicissim excusarent, omnesque tacerent, fanè populus Angelo destitueretur. Deindè non superest, cur alii præ aliis excusandi sint, & vitiosus circulus committitur: ac rursùs ut dictum est, concionatores soli parum possunt: quin nihil fermè possunt, nisi Tribunal Confessionis cum eis concordat; & eadem sit doctrina concionis, & confessionarii, nec alibi Paulus, alibi Diana gubernet. In praxi itaque videndum est, quis verè hic Angelus, quinam hi Angeli esse debeant: quod si populus, ut debet, legem ab ore suo non requirit, ad hoc in primis obligandus est, sin minus timenda erit comminatio Prophetæ, *speculatores ejus cæci; canes muti non valentes latrare*: parum quippè interest, sive non valeant, sive nolint, & revera ac in praxi non latrent, sed obmutescant.

§. VII.

Ex Apostolo, & Ezechiele conclusio magis commonstratur.

Apostolum, cujus locum apud me pridem observaveram, proposuit Adrianus; sed locum vix pensi habuerunt, dixeruntque eum non de confessore, vel confessione, sed de prædicatore, & prædicatione esse intelligendum, & ego quidem fateor. Paulum quæ se peregisse narrat, haud certè egisse, vel saltem non egisse duntaxat inter administrandum Sacramentum pœnitentiæ, sed in publica concione, & in privatis colloquiis: tamen videndum est, utrum æqualiter, ac etiam à fortiori doctrina Apostoli confessarios quoque comprehendat.

Primo Apostolum ipsum auscultemus, qui actu 20. sic dicit: *qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim*, &c. *quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, testificans judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et infrà: qua propter Contestor vos hodierna die; qui mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Describit mox venturos malos doctores, & deceptores: & concludit: propter quod vigilate memoria retinentes: quoniam per triennium nocte, ac die non cessavi, cum lachrymis monens unumquemque vestrum.* Ex hac impensissima Apostoli solicitudine in docendo, atque lachrymis discere illi possunt, qui tam nihili ducunt errare in doctrina vel fidei, vel pœnitentiæ, ac reliqua morum, & sic gentes salvari per ignorantiam, sicut possunt per gratiam Christi.

Sed ad nos. Hoc loco apertissimum in primis est, Apostolo sermonem non esse solum de doctrina fidei, & mysteriorum, per quod ultro quidam effugere pro more habent. Patet ex iis; *quomodo nihil subtraxerim utilium*: ergo non doctrinæ morum: item quia testificabatur etiam *in Deum pœnitentiam*: item *omne consilium Dei*, omnem utique voluntatem ejus. Ea nimirum omnia, & alia eum anunciasse existimandum est, quæ in Epistolis suis consignevit, nobisque etiam posteris intelligenda reliquit.

Compertissimum deindè est, Apostolum non solum publica oratione, sed privatim etiam, ac per domos, unumquemque, ut his ipsis terminis testatur, omnes, & singulos fidem, & pœnitentiam, ac omne Dei consilium docuisse, ursisse, manifestasse. Atque postremo pluribus eum prædicasse, privarimque etiam plures monuisse, quibus profuturum in actu secundo, ipsumque culpa non esset. Patet etiam hoc primum ex inverisimilitudine contrarii, quod scilicet unusquisque ac singuli crediderint, atque dictis obtemperaverint. Patet itero quia nuspiam legimus, Paulum, & Apostolos hoc privilegio viguisse, ut omnes, & singuli crederent: ac rursùs etiam obedirent; sed contrarium. Patet demùm: quia Judæis, atque Gentilibus, ut dicit, annunciabat pœnitentiam: & intereà Judæorum saltem multi non modò non obaudiebant, sed Apostolo insidias struebant: *qualiter* inquit,

inquit, *vobiscum per omne tempus fuerim serviens Domino cum omni humilitate, & lachrimis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum.*

Ex quibus, quæ perspicua videntur: sic argumentor. Paulus, cujus quippè cura animæ illæ erant, putavit hæc à se omnia exequenda esse, hacque tanta solicitudine veritatem manifestandam fuisse, ut contestari posset, se mundum esse à sanguine omnium, ergo qui animabus suæ curæ veritatem non manifestat, mundum se habere nequit à sanguine, morteque ipsarum. Rursùs quia Apostolus impuritatem suam non alligat effectui secuto; quin potius ab hocse expedit, & quasi lavat manus; mundumque se contestatur quidquid, ipsi ab usuti essent ejus prædicatione, & doctrina: quasi diceret, per me non absfuit, ac per tantas etiam tentationes, & insidias non subterfugi, id est subterfugia non quæsivi, quo minùs docerem vos publicè, & per domos, & monerem unumquemque vestrum: ergo qui cum animabus suæ curæ; & regiminis; hoc est, Pastores, & Confessores id omittunt, & subterfugiunt, subterfugia ve quærentes dissimulant, immunes non sunt, nec lavare manus possunt.

Idcircò Paulus, ne hoc, quod fecit, sui solius esse, & non omnium Rectorum animarum, existimaretur. Continenter subdit: *non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne Consilium Dei vobis: Attendite vobis, & universe gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Papa quanta vis probationis concludentissimæ; quanta nimirum solicitudine curare oportet Ecclesiam, & animam quamque tanto pretio acquisitam, & redemptam. Paulus itaque se formam præbet, & supponit, sicut se, ita etiam cæteras, qui tegunt Ecclesiam in toto vel in parte, teneri ad idem. Tenentur ergo non subtergere annunciare omne Dei consilium, & universo gregi, & unicuique suæ curæ, & regiminis ergo etiam Confessores saltem proprii, & cæteri absolvere saltem non debebunt; nam absolvendo saltem sua vice in humeros suos, & curam ovem suscipiunt.

Multa hic censeri Chrysostomus hom. 99. ad notans primum, utilia, & quæ ad rem audientium sint, non inutilia esse tradenda. Deindè inquit, *testificans Judæis simul, ac Græcis: hic est illa dicenda libertas. Etiam licet nihil profuissemus*, inquit, *dicere oportet: hoc est enim proprium testificor, quando non attendentibus loquimur. Ita Moses &c. & infusus: non enim subterfugi, ut non annunciem vobis omnem voluntatem Dei. Igitur qui non dicit, reus est sanguinis, hoc est, cadis, nihil hoc terribilius. Rursùs subdit, ostendit (nempe Apostolus,) quod est illi, si non faciant, rei sunt sanguinis: & videtur quidem rationem reddere; illos autem terret: attendite igitur vobis ipsis, & gregi, &c. ac post multa alia de se ipso subjicit quid faciam! ecce quotidie clamas disrumpor ut recedatis à spectaculis & multi rident nos. Sæpius moneo, ne juretis, ne avari sitis, & nemo audit, ac alia prosequuntur concludit: mundus ego sum à sanguine omnium. Hoc Paulo quidem congruebat dicere; nos autem non audemus hos dicere*, &c.

Alios Patres non cumulo; quia Autores quoad publicam prædicatione m, non negant, sed concordant, sed solum de Confessore tergiversantur. Sed ostensum est nihil esse discriminis: item ostensum est, imò magis rem urgere in Confessione plurimis de causis; neque Paulus, aut sancti hanc distinctionem faciunt; nec ratio ulla est, ubi plurimas dictis addere possem: & Paulus privatas etiam admonitiones comprehendit. Prorsùs ergo confessores dissimulantes non mundi, sed rei erunt sanguinis, mortisque pœnitentium.

Dicis; nego suppositum; quia pœnitentes non pereunt; cum quæstio sit de ignorantia invincibili: ex hac autem nemo perit. Cæterum de hoc dictum est, neque Patres, neque, Paulum, in præsentia quidpiam hujusmodi supponere, nec de ignorantia vincibili, aut invincibili in specie, sed de ignorantia in genere tractare; quia vel pleræque vincibiles, ex quo adest facultas discendi, ut Adrianus ajebat, & tractabimus; vincibiles, noxiæque redduntur. Certè ego non comminiscor; Paulus sanguinem, id est, mortem animarum loquitur: in qua se causa mundum volebat, & constituebat: non autem per viam arguentia: & supponendo ignorantias esse invincibiles; sed quia nihil præterfugerat annunciare, & docere omnes, & unumquemque.

Jam ex his secum maturè confessarius quisque perpendat, & deliberet necesse est, hæc sanè Apostolica doctrina (sibimet dicere potest) aliquos in Ecclesia comprehendit. Pastores Ecclesiarum, inquit, sunt. Et cur, quæso, non ipse? siquidem animarum regendarum curam suscipit, & ad hoc se facto ipso obligavit. Quid si Confessor simul, & Pastor sit vel quasi Pastor? Deindè nullibi tam serio, quam in Confessione, causæ animarum tractantur, quin etiam judicantur; imo ea potestate, ut nisi clavis erraverit, quæ ibi solvuntur, & ligantur, soluta maneant, vel ligata in cælo: & omnes denique aliæ admonitiones ibi demum concluduntur, & resolvuntur. Si qui ergo tenentur, si qui rei sanguinis esse possunt, utique confessores: & si qui ex cap. 13. ad Hebr. vigilare debent tanquam rationem reddituri animarum, ipsi maximè sunt; nec circulus valebit, quo confessores in Prælatos, Prælati in confessores; hi rursùs in pœnitentes, & pœnitentes in ipsos causam rejiciunt. *Quæ enim spes est Doctori, grege corrupto!* inquit Chrysostomus: infrà *quamvis possem vobis dicere: quid mihi cura est? ego, quod meum est, feci: ego mundus sum à sanguine, sed non sufficit, &c.*

Verum hanc universam doctrinam tam de ignorantiis, quam de peccatis quibusque, ac malis populi, & ovium ingenti verborum, ac minarum pondere tradit Dominus per Ezechielem cap. 13. quod est ad Prophetas Israel: sunt autem nunc in Ecclesia Doctores, & Magistri, ut ex S. Petro explicuimus; & cap. 33. quod est de speculatoribus; & cap. 34. quod est ad Pastores Israel: hæc dicit Dominus Deus: væ Pastoribus Israel.

Hoc loco quid me facere oporteret, planè nescio; nam si ex Propheta hæc cuncta transcribere velim, prolixior evaserim: si Lectorem ad Prophetam remittam, hic liber Dei parum fateor, evolvitur, expenditur quoad finem sciendi, dicendique causas conscientiæ, & si indubitanter causæ hæ ipsæ, quod toties ingero, ex illo demùm judicandæ, resolvendæque sunt sin verò velim ad pauca reducere, quæ Propheta iis in

locis

locis prosequitut, non sufficio, rebusque maximis pondua detraherem.

In ambiguitate ista, breviter, ut visum est, aliqua significando, in primis caput illud 13. quod est ad Prophetas, & nunc Doctoribus, Magistrisque congiuit, superius expensum, discussumque est, caput verò illud 34. ad Pastores terribile sanè est, quod unum oculos aperire pastoribus quibuaque posset: ibi in quem finem Pastores constituti sint; quomodo oves negligere soleant, ac se ipsos, non illas pascere: & inter alia: *dispersæ sunt oves, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super faciem terræ dispersi sunt oves mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.* Sic Dominus. Hæc porrò contingunt jam ignorando, & errando, & in rebus quam plurimis mundo, ac sapientiæ ejus, & doctrinis hominum consentiendo, ut satis ex hoc opere toto constat, sententia autem Domini est; *Ecce ego ipse super Pastores: requiram gregem meum de manu eorum*; ac rursùs; *quod perierat, requiram.* Et confirmatur: nam indubitatum est, Pastorum hoc esse propium, scilicet gregem pascere verbo, & exemplo; inquam, verbo, id est, docendo, arguendo, observando increpando in omni patientia, & doctrina, ut declaratum est suprà: ergo utrum omittatur, & grex disperdatur, haud dubiè de manu Pastorum quod perierat, requiretur. At ostendimus, valere consequentiam à Pastoribua ad Confessores; quin Pastores nihil concludere posse confessoribus non unà concurrentibus, &c. Ecce istius tu conscientiam tam diù trivisti; morienti etiam adfuisti; & periit. Ratio sanè reddetur. Quo circa videndus est Angustini liber de Pastoribus. Item Gregori opua de cura Pastor.

Quod ad pascendum per doctrinam attinet, Augustinus c. 12. Prophetam exponens inquit: *& pascam eas super montes Israel. Constituit montes Israel Auctores scripturarum divinarum, ibi pascite, ut secnrè pascatis. Quidquid indè audieritis hoc vobis bene sapiat: quidquid extra est, respuite, ne erretis in nebula, &c. A montibus enim quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis Evangelicæ: erunt stabula earum illic, id est, ubi requiescant; ubi dicant, benè est; verum est; manifestum est; non fallimur.* Hoc Augustinus, & sic Patres alii quæst. 15. Jam si Pastores viderent, aut nec hoc quidem videre valerent, non in his montibus gregem pasci, nec ista esse stabula, ubi requiescit, & errarent greges in cunctis montibus, ac veria, & falsis pascerentur, & fallerentur, nonne dicendnm superesset, *væ Doctoribus Israel*? si rursùs cura hæc ad Confessorea translata esset, & ipsi negligerent, seu alibi pascerent, nonnè dicemus, væ confessoribus Israel.

Sententia porrò Domini illa in his est, quæ habetur cap. 33. *si me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annunciante ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuam liberasti.* Cum ergo ista Domini sententia tam sit perspicua, & æqua, quis in incerto opinionum animam suam ponat, & non magis nullis quæsitis effugiis, omnique prudentia sæculi renunciata, velit immunis esse à sanguine aliorum. Non enim Dominus dicit si profuturus est, si convertendus aliter loquere: imò casus totua est, non fructus, hoc discrimine, quod nobis tacentibua uterque perimus; altero autem annunciante, solum ille, qui juvari noluit, & per quem absuit, ut admonitio prodesset.

Sed dicis: modò nihil esse; quod Domino dicente, morte morieris, aut Pastor, aut Confessor taceat, & dissimulet; nam adulteris, & furibus, & homicidis palàm denunciatur, *morte morieris*, si non custodias à via tua. Et utinam hæc ipsa, ut sunt, & qualiter sunt denuncientur, nec tam obvia, ac facilis salus promittatur. Enim verò de multis aliis, quæ ad saluté necessaria liber verus tradit, & sine quibus morte moriemur, quid? De avaris, qui regnum Dei non possidebunt: de re ipsa significata usurarum, simoniarum quid? De aliis multis, quæ lib. 4. conferimua quid? Propter hæc autem ex libro vero morte morientur. Properà inculco, nisi utendo hoc libro sacramentum rectè administrari non posse.

Aliqua ex Hieronymo eo cap. 33. & 34. ne ex cerebro interpretari videamua, conferamur. *Ex quibus verbis discimus, inquit, posse hominem, quamvis iniquum, & impium, si Magistri verba audierit, & egerit pœnitentiam à sua impietate salvari: nec minus Magistrum subire discrimen, si docere noluerit, vel timere discriminis, vel desperatione peccantis dum reus est sanguinis ejus qui liberari potuit & de morte ejus, nisi si Magistri silentio concidisset*, ac nectit mox contra Jansenistas ingentem libertatis arbitrii, ac indifferentiæ probationem. Confessor autem Magister pœnitentis est; & si Magistri alii rei fiunt sanguinis pereuntium à fortiori Confessorea multis de causis dictis, & dicendis, atque inferius, quamquam Episcopus non fuerit, subjungit: *speculator autem Ecclesiæ vel Episcopus est, vel præsbyter, qui à populo electus est, & scripturarum lectione cognoscens, & prævidens, quæ futura sint, annunciet populo, & corrigat delinquentem. Undè magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni.* Eccur vero tantopere formidandum? Quia sanguinem ejus, qui scilicet errat, vel perit, de manu nostra requiret, ut dicit, nec fallit Dominns.

Dein cap. 34. *Ad Pastores autem Israel*, inquit, *sermo dirigitur; quos vel Reges, vel Principes, scribas & Pharisæos, ac Magistros Judaici populi debemus accipere. Vel certè in Evangelico populo Episcopos, Presbyteros, Diaconos: &c. & quod crassum erat, occidebatis. De divitibus populi loquitur, quos mali Principes in Ecclesiis jugulare narrantur, dum eos prædicant, & vitia eorum increpare non audent (vel præ ignorantia nesciunt.) De quibus, & Peopheta dicit, populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, & semitam pedum vestrorum supplantant.* Hic jam dixi detrahendam esse personam: nam cum maximè omnium sint saltem re ipsa crudelea, ac animas perdant, fallunt tamen prætextu pietatis, & misericordiæ, promittendo, se peccata rollere, ac cœlo, quod suum non est populos donare.

Postremò ne ut solent, per hæreticos evadant, dicit de turbantibus pedibus suia aquaa mundas, & pascua bona scripturarum, de quo Propheta hoc capite loquitur: *quod est omnes quidem hæretici faciunt, &c. sed & Ecclesiastici viri, qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistrum*

gistrumque habent præsumptionem, simili errore retinentur. Qui cum populo persuaserint: vera esse quæ fingunt, &c. Quæ, rogo, dogmatum veritas est in via v. g. probabilium; quæ mixtum quidpiam potius est ex veris, & falsis. Num hoc sunt pascua bona Prophetæ, & aqua purissima? sic est sanè hæc aqua purissima, sicut vinum purissimum est, cui pro medietate aquam infudisti. Reflexis porrò tuis hæc aqua fit falsis turbata, & corrupta tamquam aqua purissima assumitur. O si vini venditores similes aliquas reflexas excogitate valerent? Deindè nequit non esse Magistra præsumptio, si existimemus, nos seorsim, & sine cognitione, & usu libri Dei scire posse, aut quomodo sit vivendum, aut qui salvandi, sed scripturarum Lectione, ut ait Hieronymus, cognoscentes, & prævidentes, quæ futura sint, annunciare vel populo vel pœnitenti debemus: sine quorum quippè cognitione, & nisi ex ipsis, sic scimus quinam salvandi sint, sicut scimus nunc, quid M taci in Japonia agat Jaicosama.

Hoc autem peccato tenentur etiam illi, qui quando non oportet, aut Concionatores sacros aut Autores librorum veritatem adicere, manifestareque impedirent, non minus, sed magis multò, quam si tempore famis, & inopiæ prohiberent proximis subvenire. Constat porrò Confessione ordinum, bonorumque omnium, hac ætate extremam quandam relaxationem inductam esse in doctrina morum: cui malo, veræque doctrinæ necessitati occurrere volentes magnum crimen sit compescere: si inquam debitæ circumstantiæ servarentur: sed verò, ut malum ipsum est notorium, ita notorium esse oporteret, circunstantiam aliquam debitam deesse videndo, vel ineptum esse, qui malo occurrere tentat; vel doctrinam quam affert, veram non esse, vel veritatem non manifestari, ubi, & quandò est necessitas; &c. sin minus errari, & peccari gravissimè posset.

De modo autem, qui præsertim à Confessore servandus est, & quam mitem, suavemque eum esse oporteat, quando rem arduam pœnitenti manifestaturus, & jussurus est, & quibus mediis uti, tractareque debeat, infrà exponetur: non enim eo eumdem est, ut manus quidem suas lavet: pœnitens autem pereat, si velit.

§. VIII.

Hæc veritatem universaliter loquendo manifestandi obligatio denuò confirmatur.

Rejecta ea evasione de manifestatione publica concionatorum, & Præsulum, & non de privata confessariorum, qua Adrianum eluserunt, urgent in primis autoritates ab eo inductæ. Ex Ambrosio attulit: *ego interdum parcens vobis tacere vellem; sed malo vos contumacia causis reddere, quam me negligentia sustinere judicium*, ser. 84. item vulgatum illud Gregorii: *utilium scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur* cap. 3. de reg. juris. item illud Apostoli, quo de tractatum est, *mundus sum* &c. Ex quo Gregorius infert *mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis consilium Dei annunciare voluisset* cap. *Ephesis* 93. dist. Hæc ex Adriano, & alia etiam confert, ut 14. quæst. si res, &c. Ut porrò evasionem illam de Confessore sæpius, ac multiplicius repellamus, quis, oro te, hoc dixerit; Paulus quidem, vel Gregorius unum quemque sanè privatum etiam commonebant; at hoc ipsi in Confessione non ita fecissent, sed tacuissent, & tacendum tunc existimavissent.

Gravia etiam sunt eadem dist. cap. *dispensatio* ea verba Nicolai: *dispensatio est nobis cælestis seminis injuncta: væ si non sparserimus: væ si tacuerimus*: &c. Est verò confessoris ager quasi proprius, sibique commissus pœnitens. Plurima ibidem cap. *sit Rector*, ex Gregorio *sæpè namque Rectores improvidi, humanam amittere gratiam formidantes: loqui libere recta pertimescunt*: quod quam sit pravum, & Mercenarium, & nequaquam Pastorum, ex Joannis 10. Isaiæ 56. Ezechielis 13. Ihren. 2. ad Titum 1. Malach. 2. Isaiæ 38. Actu 7. Gregorius demonstrat: atque inter alia de ignotantiis inquit: *clavis quippè apertionis est sermo correctionis: quia increpatio culpam detegit quam sæpè nescit etiam ipse, qui perpetravit*: Dicant extra confessionem sic: in confessione non.

Quæ verò in contrarium ex hoc ipso capite, *sit Rector*, cap. *in mandatis* opponi posse videntur, satis in glossa ex eodem Gregorio declarantur, & à nobis inferius hæc, & alia exponentur. Certè nos meliùs has quasi exceptiones de prædicatione publicè, & non de Confessione intelligendas arbitrabimur, quam vice versa faciant alii.

Illustrissimus etiam Arausio de confessariis quidem Principum specialiter agens multa cumulavit, quæ tamen concludunt de omnibus. Sic enim Nathan Propheta, inquit Regem Davidem de adulterio occultè perpetrato graviter reprehendit. Sed quoniam dicturi sunt hæc, & alia; qui ibi nectit; de peccatis cognitis esse, non de ignoratis, in primis habetur saltem contra ignorantiam quorumdam confessorum, ipsos posse, & debere reprehendere peccata, quæ aliundè norunt, & si pœnitens ea prætereat; & negare absolutionem, nisi emendationem, efficaciter proponat. Deindè subjicit quo pacto S. Franciscus de Paula Alphonsum 2. Reg. Neapolitanum, & tres Galliæ Reges Ludovicum II. Carolum 8. filium, & Ludovicum 12. acriter, & christiana libertate objurgaverit de occultis criminibus in populi regimine commissis, de quibus, ut Actor subdit, ipsos conscientia non remordebat. Glossa tu modo, sed nemo credet: hæc quidem fecit vix Dei, qui Confessor non erat: at si Confessarius eorum fuisset, non fecisset, sed tacuisset, tacendumque censuisset: si Confessarius Regum fuisset, fecisset quidem ista: tacuisset vero, si Magnatum, si Mercatorum, prophanarumve mulierum Confessarius extitisset. Nemo, opinor, has glossas admittet,

Rectè autem dictum est Reges eos conscientiam suam non remordisse; nam erat materia gabellarum, tributorumque; quæ imponere Reges non solent nisi multorum Ministrorum, consiliariorumque approbatione; & quemadmodum modò fit: & in talibus non existimant se peccare, sicut nec nunc. Affert præterea Auctor casum Ambrosii cum Theodosio: item Baptistæ, cum Herode. Quid verò scimus, si Herodes objectis Philippo fratri nullitatibus, ac prætextibus obtinuisset scribit, & Pharisæis, legisque Doctoribus approbationes, experientia enim demonstrat Principibus numquam deesse approbatores, & Doctores: cumq; Herodes sagacissimus esset, & vulpes etiam ideò vocatus sit, uxoremq; propriam repudiaturus esset, tunc ne Regnum turbaretur; tunc ne apud socerum Regem defensione aliqua destitueretur,

tueretur, valdè credibile fit ex moribus hominum, ad mores hominum, & ex Aulis, & Regibus ad Aulas, Regesque, ut oportet philosophando, Herodem hanc diligentiam non prætermisisse. Si vero Joannes tanti ea motiva fecisset, utrum profuturus esset: utrum etiam gravissimo suo incommodo exponeretur quievisset sanè faciliùs, nec capite suo admonitionem solvisset.

Huc etiam pertinent lites illæ Chrysost. cum Eudoxia Augusta: quæ exilio, & morte sibi constiterunt: & timeo, ne modò, si ea nunc contingerent; imprudentissimum eum habuerint; nam & summa illa pecuniæ exigua erat, & quæ aliundè rependi facilè posset, ut proptereà turbanda esset tanta curia; & pro statua formaliter quæri potuisset: quodque officia Divina rumore interturbarentur, haud tanti interesse videbatur. Parùm certè fructus à Constantio Augusto consequendum sperari poterat; & tamen quanta scitur christiana libertate, & magnus noster Osius, ac Hilarius ad eum scripserunt: sic etiam Gregorius Theologus, & alii ad Julianum. Profectò ex his, & aliis factis sanctorum, qui nobis forma esse debent, hoc colligitur, eos non ad extremum tacendi, ubi præsertim ex officio tenebantur, sed ad libertatem christianam; nec motiva humana commodi, & incommodi & pericula tanti habuisse.

Hunc eumdem Dei spiritum in Prophetis ab ipso erectis, & directis conspicimus & sive profuturi essent, sive non essent, publicè, & privatim scelerum & errorum Reges, & alios commonebant. Sic Reg. 3. c. 16. Jehu Buasan locutus est: & Helias semel, & iterum Achab: & Propheta alter Regem Benadad; & sic alii & alii: ut Reg. 3. & 4. cernitur. Olim hoc modo Deus populum suum missis Prophetis iisque fortissimis dirigebat. Successere in Ecclesia eorū loco Pastores, Doctores, & Doctores non Pastores: nec necesse est, ut amplius revelet Dominus: jam enim satis nos edocuit præsertim novissimè multifariam, multisque modis loquens nobis in filio. Si ergo Prophetas nunc mittit; Pastores autem, Doctoresque laterent, nec defectum Prophetarum ex revelatis fortissimè etiam, ac ad eorum instar supplerent, sanè magna relaxatio sequatur; necesse est, & peccata, erroresque prævaleant: sic enim sumus in intellectu, sicut in voluntare miserandum, & in modum defectibiles: pro utroque igitur speculatoribus, Pastotibusque indigemus.

Profectò Michæas satis exosus erat Regi Achab: sed ego odi eum ajebat, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Nihilominus à Josaphat Rege Juda, ne ita loqueretur, admonitus, misit ad Michæam Eunuchum quemdam, ut eum interrogaret de profectione sua ad bellum, feliciter ne cessura esset, an secus. Nuncius vero, qui erat: ut vocaret Michæam, locutus est ad eum dicens, ecce sermones prophetarum ore uno Regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona. Vehementissima sanè tentatio ista erat; & quid, quæro, Michæas proficere se posse speraret Profectis omnibus ore uno contradicentibus, bonaque, & placentia promittentibus! Vivit Dominus, inquit, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar: & infelicem profectionis exitum coram prædixit, & ita contingit: quamquam enim, Achab eum, & veritatem edicetet, adjurasset, (quod saltem utinam omnes imitarentur) multitudini tamen credidit, & Michæa in carcerem truso, profectus ad bellum occisus est & fusus Israel.

Sed dicis, quid hæc ad nos? ubi nunc Prophetæ? Rursùs dicis: Prophetæ sciebant certissimè, quæ prædicabant: modo autem superiores, & Confessores non sic. Rursum forsitam dicas, Michææ rem fuisse de felicitate, vel, infelicitate temporali: nunc autem de spirituali esse quæstionem Postremò dicis, Regem Achab peccasse gravissimè, qui Prophetam verum falsis post habuit, & præterea etiam eum in durum carcerem pane tribulationis, & aqua angustiæ alendum conjecit.

Sed primò hoc postremum reponi nequit; in hoc quippè errant quidam semper ut Prophetas, & hæreticos, & Apostolos, & miracula hoc aliis fuisse credant, quod nobis sunt: quo circa in culco eam explicativam sententiam Silviani de hæreticis *nobis hæretici sunt: sibi non sunt*: sic Michæas nobis verus Propheta est; Regi Achab non erat; alioqui certus mortis suæ, & stragis exercitus in bellum profectus non fuisset, ut patet. Tunc ergo erant mixti, & confusi Prophetæ veri, & falsi, sicut modò Doctores, nec quinam veri, & falsi essent. conveniebat, sed hoc potiùs in quæstione erat; sicut nunc de Doctoribus; etsi liber Dei vera narrat, falsi plerumque plures erant; ac etiam hilariores; ideoque & prævalere sæpè solebant. Quod rursùs Michæa de felicitate temporali res esset proponi non potest; cum haud dubiè magis inter sit salus animarum: argumentumque sit à fortiori.

De certitudine Prophetarum tractat S. Thomas 22. quæst. 171. att. 5. & aliàs & vera doctrina est, Prophetas habere certitudinem, & evidentiam, quod revelatio fit Dei quandò per revelationem prophetant; secùs quandò per instinctum, tunc enim non plenè discernunt, suspicantur magis, & quam certò sciant, se spiritu Dei loqui, & non proprio: in quo aliquandò decepti sunt etiam Prophetæ ipsi, & Nathan, quantò magis vetulæ nostræ. Dico ergo hinc primò, non semper, & in omnibus Prophetas eam certitudinem habuisse. Deindè dico, plures relaxationes multorum fidelium, & ignorantias, & errores certissimè ex Evangelio, ac per fidem constare. Ergo saltem in his Pastores, & Confessores dissimulare non possunt, nec considerationes illæ, utrum profuturum sit, utrum magnum incommodum sufferendum, valent. Quid in Paulo clarius, credentibus certius; *vidua, quæ in deliciis est*, Quid in Joanne expressius; *qui non diligit, manet in morte; item scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres; item qui habuerit substantiam hujus mundi & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo?* Omitto alia quæ sensim hoc opere spargimus, de usuris, de simonia &c. & universim ex doctrina scripturarum, & sanctorum esse vivendum. Prætereà quamvis certitudo illa totalis desit, clamari solet, nos homines, non Angelos esse; quibus proindè ad quæsumque alia rectè gerenda probabilitas sufficiat. Nunc ergo solùm Pastores, & Confessores excipiendi sunt, nec munera sua explere eadem regula possint, & nisi Angeli fiant, obmutescendum est? cur ergo Dominus Deus Angelos non providit?

Quod

Quod dicebatur, Prophetas nunc haud adesse, quibus rogamur, dictum est, eos nunc necessarios non esse, & eorum loco successisse Pastores, & Doctores, qui ex relationibus pridem factis sufficientissimis regere nos possint, ac debeant. Comperrissimum namque est, Ecclesiam Synagogæ præstare, eamque eum assistentia Spiritus Sancti esse sibi sufficientissimam magis multò, quam Synagogam etiam cum Prophetis: quare non ideò Deus Prophetas non mittit, quia dormir; sed quia necessarii non sunt, missurus eos haud dubiè, si necessarii forent. Superest ergo in Ecclesia. undè defectus Prophetarum suppleri possit, & ad quos hoc operis pertineat. Hi porrò sunt Rectores Ecclesiarum, ac Doctores animarum. Ecce libri prodierunt, qui in perfectione religiosa Synagogam Ecclesiæ anteferre viderentur: & offensi sunt plurimi. Opus vero est, & uniquique sibi constenr in omnibus, & consequenriæ serventur. Nunc cedent: Synagogam præstare Ecclesia in doctrina; & ejus certitudine? & adfuisse in ea quidem frequenter, qui voluntatis Dei certissimi Regibus etiam, ac Prophetis falsis, populoque universo fortissimè resisterent, ac voluntatem Dei palam edicerent per pericula, & mortes: num verò in Ecclesia non esse, undè hoc suppleatur; non esse, ad quos hoc muneris pertineat; sed omnia, aut plurima, eaque summa in nubilo remansisse; hinc indè ambigua, incerta, probabilia. Et in quibus Præsules, cæterique animarum Rectores mox vere nihil debeant, sed tacendum sit. Hoc profectò est quasi diem Synagogam: quasi noctem verò Ecclesiam constituere. Est ergo haud in Ecclesia, undè Prophetarum vices suppleri possint, ac debeanr. Quod porrò hoc prudens non habeatur, mundi prudentia est, nec Isaias sanè, nec Hieremias, Zacaria, Michæas, Helias, aliique prudentes habiti sunt à multitudine: quin persecutionem passi sint.

§. IX.

Eorum ignorantia, de quibus queritur, an eis sit detegenda veritas, vel erat, vel sit vincibilis & noxia.

Egimus hactenùs universim de obligatione omnium Doctorum animarum ad manifestandam veritatem. Dicent, nos authoritates non adduxisse de Confessoribus in terminis. Sed precamur, ut ipsi authoritates in terminis de Confessoribus afferant ad eos excusandos. Protulimus itaque de Pastoribus, & Rectoribus animarum: quæ porrò generi conveniunt, species omnes comprehendunt: at Confessores sunt, & maximè quidem Doctores animarum; item Pastores saltem quoad exercitium, & ex commissione: ergo Confessores sub iis authoritatibus comprehenduntur. Præthereà quod à fortiori eas ad Confessarios multiplicites ostendimus pertinere: ac postremo declaravimus non obligatis, ac ulrò, citroque absolventibus, omnem reliquam curam pastoralem reddi inutilem, & vanam.

Sed verò nunc proplus ad Confessores solos accedendum est, & quasi petendum jugulum. Nec sanè inventores aut esse, aut videri volumus, sed propositionem ab Adriano pridem inductam explicare, communireque, consilium est.

Dixit itaque ille, & ut existimamus, satis sapienter, Confessores teneri ad tollendas omnes ignorantias contrarias jure Divino; & aliter absolvere non posse. Probavit: quia ignorantia juris Divini excusat solùm, quandiù manet invincibilis, non manet autem invincibilis, quandò adest, à quo posset dicere veritatem, si vellet; imò tenetur exposcere, ut Legis Dei veritatem edoceatur, ne ignorans à Deo etiam ignoretur ex 1. ad Corinthios 14. Hæc Adrianus; quæ an de quovis etiam alio jure probent, dicemus.

Transmittit, ignorantiam aliquam etiam juris Divini fuisse invincibilem ante Confessionem: & intendit eam reddi vincibilem ex quo à Confessore dicere veritatem potuisset, si voluisset. Nec mirum videri debet, ignorantiam ante invincibilem, & innoxiam reddi postea vincibilem: sicur lib. 1. ostensum est, multas antea vincibiles transire in invincibiles per pœnitentiam, si causa voluntarietatis earum efficaciter retractetur, & rescindatur, & qui prius negligenter animam, resque æternas curabat, statuat multò & accuratiùs eis incumbere. Sic etiam si Pastor animarum ignorans, officium renunciet, ignorantiæ anteà culpabiles redduntur innoxiæ: ac vice versa si quis ignorans. Episcopus fiat, ignorantiæ prius invincibiles fiunt vincibiles; quia accessit debitum, & obligatio sciendi & sic in aliis.

Intentio ergo Adriani probatur. Nam Theologi sine exceptione, omnes obligant sub gravi unumquemque ad inhibendam aliquam diligentiam pro scienda Lege Dei: nec est exceptio quod lex sit dura, vel facilis, quasi pro scienda facili facienda sit diligentia, sed pro duriori non sit facienda, ut paret. At qui obligatur ad aliquam diligentiam, obligatur sanè saltem ad minimam. Ergo unusquisque obligatur saltem ad minimam. Sed diligentiarum invincibilium minima est, quod pœnitens absque ullo suo labore audiat à Confessore legem Dei. Ergo pœnitens tenetur velle audire: & nisi hoc virtualiter saltem velit, non est rectè, nec erga Deum, nec erga sanctam suam Legem dispositus: ac ideò Adrianus aicbat; imò tenetur exposcere, ut Legis Dei veritatem edocetur. Omnis Ergo pœnitens rectè erga Deum, & legem suam dispositor saltem virtualiter vult; & petit à Confessore, ut veritatem edoceatur: & si hoc non vult, nec petit, ignorantia; vel erat, vel reddirur vincibilis; nam est ignorantia non facientis, quantum potest, & tenetur. Et hæc est ratio, quare, ut suprà dicebamus, omnis pœnitens in favorem suæ ignorantiæ interpretari jure possit silentium Confessoris: quia supponitur, eum velle implere mensuram diligentiæ debitæ: Ergo supponitur, eum virtualiter saltem velle, & petere à Confessore, ut quid ignorar, edoceatur: ergo si taceat jure præsumit, supponitque pœnitens, nihil esse in quo docendus sit, resque esse, quales ipse existimat.

Explicatur vis argumenti. Vel enim Confes-

vero de singularibus, ac individuis per se contentis sub voluntate sciendi, & servandi universam legem Dei. Homo quidem inflexibilis non est, ac mutare voluntates etiam efficaces potest: at per se repugnat, voluntatem efficacem sciendi, & servandi legem universam esse incompossibilem cum cognitione, & voluntatem servandi aliquam legem particularem. At in casu supponunt, cognitione & revelatione hujus legis, & obligationis particularis interimendam esse; ac mutandam voluntatem pœnitentis. Ergo voluntas pœnitentis non erat sciendi, & servandi totam legem. Ergo ignorantia est, vel fit vincibilis; & ficta, falsaque est pœnitentia, & restricta, vel inefficax. Nec valet, si dicas, esse voluntatem sciendi, & servandi omnem legem, quam scit, vel quam esse præsumit. Hæc enim, ut paret, non sufficit. Sed ut ignorantia sit involuntaria, & invincibilis, necessaria est voluntas efficax sciendi totam legem, quam revera Deus fecit: & præterea nugatur: inquam efficax ad eam saltem mensuram diligentiæ, ad quam omnes sub gravi obligant.

Præterea ad hoc ipsum aliter arguitur: ex justitia vel charitate debita pœnitenti non magis, obligari potest Confessor, quam pœnitens ipse erga se. Ergo si Confessor. ne pœnitens peccet, aut pereat, rectè facit veritatem occultando, à fortiori pœnitens ipse rectè faciet non quærendo, nec addiscendo multas leges, & obligationes maximè difficiliores, quas si sciat rimere de se potest, juxta experientias, quas habet, se non adimpleturum multa saltem difficiliora. Si enim laudabilis est hæc charitas confessoris erga pœnitentem propter bonum spirituale pœnitentis, magis laudabilis erit in pœnitente ipso erga se. Ergo ne peccet, negligere potest multa, vel plura scire, & quærere. Hoc autem falsum est, & contra omnem Theologiam, & omnis ignorantia filia negligentiæ est noxia, & culpabilis, ut lib. 1. habitum est. Ergo prætensa illa charitas, non est charitas sed magis vera charitas, sicut pœnitentem ipsum ad quærendum, & discendum obligat, ita etiam confessorem ad dicendum; nam obligatio Doctoris & Pastoris, licet non par, proportionata tamen est obligarioni pœnitentis, & eodem tendit. Atque, ut supra dicebamus, in via ista si Deus charitatem habuisset, nullam planè legem dedisset; nam nemo peccaret, omnesque salvi fierent: quod est desiderium, & scopus sic opinantium; sed jam diu ex Augustino redicimus; *nemo optando facit, ut sit verum, quod verum non est*, & sicut etiam loco paulo ante citato de castitate loquitur, *nulli esset fideliter amabilis charitas si non etiam præligeret veritas.*

Denuò probatur; quia contingit peccare & scienter, & ignoranter, seu per ignorantiam, ut lib. 1., fusè constitutum est. Ergo omnis verè pœnitens tenetur velle efficaciter non peccare utrovis modo. Ergo tenetur efficaciter velle, ad desiderare scire, & cognoscere omnem legem Dei, & quamlibet, si aliquam ignorat; & nisi hoc efficaciter velit, & desideret, non proponit efficaciter non peccare: item sua sibi ignorantia redditur voluntaria, vel non involuntaria per hanc suam voluntatem, & sic vincibilis, & non excusans. Si autem sic velit, & desideret, cognitio legis illius restituendi aptè compossibilis est cùm hoc desiderio, & voluntate sciendi. Sed in casu ponunt voluntatem incompossibilem, ac statim perimendam per eam cognitionem. Ergo casus non est verè pœnitentis; ac proinde vel innitendum est, ut melius disponatur, & convertatur; vel absolutio dari nequit.

Et confirmatur ex taxatione diligentiæ sciendi veritatem, ad quam obligamur, & eam lib. 1. ostendimus debere esse magnam, & partem saltem ei, quam rebus amatis hujus mundi uxori filiis, honori, divitiis impendimus; & hoc patet, quia anima sua plerisque cuique debet esse, quam cætera illa; item Deus; item æternum, quam momentaneum, &c. Ergo omnis verè pœnitens est sic affectus dispositus, & conversus. Sed de ita affecto, & disposito nulla est præsumptio, quod restituere nolet, sed contrarium. Ergo is de quo disputamus, non est verè pœnitens: & omnis probatio pro tacenda veritate est probatio non pœnitentiæ, seu falsæ, fictæque pœnitentiæ: & quanto magis probant, esse tacendum, tantò probant magis, pœnitentem non esse conversum, nec semi conversum. Et confirmatur; quia nihil tale timeremus in manifestatione rerum amatarum.

Sed missit aliis, quia mortem æternam illius moribundi haud dubiè exaggerabunt, ut Augustinus loquebatur, nosque animicidas vocare etiam possunt, ad hæc quasi visibilia, quæ movent, & turbant, aliud quasi visibile adducamus. Ecce fingamur, nunc apud nos degere, ut debat olim, Christum, & sedere in hoc cubiculo: moribundum verò nostrum propè in alio jacere; & ut supponimus, eum teneri restituere; sin minùs non sumus in casu; & te Ministrum Christi adesse moribundo. Postquam verò confessionem audisti, & judicasti, eum teneri restituere, tamen non voliturum, siquidem prælto est, venis ad Christum, & ais: Domine, quid de hoc moribundo? Respondet: volo, ut restituat; nam hic est casus. Replicas, & dicis; Domine, nolet. Scio, inquit, volo tamen, ut restituat. Ingeris, Domine, peccabit, & peribit, & ille, volo, ut restituat. Videtur certè durum, quòd tu Minister cum sis, manifestare nolis voluntatem Domini hoc in ministerio tui. Deinde Dominus ipse, si ad moribundum accederet, juberet restituere; siquidem voluntas sua seria est, ut restituat; cum qua haud cohæret voluntas tacendi. Neque demùm Dominus velle seriò potest, ut ille restituar, & tu minister v.g tunc unicus taceas; alioqui vellet, & non vellet, & nugaretur, ut multipliciter urgeri potest. Teneris ergo manifestare hanc seriam voluntatem Domini, & concurrere tamquam minister, & instrumentum cum causa principali, & non contrariè ire.

Illas leges justas celsissimum illud ingenium Card. Pallavicinus existimavit, quas seorsim à suis casibus particularibus, & quasi interesse optarent omnes, & probarent: id enim ex ethicis bonum est, quod universis hoc sensu videtur. Relinquamus ergo moribundum illum suo jam eo casu implicatum, qui forsitam vellet (& hoc ignoro) sibi taceri, & in hoc incerto relinqui, ut migret ad judicium Dei. Quæramus homines sanos nullis his casibus implicitos, sed liberos, & propriè suæ voluntatis; inquá, quæramus hos, unom velint, secú in articulo mortis sic agi, & dissimulari? an ité hos confessores mallent, an magis alios, qui cum lachrymis, & quanto possent amore & efficacia annunciarent

apertè omnem voluntatem Dei? ac demùm quæramus; utros existimarent crudeliores, vel mitiores, num eos, qui ita ire, & abire ipsos sinunt; num eos qui ex forma Pauli unumquemque monerent? Haud dubito, genus totum sanum saltem fidelium pro nobis dicturum contra hos, qui sibi tam pii videntur. Quis enim fidelium est, qui non probet, non collaudet eam Ludovici 11. ad Carolum filium præscriptionem: *ita gere te, ait qui tibi sunt à confessionibus, & consiliis licere admoneant?* Hoc volunt, hoc optant, boni omnes; & qui nolunt, boni non sunt.

Sed tandem immensam huic parti authoritatem conciliat Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 7. qui agens de collatione non qui Sacramenti pœnitentiæ, in quo urgentior est ratio, sed baptismi totam quantam adversariorum rationem in terminis objecit sibi, & elisit. Disputat eo librorum quibusdam, *qui humana quadam*, ut ait, *miseratione* commoti volebant, baptismum omnibus, ne perirent esse administrandum; & quia non omnes ad mutandam vitam, & exuendum hominem veterem, induendumque novum parati erant baptizandis solùm annunciandam esse doctrinam fidei; doctrinam verò morum differendam, quæ jam baptizatis post ediceretur; de qua quæstione disserit eo lib. usque ad cap. 14.

Jam verò pientissimi adversarii post alia argumenta objiciunt Augustino ca. 7. ipsissimam formalem difficultatem, & principium hac in re philosophandi adversariorum etiam nostrorum. *Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc: si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tandiu bonæ fidei possessor quisque rectissimè dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum: cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur: tunc justè injustus vocatur*, Num hæc ipsa ipsissima, & formalissima non est tota ratio, & via philosophandi adversariorum? Res verò erat ista, quæ proponitur, inquam ignorantiæ invincibilis cadere posset juxta omnes, nam est ignorantia facti, quod ille esset alienus.

Augustinus immediatè respondit: absit ergo, ut sensu non humano, sed planè vano sic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur, maxime in Civitate Dei, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia &c. Neque hinc diutius modò disputare opus est, cum & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum esse hunc peccatum, neque negent esse adulterium. Ecce non improbat modo, quod ei sic nescienti mulieri nihil eam adulterii ab ipsa ignorati admonendo baptismus conferatur, sed quæstionem ipsam putat alienam à monte sancto Dei, & non humanum, sed planè vanum timorem illum, & dolorem, quòd corrigatur; quia correcta jam sciens peccabit. Ad adversarii nostri juxta opinionem suam mulieri ab Augustino propositæ nihil ipsam admonendo, non solum Sacramentum pœnitentiæ in vita conferrent, sed sic etiam eam abire, obireque sinerent longè ergo à doctrina, & via Augustini distant, & eis suis adversariis magis congruunt, qui certè hæreticè sapiebant in multis ut patet ex eo libro. Neque te moveat, quod Augustinus eum invincibiliter etiam ignorantis concubitum peccatum flagitiumve vocaverit; quia qui loqui sciunt, ita & ethicè, & Theologicè, & christianè loqui debent; & Augustinus probat; quia concubitus ille semper est adulterium: porrò adulterium proculdubio peccatum, flagitium, & crimen est, ut etiam lib. 1. explicuimus contra eos, qui censent; ex ignorantia invincibili hæc omnia crimina reddi honestè. Ignorantia eorum invincibilis non fuit, ut adulterium crimen non sit, sed facit, ne imputetur: & quod injustum quidem, non injustè fiat; quia prorsùs involuntario. Nunc aliis ex Augustino maximè prætermissis, aliqua exponenda sunt.

§. X.

An doctrina data exceptionem aliquando habeat in jure divino? an saltem in humano, & in ignorantia facti?

PRimùm enim Augustinus modò de ignorantia facti, & quæ invincibilis videbatur decernebat: ergo nec ignorantia etiam invincilis facti dissimulanda est, cui conferendum est Sacramentum. Deindè argumenta facta de omni planè ignorantia videntur probare. Hinc verò datam doctrinam arguent; quia concedendum videtur, saltem juris humani, & factorum dissimulari, tolerarique posse aliquam ignorantiam. Sed ex doctrina nostra, & argumentis sequitur contrarium. Ergo exorbitamus, & excedimus. Et certè haud dubitamus, rarum ac fortè etiam nimis paradoxum videndum, si quoad præsens jura quæcumque, & facta etiam æquiparemus. Proponam tamen sapientiorum judicio, quod visum est.

Quæsivi in primis originem, cur quoad istam quæstionem distinctionem jurium, & factorum aliqui induxerunt, maximè illi, qui ignorantias juris divini manifestandas esse decreverunt; nam alii pariter de omnibus opinantur, dissimulandas esse, quando admonitio non profutura est, sed nocitura; aut grave scandalum imminet. Cum porrò nullam authoritatem, rationem momenti nullam invenerim pro ea inducenda distinctione ad præsens, existimavi, originem haud fortè aliam existisse, quam quod omnes assueti simus iis quæstionibus, utrum etiam juris humani, & factorum sit possibilis ignorantia invincibilis? in quibus sanè quæstionibus supponunt omnes, ut lib. seq. videbimus, aliam planè esse rationem jurisque humani dari haud dubiè ignorantias invincibiles. Hæc ergo similitudo terminorum, & materiæ origo, causaque esse potuit, cur in hac etiam quæstione aliter de jure naturali, & divino; aliter de humano, & factis philosophandum supposuerunt.

Verùm ex illis quæstionibus, earumque causis ad istam nullam video consecutionem, ut ex lib. seq. constabit. Deindè quandò ignorantia est vincibilis sive juris divini sit, sive humani, sive facti, eodem modo omnes philophantur. Cur ergo non, quando etiam est invincibilis; Rursùs quia cujuslibet cujuscumque juris insit ignorantia, si veritas profutura est, nec scandalum imminet, juxta omnes edocenda est: sin verò nocitura est, scandalum secuturum, nulla nullius juris juxta plerosque est manifestanda. Ergo abs re hic est ea jurium, factorumque distinctio. Nos porrò probavimus eam considerationem, an veritas manifesta profutura sit, nec ne, in administratione potissimum Sacramentorum locum non habere, ut multipliciter tandem §.

super

ſuper declaratum eſt, & confirmatum authoritate expreſſa Auguſtini, & ignorantia facti. Aliud quippe eſt, quod facta propter ipſorum contingentiam, multitudinem, ac diverſitatem facilius contingat invincibiliter ignorare aliud vero, quod jam ſcita non obligent. Undè argumentur: quamquam contingere poſſit, ut quis ignoret invincibiliter, hanc mulierem eſſe alienam: at hoc jam ſcito, ab adulterio non excuſatur: & ſic jam in jure humano: horum ergo cognitio ligat ipſum operantem; nec intereſt, an ſit cognitio juris divini, vel humani, vel facti. Sed quæſtio eſt de confeſſore jam cognoſcente: Ergo pariter obligabitur, ſive ſimus in jure divino, ſive humano, modo ſit jus in conſcientia obligativum.

Undè abs re eſſet, ſi diceres, piam matrem Eccleſiam nolle tunc obligare. Hoc enim poſiti, non ſumus in caſu? nam caſus eſt, an Confeſſor teneatur manifeſtare veritatem obligationis; ſi autem Eccleſia tunc non vult obligare non veritatem, ſed falſitatem manifeſtaret, ſi Confeſſor obligaret. Retinendum eſt ergo, Eccleſiam velle obligare, & revera obligare, & ſi tam pia utique mater ſit. Undè denuò ad prætenſam pietatem Confeſſoris arguitur ſcandalum imminens, aut peccatum ſecuturum, culpa ſanè non legis, ſed ipſius peccantis, haud movet, haud terret pientiſſimam matrem noſtram, ut obligare nolit, & indulgeat. Ergo neque Confeſſorem movere debere, ut deſponſo ejus etiam pientiſſimo, ac mitiſſimo arguebamus §. præc.

Huc facit, & quæ tradidimus, valdè confirmat textus in cap. cum infirmitas de ſentent. excom. *Præſenti decreto ſtatuimus, & directè præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum* &c. *Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit, ut de animarum ſalute diſponant? in deſperationis articulum incidunt; undè facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum* &c. pœnas quippe illis præſcribit. Ecce quis prætextus ſubeſſe medicis, ne admonerent; & tamen non hoc detinuit Innocentium, ſed cauſam dedit edicto, ut corporis medicos admonendum obligaret. Quanto ergo magis animarum Medici obligati ſunt. Jam autem ſuprà dixi, parùm referre, quod in peccatis ſcitis ſimus, vel ignorantiis: quia ſic cavere debemus incrementa peccatorum, ſicut peccata. Ergo ſi ignorantia; neſciens peccet, ignorantia tollenda non eſt; pariter ſciens induratus, ne magis indureſcat, & peccet, relinquendus veniret; nec ita diſtrictè injungendum medicis, ut moneant quos in deſperationis articulum timent.

Sed ſupponent ſaltem pro ignorantia juris humani diſſimulanda textum cap. quia circa de conſang. & affinit. Ejuſdem Innocentii 3. *Porrò de nobili viro N. pro cujus diſpenſatione, indulgentia ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum quinto conſanguinitatis gradu contingit à ſede Apoſtolica obtinenda, falſa nobis cauſa fuerat allegata proles videlicet*, cum tamen ante obtentam diſpenſationem unicè filia, *quam habebat, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſa, prout tua conſultatio continebat, diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta; cum ex ſeparatione, ut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Difficilem exitum habere textus videtur, niſi cum Adriano, Navarro, & aliis concedamus, diſſimulari à Prælato poſſe, ac ſubindè etiam à Confeſſore ignorantiam ſaltem juris humani communiter ſciri non ſoliti: qualis erat ignorantia valoris ejus diſpenſationis; maximè quod eſt notandum, cum initio vera cauſa fuerit allegata, ſcilicet proles, quæ ante obtentam diſpenſationem dicitur obiiſſe: non ergo, quandò pro impetranda illa relationem mentiuntur. Undè Navarrus num. 73. teſtatur ſe in aliquot diſpenſationibus planè nullis diſſimulare; quia ſine ſcrupulo, & de peritorum conſilio validas eſſe cenſebat; quia circa humanum errant, & nulli præjudicabant; & timuimus, inquit, veritatem propalare, ne quos juſta ignorantia excuſabat, authoritate noſtra credentes, eas non valere; & nihilominus, eis utentes peccarent: atque tunc putat eſſe, quod ſingulariter, & eruditiſſimè eruditiſſimus Innocentius in prædicto capite, parùm, ut ait, hactenùs intellecto, prætendit.

Veterum Canoniſtarum Hoſtienſis, Godafredi, Anthoni Andreæ, & aliorum longè alius fuit ſenſus, & intellectus; nam exiſtimarunt, Innocentium hoc ipſo ſuo deſcripto de novo diſpenſaſſe; ideòque poſt ea verba; *diſſimulare poteris*, ſubintelligendum putarunt, *ex ſcientia, & licentia noſtra, quam authoritate præſentium impartimur.* Quia ſtultum eſſet ſentire, aiebant, Papam velle, ut in adulterio (ſeu inceſtu) manerent illi; & ita peccarent. quod refelli fortiter Navarrus.

Nihilominùs hæc ratio ritè formata vim mihi facit ingentem; neque enim ſupponendum eſt, eos peccare; nam hoc negatur; & alioqui ſaltem de Confeſſore, nulla eſſet quæſtio, & tenentur non diſſimulare. Rationem ergo ſic formo. Incredibile videtur de quolibet magis autem de Papa, eum velle diſſimulare, ut duo vivant in ſimplici; vel etiam inceſtuoſa fornicatione; quandò quam facilè diſſimulare poteſt eam in legitimum matrimonium convertere, ſeu ſaltem impedimentum tollere. Sed ita contingit in ſpecie textus. Ergo incredibile videtur, Papam voluiſſe diſſimulare in ſimplici, vel inceſtuoſa fornicatione, & non magis diſpenſando impedimentum tollere, ut renovato conſenſu modis vulgo ſcitis matrimonium revalidaretur. Major propoſitis ex ipſis ſuis terminis videtur rationabilis. Deindè quia quæſitus in hoc caſu Pontifex, cur non magis diſpenſaverit, quam fœdum coitum diſſimulare, perdurareque voluerit, non apparet, quam cauſam congruam reddere poſſet; nam ſcandalum imminens non minùs ad diſpenſandum, quam ad diſſimulandum conferebat. Præterea facile credendum non eſt, Innocentium tam Auguſtino contraria tradidiſſe, ac Gregorium juri etiam inſerere voluiſſe: porrò Auguſtinus in caſu viri alieni contrarium fortiſſimè docebat §. præc. quod autem vir ſit alienus, vel non ſuus cauſam doctrinæ non variat, ac ſemper ſupereſt delictum, & crimen; ex quo maximè Auguſtinus arguebat. Poſtremò, quia omnes in hac quæſtione conveniunt Paſtorem, & Confeſſorem teneri tollere quamlibet ignorantiam invincibilem, quandò ſine peccati, aut ſcandali periculo, & commodè tollere poteſt. Sed Pontifex itapotuit, videlicet diſpenſando; & cauſæ, quas ad diſſimulandum proferunt, omnes in eo ceſſabant: ergo tenebatur, vel diſpenſare, vel non diſſimulare.

Ad Navarrum autem respondemus, renovationem dispensationis satis utique non fuisse, ut matrimonium à principio nullum ea accedente ratum fieret; licet forsitan alii dixerint consensum initio præstitum; & intentionem virtualiter in casu nostro permanentem sufficere. Dicimus utique, novam dispensationem intelligendam esse. servatis servandis quod supponebatur; ut scilicet denuo ipsum matrimonium revocaretur iis modis, quos tract. de matr. omnes tradunt. Nec alia, quæ navamus affert, vim habent.

Aliter etiam textum intelligam tenendo, matrimonium illud fuisse ab initio validum; vel saltem hoc esse satis dubium. Etenim, quod tamen loci hujus non est tractare ubi falsitas causæ, seu causa falsa non est quasi principalis, nec necessaria ad obtinendam dispensationem, sed quasi ex superabundanti ponitur, nec ab initio falsitas quasi ex industria quæsita est, sed casu incidit ante obtentam dispensationem, tunc dispensatio tenet, & matrimonium valet. Sed ita fuit in casu nostro; nam & consanguinitas erat adeò remota, & solùm in quinto gradu; in quo fine ulla etiam prole frequentissimum erat dispensare: ergo causa prolis ad superabundantiam, & majorem salutatem; non ad essentiam, non ad substantiam dispensationis attinebat. Præterea etiam verè hæc causa aderat, nisi quod occidit ante obtentam dispensationem, prolem, viam universæ carnis ingressam fuisse, ut dicit Pontifex. Quapropter vel quia matrimonium fuit ratum, & validum; vel quia res saltem erat satis ambigua; in dubio autem standum est pro possessore, maximè verò pro matrimonio, jure merito dissimulandum decernitur. Atque hæc interpretatio juvatur etiam ex cap. non debet eodem tit. Et est ejusdem Innocentii. Ex quo constat non adeò stricti juris tunc esse impedimentum: extra quartum gradum. Scrupulus superest, quod Pontifex motus videatur; quia scandalum gravè imminebat. Sed dici potest, ex hoc inter alia eum fuisse motum, & si quid dubii superesset, imminens scandalum juvasse, ut pro matrimonio diceretur.

Profectò, quidquid de ignorantia juris humani; & facti teneatur, quæ non sit causa violationis legis naturalis, & divinæ, ubi tamen per illam perindè utravis lex violatur, sicut si ignorantia esset ipsius legis naturalis, & divinæ; adduci facilè non Possum, ut concedam, ignorantiam dissimulare posse saltem, quandò conferendum est Sacramentum; & nollem ego, & nollet, credo, quisquam in tali ignorantia obire, & ex vita fornicaria migrare ad judicium Dei; quod Sancti ejus longè à talibus potiti adeò timuissent.

De cætero tempore necessitatis qualibet cujuslibet juris ignorantia prætermittenda est, requirendo propositum universale juxta ea, quæ lib. seq. dicturi sumus de ignorantiis invincibilibus legis etiam Dei in iis, quæ necessitate medii necessaria non sunt. Deinde quandò ignorantia invincibili juris humani, aut facti, pro qua cumpetenda lib. seq. regulas damus, non est causa ullius violationis legis naturalis, aut divinæ, si vel scandalum immineret, vel veritas nocitura esset, præteriri potest etiam à Confessore. Ad ea autem, quæ suprà de ignorantia juris divini dicta sunt, & tunc pœnitentem non esse dispositum; quia non est paratus discere legem Dei &c. responderi potest, non nos teneri ad tantam diligentiam, pro sciendi jure humano, aut factis, quibus nulla lex Dei violatur, ad quantam obligamur, ut nullam legem Dei violemus. Opponi tamen Bernardus poterit in tractatu de præcepto, & dispens. Sed eum explicent, qui tam indubitatam hanc partem existimant.

§. XI.

An distinguendum sit de sciente, de opinante, & dubitante?

Huic quæstionis particulæ occasionum Adrianus dedit; nam iis de quibus Doctores altercantur, & dissident; sive divini juris sint, sive humani, distinguit dicens. vel Confessor lumine naturalis rationis sine his, quæ sunt fidei, demonstratam habet dubii alteram partem, & insolubili medio novit; vel opinatur, sive credit, vel tertio dubitat. Primo casu tenetur confitenti demonstrare veritatem, & probat. Secundo casu, quia opinionem, vel credulitatem sequitur, non nos solùm, verùm etiam Ecclesiam, ut ait fallit, & fallitur cap. *à nobis* de sent. excommun. si à pluribus, vel gravioris; seu etiam æqualis authoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeò de se præsumere debet, ut totum velit in suam opinionem (quæ forsitam erronea est) concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo; & dissimulare tunc debet. Si autem è paucioribus, vel minoris authoritatis, vel debili admodum fulcitis ratione, ut non possit ea in parte rationabiliter confitens dici rationabiliter errare, tenetur confitentem erudire. Si pro una parte plures fuerint, & pro alia magis ponderosi, tunc juxta Augustinum cap. in canonicis 19. distint. ait, tenendum esse, sicut in casu dubii. Ac demùm ait in dubio non esse addimendam libertatem. Hæc ille.

Hæc videntur rationabiliter, ac plausibiliter dicta: ac primam partem de sciente omnes videntur acceptare, cum aiunt, probabilitates usui esse non posse contrarium scientibus, aut certissima aliqua authoritate cognoscentibus. Verum reflexiones subjunctæ in secundo casu contra opinantem urgent pariter contra scientem; namcontingit etiam nos falli ubi existimamus, nos scire, ac medium insolubile habere; quare non adeò quisque præsumere debebit in sua scientia (quæ forsitam pseudoscientia est) ut totum velit in ea concludete, & coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo. Hinc ista humilitatis species, quæ ut supra tractavimus, maximam tentationem ingerit, scientes quoque tacere debebunt; tacereque ea consideratione debuissent pauci Prophetæ contra plurimos magni tunc habitos: tacere ille quoque debebit, qui contra acerbatos Magistros Timothei personam gesturos erit; non arguere, non increpare; licet enim contrarium sibi aut notissimum, aut fidei esse videatur, subibit mox ea consideratio, se non adeò præsumere debere, ut in eam, quæ sibi scientia vel fides videatur, totum modum concludere velit, quasi ipse solus

lus rideat, & scientia, vel fides cum ipso obitura sit. Contra quem vehementer sanè rationem suprà dedimus illud Eccli. 13. *noli humilis esse in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.*

Itaque ex opinante gradus fit ad scientem. Nihil non vidit, nihil non cavit stupor ingeniorum Augustinus: eo lib. contra mendac. Ad Consentium disputat, utrum mendacium licere aliquandò possit? ac post alios subtilissimos casus propositos ep. 18. proponit eum, in quo nisi Patri ægrotanti suum filium, qui jam obit, vivere respondeatur, moriturus ipse dubiè sit causa vertitur gravissima, scilicet vita hominis, & mendacium esset levissimum. Doctor sanè stupendus, ac disputationum pericula ubique, cavens, monens dicit inter respondendum. *Hinc accedit inquit miserabilius evitandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus esse mentiendum, ita paulatim, minutatimque succrescit hoc in alium, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum se sim subintrando perducitur, ut numquam possit penitus inveniri, ubi tante pesti per minima addimenta in immensum convalescenti possit obsisti. Unde providentissimè scriptum est, qui modica spernit paulatim decidit.* Hæc Doctor. Mendacia quidem materia subjecta ei erunt; & in quolibet sanè ita sequitur: & sic in usuris, in simonia, in parvitatibus, in solutionibus, & in universa planè morum materia ex minimis initio concessis paulatim, minutatimque ad immensum illum, ventumque est miseranda morum strage: quia nec disputantes pares Augustino sunt, qui minima illa, & consequentias initio provideant; nec dicere saltem, volunt; ac hoc universale documentum pluris fortè interest, quam scientia trium, vel quatuor conclusionum specialium.

Nos itaque in primis in præsentia tenet, ne ab opinante ad scientem, credentemve catur, & omnia pessum eant, & tacenda sint: qua consideratione Dionysius in Areopago plerisque omnibus contrarium judicantibus, ac etiam irridentibus, ne fere solus sapere videretur, obturaque cum ipso mens, & ratio, ut humilis esse posset debuisset magis cum cæteris, quam cum veritate solus sapere, vel eum paucis, & hoc urget in quocumque, qui primus credidit in natione sua, vel gente, maximè quæ sapiens haberetur: nec omnes insolubili medio moti sunt; ergo consideratio illa, & reflexio Adriani, & in praxi plurimorum, & adeò plausibilis at specie humilitatis contecta movere non debet. Deindè ea consideratio non probat; quia cum æqualibus, parisque authoritatis, vel paucioribus longè tamen eminentioribus quis opinatur, non nimium præsumit, nec sequitur, quod ipse solus videat, & scientia obitura sit cum ipso; siquidem non ipse solus ita opinatur, sed vel plures, vel eminentes: & Bernardus difficulter dimoveri se posse aiebat, non à centum, sed à duabus solis illis columnis Augustino, & Ambrosio; quorum tamen authoritas medium concludens non est. Rursùs licet solus quis esset, ea consideratio non probat eum benè, vel malè sic opinantem ab opinione sua in sensu composito non ligari, sed eum ita opinari peregrinarique non debuisse, vel deponere debere opinionem jam conceptam; nam nullum medium opinandi æquivalet reliquorum omnium sensui, & judicio ut constat ex parte 1. atque in istum sic opinantem, & nolentem cedere cadit ea quasi exprobrario Adriani.

Tenendum proindè censemus quod part. 1. constitutum est. nullum confessorem posse absolvere contra opinionem suam; quod ibi latè probatum est. Etenim sola veritas est regula actuum humanorum omnium; ut toto hoc opere confectum est, ergo & actus absolutionis: ergo nec sacerdos absolvere potest contra opinionem suam quam veram censet, quamdiù ita censet: reflexas verò jam satis disjecimus, nimisque inanes arbitramur. Nec obstat, quod fortitam opinio Confessoris sit, vel erronea; quia ex ratione errante resultat conscientia, si taliter errans: quæ tamen quamdiu manet, ligat ex omnium sententia, ut lib. 1. visum est. Jam porrò illud vel risimus, vel doluimus persæpè, quod opinio quidem probabilis, quæ utique non nisi opinio est, ad solvendum omnia sufficiat; ligare verò nihil umquam possit: & destruere cuncta cum valeat, ad ædificandum ducat numquam. Diximus eo loci Confessorem judicem esse pœnitentem reum: tam proindè esse absurdum quærere, cujus judicio standum sit, an judicis, an rei, an aliorum, atque in cæteris judicii, esse præterea Medicum, ut ex cap. *omnis utriusque sexus*; & ex cap. *tum infirmitas* de feurent. excom. & ex libris omnibus constat: quis ergo quærat utrius judicio standum sit, an medici, an infirmi? alii medici, inquis contrariè putant. Sed hoc credo, dici non potest medico corporis, qui non aliorum, sed suo judicio curare debet; sicut & judices judicare: nisi aliorum judicium prius suum faciat. Diceret credo, Medicus corporis, alios illos evocent, si non suo, sed eorum judicio curatio instituenda est. Confessor, inquis, errare potest. Sed vero an & judices errare non possunt, & medici corporis non possunt, & illi alii, ad quos appellatur, non possunt? Quid ergo in summa rerum quæstiones movemus, quæ ubique alias riderentur? Confessor item Doctoris, ac postremò Pastoris personam sustinet. An ergo discipulus, an ovis regere, ducereque debet? omnium denique in causa propria judicium parvi fit maximè in judiciis. Solùm ne ergo in confessionis judicio admittatur, ac judicii etiam sensui præferendum sit? Postremò quoad alios saltem parum refert, utrum demonstratione, vel opinione movearis. Nam demonstrationes pauci intelligunt, vel admittunt; quin offendunt magis, si contra multorum opinionem dicas demonstrationem habere: nos certè demonstratum à D. Thoma censemus, & ex Evangelio etiam compertum, in mutuo non licere vel propter lucrum cessans, vel propter periculum recuperandæ sortis, vel propter moram solutionis, (nisi in pœnam de tempore ultra conductum) aliquid supra sortem superabundantiamque accipere, & nullum, qui contra agere vult, absolvimus. Sed intereà D. Thomas quid sua demonstratione profecit apud plerosque? imò ægrius ferunt verbum demonstrationis. Unicuique igitur sua ratio data est, ad suam conscientiam pro omnibus suis actibus efformandam: videre quisque debet, & benè sanè videre, undè, & cum quibus judicet, & opinetur; nam & hoc districtè judicabimur: at sive benè, sive malè judicet, & opinetur; nam & de hoc districtè ju-

perversissima severitate ductus, rigidusque confessarius, & integrior quasi judex hoc solum suum esse existimaret, increpare pœnitentem, & absolutionem negare, quasi hoc facto mundus sit à sanguine, fallitur totus, & sanguis ejus de manu ipsius requiretur. Quid ergo, & quantum, & quomodo peragendum sit, ex Evangelio Apostolisque, & sanctorum libris dicet quisq; si vult. Deinde diligamus pœnitentes, sicut nos, ut jussi sumus; & nihil sciendum supererit.

Ad alterius hanc de opinante, & dubitante doctrinam trahant forsitam aliqui textum ex cap. Dominus de secund. nup. & ex cap. inquisitioni de sentent. excom. & ex cap. quid culpatur 23. quæst. quos textus consilium etat discutere; sunt etiam verè difficiles duo priores: sed videri potest Navarrus in cap. siquis autem de pœnit. dist. 7. à num. 85.

Dicent itaque in cap. Dominus conjugem de morte prioris conjugis dubitantem obligari ad reddendum debitum, & si petere non possit, & similiter in cap. inquisitioni ad idem obligari opinantem, non quidem ex credulitate levi, & temeraria (nam tunc deponenda est existimatio) sed ex probabili, & discreta, & minimè deponenda, & in sensu composito talis fidei, vel opinionis, ut evidenter evincit Navarrus: & sanè deposita dubitatione, vel opinione, non reddi modo, sed reddi simul, & peti potest, ut patet. Sed in casu textuum petere non licet, sed solum reddere. Ergo textus sunt de dubitante, & opinante, non in casu diviso, & deponendo, sed in sensu composito, & non deponendo Nunc applicabunt, & dicent, & posse & debere Confessorem dubitantem, vel etiam opinantem contrarium absolvere, & quasi reddere, quod debet, pœnitenti ejus opinionem sequendo; sicut conjux vel dubitans, vel opinans etiam, actum esse fornicarium, concurrere ad eum potest saltem reddendo; quia alter conjux existimat, se in legitimo esse conjugio. adde, & pone, Confessorem etiam vel dubitare, vel opinari, sicut conjugem de vita prioris conjugis. Et tamen obligare non potest ad non reddendum; nam vana est ea interpretatio, quòd textus sint de foro exteriori, & non de interiori, ut Navarrus commonstrat. Ergo Confessor absolvere potest contra suam dubitationem, vel opinionem, non quidem de absolutione ipsa, sed de re.

Ingeniosissimi Reflexistæ, & Probabilistæ existimabunt forte, in his contineri totam suam doctrinam, suisque reflexis cuncta conciliari, & aliter non conciliari; nam conjux dubitans, vel opinans, actum illum esse fornicarium, assumendo per reflexas judicium alterius conjugis, mox objicit, & format dictamen conscientiæ, licere sibi eam redditionem. Et si etiam Confessor per similes reflexas consiliat omnia.

Verùm nisi valdè fallimur, his denuò textibus strangulantur viæ illæ; nam juxta eas, assumendo per reflexas opinionem contrariam probabilem, omnia sic sibi licent, quasi nihil ipse dubitares, vel opinaretis in contrarium, nec opinio tua, vel dubitatio quidquam ligant. Ergo si doctrinam textuum huc trahere licet, conjux dubitans, vel opinans sese per reflexas, & assumendo judicium alterius conjugis, expediet in totum à dubitatione sua, & opinione; ergo & reddere, & petere poterit: & Confessor etiam utrumque concedere: atqui non potest: ergo vanum ubique invenitur hoc reflexarum, probabilitatumque artificium. Undè à contrario: cum tanta sint privilegia matrimonii; tamen ubi concurrunt quoad hoc par cum pari nihilominus dubitatio, & opinio propria ligat conjugem, ne petere possit: ergo in confessione, ubi concurrunt superior, & inferior; judex, & reus; Medicus, & infirmus, dubitatio, vel opinio ligabit Confessorem, ne absolvere possit. Rursùs cum in usu matrimonii sint petere, quod est quasi passivum, dubitatio, vel opinio propria privat toto eo quasi activo: at in confessione non concurrunt hæc quasi duo separabilia, sed unicum quasi activum Confessoris, quod est absolvere, à quo est inseparabile, quod pœnitens absolvatur. Ergo Confessor privabitur toto hoc suo quasi activo. Denuò quia in matrimonio intersunt illa duo jura separabilia quoad exercitium scilicet petendi, & reddendi; quin potest etiam esse jure impeditum alterum. Sed Pontifex in divisibilibus sic juribus non totum negandum, sed dividendum valdè juridice existimavit: ergo si parte concessa ineptè ad totum, & indivisibile, quale est absolvere arguitur. Primò quia in casu textuum non opinio, & opinio concurrunt, sed opinio unius conjugis, & ineptitudo saltem existimata contraria alterius. Ergo non sunt ad rem ad casus opinionum, & opinionum hinc, & hinc. Atque ex dictis suprà mulræ disparitates pro Confessore redduntur.

Textuum ergo doctrina illud evincit, dubitationem, & opinionem non tantum operari, quantum certa scientia operatur; & sic in eo cap. *inquisitioni*, si certa scientia adesset, nec peti, nec reddi posset, etiam, jubente judice, sed magis excommunicationi etiam subjacere. Est autem valdè juridicum, quod aliæ cognitiones, & probationes non tantum operentur, sed mitius quam certæ cognitiones, & plenæ probationes. Si cui homicidium non planè probatur, nec omninò absolvitur, nec ad pœnam ordinariam, sed ad minorem damnatur. Sic etiam in aliis. Sic etiam in restitutionibus, & in aliis. Non ergo propter dubitationem, vel opinionem matrimonium omninò dirimi debuit, quasi nihil esset in contrarium. Jure ergo divisum est inter jura divisibilia: quod omitto comprobare. Cum ergo ista in absolutione locum non habent, hoc sequitur, Confessorem quoad pœnas, & restitutiones, & similia non tantum imponere debere, & obligare. ut de dubitante dictum est; Et casu etiam opinionis moderari, temperareque debere sententiam, nec tantum jubere, quantum in casu certitudinis.

§. XII.

Expediuntur authoritates quædam, quæ sæpè tacendum dissimulandumque jubere videntur.

ALiquatum summam, nihil tamen difficultatis detrahendo, in reliquarum specimen conferemus. Occurrit in primis Evangelium de zizaniis superseminatis; ubi & peccata, & malæ etiam doctrinæ fidei, & morum subintelliguntur;

guntur, ut suprà hoc libro habitum est. Ibi agricolæ volenres tollere superseminata Zizania inhibentur, jubenturque sinere, ut utraque crescant, ne triticum una eradicetur. Ignorantia ergo, & errores tolerari, dissimulatique debent, quoties timetur, ne bona simul fruges evellatur. Ergo cum Confessor fundate timet, reliquam bonam frugem, & propositum dissipandum, si ignorantia, & error aliquis deregatur, & reveletur, debet dissimulare: sin minus zelum quidem habebit instar agricolarum illorum; non tamen secundum scientiam. Quo etiam facit authoritas veritaris dicentis: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo*. Sed pœnitens in casu portare non potest. Ergo Confesso imitari veritatem debet; & secum dicere, multa habeo tibi dicere, non potest portare modo; & sic tacere. Sie etiam Apostolua eadem de causa lacte inirio, non esca pascebat. Ergo Pastor quisque, & Confessor faciliora, & quæ mandi possint, pœnitenti principio tradere debet, & duriora alia in posterum reservare, quæ ille jam adultus, robustiorque comedat, & deglutiat.

Hinc plurimis authoritatibus traditur, veritatem quidem semper esse dicendam; non tamen semper toram. Hinc Gregorius 43. dist. *sit Rector, inquit; sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat & infrà: ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat, hoc, quod jam præmisimus, per sententiam veritas discipulis clamat: habete sal in vobis* &c. Clemens verò in cap. in *mandatis* ibidem ulterius progreditur, & tradit, nunc quæ ignoranrur, esse manifestanda, quandò scitur in iis, quæ bona esse, nemo dubitat, emendatum quem existere, *hoc est, si sobrius, si misericors, si justus, & humanus sit, quæ bona esse nullus ambigit. Si verò, subdit, in iis, quæ palam sunt peccatis involutus permanet, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & remotis divinæ scientiæ proloqui &c.* Atque in hanc fermè sententiam Romæ percelebris vir definiebat, plures, quæ de probabilibus, & aliis fervebant, lites finendas esse, & eò prius incumbendum, ut quæ indubitatè mala sunt, caverentur; quo facto, & consecuto, ad alia post iretur; sunt autem plerique omnes impudicitia, rapina, ac similibus involuti. Caveanrur ergo hæc primum aiebat, & dein, id est, numquam de probabilibus, dubiisve aliis controvertatur. Prætereo authoritates alias, & ex Augustino quoque nostro libr. 6. contr Julian. cap. 16. argui in idem potest.

Postremò quia in Ecclesia marer, & Magistra nostra esse nobis debet regula, normaque, & loquendi, & tacendi. Ipsa porrò & manifestat multa, & mulra etiam dissimulat, ac tolerat in doctrina, ur plurimis exemplis monstratur, & patet in ipsa doctrina probabilium; ignorantiarum, & in omnibus, quibus libri contrarii conferti sunt, doctrinis falsis morum. Sic ergo etiam Pastor quisque, & Confessor docere alia, alia dissimulare debet. Quorum ea est ratio, quod sicut cæteri omnes actus humani, sic etiam actus docendi, & ignorantias depellendi, ut rectus, honestusque sit, omnibus debitis circunstantiis debet circumscribi, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Hæ autem vel omnes, vel aliquæ deesse facile possunt, ex quo actus prophanetur. Et quis, precor, omnea illas palmo mensuret, & sciat se esse, quem loqui oportet, & quod oportet, & ubi, & quando, & cur, & quomodo oporter; ecce in quantis, & quam facile deficere possumus, & scriptum est, in multiloquio non defururum peccarum; item perfectum eum esse, qui in verbo non offenderit: undè & nolite plurea fieri Magistri, scientes &c. ut superiùs disputatum est; & undique profecto eunt angustiæ, & memento, inquit Hieronymus, quod in medio laqueorum ambulas.

Hæc in primis omnia, & alia apertam instantiam habent in Doctoribus publicis, & concionatoribus, quos tamen Rectores doctrinæ nostræ de Confessoribus minus concionatorea, universim, & sine tot illis limitationibus obligant ad tradendam publicè veritarem: quamquam scandalum etiam timeatur, & de eis, ut vidimus, interpretantur authoritatea, quas pro manifestanda veritate sibi objecerunt. Videt autem quisque, opinor, has alias, quas nobis nuper opposuimus, authoritates speciales saltem non esse de Confessore, deque illo peculiariter decernere. Ergo de publicis Doctoribus explicari ab ipsis quoque debebunt. Deinde compertum est eas maximè ad prædicationem publicam referri.

Quo animadverto, nunc ordine respondeo Evangelium in primis pro Confessoribus est abs re; ibi enim, ut omnes inrelligunt, ager Ecclesiæ significatur, in quo boni cum malis, & vera cum falsis mixta ad finem usque sæculi sinuntur, ur vel mali corrigantur, vel ut boni per ipsos exerceantur, ut olim contra Donatistas, & nuper contra sectarios demonstrarunt. In confessione autem locus non est huic commixtioni; quin ibi unusquisque purgatur, & Zizania evellunrur, peccataque omnia delentur, vel nulla, id est, mortalia.

Illud eriam Salvatoris Joan. 16. *adhuc multa habeo vobis dicere* est abs re: ibi quippè de institurione discipulorum tractatur, & de incremento scientiæ; non de cognitione peccatorum: & satia quidem mulra non solùm ad peccata cavenda, sed ad magnam etiam perfectionem pertinentia iis in capitibus ipsis manifestavit, & alia reservat à Spiritu, quem missurus erat edocenda maximè de regimine Ecclesiæ. Alio etiam ista sensu; sed non doctrinæ nostræ contrario exponit egregiè Augustinus tract. 93. in Joanne. In hunc nos quoque modum lib. seq. dicimus, in credendis, & operandis esse suum ordinem, nec iis, qui non convertuntur, & instituuntur, & cathechizantur omnia simul esse obtrudenda. At non sic est de pænitentibus; qui tenentur obligationes suas, & leges nosse cum possunt; & à Pastore suo, & Confessore juvandi sunt: & quamquam peccatis assueti onus suis viribus portare non possint, tamen possunt gratia Dei: & illa legis pars, *declina à malo*, semper obligat, & portanda est; & si altera, *& fac bonum*, suos habeat gradus, & principio lacte opus est, ut Paulus faciebat. Authoritates verò docentes, non semper totam veritatem esse discendam, de publica prædicatione inrelligatur, & de factis magis, quam de doctrina; in quo non semel peccatur vel particulares personas, quando non oportet, insequendo, vel satyram loco concionis texendo: quod similibus authoritatibus sanctissimè interdicitur.

Gregorii

Gregorii etiam contextus clarus est; nam primò, quæ nunc dicebamus, prohibet; deindè curiositatem vel rerum de se inutilium, in quo etiam non semel deficitur; vel rerum, quæ sciri à nobis nequeunt; & ideò affert illud Apostoli, *non plus sapere*, &c; cujusmodi non paucas quæstiones aliqui concionatores movent, quo etiam Ambrosius ser. 2. in psal. 18. revocat. loquacitatem sermonis, scientiæ jactantiam, adulationem, & si quæ sunt alia similia vitia planè cavenda.

Clemens totus est in instituendis prædicatoribus, & propagatoribus Evangelii juxta regulas Domini Matth. 7. *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos &c.* item cap. 10. *in quamcunque civitatem, aut castellum intraveritis* &c. de his aget clemens. Videbunt verò, utrum his, qui margaritis verbi digni non sunt, an his canibus, porcisvè liceat dare sanctum Sacramenti? Minimè sanè. Ergo doctrina Clementis haud congruit pœnitentibus, quibus conferendum sit Sacramentum; imò pro eo negando argumentum elicitur; & si quando conculcandum est, negatur verbum, planè iisdem à fortiori negandum est Sacramentum; sed quæstio est de conculcaturis verbum, & aiunt adversarii negandum esse verbum, nec manifestandum veritatem: non ergo statuere deberent, talibus nihilominus conferenda esse sancta Sacramentorum pœnitentia, & corporis Domini, sed magis multò esse neganda. Ad virum autem illum Romæ decernentem, primùm dico; ergo jam Theologis speculativis, & moralibus qui utique de controversis tractant, silentium indicendum erit; & hæreticis deindè, & Turcis, & Judæis, hoc nunc erit prædicandum, ut quæ credunt. Servent, quo facto, & consecuto, ad cætera ibitur. Omitto alia contra dicterium id regula scientiæ non se obligantium.

Forma & exemplum Ecclesiæ ad rem, non est; quæ scilicet, ut paulò ante dicebam, in agro suo & peccata, & errores, & ignorantias etiam voluntarias, & nimis affectatas in multa patientia tolerat: providit autem ipsa satis si per nos non stetet; nec similia probat, sed sufferet: quod ut dicebam ad Sacramentum pœnitentiæ trahi nequit. Fatemur autem, ad honestatem cujuscumque actus, vel etiam omissionis, & sic quoque loquendi, & tacendi servandas esse circunstantias; atque in hoc haud exiguum esse periculum. Verùm Confessor est persona legitima, & sic servatur, *quis*; monet autem pœnitentem de obligatione sua, & sic si non erret, servatur *quid*: item *ubi*: & *quando* scilicet in loco confessionis, & tempore conversionis: instrumentum est Confessor ipse, & deficeret, si per alium moneret. Postremò *cur* debet esset salus pœnitentis errantis, & gloria Dei. Quamquam verò hinc indè superessent semper pericula, ex pilosoph. 2. Ethicor. sapientiumque consilio, illud in dubio extremum cavendum est, per quod plerumque peccatur, & ad alterum incliuandum. ut rectum: justumque sapere possimus, ut Philosophus ibi probac juxta illud *extra undam, & fumum longè compelle carinam.* Scitur portò, & notissimum est in re nostra, extremum silentii, & dissimulationis, quin etiam adulationis esse, in quod plerique plerumque impingimus: quod casus ille Michææ Prophetæ egregiè declarat; & à Regibus ad plebeios quoque descende nemo est, cui veritas tristis, & ligata non displiceat: difficile est omnibus displicentiæ, odiove exponi; ergo difficile est omnibus tristem, ligantemque veritatem ediscere. Sed difficilia in paucioribus, & rariùs contingunt. Ergo in paucioribus, & rariùs vel ad ipsum Medicum veritatem edicendi acceditur. Rariùs ergo per extremum exceditur. Ergo consultum est isthuc inclinare, ubi periculum est rarius, & contrarium vitare, & longè fugere. Hoc enim & conscientias, & respublicas perdere solet. Est verò id Confessori turius, quam Concionatori, nam hic ad populum, cui placere possit; in privato ille, & ad personam ipsam solam cui displicet veritatem manifestat.

§. XII.

Ex his aliqua Confessoribus, & pœnitentibus advertuntur, quæ utrosque benè scire oporteret.

Primum illud, quod ex toto hoc libro manifestum est, Confessorem malè Sacramentum administrando, & pœnitentem sequendo illum, non unum, & non alterum, sed utrumque simul perire posse; & prorsùs voluntariò, & nulliter hoc onus, & periculum ab altero in alterum vicissim rejici.

Secundo illud, nihil solidum superesse, quo firmatur, praxim communem, & omnium, vel plerumque, Sacramentum pœnitentiæ administrandi, & suscipiendi esse rectam, & validam. Constat hoc ex paucitate eorum, qui salvantur, ut §. 1. explicatum est. Undè Confessor quique, & pœnitens renetur bene videre, qualiter vel conferat Sacramentum, vel suscipiat.

Hinc tertio, melius esse duobus benè, quantiscumque malè Sacramentum administrare: undè Confessor, quisque rem faceret longè maximam, si uno integro mane vel solos quantos ad veram pœnitentiam, quantum, & qualem sancti Dei descripserunt, & emendationis, novitatisque vitæ induceret; & sic sensim plures vere, & corde converterenrur.

Quartò falsissimum esse, quod multi viri etiam Principes, & Reges, ac Primarii Magistratus ex capite suo supponunt, vel sufficere sibi quemlibet quomdolibet Confessores, vel omnes esse pares, vel nihil interesse, quem eligant. Fatemur absolutionem quorumlibet validam æqualiter valere; nihilominùs falsissimum est, quod supponunt; & cur id non supponunt de rebus ipsis, & mundi, quas diligunt, de uxore, de coquo, de domo, cursu, veste, & omnibus? existimare sanè videntur, in Ecclesia tantum unam esse clavem regni cœlorum, scilicet potestatis, qua temeritate quadam potentiæ cunctis illud aperitur. Sciant ergo, & benè recogirent duas esse claves, potestatis alteram, & alteram scientiæ, qua inter ligandos, solvendosque discernatur, & nisi simul ambabus, seras cœlorum non aperire. Patet ergo ex dictis suppositionis enormis sanè falsitas. Contulit in hanc rem Illustrissimus Arauso legem Regni leg. 3. tit. 9. part. 2. de Confessario Regis: *debe ser home*

hòme muy letrado, & debuen seso, leal: e debuna vida, e sabidor del uso, dela Iglesia. El letrado, a menester que sea par. que entienda bien las escrituras, e las faga entender al Reg., e lesepa dar consejo de suam inaquando sele confesare, &c. Sed dices non sunt ista in usu. Verum legem quidem Alphonsi derogate consuetudo potest, legem Dei non potest.

Est porrò hinc quintum, Sacramentum debere & regibus, & omnibus administrari, & suscipi de bono, & malo; de peccato, & non peccato; de gravi & levi secundum sanctas Scripturas, atque ex ipsis; non autem humana quadam ratiocinatione statuendo, & judicando. Hoc supponit lex illa Regni, & superius sæpè probavimus: nec de hoc ego magis dubito, quam cibum esse necessarium vivendum. Jure ergo & secundum scripturas ipsas hæc qualitas in Confessario regis requisita fuit; eademque de causa in Confessariis omnibus plus minus requiritur, & Rex, & cætera ex scripturis, ac juxta ipsas instituendi sunt; nam non joco, & dicis causa, sed verè dictum est, ea cuncta scripta esse ad nostram doctrinam, & salutem.

Hinc 6 scire debet Confessor, & pœnitens hanc unam esse causarum, & eam certè maximam, cur cum dictum sit, quos solvunt in terris Sacerdotes, in cœlo fore solutos, tam multi, ac vix non omnes solvantur quidem in terris; in cœlis verò tam pauci; causa una maxima hæc est, quod uno libro, & juxta illum; alii verò judicentur hic, & alii ibi. Mensurarem ego pannum, & loco ulnæ palmo uterer; mensurarem hoc pacto verbi gratia centum ulnas, & mittens eas aliò dicerem, me misisse centum: ibi verò eas ulna mensurando vix inveniunt viginti quinque. Sic prorsùs in re nostra contingit. Plurimi in terris solvunt, & judicium sacramentale peragunt, utendo tamquam regula libris quibusdam, in quibus vix ullus usus est scripturarum, nec indè haustæ doctrinæ Sanctorum, sed discursibus humanis ferè ex integro constant; post autem judicamur non his libris, sed scripturis, & epistolis de cœlo ad nos missis undè utrumque judicium non concordat, &quod hic absolvitur, ibi damnatur; quia clavis scientiæ hic erravit. Quandò verò qui mensurati illis libris aliis apparent boni; mensurati post libro Dei inveniantur mali, & ab Augustino, & Anselmo, & à nobis superius demonstratum est; nam rem existimo demonstrabilem. Ecce enim verbi gratia quis in terris ligatur, & non absolvitur propter superbiam? at in cœlis superbus nullus absolvitur. Quis propter usuras relicto nomine ligatur hic, qui propter defectum dilectionis Dei, & proximi, quis quia servus piger & inutilis est? quæ omnia, & aliaScripturæ Dei non solvunt:de quibus lib.4. Et quidem omnes illæ decem Evangelii Virgines, quæ utique Virgines erant, nec furabantur, nec occidebant, nec falsò jurabant; vel Pharisæus ille Typus in se confidentium, quis in Sabbato jejunabat &c. quales tunc erant, modo ad Confessorem venirent, num existimamus, propter elationem, vel nimiam confidentiam, factumve, negandam eis absolutionem? hoc tu tecum perpende; nam vitia sunt ista, quæ in quibusdam libris non multum discutiuntur; aut existimantur: Dei tamen, & scripturarum judicio & Pharisæus reprobatur, & ex decem Virginibus quinque audiunt, *nescio vos.*

Causæ itaque quælibet nostræ duas sententias subituræ sunt in unam hominis alteram Dei hominis, qua demùm causa quæque terminatur: sicut moris est in humanis judiciis, & Hispani vistam, & revistam à videndo, & revidendo vocamus. Revisurus est ergo Dominus causas omnes nostras; undè dormiunt valdè multi pœnitentes habita prima sententia quasi confecto negotio negligentes, cum de propitiato scriptum sit Eccli. 5. *de propitiato peccato noli esse sine metu*; quanto magis de quo nescis, an sit propitiatum: quod quadam scoti Theologia egregiè declarari posset. Ad rem nostram si per leges Chinensium causæ viderentur; reviderentur verò per leges Hispanorum, paucæ sanè primæ sententiæ per secundas confirmarentur, sed magis revocarentur. Si ergo humanis discursibus, & citra usum libri Dei primæ ferrentur, profectò raro per secundas, & valituras firmarentur. Vellem sanè ergo quantis possem viribus persuadere & Confessoribus, & pœnitentibus Scripturarum sanctarum necessitatem. Utinam ex eis, ut lex illa statuit, & Reges, & reliqui pœnitentes instituerentur!

Hinc igitur septimò pœnitentes omnes, maximè verò Reges, & majores quisque adjuvare Confessores deberent, ut eos libro regerent, & judicarent, illum juxta sensum Matris Ecclesiæ, Sanctorum intelligendo. Adjurare eos item deberent, & plenissimam libertatem facere, ut ipsos ubicumque ignoraverint, & erraverint, doceant Legem sanctam Dei; nam ut est ostensum, ad hoc parati esse debent: scire vero aliundè possunt, quod in hac quæstione visum est, esse opiniones, quibus Confessores ab ea cum se se excusant. Cuncta deindè occupant dependentiæ, & amor, spes & motus, & displicendi particula. Quantis: quæso, modis hæc omnia in humanis judiciis cuncta sunt? oporteret ergo; multò magis caverentur in summa rerum.

Atque hinc institui fortè possint quæstiones aliquæ practicæ, utrum præstet Confessarium habere amicum, & familiarem, an secus? utrum munera à pœnitentibus offerri solita, perturbare invertereque possint judicium rationis, ac debitam etiam integritatem, rectitudinemque inflectere; & similia; de quo videre potest caput 23. Matth. cum commentario Chrysostomi de viduis, & D. Maximi ser. 3. in append. de diversis inter opera Augustini ait: *nam & Catholicis clericis hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit &c. Sed exercet matrimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri, quam clericus. Nec dicere possumus: nemo nos invasores arguit: quasi non interdum majorem prædam à viduis blandimenta eliciant, quam tormenta. Nec interest apud Deum, utrum vi an circumventione quis res alienas occupet.* Certè illud ex dictis est compertum, magnam esse fælicitatis partem bonum Confessarium nancisci, verèque Deum timentes animas: ac salutem suam amantes plus hoc unum facere debere, quam reliquum domus, & famulorum apparatum. Quicumque autem confessarius Regum, aut pro se, aut pro suis ambiret, idoneus hoc ipso non esset, ac dimitti deberet. Quis, precor, judex non continuò juxta leges recusaretur, qui apud partem, & reum negotiaretur?

Postremò

Postremò id Confessores benè scire, docereque pœnitentes deberent, quid fit esse pœnitentes: quod sanè & ex distinctionibus de pœnitentia, & ex iis quæ D. Bonaventura Confessionali suo subjicit, discere facile possunt, si volunt. Omnis homo, qui post baptismum graviter lapsus est, ad starum pœnitentium jure pertinet; facto etiam, & professione sua quicumque venit ad Sacramentum pœnitentiæ. Hoc sanè Sacramentum plus indulgentiæ haber, quam pœnitentiæ, in quo videlicet, & culpa tollitur, æternaque pœna in temporalem commutatur, propter sanguinem, ac merita Salvatoris. Sed verò pœnitentia non rollitur, & Sacramentum pœnitentiæ vocatur. quam in primis Præcursor, & mox Dominus ante omnia prædicarunt. Lege, saltem rogo te, Augustinum lib. de fide, & oper. à cap. 7. ubi doceberis, quid sit, *pœnitentiam agere*. Sed exigua est apud multos harum rerum apprehensio, & plures fœminæ ad nuptias ire videntur: unde mirandum non sit, quod Ambrosius aiebat, facilius se invenisse, qui innocentiam servarint, quam qui debitè pœnitentiam egerint; & huc Augustinus quæque respiciebat dicens, & dolens, pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes sit tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam. Fœminis certè hoc breve co apendi m ad salutem, veramque pœnitentiam fortè suffi eret, quod sibi persuaderent, duas facies se habere, quas excolerent, aliam faciem faciem suam, aliam faciem animam suam: quæ sanè mensura exorbitans, excedensque videri non potest.

QUÆSTIO XXI.

Utrum ex dictis facile colligatur quanta etiam doctrina Iudicibus sit necessaria, & qualiter ad judicium veritatis obligentur.

Non de requisitis omnibus eorum differo, ac multo minus de Inferiorum, Administrorum, Advocatorum, Procuratorum, & mille aliorum obligatione; quorum certè si quod aliud in Republica, periculis, laqueisque plenum munus arbitror; & rem profectò concludit authoritas illa Augustini epist. 54. quam part. 1. lib. 3. quæst. 17. consignavi; cumque judicia omnia eum in finem instituta sint, ut unusquisque habeat quod suum est, plerique ipsorum, uttivis partium adesse parati, aliud vix agunt, quam jura confundere, & quod nemo habeat quod suum est, aut sero habeat, & habeat quasi omprum, ac post tribulationes plurimas. Credant sanè, credant has causas, ut quæst. sup. advertebatur, revidendas demum esse in alio tribunali, ubi fraudes legales nullæ suppetant, ubi sophismata nulla prosint: nullæ juvent cavillationes. His ergo hominibus suo Confessario relictis, consequenter ad ea, qua hoc libro constituta sunt; de doctrina ipsis judicibus necessaria, est dicendum.

§. I.

Occasio quæstionem istam addendi, & scribendi.

Dominus D. Ferdinandus Ereft, Vir in Academiis, in Cathedris, Chancellariisque, & Regiis Senatibus hac ætate inter jurisprudentiæ Proceres in primis conspicuus, post lectam, per lectam comprehensamq; nostram de recta doctrina morum partem priorem, eamque probatam, & ingenri etiam eruditionis, legumque copia confirmatam in quadam doctrinæ particula discedendum ab illa existimavit; in quo dum sapientiæ, quam hominum amicitiorem se præbuit, nobis qui pro salute veritaris ubique pugnamus mire placuit, miratique sumus in argumento alieno, non suo viæ totius comprehensionem; quem nescias ubi magis probemus, an ubi ad eum accedimus, an magis ubi dissentimus, dum probamus judices omnes, si non pares ibi debere, saltem esse sui similes, & tota hæc nostra quæstio non nisi quædam sua descriptio, ac laus est.

Probavit igitur, laudavitque ampliter, quod omnes ad veritatem obligentur; vivant omnes ex illa, ac judices etiam judicent. Verum non ita benè cum rebus humanis, actum est, inquit, ut his viris instructissimis (qui scilicet verum discernere valeant) fora & tribunalia repleri possint: *& plerumque occurrunt, pares negotiis, non supra*, aut ait Tacitus, qui juris artem didicerunt, ut quicquid legant comprehendere, reddereque sciant; fabricare vero, & à se sufficere non dextrè possint, quidque dubitent magis, quam enodare valeant. Hos semidoctos appellat, & sufficientes, & quibus referta tribunalia sint; quibus si onus imponamus cum Authoribus disputandi, ab eisque veritatem ipsam extorquendi, planè impares sunt, ac manifestissimo periculo errandi se committunt, & tertium quid sæpè excogitant, quod nec rationi, nec juri congruat.

His proindè magis præcipiendum censent ut nihil innovent, de suo non audeant, sed vel eam opinionem in judicando sectentur, quæ lectis Authoribus, citra partium affectionem primo aspectu magis sibi arriserit; sin vero, quod plerumque accidir, in ancipiti dubioque remanserint, aliquem gravissimorum, Authorum, Covarrubiam, similemve alium in judicando sequantur. Atque in hunc modum laudat Azorium, & Illustrissimum Tapiam, qui in classe Authores graves distinxerunt, & recensuerunt; hic in Catena morali lib. 1 quæst. 8. art. 11. ille tom. 1. lib. 2. cap. Hæc sunt, quæ vir sapientissimus excepit, in quibus certè ut ex hoc libro cernitur plurimum nobiscum convenit, qui agendo de Magistris, hos veritati explorandæ impares Professores ad Doctores suos alios faciendos obligavimus, multorumque de suo audientium libidinem, ausumque sanè temeratium compescuimus. Sed quoniam doctrina hæc complectitur plura scitu dignissima, in quibus falli hi ipsi semidocti possint, per partes dicendum est.

§. II.

In multis sæpè discordare videmur, quia alii de bono, & malo simpliciter & absolute alii ex suppositione, & quibusdam positis disserimus.

Sunt itaque qui de bono, & malo simpliciter, & nullo supposito, & quibusdam positis non tam de bono, & malo; sed de malo potius, vel minus malo philosophantur, & ubi dissidere maximè videntur, minimè dissident. Exemplum sit in tribunalibus ipsis, & foro. Constaret tribu-

 hh

apertè omnem voluntatem Dei? ac demùm quæ tamus; utros existimarent crudeliores, vel mitiores, num eos, qui ita ire, & abire ipsos sinunt; num eos qui ex forma Pauli unumquemque monerent? Haud dubito, genus totum sanum saltem fidelium pro nobis dicturum contra hos, qui sibi tam pii videntur. Quis enim fidelium est, qui non probet, non collaudet eam Ludovici II. ad Carolum filium præscriptionem: *ita gere te, ait qui tibi sunt à confessionibus, & consilus licere admoneant?* Hoc volunt, hoc optant, boni omnes; & qui nolunt, boni non sunt.

Sed tandem immensam huic parti authoritatem conciliat Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 7. qui agens de collatione non qui Sacramenti pœnitentiæ, in quo urgentior est ratio, sed baptismi totam quantam adversariorum rationem in terminis objecit sibi, & elisit. Disputat eo libro cum quibusdam, *qui humana quadam*, ut ait, *miseratione* commoti volebant, baptismum omnibus, ne perirent esse administrandum; & quia non omnes ad mutandam vitam, & exuendum hominem veterem, induendumque novum parati erant baptizandis solùm annunciandam esse doctrinam fidei; doctrinam verò morum differendam, quæ jam baptizatis post ediceretur; de qua quæstione differit eo lib. usque ad cap. 14.

Jam verò pientissimi adversarii post alia argumenta objiciunt Augustino ca. 7. ipsissimam formalem difficultatem, & principium hac in re philosophandi adversariorum etiam nostrorum. *Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc: si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tandiu bonæ fidei possessor quisque rectissimè dicitur, quandiù se possidere ignorat alienum: cum verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur: tunc justè injustus vocatur.* Num hæc ipsa ipsissima, & formalissima non est tota ratio, & via philosophandi adversariorum? Res verò erat ista, quæ proponitur, inquam ignorantiæ invincibilis cadere posset juxta omnes, nam est ignorantia facti, quod ille esset alienus.

Augustinus immediatè respondit: absit ergo, ut sensu non humano, sed planè vano sic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur, maximè in Civitate Dei, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia &c. Neque hinc diutius modò disputare opus est, cum & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum esse hnc peccatum, neque negent esse adulterium. Ecce non improbat modo, quod ei sic nescienti mulieri nihil eam adulterii ab ipsa ignorati admonendo baptismus conferatur, sed quæstionem ipsam putat alienam à monte sancto Dei, & non humanum, sed planè vanum timorem illum, & dolorem, quòd corrigatur; quia correcta jam sciens peccabit. Ad adversarii nostri juxta opinionem suam mulieri ab Augustino propositæ nihil ipsam admonendo, non solum Sacramentum pœnitentiæ in vita conferrent, sed sic etiam eam abire, obireque finerent longè ergo à doctrina, & via Augustini distant, & eis suis adversariis magis congruunt, qui certè hæreticè sapiebant in multis ut patet ex eo libro. Neque te moveat, quod Augustinus eum invincibiliter etiam ignorantis concubitum peccatum flagitiumve vocaverit; quia qui loqui sciunt, ita & ethicè, & Theologicè, & christianè loqui debent; & Augustinus probat; quia concubitus ille semper est adulterium: porrò adulterium proculdubio peccatum, flagitium, & crimen est, ut etiam lib. I. explicuimus contra eos, qui censent; ex ignorantia invincibili hæc omnia crimina reddi honestè. Ignorantia eorum invincibilis non fuit, ut adulterium crimen non sit, sed facit, ne imputetur: & quod injustum quidem, non injustè fiat; quia prorsùs involuntario. Nunc aliis ex Augustino maximè prætermissis, aliqua exponenda sunt.

§. X.

An doctrina data exceptionem aliquando habeat in jure divino? an saltem in humano, & in ignorantia facti?

PRimùm enim Augustinus modò de ignorantia facti, & quæ invincibilis videbatur decernebat: ergo nec ignorantia etiam invincibilis facti dissimulanda est, cui conferendum est Sacramentum. Deindè argumenta facta de omni planè ignorantia videntur probare. Hinc verò datam doctrinam arguent; quia concedendum videtur, saltem juris humani, & factorum dissimulari, tolerarique posse aliquam ignorantiam. Sed ex doctrina nostra, & argumentis sequitur contratrarium. Ergo exorbitamus, & excedimus. Et certè haud dubitamus, rarum ac fortè etiam nimis paradoxum videndum, si quoad præsens jura quæcumque, & facta etiam æquiparemus. Proponam tamen sapientiorum judicio, quod visum est.

Quæsivi in primis originem, cur quoad istam quæstionem distinctionem jurium, & factorum aliqui induxerunt, maximè illi, qui ignorantias juris divini manifestandas esse decreverunt; nam alii pariter de omnibus opinantur, dissimulandas esse, quando admonitio non profutura est, sed nocitura; aut grave scandalum imminet. Cum porrò nullam authoritatem, rationem momenti nullam invenerim pro ea inducenda distinctione ad præsens, existimavi, originem haud fortè aliam existisse, quam quod omnes assueti simus iis quæstionibus, utrum etiam juris humani, & factorum sit possibilis ignorantia invincibilis? in quibus sanè quæstionibus supponunt omnes, ut lib. seq. videbimus, aliam planè esse rationem jurisque humani dari haud dubiè ignorantias invincibiles. Hæc ergo similitudo terminorum, & materiæ origo, causaque esse potuit, cur in hac etiam quæstione aliter de jure naturali, & divino; aliter de humano, & factis philosophandum supposuerunt.

Verùm ex illis quæstionibus, earumque causis ad istam nullam video consecutionem, ut ex lib. seq. constabit. Deindè quandò ignorantia est vincibilis sive juris divini sit, sive humani, sive facti, eodem modo omnes philophantur. Cur ergo non, quando etiam est invincibilis; Rursùs quia cujuslibet cujuscumque juris insit ignorantia, si veritas profutura est, nec scandalum imminet, juxta omnes edocenda est: sin verò nocitura est, scandalum secuturum, nulla nullius juris juxta plerosque est manifestanda. Ergo abs re hic est ea jurium, factorumque distinctio. Nos porrò probavimus eam considerationem, an veritas manifesta profutura sit, nec ne, in administratione potissimum Sacramentorum locum non habere, ut multipliciter tandem §.

super

super declaratum est, & confirmatum authoritate expressa Augustini, & ignorantia facti. Aliud quippe est, quod facta propter ipsorum contingentiam, multitudinem, ac diversitatem facilius contingat invincibiliter ignorare aliud verò, quod jam scita non obligent. Undè argumentor: quamquam contingere possit, ut quis ignoret invincibiliter, hanc mulierem esse alienam: at hoc jam scito, ab adulterio non excusatur: & sic jam in jure humano: horum ergo cognitio ligat ipsum operantem; nec interest, an sit cognitio juris divini, vel humani, vel facti. Sed quæstio est de confessore jam cognoscente: Ergo pariter obligabitur, sive simus in iure divino, sive humano, modo sit jus in conscientia obligativum.

Undè abs re esset, si diceres, piam matrem Ecclesiam nolle tunc obligare. Hoc enim posito, non sumus in casu? nam casus est, an Confessor teneatur manifestare veritatem obligationis; si autem Ecclesia tunc non vult obligare non veritatem, sed falsitatem manifestaret, si Confessor obligaret. Retinendum est ergo, Ecclesiam velle obligare, & revera obligare, & si tam pia utique mater sit. Undè denuò ad prætensam pietatem Confessoris arguitur scandalum imminens, aut peccatum secuturum, culpa sanè non legis, sed ipsius peccantis, haud movet, haud terret pientissimam matrem nostram, ut obligare nolit, & indulgeat. Ergo neque Confessorem movere debere, ut de sponso ejus etiam pientissimo, ac mitissimo arguebamus §. præc.

Huc facit, & quæ tradidimus, valdè confirmat textus in cap. cum infirmitas de sentent. excom. *Præsenti decreto statuimus; & districtè præcipimus Medicis corporum; ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum* &c. *Hoc quidem inter alia huic causam dedit, ut de animarum salute desperati in desperationis articulum incidunt; undè facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum* &c. pœnas quippe illis præscribit. Ecce quis prætextus subesse medicis, ne admonerent; & tamen non hnc detinuit Innocentium, sed causam dedit edicto, ut corporis medicos admonendum obligaret. Quanto ergo magis animarum Medici obligati sunt. Jam autem supra dixi, parùm referre, quod in peccatis scitis simus, vel ignorantiis: quia sic cavere debemus incrementa peccatorum, sicut peccata. Ergo si ignorantia; nesciens peccet, ignorantia tollenda non est; pariter sciens induratus, ne magis induresc at, & peccet, relinquendus veniret; nec ita districte injungendum medicis, ut moneant quos in desperationis articulum timent.

Sed supponunt saltem pro ignorantia juris humani dissimulanda textum cap. quia circa de consang. & affinit, Ejusdem Innocentii 3. *Porrò de nobili viro N. pro cujus dispensatione, indulgentia sibi licet remanendi cum ea, quæ ipsum quarto consanguinitatis gradu contingit à sede Apostolica obtinenda, falsa nobis causa fuerat allegata proles videlicet;* cum tamen ante obtentam dispensationem unice filia, *quam habebat, viam fuerit universæ carnis ingressa, prout tua consultatio continebat, dum male poteris, ut remaneant in copula sic contracta; cum ex separatione, ut asseris, grave videas scandalum imminere.* Difficilem exitum habere textus videtur, nisi cum Adriano, Navarro, & aliis concedamus, dissimulari à Prælato posse, ac subindè etiam à Confessore ignorantiam saltem juris humani communiter sciri non soliti: qualis erat ignorantia valoris ejus dispensationis; maximè quod est notandum, cum initio vera causa fuerit allegata, scilicet proles, quæ ante obtentam dispensationem dicitur obiisse: non ergo, quandò pro impetranda illa relationem miscuunt. Undè Navarrus num. 73. testatur se in aliquot dispensationibus planè nullis dissimulare; quia sine scrupulo, & de peritorum consilio validas esse censebat; quia circa humanum errant, & nulli præjudicabant; & timuimus, inquit, veritatem propalare, ne quos justa ignorantia excusabat, authoritate nostra crederent, eas non valere; & nihilominus, eis utentes peccarent: atque tunc putat esse, quod singulariter, & eruditissimè eruditissimus Innocentius in prædicto capite, parùm, ut ait, hactenùs intellecto, prætendit.

Veterùm Canonistarum Hostiensis, Godafredi, Anthoni Andreæ, & aliorum longè alius fuit sensus, & intellectus; nam existimarunt, Innocentium hoc ipso suo descripto de novo dispensasse; ideòque post ea verba; *dissimulare poteris*, subintelligendum putarunt, *ex scientia, & licentia nostra, quam authoritate præsentium impartimur.* Quia stultum esset sentire, aiebant, Papam velle, ut in adulterio (seu incestu) manerent illi; & ita peccarent. quod refelli fortiter Navarrus.

Nihilominùs hæc ratio ritè formata vim mihi facit ingentem; neque enim supponendum est, eos peccare; nam hoc negatur; & alioqui saltem de Confessore, nulla esset quæstio, & tenentur non dissimulare. Rationem ergo sic formo. Incredibile videtur de quolibet magis autem de Papa, eum velle dissimulare, ut duo vivant in simplici; vel etiam incestuosa fornicatione; quandò quam facilè dissimulare potest eam in legitimum matrimonium convertere, seu saltem impedimentum tollere. Sed ita contingit in specie textus. Ergo incredibile videtur, Papam voluisse dissimulare in simplici, vel incestuosa fornicatione, & non magis dispensando impedimentum tollere, ut renovato consensu modis vulgo scitis matrimonium revalidaretur. Major propositis ex ipsis suis terminis videtur rationabilis. Deindè quia quæsitus in hoc casu Pontifex, cur non magis dispensaverit, quam fœdum coitum dissimulare, perdurareque voluerit, non apparet, quam causam congruam reddere posset; nam scandalum imminens non minùs ad dispensandum, quam ad dissimulandum conferebat. Præterea facile credendum non est, Innocentium tam Augustino contraria tradidisse, ac Gregorium juri etiam inferere voluisse: porrò Augustinus in casu viri alieni contrarium fortissimè docebat §. præc. quod autem vir sit alienus, vel non suus causam doctrinæ non variat, & semper superest delictum, & crimen; ex quo maximè Augustinus arguebat. Postremò, quia omnes in hac quæstione conveniunt Pastorem, & Confessorem teneri tollere quamlibet ignorantiam invincibilem, quandò sine peccati, aut scandali periculo, & commodè tollere potest. Sed Pontifex itapotuit, videlicet dispensando; & causæ quas ad dissimulandum proferunt, omnes in eo cessabant: ergo tenebatur, vel dispensare, vel non dissimulare.

Ad Navarrum autem respondemus, renovationem dispensationis satis utique non fuisse, ut matrimonium à principio nullum ea accedente ratum fieret; licet forsitan alii dixerint consensum initio præstitum; & intentionem virtualiter in casu nostro permanentem sufficere. Dicimus utique, novam dispensationem intelligendam esse. servatis servandis quod supponebatur; ut scilicet denuo ipsum matrimonium revocaretur iis modis, quos tract. de matr. omnes tradunt. Nec alia, quæ navamus affert, vim habent.

Aliter etiam textum intelligam tenendo, matrimonium illud fuisse ab initio validum; vel saltem hoc esse satis dubium. Etenim, quod tamen loci hujus non est tractare ubi falsitas causæ, seu causa falsa non est quasi principalis, nec necessaria ad obtinendam dispensationem, sed quasi ex superabundanti ponitur, nec ab initio falsitas quasi ex industria quæsita est, sed casu incidit ante obtentam dispensationem, tunc dispensatio tenet, & matrimonium valet. Sed ita fuit in casu nostro; nam & consanguinitas erat adeò remota, & solùm in quinto gradu; in quo sine ulla etiam prole frequentissimum erat dispensare: ergo causa prolis ad superabundantiam, & majorem falsitatem; non ad essentiam, non ad substantiam dispensationis attinebat. Præterea etiam verè hæc causa aderat, nisi quod occidit ante obtentam dispensationem, prolem, viam universæ carnis ingressam fuisse, ut dicit Pontifex. Quapropter vel quia matrimonium fuit ratum, & validum; vel quia res saltem erat satis ambigua; in dubio autem standum est pro possessore, maximè verò pro matrimonio, jure merito dissimulandum decernitur. Atque hæc interpretatio juvatur etiam ex cap. non debet eodem tit. Et est ejusdem Innocentii. Ex quo constat non adeò stricti juris tunc esse impedimentum: extra quartum gradum. Scrupulus superest, quod Pontifex motus videatur; quia scandalum gravè imminebat. Sed dici potest, ex hoc inter alia eum fuisse motum, & si quid dubii superesset, imminens scandalum juvasse, ut pro matrimonio diceretur.

Profectò, quidquid de ignorantia juris humani; & facti teneatur, quæ non sit causa violationis legis naturalis, & divinæ, ubi tamen per illam perindè utravis lex violatur, sicut si ignorantia esset ipsius legis naturalis, & divinæ; adduci facilè non possum, ut concedam, ignorantiam dissimulare posse saltem, quandò conferendum est Sacramentum; & nollem ego, & nollet, credo, quisquam in tali ignorantia obire, & ex vita fornicaria migrare ad judicium Dei; quod Sancti ejus longè a talibus potiori adeò timuissent.

De cætero tempore necessitatis quælibet cujuslibet juris ignorantia prætermittenda est, requirendo propositum universale juxta ea, quæ lib. seq. dicturi sumus de ignorantiis invincibilibus legis etiam Dei in iis, quæ necessitate medii necessaria non sunt. Deinde quandò ignorantia invincibili juris humani, aut facti, pro qua comperienda lib. seq. regulas damus, non est causa ullius violationis legis naturalis, aut divinæ, si vel scandalum immineret, vel veritas nocitura esset, præteriri potest etiam à Confessore. Ad ea autem, quæ suprà de ignorantia juris divini dicta sunt, & tunc pœnitentem non esse dispositum; quia non est paratus discere legem Dei &c. responderi potest, non nos teneri ad tantam diligentiam, pro sciendi jure humano, aut factis, quibus nulla lex Dei violatur, ad quantam obligamur, ut nullam legem Dei violemus. Opponi tamen Bernardus poterit in tractatu de præcepto, & dispens. Sed eum explicent, qui tam indubitatam hanc partem existimant.

§. XI.

An distinguendum sit de sciente, de opinante, & dubitante?

Huic quæstionis particulæ occasionum Adrianus dedit; nam iis de quibus Doctores altercantur, & dissident; sive divini juris sint, sive humani, distinguit dicens. vel Confessor lumine naturalis rationis sine his, quæ sunt fidei, demonstratam habet dubii alteram partem, & insolubili medio novit; vel opinatur, sive credit, vel tertio dubitat. Primo casu tenetur confitenti demonstrare veritatem, & probat. Secundo casu, quia opinionem, vel credulitatem sequitur, non nos solùm, verùm etiam Ecclesiam, ut ait fallit, & fallitur cap. *à nobis* de sentent. excommun. si à pluribus, vel gravioris; seu etiam æqualis authoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeò de se præsumere debet, ut totum velit in suam opinionem (quæ forsitam erronea est) concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obituta sit cum eo; & dissimulare tunc debet. Si autem à paucioribus, vel minoris authoritatis, vel debili admodum fulcitis ratione, ut non possit ea in parte rationabiliter confitens dici rationabiliter errare, tenetur confitentem erudire. Si pro una parte plures fuerint, & pro alia magis ponderosi, tunc juxta Augustinum cap. in canonicis 19. distint. ait, tenendum esse, sicut in casu dubii. Ac demùm ait in dubio non esse addimendam libertatem. Hæc ille.

Hæc videntur rationabiliter, ac plausibiliter dicta: ac primam partem de sciente omnes videntur acceptare, cum aiunt, probabilitates usui esse non posse contrarium scientibus, aut certissima aliqua authoritate cognoscentibus. Verum reflexiones subjunctæ in secundo casu contra opinantem urgent pariter contra scientem; nam contingit etiam nos falli ubi existimamus, nos scire, ac medium insolubile habere; quare non adeò quisque præsumere debebit in sua scientia (quæ forsitam pseudoscientia est) ut totum velit in ea concludere, & coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obituta sit cum eo. Hinc ista humilitatis specie, quæ ut supra tractavimus, maximam tentationem ingerit, scientes quoque tacere debebunt; tacereque ea consideratione debuissent pauci Prophetæ contra plurimos magni tunc habitos: tacere ille quoque debebit, qui contra acerbatos Magistros Timothei personam gesturus erit; non arguere, non increpare; licet enim contrarium sibi aut notissimum, aut fidei esse videatur, subibit mox ea consideratio, se non adeò præsumere debere, ut in eam, quæ sibi scientia vel fides videatur, totum modum concludere velit, quasi ipse solus

lus rideat, & scientia, vel fides cum ipso obitura sit. Contra quam vehementer sanè rationem suprà dedimus illud Eccli. 13. *noli humilis esse in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.*

Itaque ex opinante gradus fit ad scientem. Nihil non vidit, nihil non cavit stupor ingeniorum Augustinus: eo lib. contra mendac. Ad Consentium disputat, utrum mendacium licere aliquandò possit? ac post alios subtilissimos casus propositos ep. 18. proponit eum, in quo nisi Patri ægrotanti suum filium, qui jam obiit, vivere respondeatur, moriturus ipse dubiè sit causa vertitur gravissima, scilicet vita hominis, & mendacium esset levissimum. Doctor sanè stupendus, ac disputationum pericula ubique, cavens, monens dicit inter respondendum. *Hinc accedit* inquit *miserabilius evitandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus esse mentiendum, ita paulatim, minutatimque succrescit hoc in malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum se sim subintrando perducitur, ut numquam possit penitus inveniri, ubi tanta pestis per minima addimenta in immensum convalescentis possit obsisti. Unde providentissimè scriptum est, qui modica spernit paulatim decidit.* Hæc Doctor. Mendacia quidem materia subjecta ei erunt; & in quolibet sanè ita sequitur: & sic in usuris, in simonia, in parvitatibus, in solutionibus, & in universa planè morum materia ex minimis initio concessis paulatim, minutatimque ad immensum istum, ventumque est miseranda morum strage: quia nec disputantes pares Augustino sunt, qui minima illa, & consequentias initio provideant; nec dicere saltem volunt; ac hoc universale documentum pluris fortè interest, quam scientia trium, vel quatuor conclusionum specialium.

Nos itaque in primis in præsentia tenet, ne ab opinante ad scientem, credentemve eatur, & omnia pessum eant, & tacenda sint: qua consideratione Dionysius in Areopago plerisque omnibus contrarium judicantibus, ac etiam irridentibus, ne fere solus sapere videretur, obituraque cum ipso mens, & ratio, ut humilis esse posset debuisset magis cum cæteris, quam cum veritate solus sapere, vel cum paucis, & hoc urget in quocumque, qui primus credidit in natione sua, vel gente, maximè quæ sapiens haberetur: nec omnes insolubili medio mori sunt; ergo consideratio illa, & reflexio Adriani, & in praxi plurimorum, & adeò plausibilis at specie humilitatis contecta movere non debet. Deindè ea consideratio non probat; quia cum æqualibus, parisque authoritatis, vel paucioribus longè tamen eminentioribus quis opinatur, non nimium præsumit, nec sequitur, quod ipse solus videat, & scientia obitura sit cum ipso; siquidem non ipse solus ita opinatur, sed vel plures, vel eminentes: & Bernardus difficulter dimoveri se posse aiebat, non à centum, sed à duabus solis illis columnis Augustino, & Ambrosio; quorum tamen authoritas medium concludens non est. Rursùs licet solus quis esset, ea consideratio non probat eum benè, vel malè sic opinantem ab opinione sua in sensu composito non ligari, sed eum ita opinari peregrinarique non debuisse, vel deponere debere opinionem jam conceptam; nam nullum medium opinandi æquivalet reliquorum omnium sensui, & judicio ut constat ex part. 1. atque in illum sic opinantem, & nolentem cedere cadit ea quasi exprobratio Adriani.

Tenendum proindè censemus quod part. 1. constitutum est, nullum confessorem posse absolvere contra opinionem suam; quod ibi latè probatum est. Etenim sola veritas est regula actuum humanorum omnium; ut toto hoc opere confectum est, ergo & actus absolutionis: ergo nec sacerdos absolvere potest contra opinionem suam quam veram censet, quamdiù ita censet: reflexas verò jam satis disjecimus, nimisque inanes arbitramur. Nec obstat, quod forsitam opinio Confessoris sit, vel erronea; quia ex ratione errante resultat conscientia, si militer errans: quæ tamen quamdiu manet, ligat ex omnium sententia, ut lib. 1. visum est. Jam porrò illud vel risimus, vel doluimus persæpè, quod opinio quidem probabilis, quæ utique non nisi opinio est, ad solvendum omnia sufficiat; ligare verò nihil unquam possit: & destruere cuncta cum valeat, ad ædificandum ducat numquam. Diximus eo loci Confessorem judicem esse pœnitentem reum: tam proindè esse absurdum quærere, cujus judicio standum sit, an judicis, an rei, an aliorum, atque in cæteris judicii, esse præterea Medicum, ut ex cap. *omnis utriusque sexus*; & ex cap. *tum infirmitas* de sentent. excom. & ex libris omnibus constat: quis ergo quærat utrius judicio standum sit, an medici, an infirmi? alii medici, inquis contrariè putant. Sed hoc credo, dici non potest medico corporis, qui non aliorum, sed suo judicio curare debet; sicut & judices judicare: nisi aliorum judicium prius suum faciat. Diceret credo, Medicus corporis, alios illos evocent, si non suo, sed eorum judicio curatio instituenda est. Confessor, inquis, errare potest. Sed vero an & judices errare non possunt, & medici corporis non possunt, & illi alii, ad quos appellatur, non possunt? Quid ergo in summa rerum quæstiones movemus, quæ ubique alias riderentur? Confessor item Doctoris, ac postremò Pastoris personam sustinet. An ergo discipulus, an ovis regere, ducereque debet? omnium denique in causa propria judicium parvi fit maximè in judiciis. Solùm ne ergo in confessionis judicio admittatur, ac judicii etiam sensui præferendum sit! Postremò quoad alios saltem parum refert, utrum demonstratione, vel opinione movearis. Nam demonstrationes pauci intelligunt, vel admittunt; quin offendunt magis, si contra multorum opinionem dicas demonstrationem habere: nos certè demonstratum à D. Thoma censemus, & ex Evangelio etiam compertum, in mutuo non licere vel propter lucrum cessans, vel propter periculum recuperandæ sortis, vel propter moram solutionis, (nisi in pœnam de tempore ultra conductum) aliquid supra sortem superabundantiamque accipere, & nullum, qui contra agere vult, absolvimus. Sed intereà D. Thomas quid sua demonstratione profecit apud plerosque? imò ægrius ferunt verbum demonstrationis. Unicuique igitur sua ratio data est, ad suam conscientiam pro omnibus suis actibus efformandam: videre quisque debet, & benè sanè videre, undè, & cum quibus judicet, & opinetur; nam & hoc districtè judicabimur: at sive benè, sive malè judicet, & opinetur; nam & de hoc districtè ju-

dicabimur: at sive benè, sive malè judicet, & opinetur, debet formare conscientiam rationi tunc suæ conformem: & ab ea ligatur, quamdiù permanet, etiamsi falsa sit. Nec est, cur timore superbæ perterrefiat, & contra agat. Omnia magnus Doctor Augustinus expedivit: quærit à Pelagio libr. de nat. & grat. cap 34. qua in parte superbiam, in qua humilitatem reponat, an in parte veritatis an falsitatis. Reposuit humilitatē Pelagius in parte veritatis, & valdè eum ideò collaudat eo cap. 34. & iterùm cap. 61. At ut ex Logica demonstratione constat, non solùm scienti sed etiam opinanti id verum videtur, quod opinatur: & si quidem ita est, ab humilitate in contrarium moveri non debet; & si ita revera non est, tamen ipse ita putat, nec contra veritatem sibi existimatam ab humilitate moveri potest; & veritatem dissipare, & omnes virtutes evellere perindè est: *nulli* dicebat Doctor, *esset fideliter amabilis* castitas, nulli charitas, aut alia virtus, *si non eam præciperet virtus*: quæ momentum & robur est virtutum, & bonorum omnium.

Sed quid de dubitante? Distinguendum, & subdistinguendum censeo. Distinguendum quidem, an dubium, & incertitudo sit de debita dispositione pœnitentis, puta doloris. & propositi, ac veræ conversionis, an de obligatione aliqua restitutionis, vel alia? subdistinguendum verò, num simus in periculo mortis, an in integra valetudine?

Quibus distinctis, ac subdistinctis, si dubium, ac incertitudo sit de dispositione, ac vera conversione pœnitentis, articulus, periculumve mortis urget, profectò danda est pœnitentia, & absolutio; & sumus in ipsis formalibus terminis doctrinæ Augustini homil a illa 41. & cap. *si quis autem de pænit.* dist. 6. vel 7. authoritatem in alium adeò sensum graves alioqui Doctores detorserunt: *Nam si scirem, inquit; tibi nihil prodesse (scilicet pœnitentiam) non tibi darem. Si scirem tibi prodesse (ubi addiderunt, non te admonerem, non te terrerem.* In incerto ergo administranda est pœnitentia, sed admonendo, & terrendo, ut dicit Augustinus, & cum lachrimis monendo, hortando, emolliendo, ut agebat Paulus, & omnia ea movendo, quæ peragunt ii, quos charitas Christi, & proximi urget, verè enim difficilis, & magna provincia est aliquem tunc à terra ad cœlum vertere, vereque convertere, ac ministerialiter saltem salvare.

Si verò incertitudo sit de aliqua obligatione, nec tempus plus explorare permittat, tenetur Confessor, ac pœnitens facere, quod tunc in ipsis est pro scienda veritate, ac adimplenda obligatione in posterum; ac sic debet pœnitens vel hæredi, vel testamentariis, vel Confessori, vel omnibus hoc onus imponere, ut veritatem diligenter inquirant, & omnem obligationem suam adimpleant; alioquin eligendo in dubio minus tutam partem peccat, & perit, ut par. 1. lib. 4. ostensum est; item ut lib. 1. commonstravimus, non faciendo, quod potest tunc, & decet, ignorantia sibi sua fit vincibilis, & culpabilis, in qua qui moritur, perit juxta omnes. Si aliud post Tribunal non superesset, ubi ista, alia discutiendo sint, prætermitti hæc onera possent; sed verè superest, illudque terribile.

Sin autem cum sanis, & in vita agatur, & dubium sit de obligatione aliquâ, nec debet, nec potest, Confessor obligare ad restitutionem vel simile; obligare tamen debet ad inquirendum, vel meliores, Doctoresve alios consulendo, vel ad Confessorem ipsum redeundo: quod si post factam etiam diligentiam res incerta maneat, nec dubium solutum est, tutior pars sequenda est, vel restituendo, vel dividendo &c. &c. juxta ea quæ par. 1. lib. 4. statuta sunt. Illud autem vulgare, possessio stat pro libertate, locum solum habet in justitia, & possessore bonæ fidei, ad quod non sufficit non scrupulus, sed titulus etiam requiritur.

Si postremo dubitatio sit, num pœnitens sit rectè dipositus, est quæstio sanè difficilior, hic casus mea quidem opinione est frequentissimus, & frequentissimè locum habent ea Augustini, *pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes*, & non estis *irridentes, mutate vitam*: rarius, & rari de hac mutatione faciendo, de exuendo vetere homine, induendoque novo cogitant, tractant, resolvunt, disponuntve, supponunt sibi vivendum quidem, ut vivebant, non tamen peccandum; quæ moralis quædam chimæra est Hinc semper, & quotannis eadem, vel etiam majora offerunt, nec ulla emendatio vitæ secuta est: quod contra ipsum nomen pœnitentiæ, quæ à tenendo pœnam dicta est, & essentiam ejus totam est, ut ex distinctionibus de pœnit. patet. Accedit, quod ementes, vendentes, teloniarii; & hoc genus alii, quibus regula conscientiæ est lucrari, quantum possunt (non enim vocant furari) unquam de his rectè, & coram Deo perpendendis meditantur; quin meretrices etiam ipsæ veniunt, quibus non superest alius, post diem modus, & ratio vivendi; nec antea hoc circa disponunt quidquam.

Dicam coram Deo judice, quod sentio. Melius in primis est, si pauciores benè, quam plures malè confiteantur. Hinc quam plurimis non negandum, quam differendam censerem absolutionem; & non porcis mittere margaritas, & Sacramenta Dei omnipotentis; nam melius est, ut dicebam, quatuor benè, quam centum malè absolvere: ideòque monendi sunt, ut redeant. Sed periculum est, scio ne redeant. Verùm hinc in primis conjectura fit, quam pœnitentes, conversique venissent. Deindè veniunt, redeuntque aliqui, & multum, plurimum est vel unum facere verè pœnitentem.

Ut porrò hoc consequatur Confessor Dei, huc huc & non ad ampliandā jura, in quo nihil possumus, convertere debet pietatem, mansuetudinem, affectum, indulgentiam, amorem, viscera misericordiæ, & alia, quæ magnificant, jure magnificant si ad hoc, non vero ad arbitrandum de lege ordinentur. Illud verò maximè cavendum est, quod Augustinus lib. de fide, & opere b. cap. 4. notavit, & reprobavit: *quidam verò à contrario periclitantes, omnem bonorum, malorumque permixtionem in Ecclesia demonstratam, vel prædictam esse perspexerint &c. instituendam esse putant & Ecclesiam, & disciplinam, quamdiu perversissimam securitatem præpositis tribuentes, ut ad eos non pertineat: nisi dicere quid cavendum, quidve faciendum sit: quodlibet autem quisque faciat, non accurate*: si hac sanè perversissima sanè securitate: quæ contra Prophetas, & Evangelium, & bonus quidem Pastor animam suam posuit pro ovibus suis, hæc, inquam,

perversissima

perversissima severitate durus, rigidusque confessarius, & integrior quasi judex hoc solum suum esse existimaret, increpare pœnitentem, & absolutionem negare, quasi hoc facto mundus sit à sanguine, fallitur totus, & sanguis ejus de manu ipsius requiretur. Quid ergo, & quantum, & quomodo peragendum sit, ex Evangelio Apostolisque, & sanctorum libris dicet quisq; si vult. Deinde diligamus pœnitentes, sicut nos, ut justi simus; & nihil sciendum supererit.

Ad alterius hanc de opinante, & dubitante doctrinam trahant forsitam aliqui textum ex cap. Dominus de secund. nup. & ex cap. inquisitioni de sentent. excom. & ex cap. quid culpatur 23. quæst. quos textus consilium erat discutere; sunt etiam verè difficiles duo priores: sed videri potest Navarrus in cap. siquis autem de pœnit. dist. 7. à num. 85.

Dicent itaque in cap. Dominus conjugem de morte prioris conjugis dubitantem obligari ad reddendum debitum, & si petere non possit, & similiter in cap. inquisitioni ad idem obligari opinantem, non quidem ex credulitate levi, & temeraria (nam tunc deponenda est existimatio) sed ex probabili, & discreta, & minimè deponenda, & in sensu composito talis fidei, vel opinionis, ut evidenter evincit Navarrus: & sanè deposita dubitatione, vel opinione, non reddi modo, sed reddi simul, & peti potest, ut patet. Sed in casu textuum petere non licet, sed solum reddere. Ergo textus sunt de dubitante, & opinante, non in casu diviso, & deponendo, sed in sensu composito, & non deponendo Nunc applicabunt, & dicent, & posse & debere Confessorem dubitantem, vel etiam opinantem contrarium absolvere, & quasi reddere, quod debet, pœnitenti ejus opinionem sequendo; sicut conjux vel dubitans, vel opinans etiam, actum esse fornicarium, concurrere ad eum potest saltem reddendo; quia alter conjux existimat, se in legitimo esse conjugio. adde, & pone, Confessorem etiam vel dubitare, vel opinari, sicut conjugem de vita prioris conjugis. Et tamen obligare non potest ad non reddendum; nam vana est ea interpretatio, quòd textus sint de foro exteriori, & non de interiori, ut Navarrus commonstrat. Ergo Confessor absolvere potest contra suam dubitationem, vel opinionem, non quidem de absolutione ipsa, sed de re.

Ingeniosissimi Reflexistæ, & Probabilistæ existimabunt fortè, in his contineri totam suam doctrinam, suisque reflexis cuncta conciliari, & aliter non conciliari; nam conjux dubitans, vel opinans, actum illum esse fornicarium, assumendo per reflexas judicium alterius conjugis, mox objicit, & format dictamen conscientiæ, licere sibi eam redditionem. Et si etiam Confessor per similes reflexas consiliat omnia.

Verùm nisi valdè fallimur, his denuò textibus strangulantur viæ illæ; nam juxta eas, assumendo per reflexas opinionem contrariam probabilem, omnia sic sibi licent, quasi nihil ipse dubitares, vel opinareris in contrarium, nec opinio tua, vel dubitatio quidquam ligant. Ergo si doctrinam textuum huc trahere licet, conjux dubitans, vel opinans sese per reflexas, & assumendo judicium alterius conjugis, expediet in totum à dubitatione sua, & opinione; ergo & reddere, & petere poterit: & Confessor etiam utrumque concedere: atqui non potest: ergo vanum ubique invenitur hoc reflexarum, probabilitatumque artificium. Undè à contrario: cum tanta sint privilegia matrimonii; tamen ubi concurrunt quoad hoc par eum pari nihilominus dubitatio, & opinio propria ligat conjugem, ne petere possit: ergo in confessione, ubi concurrunt superior, & inferior; judex, & reus; Medicus, & infirmus, dubitatio, vel opinio ligabit Confessorem, ne absolvere possit. Rursùs cum in usu matrimonii sint petere, quod est quasi passivum, dubitatio, vel opinio propria privat toto eo quasi activo: at in confessione non concurrunt hæc quasi duo separabilia, sed unicum quasi activum Confessoris, quod est absolvere, à quo est inseparabile, quod pœnitens absolvatur. Ergo Confessor privabitur toto hoc suo quasi activo. Denuò quia in matrimonio intersunt illa duo jura separabilia quoad exercitium scilicet petendi, & reddendi; quin potest etiam esse jure impeditum alterum. Sed Pontifex in divisibilibus sic juribus non totum negandum, sed dividendum valdè juridice existimavit: ergo si parte concessa ineptè ad totum, & indivisibile, quale est absolvere arguitur. Primò quia in casu textuum non opinio, & opinio concurrunt, sed opinio unius conjugis, & ineptitudo saltem existimata contraria alterius. Ergo non sunt ad rem ad casus opinionum, & opinionum hinc, & hinc. Atque ex dictis suprà multæ disparitates pro Confessore redduntur.

Textuum ergo doctrina illud evincit, dubitationem, & opinionem non tantum operari, quantum certa scientia operatur; & sic in eo cap. *inquisitioni*, si certa scientia adesset, nec peti, nec reddi posset, etiam, jubente judice, sed magis excommunicationi etiam subjacere. Est autem valdè juridicum, quod aliæ cognitiones, & probationes non tantum operentur, sed minus quam certæ cognitiones, & plenæ probationes. Si cui homicidium non planè probatur, nec omninò absolvitur, nec ad pœnam ordinariam, sed ad minorem damnatur. Sic etiam in aliis. Sic etiam in restitutionibus, & in aliis. Non ergo propter dubitationem, vel opinionem matrimonium omninò dirimi debuit, quasi nihil esset in contrarium. Jure ergo divisum est inter jura divisibilia: quod omitto comprobare. Cum ergo ista in absolutione locum non habent, hoc sequitur, Confessorem quoad pœnas, & restitutiones, & similia non tantum imponere debere, & obligare, ut de dubitante dictum est; Et casu etiam opinionis moderari, temperateque debere sententiam, nec tantum jubere, quantum in casu certitudinis.

§. XII.

Expediuntur authoritates quædam, quæ sæpè tacendum dissimulandumque jubere videntur.

Aliquatum summam, nihil tamen difficultatis detrahendo, in reliquarum specimen conferemus. Occurrit in primis Evangelium de zizaniis superseminatis; ubi & peccata, & malæ etiam doctrinæ fidei, & morum subintelliguntur;

guntur, ut suprà hoc libro habitum est. Ibi agricolæ volentes tollere superseminata Zizania inhibentur, jubenturque sinere, ut utraque crescant, ne triticum unà eradicetur. Ignotantia ergo, & ettores tolerari, dissimularique debent, quoties timetur, ne bona simul fruges evellatur. Ergo cum Confessor fundate timet, reliquam bonam frugem, & propositum dissipandum, si ignorantia, & error aliquis deregatur, & reveletur, debet dissimulare: sin minus zelum quidem habebit instar agricolatum illorum; non tamen secundum scientiam. Quo etiam facit authoritas veritatis dicentis: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo*. Sed pœnitens in casu portare non potest. Ergo Confesso imitari veritatem debet; & secum dicere, multa habeo tibi dicere, non potest portare modo; & sic tacere. Sie etiam Apostolus eadem de causa lacte initio, non esca pascebat. Ergo Pastor quisque, & Confessor faciliora, & quæ mandi possint, pœnitenti ptincipio tradere debet, & duriora alia in posterum reservare, quæ ille jam adultus, robustiorque comedat, & deglutiat.

Hinc plurimis authoritatibus traditur, veritatem quidem sempet esse dicendam; non tamen semper totam. Hinc Gregorius 43. dist. *sit Rector, inquit; sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat & infrà: ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat, hoc, quod jam præmisimus, per sententiam veritas discipulis clamat: habete sal in vobis* &c. Clemens verò in cap. in *mandatis* ibidem ulterius progredirur, & tradit, nunc quæ ignotanrut, esse manifestanda, quandò scitur in iis, quæ bona esse, nemo dubitat, emendatum quem existere, *hoc est, si sobrius, si misericors, si justus, & humanus sit, quæ bona esse nullus ambigit. Si verò, subdit, in iis, quæ palam sunt peccatis involutus permanet, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & remotis divinæ scientiæ proloqui &c.* Atque in hanc fermè sententiam Romæ percelebris vir definiebat, plures, quæ de probabilibus, & aliia fervebant, lites finendas esse, & eò prius incumbendum, ut quæ indubitatè mala sunt, caverentur; quo facto, & consecuro, ad alia post iretur; sunt autem plerique omnea impudicitia, rapina, ac similibus involuti. Caveantur ergo hæc primum aiebat, & dein, id est, numquam de probabilibua, dubiisve aliis controvertatur. Prætereo aurhoritates alias, & ex Augustino quoque nostro libr. 6. contr Julian. cap. 16. argui in idem potest.

Postremò quia in Ecclesia matet, & Magistra nostra esse nobis debet regula, normaque, & loquendi, & tacendi. Ipsa porrò & manifestat multa, & multa etiam dissimulat, ac tolerat in doctrina, ut plurimis exemplis monstratur; & patet in ipsa doctrina probabilium; ignorantiarum, & in omnihus, quibus libri contrarii conferti sunt, doctrinis falsia morum. Sic ergo etiam Pastor quisque, & Confessor docere alia, alia dissimulare debet. Quorum ea est ratio, quod sicut cæteri omnes actus humani, sic etiam actus docendi, & ignorantias depellendi, ut rectua, honestusque sit, omnibus debitis circunstantiis debet circumscribi, *quis, quid, ubi, quibus auxilius, cur, quomodo, quando*. Hæ autem vel omnes. vel aliquæ deesse facile possunt, ex quo actus prophanetur. Et quis, precor, omnes illas palmo mensuret, & sciat se esse, quem loqui oportet, & quod oportet, & ubi, & quando, & cut, & quomodo oportet: ecce in quantis, & quam facile deficere possumus, & scriptum est, in multiloquio non defuturum peccatum; irem perfectum eum esse, qui in verbo non offenderit: undè & nolite plures fieri Magistri, scientea &c. ur superiùs disputarum est: & undique profecto eunt angustiæ, & memento, inquir Hieronymus, quod in medio laqueorum ambulas.

Hæc in primis omnia, & alia apertam instantiam habent in Doctoribus publicis, & concionaroribus, quos tamen Rectores doctrinæ nostræ de Confessoribus minus concionatores, universim, & sine tot illis limitationibus obligant ad tradendam publicè veritatem: quamquam scandalum etiam timearur, & de eis, ut vidimus, interpretantur authorirates, quas pro manifestanda veritare sibi objecerunt. Videt autem quisque, opinor, has aliaa, quas nobis nuper opposuimus, authoritates speciales saltem non esse de Confessore, deque illo peculiariter decernere. Ergo de publicis Doctoribus explicari ab ipsis quoque debebunt. Deindè comperrum est eas maximè ad prædicationem publicam teferri.

Quo animadverto; nunc ordine respondeo Evangelium in primis pro Confessoribus est aba te; ibi enim, ut omnes intelligunt, ager Ecclesiæ significatur, in quo boni cum malis, & vera cum falsia mixra ad finem usque sæculi sinuntur, ut vel mali corrigantur, vel ut boni per ipsos exerceantur, ut olim contra Donatistas, & nuper conrra sectarios demonstrarunt. In confessione autem locus non est huic commixtioni; quin ibi unusquisque purgatur, & Zizania evelluntur, peccataque omnia delentur. vel nulla, id est, mortalia.

Illud etiam Salvatoris Joan. 16. *adhuc multa habeo vobis dicere* est abs te: ibi quippè de institutione discipulorum tractatur, & de incremento scientiæ; non de cognitione peccatorum: & satis quidem multa non solùm ad peccata cavenda, sed ad magnam etiam perfectionem pertinentia iis in capitibus ipsis manifestavit, & alia reservat à Spiritu, quem missurus erat edocenda maximè de regimine Ecclesiæ. Alio etiam ista sensu; sed non doctrinæ nostræ contrario exponit egregiè Augustinus tract. 93. in Joanne. In hunc nos quoque modum lib. seq. dicimus, in credendis, & operandis esse suum ordinem, nec iis, qui non convertuntur, & instituuntur, & cathechizantur omnia simul esse obtrudenda. At non sic est de pænirentibus; qui tenenrur obligationes suas, & leges nosse cum possunt; & à Pastore suo, & Confessore juvandi sunt: & quamquam peccatis assueti onus suia viribus portare non possint, tamen possunt gratia Dei: & illa legis pars, *declina à malo*, semper obligat, & portanda est; & si altera, *& fac bonum*, suos habeat gradua, & principio lacte opus est, ut Paulus faciebat. Authoritates verò docentes, non semper totam veritatem esse discendam, de publica prædicatione intelligatur, & de factis magis, quam de doctrina; in quo non semel peccatur vel particulares personas, quando non oportet, insequendo, vel satyram loco concionis texendo: quod similibus authoritatibus sanctissimè interdicitur.

Gregorii

Gregorii etiam contextus clarus est; nam primò, quæ nunc dicebamus, prohibet; deindè curiositatem vel rerum de se inutilium, in quo etiam non semel deficitur; vel rerum, quæ sciri à nobis nequeunt; & ideò affert illud Apostoli, *non plus sapere*, &c; cujusmodi non paucas quæstiones aliqui concionatores movent, quo etiam Ambrosius ser. 2. in psal. 18. revocat. loquacitatem sermonis, scientiæ jactantiam, adulationem, & si quæ sunt alia similia vitia planè cavenda.

Clemens totus est in instituendis prædicatoribus, & propagatoribus Evangelii juxta regulas Domini Matth. 7. *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos &c.* item cap. 10. *in quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis* &c. de his aget clemens. Videbunt verò, utrum his, qui margaritis verbi digni non sunt, an his canibus, porcisvè liceat date sanctum Sacramenti? Minimè sanè. Ergo doctrina Clementis haud congruit pœnitentibus, quibus conferendum sit Sacramentum; imò pro eo negando argumentum elicitur; & si quando conculcandum est, negatur verbum, planè iisdèm à fortiori negandum est Sacramentum; sed quæstio est de conculcaturis verbum, & aiunt adversarii negandum esse verbum, nec manifestandum veritatem: non ergo statuere deberent, talibus nihilominus conferenda esse sancta Sacramentorum pœnitentia, & corporis Domini, sed magis multò esse neganda. Ad virum autem illum Romæ decernentem, primùm dico; ergo jam Theologis speculativis, & moralibus qui utique de controversis tractant, silentium indicendum erit; & hæreticis deindè, & Turcis, & Judæis, hoc nunc erit prædicandum, ut quæ credunt. Servent, quo facto, & consecuto, ad cætera ibitur. Omitto alia contra dicterium id regula scientiæ non se obligantium.

Forma & exemplum Ecclesiæ ad rem, non est; quæ scilicet, ut paulò ante dicebam, in agro suo & peccata, & errores, & ignorantias etiam voluntarias, & nimis affectatas in multa patientia tolerat: providit autem ipsa satis si per nos non staret; nec similia probat, sed suffert; quod ut dicebam ad Sacramentum pœnitentiæ trahi nequit. Fatemur autem, ad honestatem cujuscumque actus, vel etiam omissionis, & sic quoque loquendi, & tacendi servandas esse circumstantias; atque in hoc haud exiguum esse periculum. Verùm Confessor est persona legitima, & sic servatur, *quis*; monet autem pœnitentem de obligatione sua, & sic si non erret, servatur *quid*: item *ubi*: & *quando* scilicet in loco confessionis, & tempore conversionis: instrumentum est Confessor ipse, & deficeret, si per alium moneret. Postremò *cur* debet esset salus pœnitentis errantis, & gloria Dei. Quamquam verò hinc indè superessent semper pericula, ex pilosoph. 2. Ethicor. sapientiumque consilio, illud in dubio extremum cavendum est, per quod plerumque peccatur, & ad alterum inclinandum. ut rectum: justumque sapere possimus, ut Philosophus ibi probat juxta illud *extra undam, & fumum longè compelle carinam.* Scitur porrò, & notissimum est in re nostra, extremum silentii, & dissimulationis, quin etiam adulationis esse, in quod plerique plerumque impingimus: quod casus ille Michææ Prophetæ egregiè declarat; & à Regibus ad plebeios quoque descende nemo est, cui veritas tristis, & ligata non displiceat: difficile est omnibus displicentiæ, odiose exponi; ergo difficile est omnibus tristem, ligantemque veritatem edifcere. Sed difficilia in paucioribus, & rariùs contingunt. Ergo in paucioribus, & rariùs vel ad ipsum Medicum veritatem edicendi acceditur. Rariùs ergo per extremum exceditur. Ergo consultum est isthuc inclinare, ubi periculum est rarius, & contrarium vitare, & longè fugere. Hoc enim & conscientias, & respublicas perdere solet. Est verò id Confessori tutius, quam Concionatori, nam hic ad populum, cui placere possit; in privato ille, & ad personam ipsam solam cui displicet veritatem manifestat.

§. XII.

Ex his aliqua Confessoribus, & pœnitentibus advertuntur, quæ utrosque benè scire oporteret.

Primum illud, quod ex toto hoc libro manifestum est, Confessorem malè Sacramentum administrando, & pœnitentem sequendo illum, non unum, & non alterum, sed utrumque simul perire posse; & prorsùs voluntariò, & nulliter hoc onus, & periculum ab altero in alterum vicissim rejici.

Secundo illud, nihil solidum superesse, quo statuatur, praxim communem, & omnium, vel plerumque, Sacramentum pœnitentiæ administrandi, & suscipiendi esse rectam, & validam. Constat hoc ex paucitate eorum, qui salvantur, ut §. 1. explicatum est. Undè Confessor quique, & pœnitens tenetur bene videre, qualiter vel conferat Sacramentum, vel suscipiat.

Hinc tertio, melius esse duobus benè, quantiscumque malè Sacramentum administrare: undè Confessor, quisque rem faceret longè maximam, si uno integro mane vel solos quantos ad veram pœnitentiam, quantum, & qualem sancti Dei descripserunt, & emendationis, novitatisque vitæ inducerent; & sic sensim plures verè, & corde converterentur.

Quartò falsissimum esse, quod multi viri etiam Principes, & Reges, ac Primarii Magistratus ex capite suo supponunt, vel sufficere sibi quemlibet quomodolibet Confessores, vel omnes esse pares, vel nihil interesse, quem eligant. Fatemur absolutionem quorumlibet validam æqualiter valere; nihilominùs falsissimum est, quod supponunt; & cur id non supponunt de rebus ipsis, & mundi, quas diligunt, de uxore, de coquo, de domo, cursu, veste, & omnibus? existimare sanè videntur, in Ecclesia tantum unam esse clavem regni cœlorum, scilicet potestatis, qua temeritate quadam potentiæ cunctis illud aperitur. Sciant ergo, & benè recogitent duas esse claves, potestatis alteram, & alteram scientiæ, qua inter ligandos, solvendosque discernatur, & nisi simul ambabus, seras cœlorum non aperire. Patet ergo ex dictis suppositionis enormis sanè falsitas. Contulit in hanc rem Illustrissimus Arauso legem Regni leg. 3. tit. 9. part. 2. de Confessario Regis: *debe ser home*

apertè omnem voluntatem Dei? ac demùm quæramus; utros existimarent crudeliores, vel mitiores, num eos, qui ita ire, & abire ipsos sinunt; num eos qui ex forma Pauli unumquemque monerent? Haud dubito, genus totum sanum fatem fidelium pro nobis dicturum contra hos, qui sibi tam pii videntur. Quis enim fidelium est, qui non probet, non collaudet eam Ludovici II. ad Carolum filium præscriptionem: *ita gere te, ait qui tibi sunt a confessionibus, & consiliis licere admoneant?* Hoc volunt, hoc optant, boni omnes; & qui nolunt, boni non sunt.

Sed tandem immensam huic parti authoritatem conciliat Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 7. qui agens de collatione non qui Sacramenti pœnitentiæ, in quo urgentior est ratio, sed baptismi totam quantam adversariorum rationem in terminis objecit sibi, & elisit. Disputat eo libro cum quibusdam, *qui humana quadam*, ut ait, *miseratione* commoti volebant, baptismum omnibus, ne perirent esse administrandum; & quia non omnes ad mutandam vitam, & exuendum hominem veterem, induendumque novum parati erant baptizandis solùm annunciandam esse doctrinam fidei; doctrinam verò morum differendam, quæ jam baptizatis post ediceretur; de qua quæstione disserit eo lib. usque ad cap. 14.

Jam verò pientissimi adversarii post alia argumenta objiciunt Augustino ca. 7. ipsissimam formalem difficultatem, & principium hac in re philosophandi adversariorum etiam nostrorum. *Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc: si autem fiat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tandiù bonæ fidei possessor quisque rectissimè dicitur, quandiù se possidere ignorat alienum: cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur: tunc justè injustus vocatur.* Num hæc ipsa ipsissima, & formalissima non est tota ratio, & via philosophandi adversariorum? Res verò erat ista, quæ proponitur, inquam ignorantiæ invincibilis cadere posset juxta omnes, nam erat ignorantia facti, quod ille esset alienus.

Augustinus immediatè respondit: absit ergo, ut sensu non humano, sed planè vano sic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur, maximè in Civitate Dei, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia &c. Neque hinc diutius modò disputate opus est, cum & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum esse hoc peccatum, neque negent esse adulterium. Ecce non improbat modo, quod ei sic nescienti mulieri nihil eam adulterii ab ipsa ignorati admonendo baptismus conferatur, sed quæstionem ipsam putat alienam à monte sancto Dei, & non humanum, sed planè vanum timorem illum, & dolorem, quòd corrigatur; quia correcta jam sciens peccabit. Ad adversarii nostri juxta opinionem suam mulieri ab Augustino propositæ nihil ipsam admonendo, non solum Sacramentum pœnitentiæ in vita conferrent, sed sic etiam eam abire, obireque finerent longè ergo à doctrina, & via Augustini distant, & eis suis adversariis magis congruunt, qui certè hæreticè sapiebant in multis ut patet ex eo libro. Neque te moveat, quod Augustinus eum invincibiliter etiam ignorantis concubitum peccatum flagitiumve vocaverit; quia qui loqui sciunt, ita & ethicè, & Theologicè, & christianè loqui debent; & Augustinus probat; quia concubitus ille semper est adulterium: porrò adulterium procul dubio peccatum, flagitium, & crimen est, ut etiam lib. I. explicuimus contra eos, qui censent; ex ignorantia invincibili hæc omnia crimina reddi honestè. Ignorantia eorum invincibilis non fuit, ut adulterium crimen non sit, sed facit, ne imputetur: & quod injustum quidem, non injustè fiat; quia prorsùs involuntario. Nunc aliis ex Augustino maximè prætermissis, aliqua exponenda sunt.

§. X.

An doctrina data exceptionem aliquando habeat in jure divino? an saltem in humano, & in ignorantia facti?

Primùm enim Augustinus modò de ignorantia facti, & quæ invincibilis videbatur decernebat: ergo nec ignorantia etiam invincibilis facti dissimulanda est, cui conferendum est Sacramentum. Deindè argumenta facta de omni planè ignorantia videntur probare. Hinc verò datam doctrinam arguent; quia concedendum videtur, saltem juris humani, & factorum dissimulari, tolerarique posse aliquam ignorantiam. Sed ex doctrina nostra, & argumentis sequitur contrarium. Ergo exorbitamus, & excedimus. Et certè haud dubitamus, rarum ac fortè etiam nimis paradoxum videndum, si quæad præsens jura quæcumque, & facta etiam æquiparemus. Proponam tamen sapientiorum judicio, quod visum est.

Quæsivi in primis originem, cur quoad istam quæstionem distinctionem jurium, & factorum aliqui induxerunt, maximè illi, qui ignorantias juris divini manifestandas esse decreverunt; nam alii pariter de omnibus opinantur, dissimulandas esse, quando admonitio non profutura est, sed nocitura; aut grave scandalum imminet. Cum porrò nullam authoritatem, rationem momenti nullam invenerim pro ea inducenda distinctione ad præsens, existimavi, originem haud fortè aliam existisse, quam quod omnes assueti simus iis quæstionibus, utrum etiam juris humani, & factorum sit possibilis ignorantia invincibilis? in quibus sanè quæstionibus supponunt omnes, ut lib. seq. videbimus, aliam planè esse rationem jurisque humani dari haud dubiè ignorantias invincibiles. Hæc ergo similitudo terminorum, & materiæ origo, causaque esse potuit, cur in hac etiam quæstione aliter de jure naturali, & divino; aliter de humano, & factis philosophandum supposuerunt.

Verùm ex illis quæstionibus, earumque causis ad istam nullam video consecutionem, ut ex lib. seq. constabit. Deindè quandò ignorantia est vincibilis sive juris divini sit, sive humani, sive facti, eodem modo omnes philosophantur. Cur ergo non, quando etiam est invincibilis; rursùs quia cujuslibet cujuscumque juris insit ignorantia, si veritas profutura est, nec scandalum imminet, juxta omnes edocenda est: sin verò nocitura est, scandalum secuturum, nulla nullius juris juxta plerosque est manifestanda. Ergo abs re hic est ea jurium, factorumque distinctio. Nos porrò probavimus eam considerationem, an veritas manifesta profutura sit, nec ne, in administratione potissimum Sacramentorum locum non habere, ut multipliciter tandem §. super

ſupet declaratum eſt, & confirmatum authoritate expreſſa Auguſtini, & ignorantia facti. Aliud quippe eſt, quod facta propter ipſorum contingentiam, multitudinem, ac diverſitatem facilius contingat invincibiliter ignorare aliud verò, quod jam ſcita non obligent. Undè argumentor: quamquam contingere poſſit, ut quis ignoret invincibiliter, hanc mulierem eſſe alienam: at hoc jam ſcito, ab adulterio non excuſatur: & ſic jam in jure humano: notum ergo cognitio ligat ipſum operantem; nec intereſt, an ſit cognitio juris divini, vel humani, vel facti. Sed quæſtio eſt de confeſſore jam cognoſcente: Ergo pariter obligabitur, ſive ſimus in iure divino, ſive humano, modo ſit jus in conſcientia obligativum.

Undè abs re eſſet, ſi diceres, piam matrem Eccleſiam nolle tunc obligare. Hoc enim poſiti, non ſumus in caſu? nam caſus eſt, an Confeſſor teneatur manifeſtare veritatem obligationis; ſi autem Eccleſia tunc non vult obligare non veritatem, ſed falſitatem manifeſtatet, ſi Confeſſor obligaret. Retinendum eſt ergo, Eccleſiam velle obligare, & revera obligare, & ſi tam pia utique mater ſit. Undè denuò ad prætenſam pietatem Confeſſoris arguitur ſcandalum imminens, aut peccarum ſecuturum, culpa ſanè non legis, ſed ipſius peccantis, haud movet, haud terret pientiſſimam matrem noſtram, ut obligare nolit, & indulgeat. Ergo neque Confeſſorem movere debere, ut de ſponſo ejus etiam pientiſſimo, ac mitiſſimo arguebamus §. præc.

Huc facit, & quæ tradidimus, valdè confirmat textus in cap. cum infirmitas de ſentent. excom. *Præſenti decreto ſtatuimus, & directè præcipimus Medicis corporum; ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum* &c. *Hoc quidem inter alia hanc cauſam dedit, ut de animarum ſalute diſponant in deſperationis articulum incidunt; unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum* &c. pœnas quippe illis præſcribit. Ecce quis prætextus ſubeſſe medicis, ne admonerent; & tamen non hoc detinuit Innocentium, ſed cauſam dedit edicto, ut corporis medicos admonendum obligaret. Quanto ergo magis animarum Medici obligati ſunt. Jam autem ſuprà dixi, parùm referre, quod in peccatis ſcitis ſimus, vel ignorantiis: quia ſic cavere debemus incrementa peccatorum, ſicut peccata. Ergo ſi ignorantia; neſciens peccet, ignorantia tollenda non eſt; pariter ſciens induratus, ne magis induteſcat, & peccet, relinquendus veniret; nec ita diſtrictè injungendum medicis, ut moneant quos in deſperationis articulum timent.

Sed ſupponent ſaltem pro ignorantia juris humani diſſimulanda textum cap. quia circa de conſang. & affinit, Ejuſdem Innocentii 3. *Porrò de nobili viro N. pro cujus diſpenſatione, indulgentia ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum quinto conſanguinitatis gradu contingit à ſede Apoſtolica obtinenda, falſa nobis cauſa fuerat allegata proles videlicet*; cum tamen ante obtentam diſpenſationem unice ſilia, *quam habebat, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſa, prout tua conſultatio continebat, diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta; cum ex ſeparatione, ut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Difficilem exitum habere textus videtur, niſi cum Adriano, Navarro, & aliis concedamus, diſſimulari à Prælato poſſe, ac ſubindè etiam à Confeſſore ignorantiam ſaltem juris humani communiter ſciri non ſoliti: qualis erat ignorantia valoris ejus diſpenſationis; maximè quod eſt notandum, cum initio vera cauſa fuerit allegata, ſcilicet proles, quæ ante obtentam diſpenſationem dicitur obiiſſe: non ergo, quandò pro impetranda illa relationem miſcruur. Undè Navarrus num. 73. teſtatur ſe in aliquot diſpenſationibus planè nullis diſſimulare; quia ſine ſcrupulo, & de peritorum conſilio validas eſſe cenſebat; quia circa humanum errant, & nulli præjudicabant; & timuimus, inquit, veritatem propalare, ne quos juſta ignorantia excuſabat, authoritate noſtra crederent, eas non valere; & nihilominus, eis utentes peccarent: atque tunc putat eſſe, quod ſingulariter, & eruditiſſimè eruditiſſimus Innocentius in prædicto capite, parùm, ut ait, hactenùs intellecto, prætendit.

Veterùm Canoniſtarum Hoſtienſis, Godafredi, Anthoni Andreæ, & aliorum longè alius fuit ſenſus, & intellectus; nam exiſtimarunt, Innocentium hoc ipſo ſuo deſcripto de novo diſpenſaſſe; ideòque poſt ea verba; *diſſimulare poteris*, ſubintelligendum putarunt, *ex ſcientia, & licentia noſtra, quam authoritate præſentium impartimur.* Quia ſtultum eſſet ſentire, aiebant, Papam velle, ut in adulterio (ſeu inceſtu) manerent illi; & ita peccarent. quod refelli fortiter Navarrus.

Nihilominùs hæc ratio ritè formata vim mihi facit ingentem; neque enim ſupponendum eſt, eos peccare; nam hoc negatur; & alioqui ſaltem de Confeſſore, nulla eſſet quæſtio, & tenentur non diſſimulare. Rationem ergo ſic formo. Incredibile videtur de quolibet magis autem de Papa, eum velle diſſimulare, ut duo vivant in ſimplici; vel etiam inceſtuoſa fornicatione; quandò quam facilè diſſimulare poreſt eam in legitimum matrimonium convertere, ſeu ſaltem impedimentum tollere. Sed ita contingit in ſpecie textus. Ergo incredibile videtur, Papam voluiſſe diſſimulare in ſimplici, vel inceſtuoſa fornicatione, & non magis diſpenſando impedimentum tollere, ut renovato conſenſu modis vulgo ſcitis matrimonium revalidaretur. Major propoſitis ex ipſis ſuis terminis videtur rationabilis. Deindè quia quæſitus in hoc caſu Pontifex, cur non magis diſpenſaverit, quam fœdum coitum diſſimulare, perdurareque voluerit, non apparet, quam cauſam congruam reddere poſſet; nam ſcandalum imminens non minùs ad diſpenſandum, quam ad diſſimulandum conferebat. Prætereà facile credendum non eſt, Innocentium tam Auguſtino contraria tradidiſſe, ac Gregorium juri etiam inſerere voluiſſe: porrò Auguſtinus in caſu viri alieni contrarium fortiſſimè docebat §. præc. quod autem vir ſit alienus, vel non ſuus cauſam doctrinæ non variat, ac ſemper ſupereſt delictum, & crimen; ex quo maximè Auguſtinus arguebat. Poſtremò, quia omnes in hac quæſtione conveniunt Paſtorem, & Confeſſorem teneri tollere quamlibet ignorantiam invincibilem, quandò ſine peccati, aut ſcandali periculo, & commodè tollere poreſt. Sed Pontifex ita potuit, videlicet diſpenſando; & cauſæ, quas ad diſſimulandum proferunt, omnes in eo ceſſabant: ergo tenebatur, vel diſpenſare, vel non diſſimulare.

Ad Navarrum autem respondemus, renovationem dispensationis satis utique non fuisse, ut matrimonium à principio nullum ea accedente ratum fieret; licet forsitan alii dixerint consensum initio præstitum; & intentionem virtualiter in casu nostro permanentem sufficere. Dicimus utique, novam dispensationem intelligendam esse, servatis servandis quod supponebatur; ut scilicet denuò ipsum matrimonium revocaretur iis modis, quos tract. de matr. omnes tradunt. Nec alia, quæ navamus affert, vim habent.

Aliter etiam textum intelligam tenendo, matrimonium illud fuisse ab initio validum; vel saltem hocesse satis dubium. Etenim, quod tamen loci hujus non est tractate ubi falsitas causæ, seu causa falsa non est quasi principalis, nec necessaria ad obtinendam dispensationem, sed quasi ex superabundanti ponitur, nec ab initio falsitas quasi ex industria quæsita est, sed casu incidit ante obtentam dispensationem, tunc dispensatio tenet, & matrimonium valet. Sed ita fuit in casu nostro; nam & consanguinitas erat adeò remota, & solùm in quinto gradu; in quo sine ulla etiam prole frequentissimum erat dispensare: ergo causa prolis ad superabundantiam, & majorem falsitarem; non ad essentiam, non ad substantiam dispensationis attinebat. Præterea etiam verè hæc causa aderat, nisi quod occidit ante obtentam dispensationem, prolem, viam universæ carnis ingressam fuisse, ut dicit Pontifex. Quapropter vel quia matrimonium fuit ratum, & validum; vel quia res saltem erat satis ambigua; in dubio autem standum est pro possessore, maximè verò pro matrimonio, jure merito dissimulandum decernitur. Atque hæc interpretatio juvatur etiam ex cap. non debet eodem tit. Et est ejusdem Innocentii. Ex quo constat non adeò stricti juris tunc esse impedimentum: extra quartum gradum. Scrupulus superest, quod Pontifex motus videatur; quia scandalum gravè imminebat. Sed dici potest, ex hoc inter alia eum fuisse motum, & si quid dubii superesset, imminens scandalum juvaile, ut pro matrimonio diceretur.

Profectò, quidquid de ignorantia juris humani; & facti teneatur, quæ non sit causa violationis legis naturalis, & divinæ, ubi tamen per illam perindè ut avis lex violatur, sicut si ignorantia esset ipsius legis naturalis, & divinæ; adduci facilè non Possum, ut concedam, ignorantiam dissimulare posse saltem, quandò conferendum est Sacramentum; & nollem ego, & noller, credo, quisquam in tali ignorantia obire, & ex vita fornicaria migrare ad judicium Dei; quod Sancti ejus longè a talibus potiti adeò timuissent.

De cætero tempore necessitatis quælibet cujuslibet juris ignorantia prætermittenda est, requirendo propositum universale juxta ea, quæ lib. seq. dicturi sumus de ignorantiis invincibilibus legis etiam Dei in iis, quæ necessitate medii necessaria non sunt. Deinde quandò ignorantia invincibilis juris humani, aut facti, pro qua comperienda lib. seq. regulas damus, non est causa ullius violationis legis naturalis, aut divinæ, si vel scandalum immineret, vel veritas nocitura esset, præteriri potest etiam à Confessore. Ad ea autem, quæ suprà de ignorantia juris divini dicta sunt, & tunc pœnitentem non esse dispositum; quia non est paratus discere legem Dei &c. responderi potest, non noa teneri ad tantam diligentiam, pro sciendi jure humano, aut factis, quibus nulla lex Dei violatur, ad quantam obligamur, ut nullam legem Dei violemus. Opponi tamen Bernardus poterit in tractatu de præcepto, & dispens. Sed eum explicent, qui tam indubitatam hanc partem existimant.

§. XI.

An distinguendum sit de sciente, de opinante, & dubitante?

Huic quæstionis particulæ occasionum Adrianus dedit; nam iis de quibus Doctores altercantur, & dissident; sive divini juris sint, sive humani, distinguit dicens. vel Confessor lumine naturalis rationis sine his, quæ sunt fidei, demonstratam habet dubii alteram partem, & insolubili medio novit; vel opinatur, sive credit, vel tertio dubitat. Primo casu tenetur confitenti demonstrare veritatem, & probat. Secundo casu, quia opinionem, vel credulitatem sequitur, non nos solùm, verùm etiam Ecclesiam, ut ait fallit, & fallitur cap. *à nobis* de sent. excommun. si à pluribus, vel gravioris; seu etiam æqualia authoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeò de se præsumere debet, ut totum velit in suam opinionem (quæ forsitam erronea est) concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo; & dissimulare tunc debet. Si autem è paucioribus, vel minoris authoritatis, vel debili admodum fulcitis ratione, ut non possit ea in parte rationabiliter confitens dici rationabiliter errare, tenetur confitentem erudire. Si pro una parte plures fuerint, & pro alia magis ponderosi, tunc juxta Augustinum cap. in canonicis 19. distint. ait, tenendum esse, sicut in casu dubii. Ac demùm ait in dubio non esse addimendam libertatem. Hæc ille.

Hæc videntur rationabiliter, ac plausibiliter dicta: ac primam partem de sciente omnes videntur acceptare, cum aiunt, probabilitates usui esse non posse contrarium scientibus, aut certissima aliqua authoritate cognoscentibus. Verum reflexiones subjunctæ in secundo casu contra opinantem urgent pariter contra scientem; nam contingit etiam nos falli ubi existimamus, nos scire, ac medium insolubile habere; quare non adeò quisque præsumere debebit in sua scientia (quæ forsitam pseudoscientia est) ut totum velit in ea concludere, & coarctare, quasi ipse solua videat, & scientia obitura sit cum eo. Hinc ista humilitatis specie, quæ ut supra tractavimus, maximam tentationem ingerit, scientes quoque tacere debebunt; tacereque ea consideratione debuissent pauci Prophetæ contra plutimos magni tunc habitos: tacere ille quoque debebit, qui contra acerbatos Magistros Timothei personam gesturus erit; non arguere, non increpare; licet enim contrarium sibi aut notissimum, aut fidei esse videatur, subibit mox ea consideratio, se non adeò præsumere debere, ut in eam, quæ sibi scientia vel fides videatur, totum modum concludere velit, quasi ipse sola

lus rideat, & scientia, vel fides cum ipso obitura sit. Contra quam vehementer sanè rationem suprà dedimus illud Eccli. 13. *noli humilis esse in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.*

Itaque ex opinante gradus fit ad scientem. Nihil non vidit, nihil non cavit stupor ingeniorum Augustinus: eo lib. contra mendacium. Ad Consentium disputat, utrum mendacium licere aliquandò possit? ac post alios subtilissimos casus propositos ep. 18. proponit cum, in quo nisi Patri ægrotanti suum filium, qui jam obiit, vivere respondeatur, moriturus ipse dubiè sit causa vertitur gravissima, scilicet vita hominis, & mendacium esset levissimum. Doctor sanè stupendus, ac disputationum pericula ubique, cavens, monens dicit inter respondendum. *Hæc accedit inquit miserabilius evitandum est, quod si consenserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus esse mentiendum, ita paulatim, minutatimque succrescit hoc in altum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum se sim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitus inveniri, ubi tanta pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti. Undè providentissimè scriptum est, qui modica spernit paulatim decidit.* Hæc Doctor. Mendacia quidem materia subjecta ei erunt; & in quolibet sanè ita sequitur: & sic in usuris, in simonia, in parvitatibus, in solutionibus, & in universa planè morum materia ex minimis initio concessis paulatim, minutatimque ad immensum illum, ventumque est miseranda morum strage: quia nec disputantes pares Augustino sunt, qui minima illa, & consequentias initio provideant; nec dicere saltem volunt; ac hoc universale documentum pluris fortè interest, quam scientia trium, vel quatuor conclusionum specialium.

Nos itaque in primis in præsentia tenet, ne ab opinante ad scientem, credentemve eatur, & omnia pessum eant, & tacenda sint: qua consideratione Dionysius in Areopago plerisque omnibus contrarium judicantibus, ac etiam irridentibus, ne fere solus sapere videretur, obturaque cum ipso mens, & ratio, ut humilis esse posset debuisset magis cum cæteris, quam cum veritate solus sapere, vel cum paucis, & hoc urget in quocumque, qui primus credidit in natione sua, vel gente, maximè quæ sapiens haberetur: nec omnes insolubili medio moti sunt; ergo consideratio illa, & reflexio Adriani, & in praxi plurimorum, & adeò plausibilis at specie humilitatis contecta movere non debet. Deindè ea consideratio non probat; quia cum æqualibus, parisque authoritatis, vel paucioribus longè tamen eminentioribus quis opinatur, non nimium præsumit, nec sequitur, quod ipse solus videat, & scientia obitura sit cum ipso; siquidem non ipse solus ita opinatur, sed vel plures, vel eminentes: & Bernardus difficulter dimoveri se posse aiebat, non a centum, sed à duabus solis illis columnis Augustino, & Ambrosio; quorum tamen authoritas medium concludens non est. Rursùs licet solus quis esset, ea consideratio non probat cum benè, vel malè sic opinantem ab opinione sua in sensu composito non ligari, sed eum ita opinari peregrinarique non debuisse, vel deponere debere opinionem jam conceptam; nam nullum medium opinandi æquivalet reliquorum omnium sensui, & judicio ut constat ex parte 1. atque in istum sic opinantem, & nolentem cedere cadit ea quasi exprobratio Adriani.

Tenendum proindè censemus quod part. 1. constitutum est. nullum confessorem posse absolvere contra opinionem suam; quod ibi latè probatum est. Etenim sola veritas est regula actuum humanorum omnium; ut toto hoc opere confectum est, ergo & actus absolutionis: ergo nec sacerdos absolvere potest contra opinionem suam quam veram censet, quamdiù ita censet: reflexas verò jam satis disjecimus, nimisque inanes arbitramur. Nec obstat, quod fortè opinio Confessoris sit, vel erronea; quia ex ratione errante resultat conscientia, si niliter errans: quæ tamen quamdiu manet, ligat ex omnium sententia, ut lib. 1. visum est. Jam porrò illud vel risimus, vel doluimus persæpè, quod opinio quidem probabilis, quæ utique non nisi opinio est, ad solvendum omnia sufficiat; ligare verò nihil unquam possit: & destruere cuncta cum valeat, ad ædificandum ducat numquam. Diximus eo loci Confessorem judicem esse pœnitentem reum: tam proindè esse absurdum quærere, cujus judicio standum sit, an judicis, an rei, an aliorum, atque in cæteris judicii, esse prætereà Medicum, ut ex cap. *omnis utriusque sexus*; & ex cap. *tum infirmitas* de sentent. excom. & ex libris omnibus constat: quis ergo quærat utrius judicio standum sit, an medici, an infirmi? alii medici, inquis contrariè putant. Sed hoc credo, dici non potest medico corporis, qui non aliorum, sed suo judicio curare debet; sicut & judices judicare: nisi aliorum judicium prius suum faciat. Diceret credo, Medicus corporis, alios illos evocent, si non suo, sed eorum judicio curatio instituenda est. Confessor, inquis, errare potest. Sed vero an & judices errare non possunt, & medici corporis non possunt, & illi alii, ad quos appellatur, non possunt? Quid ergo in summa rerum quæstiones movemus, quæ ubique alias riderentur? Confessor item Doctoris, ac postremò Pastoris personam sustinet. An ergo discipulus, an ovis regere, ducereque debet? omnium denique in causa propria judicium parvi sit maximè in judiciis. Solùm ne ergo in confessionis judicio admittatur, ac judicii etiam sensui præferendum sit! Postremò quoad alios saltem parum refert, utrum demonstratione, vel opinione movearis. Nam demonstrationes pauci intelligunt, vel admittunt; quin offendunt magis, si contra multorum opinionem dicas demonstrationem habere: nos certè demonstratum à D. Thoma censemus, & ex Evangelio etiam compertum, in mutuo non licere vel propter lucrum cessans, vel propter periculum recuperandæ sortis, vel propter moram solutionis, (nisi in pœnam de tempore ultra conductum) aliquid supra sortem superabundantiamque accipere, & nullum, qui contra agere vult, absolvimus. Sed intereà D. Thomas quid sua demonstratione profecit apud plerosque? imò ægrius ferunt verbum demonstrationis. Unicuique igitur sua ratio data est, ad suam conscientiam pro omnibus suis actibus efformandam: videre quisque debet, & benè sanè videre, undè, & cum quibus judicet, & opinetur; nam & hoc districtè judicabimur: at sive benè, sive malè judicet, & opinetur; nam & de hoc districtè ju-

pervetsissima severitate durus, rigidusque confessarius, & integrior quasi judex hoc solum suum esse existimaret, increpare pœnitentem, & absolutionem negare, quasi hoc facto mundus sit à sanguine, sallitur totus, & sanguis ejus de manu ipsius requiretur. Quid ergo, & quantum, & quomodo peragendum sit, ex Evangelio Apostolisque, & sanctorum libris dicet quisq; si vult. Deinde diligamus pœnitentes, sicut nos, ut justi simus; & nihil sciendum supererit.

Ad alterius hanc de opinante, & dubitante doctrinam trahant forsitam aliqui textum ex cap. Dominus de secund. nup. & ex cap. inquisitioni de sentent. excom. & ex cap. quid culpatur 23. quæst. quos textus consilium erat discutere; sunt etiam verè difficiles duo priores: sed videri potest Navarrus in cap. siquis autem de pœnit. dist. 7. à num. 85.

Dicent itaque in cap. Dominus conjugem de morte prioris conjugis dubitantem obligari ad reddendum debitum, & si petere non possit, & similiter in cap. inquisitioni ad idem obligari opinantem, non quidem ex credulitate levi, & temeraria (nam tunc deponenda est existimatio) sed ex probabili, & discreta, & minimè deponenda, & in sensu composito talis fidei, vel opinionis, ut evidenter evincit Navarrus: & sanè deposita dubitatione, vel opinione, non teddi modo, sed reddi simul, & peti potest, ut patet. Sed in casu textuum petere non licet, sed solum teddere. Ergo textus sunt de dubitante, & opinante, non in casu diviso, & deponendo, sed in sensu composito, & non deponendo Nunc applicabunt, & dicent, posse & debere Confessorem dubitantem, vel etiam opinantem contrarium absolvere, & quasi teddere, quod debet, pœnitenti ejus opinionem sequendo; sicut conjux vel dubitans, vel opinans etiam, actum esse fornicarium, concurrere ad eum potest saltem reddendo; quia alter conjux existimat, se in legitimo esse conjugio. adde, & pone, Confessorem etiam vel dubitare, vel opinari, sicut conjugem de vita prioris conjugis. Et tamen obligare non potest ad non reddendum; nam vana est ea interpretatio, quòd textus sint de foro exteriori, & non de interiori, ut Navarrus commonstrat. Ergo Confessor absolvere potest contra suam dubitationem, vel opinionem, non quidem de absolutione ipsa, sed de re.

Ingeniosissimi Reflexistæ, & Probabilistæ existimabunt fortè, in his contineri totam suam doctrinam, suisque reflexis cuncta conciliari, & aliter non conciliari; nam conjux dubitans, vel opinans, actum illum esse fornicarium, assumendo per reflexas judicium alterius conjugis, mox objicit, & format dictamen conscientiæ, licere sibi eam redditionem. Et sic etiam Confessor per similes reflexas consiliat omnia.

Verùm nisi valdè fallimur, his denuò textibus strangulantur viæ illæ; nam juxta eas, assumendo per reflexas opinionem contrariam probabilem, omnia sic sibi licent, quasi nihil ipse dubitares, vel opinareris in contrarium, nec opinio tua, vel dubitatio quidquam ligant. Ergo si doctrinam textuum huc trahere licet, conjux dubitans, vel opinans sese per reflexas, & assumendo judicium alterius conjugis, expediet in totum à dubitatione sua, & opinione; ergo & reddere, & petere poterit: & Confessor etiam utrumque concedere: atqui non potest: ergo vanum ubique invenitur hoc reflexarum, probabilitatumque artificium. Undè à contrario: cum tanta sint privilegia matrimonii; tamen ubi concurrunt quoad hoc par cum pari nihilominus dubitatio, & opinio propria ligat conjugem, ne petere possit: ergo in confessione, ubi concurrunt superior, & inferior; judex, & reus; Medicus, & infirmus, dubitatio, vel opinio ligabit Confessorem, ne absolvere possit. Rursùs cum in usu matrimonii sint petere, quod est quasi passivum, dubitatio, vel opinio propria privat toto eo quasi activo: at in confessione non concurrunt hæc quasi duo separabilia, sed unicum quasi activum Confessoris, quod est absolvere, à quo est inseparabile, quod pœnitens absolvatur. Ergo Confessor privabitur toto hoc suo quasi activo. Denuò quia in matrimonio intersunt illa duo jura separabilia quoad exercitium scilicet petendi, & reddendi; quin potest etiam esse jure impeditum alterum. Sed Pontifex in divisibilibus sic juribus non totum negandum, sed dividendum valdè juridice existimavit: ergo si parte concessa ineptè ad totum, & indivisibile, quale est absolvere arguitur. Primò quia in casu textuum non opinio, & opinio concurrunt, sed opinio unius conjugis, & ineptitudo saltem existimata contraria alterius. Ergo non sunt ad rem ad casus opinionum, & opinionum hinc, & hinc. Atque ex dictis suprà multæ disparitates pro Confessore redduntur.

Textuum ergo doctrina illud evincit, dubitationem, & opinionem non tantum operari, quantum certa scientia operatur; & sic in eo cap. *inquisitioni*, si certa scientia adesset, nec peti, nec reddi posset, etiam, jubente judice, sed magis excommunicationi etiam subjacere. Est autem valdè juridicum, quod aliæ cognitiones, & probationes non tantum operentur, sed mitius quam certæ cognitiones, & plenæ probationes. Si cui homicidium non planè probatur, nec omninò absolvitur, nec ad pœnam ordinariam, sed ad minorem damnatur. Sic etiam in aliis. Sic etiam in restitutionibus, & in aliis. Non ergo propter dubitationem, vel opinionem matrimonium omninò dirimi debuit, quasi nihil esset in contrarium. Jure ergo divisum est inter jura divisibilia: quod omitto comprobare. Cum ergo ista in absolutione locum non habent, hoc sequitur, Confessorem quoad pœnas, & restitutiones, & similia non tantum imponere debere, & obligare, ut de dubitante dictum est; Et casu etiam opinionis moderari, temperareque debere sententiam, nec tantum jubere, quantum in casu certitudinis.

§. XII.

Expediuntur authoritates quædam, quæ sæpè tacendum dissimulandumque jubere videntur.

Aliquarum summam, nihil tamen difficultatis detrahendo, in reliquarum specimen conseremus. Occurrit in primis Evangelium de zizaniis superseminatis; ubi & peccata, & malæ etiam doctrinæ fidei, & morum subintelliguntur;

guntur, ut suprà hoc libro habitum est. Ibi agricolæ volentes tollere superseminata Zizania inhibentur, jubenturque sinere, ut utraque crescant, ne triticum una eradicetur. Ignorantia ergo, & errores tolerari, dissimularique debent, quoties timetur, ne bona simul fruges evellatur. Ergo cum Confessor fundate timet, reliquam bonam frugem, & propositum dissipandum, si ignorantia, & error aliquis detegatur, & reveletur, debet dissimulare: sin minus zelum quidem habebit instar agricolarum illorum; non tamen secundum scientiam. Quo etiam facit authoritas veritatis dicentis: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo*. Sed pœnitens in casu portare non potest. Ergo Confesso imitari veritatem debet; & secum dicere, multa habeo tibi dicere, non potest portare modo; & sic tacere. Sic etiam Apostolus eadem de causa lacte initio, non esca pascebat. Ergo Pastor quisque, & Confessor faciliora, & quæ mandi possint, pœnitenti principio tradere debet, & duriora alia in posterum reservare, quæ ille jam adultus, robustiorque comedat, & deglutiat.

Hinc plurimis authoritatibus traditur, veritatem quidem semper esse dicendam; non tamen semper totam. Hinc Gregorius 43. dist. *sit Rector, inquit; sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat & infrà: ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat, hoc, quod jam præmisimus, per sententiam veritas discipulis clamat: habete sal in vobis* &c. Clemens verò in cap. in *mandatis* ibidem ulterius progreditur, & tradit, nunc quæ ignorantur, esse manifestanda, quandò scitur in iis, quæ bona esse, nemo dubitat, emendatum quem existere, *hoc est, si sobrius, si misericors, si justus, & humanus sit, quæ bona esse nullus ambigit. Si verò, subdit, in iis, quæ palam sunt peccatis involutus permanet, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & remotis divinæ scientiæ proloqui &c.* Atque in hanc fermè sententiam Romæ percelebris vir definiebat, plures, quæ de probabilibus, & aliis fervebant, lites sinendas esse, & eò prius incumbendum, ut quæ indubitatè mala sunt, caverentur; quo facto, & consecuto, ad alia post iretur; sunt autem plerique omnes impudicitia, rapina, ac similibus involuti. Caveantur ergo hæc primum aiebat, & dein, id est, numquam de probabilibus, dubiisve aliis controvertatur. Prætereo authoritates alias, & ex Augustino quoque nostro libr. 6. contr Julian. cap. 16. argui in idem potest.

Postremò quia in Ecclesia mater, & Magistra nostra esse nobis debet regula, normaque, & loquendi, & tacendi. Ipsa porrò & manifestat multa, & multa etiam dissimulat, ac tolerat in doctrina, ut plurimis exemplis monstratur, & patet in ipsa doctrina probabilium; ignorantiarum, & in omnibus, quibus libri contrarii conferti sunt, doctrinis falsis morum. Sic ergo etiam Pastor quisque, & Confessor docere alia, alia dissimulare debet. Quorum ea est ratio, quod sicut cæteri omnes actus humani, sic etiam actus docendi, & ignorantias depellendi, ut rectus, honestusque sit, omnibus debitis circumstantiis debet circumscribi, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Hæ autem vel omnes, vel aliquæ deesse facile possunt, ex quo actus prophanetur. Et quis, precor, omnes illas palmo mensuret, & sciat se esse, quem loqui oportet, & quod oportet, & ubi, & quando, & cur, & quomodo oportet? ecce in quantis, & quam facile deficere possumus, & scriptum est, in multiloquio non defuturum peccatum; item perfectum eum esse, qui in verbo non offenderit: undè & nolite plures fieri Magistri, scientes &c. ut superiùs disputatum est, & undique profectò sunt angustiæ, & memento, inquit Hieronymus, quod in medio laqueorum ambulas.

Hæc in primis omnia, & alia apertam instantiam habent in Doctoribus publicis, & concionatoribus, quos tamen Rectores doctrinæ nostræ de Confessoribus minus concionatores, universim, & sine tot illis limitationibus obligant ad tradendam publicè veritatem: quamquam scandalum etiam timeatur, & de eis, ut vidimus, interpretantur authoritates, quas pro manifestanda veritate sibi objecerunt. Videt autem quisque, opinor, has alias, quas nobis nuper opposuimus, authoritates speciales saltem non esse de Confessore, deque illo peculiariter decernere. Ergo de publicis Doctoribus explicari ab ipsis quoque debebunt. Deindè compertum est eas maximè ad prædicationem publicam referri.

Quo animadverto; nunc ordine respondeo Evangelium in primis pro Confessoribus est abs re; ibi enim, ut omnes intelligunt, ager Ecclesiæ significatur, in quo boni cum malis, & vera cum falsis mixta ad finem usque sæculi sinuntur, ut vel mali corrigantur, vel ut boni per ipsos exerceantur, ut olim contra Donatistas, & nuper contra sectarios demonstrarunt. In confessione autem locus non est huic commixtioni; quin ibi unusquisque purgatur, & Zizania evelluntur, peccataque omnia delentur, vel nulla, id est, mortalia.

Illud etiam Salvatoris Joan. 16. *adhuc multa habeo vobis dicere* est abs re: ibi quippè de institutione discipulorum tractatur, & de incremento scientiæ; non de cognitione peccatorum: & satis quidem multa non solùm ad peccata cavenda, sed ad magnam etiam perfectionem pertinentia iis in capitibus ipsis manifestavit, & alia reservat à Spiritu, quem missurus erat edocenda maximè de regimine Ecclesiæ. Alio etiam illa sensu; sed non doctrinæ nostræ contrario exponit egregiè Augustinus tract. 93. in Joanne. In hunc nos quoque modum lib. seq. dicimus, in credendis, & operandis esse suum ordinem, nec iis, qui non convertuntur, & instituuntur, & cathechizantur omnia simul esse obtrudenda. At non sic est de pænitentibus; qui tenentur obligationes suas, & leges nosse cum possunt; & à Pastore suo, & Confessore juvandi sunt: & quamquam peccatis assueti onus suis viribus portare non possint, tamen possunt gratia Dei: & illa legis pars, *declina à malo*, semper obligat, & portanda est; & si altera, *& fac bonum*, suos habeat gradus, & principio lacte opus est, ut Paulus faciebat. Authoritates verò docentes, non semper totam veritatem esse discendam, de publica prædicatione intelligatur, & de factis magis, quam de doctrina; in quo non semel peccatur vel particulares personas, quando non oportet, insequendo, vel satyram loco concionis texendo: quod similibus authoritatibus sanctissimè interdicitur.

Gregorii etiam contextus clarus est; nam primò, quæ nunc dicebamus, prohibet; deindè curiositatem vel rerum de se inutilium, in quo etiam non semel deficitur; vel rerum, quæ sciri à nobis nequeunt; & ideò affert illud Apostoli, *non plus sapere*, &c; cujusmodi non paucas quæstiones aliqui concionatores movent, quo etiam Ambrosius ser. 2. in psal. 18. revocat. loquacitatem sermonis, scientiæ jactantiam, adulationem, & si quæ sunt alia similia vitia planè cavenda.

Clemens totus est in instituendis prædicatoribus, & propagatoribus Evangelii juxta regulas Domini Matth. 7. *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos &c.* item cap. 10. *in quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis* &c. de his aget clemens. Videbunt verò, utrum his, qui margaritis verbi digni non sunt, an his canibus, porcisvè liceat dare sanctum Sacramenti? Minimè sanè. Ergo doctrina Clementis haud congruit pœnitentibus, quibus conferendum sit Sacramentum; imò pro eo negando argumentum elicitur; & si quando conculcandum est, negatur verbum, planè iisdem à fortiori negandum est Sacramentum; sed quæstio est de conculcaturis verbum, & aiunt adversarii negandum esse verbum, nec manifestandum veritatem: non ergo statuere deberent, talibus nihilominus conferenda esse sancta Sacramentorum pœnitentia, & corporis Domini, sed magis multò esse neganda. Ad virum autem illum Romæ decernentem, primùm dico; ergo jam Theologis speculativis, & moralibus qui utique de controversiis tractant, silentium indicendum erit; & hæreticis deindè, & Turcis, & Judæis, hoc nunc erit prædicandum, ut quæ credunt. Servent, quo facto, & consecuto, ad cætera ibitur. Omitto alia contra dicterium id regula scientiæ non se obligantium.

Forma & exemplum Ecclesiæ ad rem, non est; quæ scilicet, ut paulò ante dicebam, in agro suo & peccata, & errores, & ignorantias etiam voluntarias, & nimis affectatas in multa patientia tolerat: providit autem ipsa satis si per nos non staret; nec similia probat, sed suffert: quod ut dicebam ad Sacramentum pœnitentiæ trahi nequit. Fatemur autem, ad honestatem cujuscumque actus, vel etiam omissionis, & sic quoque loquendi, & tacendi servandas esse circunstantias; atque in hoc haud exiguum esse periculum. Verùm Confessor est persona legitima, & sic servatur, *quis*; monet autem pœnitentem de obligatione sua, & sic si non erret, servatur *quid*: item *ubi*: & *quando* scilicet in loco confessionis, & tempore conversionis: instrumentum est Confessor ipse, & deficeret, si per alium moneret. Postremò *cur* debet esset salus pœnitentis errantis, & gloria Dei. Quamquam verò hinc indè superessent semper pericula, ex pilosoph. 2. Ethicor. sapientiumque consilio, illud in dubio extremum cavendum est, per quod plerumque peccatur, & ad alterum inclinandum. ut tectum: justumque sapere possimus, ut Philosophus ibi probat juxta illud *extra undam, & fumum longè compelle carinam*. Scitur porrò, & notissimum est in re nostra, extremum silentii, & dissimulationis, quin etiam adulationis esse, in quod plerique plerumque impingimus: quod casus ille Michææ Prophetæ egregiè declarat; & à Regibus ad plebeios quoque descende nemo est, cui veritas tristis, & ligata non displiceat: difficile est omnibus displicentiæ, odiove exponi; ergo difficile est omnibus tristem, ligantemque veritatem edisce re. Sed difficilia in paucioribus, & rariùs contingunt. Ergo in paucioribus, & rariùs vel ad ipsum Medicum veritatem edicendi acceditur. Rariùs ergo per extremum exceditur. Ergo consultum est isthuc inclinare, ubi periculum est rarius, & contrarium vitare, & longè fugere. Hoc enim & conscientias, & respublicas perdere solet. Est verò id Confessori tutius, quam Concionatori, nam hic ad populum, cui placere possit; in privato ille, & ad personam ipsam solam cui displicet veritatem manifestat.

§. XII.

Ex his aliqua Confessoribus, & pœnitentibus advertuntur, quæ utrosque benè scire oporteret.

PRimum illud, quod ex toto hoc libro manifestum est, Confessorem malè Sacramentum administrando, & pœnitentem sequendo illum, non unum, & non alterum, sed utrumque simul perire posse; & prorsùs voluntariò, & nulliter hoc onus, & periculum ab altero in alterum vicissim rejici.

Secundo illud, nihil solidum superesse, quo statuatur, praxim communem, & omnium, vel plerumque, Sacramentum pœnitentiæ administrandi, & suscipiendi esse rectam, & validam. Constat hoc ex paucitate eorum, qui salvantur, ut §. 1. explicatum est. Undè Confessor quique, & pœnitens tenetur bene videre, qualiter vel conferat Sacramentum, vel suscipiat.

Hinc tertio, melius esse duobus benè, quantiscumque malè Sacramentum administrare: undè Confessor, quisque rem faceret longè maximam, si uno integro mane vel solos quantos ad veram pœnitentiam, quantum, & qualem sancti Dei descripserunt, & emendationis, novitatisque vitæ inducerent; & sic sensim plures verè, & corde converterentur.

Quartò falsissimum esse, quod multi viri etiam Principes, & Reges, ac Primarii Magistratus ex capite suo supponunt, vel sufficere sibi quemlibet quomdolibet Confessores, vel omnes esse pares, vel nihil interesse, quem eligant. Fatemur absolutionem quorumlibet validam æqualiter valere; nihilominùs falsissimum est, quod supponunt; & cur id non supponunt de rebus ipsis, & mundi, quas diligunt, de uxore, de coquo, de domo, cursu, veste, & omnibus? existimare sanè videntur, in Ecclesia tantum unam esse clavem regni cœlorum, scilicet potestatis, qua temeritate quadam potentiæ cunctis illud aperitur. Sciant ergo, & benè recogitent duas esse claves, potestatis alteram, & alteram scientiæ, qua inter ligandos, solvendosque discernatur, & nisi simul ambabus, fores cœlorum non aperire. Patet ergo ex dictis suppositionis enormis sanè falsitas. Contulit in hanc rem Illustrissimus Arauso legem Regni leg. 3. tit. 9. part. 2. de Confessario Regis: *debe ser home*

hōme muy letrado, & *debuen seso, leal: e debuna vida, e sabidor del uso, deta Iglesia. El letrado, a menester que sea par. que entienda bien las escrituras, e las sepa entender al Reg., e lesepa dar consejo desuam inaquando sele confesare*, &c. Sed dices non sunt ista in usu. Verum legem quidem Alphonsi derogare consuetudo potest, legem Dei non potest.

Est porrò hinc quintum, Sacramentum debere & regibus, & omnibus administrari, & suscipi de bono, & malo; de peccato, & non peccato; de gravi & levi secundum sanctas Scripturas, atque ex ipsis; non autem humana quadam ratiocinatione statuendo, & judicando. Hoc supponit lex illa Regni, & superius sæpè probavimus: nec de hoc ego magis dubito, quam cibum esse necessarium vivendum. Jure ergo & secundum scripturas ipsas hæc qualitas in Confessario regis requisita fuit; eademque de causa in Confessariis omnibus plus minus requiritur, & Rex, & cætera ex scripturis, ac juxta ipsas instituendi sunt; nam non joco, & dicis causa, sed verè dictum est, ea cuncta scripta esse ad nostram doctrinam, & salutem.

Hinc 6 scire debet Confessor, & pœnitens hanc unam esse causarum, & eam certè maximam, cor cum dictum sit, quos solvunt in terris Sacerdotes, in cœlo fore solutos, tam multi, ac vix non omnes solvantur quidem in terris; in cœlis verò tam pauci; causa una maxima hæc est, quod uno libro, & juxta illum; alii verò judicentur hic, & alii ibi. Mensuratem ego pannum, & loco ulnæ palmo uterer; mensuratem hoc pacto verbi gratia centum ulnas, & mittens eas aliò dicerem, me misisse centum: ibi verò eas ulna mensurando vix inveniunt viginti quinque. Sic prorsùs in re nostra contingit. Plurimi in terris solvunt, & judicium sacramentale peragunt, utendo tamquam regula libris quibusdam, in quibus vix ullus usus est scripturarum, nec indè haustæ doctrinæ Sanctorum, sed discursibus humanis ferè ex integro constant; post autem judicamur non his libris, sed scripturis, & epistolis de cœlo ad nos missis undè utrumque judicium non concordat, &quod hic absolvitur, ibi damnatur; quia clavis scientiæ hic erravit. Quandò verò qui mensurati illis libris aliis apparent boni; mensurati post libro Dei inveniantur mali, & ab Augustino, & Anselmo, & à nobis superius demonstratum est; nam rem existimo demonstrabilem. Ecce enim verbi gratia quis in terris ligatur, & non absolvitur propter superbiam? at in cœlis superbus nullus absolvitur. Quis propter usuras relicto nomine ligatur hic, qui propter defectum dilectionis Dei, & proximi, quis quia servus piger & inutilis est? quæ omnia, & aliaScripturæ Dei non solvunt:de quibus lib.4. Et quidem omnes illæ decem Evangelii Virgines, quæ utique Virgines erant, nec furabantur, nec occidebant, nec falsò jurabant; vel Pharisæus ille Typus in se confidentium, quis in Sabbato jejunabat &c. quales tunc erant, modo ad Confessorem venirent, num existimamus, propter elationem, vel nimiam confidentiam, factumve, negandam eis absolutionem? hoc tu tecum perpende; nam vitia sunt ista, quæ in quibusdam libris non multum discutiuntur; aut existimantur: Dei tamen, & scripturarum judicio & Pharisæus reprobatur, & ex decem Virginibus quinque audiunt, *nescio vos*.

Causæ itaque quælibet nostræ duas sententias subituræ sunt in unam hominis alteram Dei hominis, qua demùm causa quæque terminatur: sicut moris est in homanis judiciis, & Hispani vistam, & revistam à videndo, & revidendo vocamus. Revisurus est ergo Dominus causas omnes nostras; undè dormiunt valdè multi pœnitentes habita prima sententia quasi confecto negotio negligentes, cum de propitiato scriptum sit Eccli. 5. *de propitiato peccato noli esse sine metu*; quanto magis de quo nescis, an sic propitiatum:quod quadam Scoti Theologia egregiè declarari posset. Ad rem nostram si per leges Chinensium causæ viderentur; revidererentur verò per leges Hispanorum, paucæ sanè primæ sententiæ per secundas confirmarentur, sed magis revocarentur. Si ergo humanis discursibus, & citra usum libri Dei primæ ferrentur, profectò raro per secundas, & valituras firmarentur. Vellem sanè ergo quantis possem viribus persuadere & Confessoribus, & pœnitentibus Scripturarum sanctarum necessitatem. Utinam ex eis, ut lex illa statuit, & Reges, & reliqui pœnitentes instituerentur!

Hinc igitur septimò pœnitentes omnes, maximè verò Reges, & majores quisque adjuvare Confessores deberent, ut eos libro regerent, & judicarent, illum juxta sensum Matris Ecclesiæ, Sanctorum intelligendo. Adjurare eos item deberent, & plenissimam libertatem facere, ut ipsos ubicumque ignoraverint, & erraverint, doceant Legem sanctam Dei; nam ut est ostensum, ad hoc parati esse debeot: scire vero aliundè possunt, quod in hac quæstione visum est, esse opiniones, quibus Confessores ab ea cum se se excusant. Cuncta deindè occupant dependentiæ, & amor, spes & motus, & displicendi particula. Quantis: quæso, modis hæcomnia in humanis judiciis cuncta sunt? oporteret ergo; multò magis caveretur in summa rerum.

Atque hinc instituti fortè possint quæstiones aliquæ practicæ, utrum præstet Confessarium habere amicum, & familiarem, an secus? utrum munera à pœnitentibus offerri solita, perturbare invertereque possint judicium rationis, ac debitam etiam integritatem, rectitudinemque inflectere; & similia; de quo videre potest capue 23. Matth. cum commentario Chrysostomi de viduis, & D. Maximi ser. 3. in append. de diversis inter opera Augustini ait: *nam & Catholicis clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit &c. Sed exercet matrimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri, quam clericus. Nec aliter possumus: nemo nos invasores arguit: quasi non interdum majorem prædam à viduis blandimenta eliciant, quam tormenta. Nec interest apud Deum, utrum vi an circumventione quis res alienas occupet.* Certè illud ex dictis est compertum, magnam esse fælicitatis partem bonum Confessarium nancisci, verèque Deum timentes animas: ac salutem suam amantes plus hoc unum facere debere, quam reliquum domus, & famulorum apparatum. Quicumque autem confessarius Regum, aut pro se, aut pro suis ambiret, idoneus hoc ipso non esset, ac dimitti deberet. Quis, precor, judex non continuò juxta leges recusaretur, qui apud partem, & reum negotiaretur?

Postremò

Postremò id Confessores benè scire, docereque pœnitentes deberent, quid fit esse pœnitentes: quod sanè & ex distinctionibus de pœnitentia, & ex iis quæ D. Bonaventura Confessionali suo subjicit, discere facile possunt, si volunt. Omnis homo, qui post baptismum graviter lapsus est, ad statum pœnitentiam jure pertinet; facto etiam, & professione sua quicumque venit ad Sacramentum pœnitentiæ. Hoc sanè Sacramentum plus indulgentiæ haber, quam pœnitentiæ, in quo videlicet, & culpa tollitur, æternaque pœna in temporalem commutatur, propter sanguinem, ac merita Salvatoris. Sed verò pœnitentia non tollitur, & Sacramentum pœnitentiæ vocatur, quam in primis Præcursor, & mox Dominus ante omnia prædicarunt. Lege, saltem rogo te, Augustinum lib. de fide, & uper. à cap. 7. ubi doceberis, quid sit, *pœnitentiam agere*. Sed exigua est apud multos harum rerum apprehensio, & plures fœminæ ad nuptias ire videntur: unde mirandum non sit, quod Ambrosius aiebat, facilius se invenisse, qui innocentiam servarint, quam qui debitè pœnitentiam egerint; & huc Augustinus quæque respiciebat dicens, & dolens, pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes si tamen estis pænitentes, & non estis irridentes, mutate vitam. Fœminis certè hoc breve co npendi m ad salutem, veramque pœnitentiam fortè suffi eret, quod sibi persuaderent, duas facies se habere, quas excolerent, aliam scilicet faciem suam, aliam faciem animam suam: quæ sanè mensura exorbitans, excedensque videri non potest.

QUÆSTIO XXI.

Utrum ex dictis facile colligatur quanta etiam doctrina Iudicibus sit necessaria, & qualiter ad judicium veritatis obligentur.

NOn de requisitis omnibus eorum differo, ac multo minus de Inferiorum, Administrorum, Advocatorum, Procuratorum, & mille aliorum obligatione; quorum certè si quod aliud in Republica, periculis, laqueisque plenum munus arbitror; & rem profectò concludit authoritas illa Augustini epist. 54. quam part. 1. lib. 3. quæst. 27. consignavi; cumque judicia omnia eum in finem instituta sint, ut unusquisque habeat quod suum est, plerique ipsorum, utrivis partium adesse parati, aliud vix agunt, quam jura confundere, & quod nemo habeat quod suum est, aut sero habeat, & habeat quasi emptum, ac post tribulationes plurimas. Credant sanè, credant illa, causas, ut quæst. sup. advertebatur, revidendas demum esse in alio tribunali, ubi fraudes legales nullæ suppetant, ubi sophismata nulla prosint: nullæ juvent cavillationes. His ergo hominibus suo Confessario relictis, consequenter ad ea, qua hoc libro constituta sunt; de doctrina ipsis judicibus necessaria, est dicendum.

§. I.

Occasio quæstionem istam addendi, & scribendi.

DOminus D. Ferdinandus Ereft, Vir in Academiis, in Cathedris, Chancellariisque, & Regiis Senatibus hac ætate inter jurisprudentiæ Proceres in primis conspicuus, post lectam, prælectam comprehensamq; nostram de recta doctrina morum partem priorem, eamque probatam, & ingenti etiam eruditionis, legumque copia confirmatam in quadam doctrinæ particula discedendum ab illa existimavit; in quo dum sapientiæ, quam hominum amicitiorem se præbuit, nobis qui pro salute veritatis ubique pugnamus mirè placuit, miratique sumus in argumento alieno, non suo viæ totius comprehensionem; quem nescias ubi magis probemus, an ubi ad eum accedimus, an magis ubi dissentimus, dum probamus judices omnes, si non pares sibi debere, saltem esse sui similes, & tota hæc nostra quæstiò non nisi quædam sua descriptio, ac laus est.

Probavit igitur, laudavitque ampliter, quod omnes ad veritatem obligentur; vivant omnes ex illa, ac judices etiam judicent. Verùm non ita benè cum rebus humanis, actum est, inquit, ut his viris instructissimis (qui scilicet verum discernere valeant) fora & tribunalia repleri possint: *& plerumque occurrunt, pares negotiis, non supra*, ait Tacitus, qui juris artem didicerunt, ut quicquid legant comprehendere, reddereque sciant; fabricare vero, & à se sufficere non dextrè possint, quidque dubitent magis, quam enodare valeant. Hos semidoctos appellat, & sufficientes, & quibus referta tribunalia sint; quibus si onus imponamus cum Authoribus disputandi, ab eisque veritatem ipsam extorquendi, planè impares sunt, ac manifestissimo periculo errandi se committunt, & tertium quid sæpè excogitant, quod nec rationi, nec juri congruat.

His proindè magis præcipiendum censent ut nihil innovent, de suo non audeant, sed vel eam opinionem in judicando sectentur, quæ lectis Authoribus, citra partium affectionem primo aspectu magis sibi arriserit; sin vero, quod plerumque accidit, in ancipiti dubioque remanserint, aliquem gravissimorum, Authorum, Covarrubiam, similemve alium in judicando sequantur. Atque in hunc modum laudat Azorium, & Illustrissimum Tapiam, qui in classe Authorum graves distinxerunt, & recensuerunt; hic in Catena morali lib. 1 quæst. 8. art. 11. ille tom. t. lib 2. cap. Hæc sunt, quæ vir sapientissimus excepit, in quibus certè ut ex hoc libro cernitur plurimum nobiscum convenit, qui agendo de Magistris, hos veritati explorandæ impares Professores ad Doctores suos alios faciendos obligavimus, multorumque de suo audientium libidinem, ausumque sanè temerarium compescuimus. Sed quoniam doctrina hæc complectitur plura scitu dignissima, in quibus falli hi ipsi semidocti possint, per partes dicendum est.

§. II.

In multis sæpè discordare videmur, quia alii de bono, & malo simpliciter & absolute alii ex suppositione, & quibusdam positis disserimus.

SUnt itaque qui de bono, & malo simpliciter, & nullo supposito, & quibusdam positis non tam de bono, & malo; sed de malo potius, vel minus malo philosophantur, & ubi dissidere maximè videntur, minimè dissident. Exemplum sit in tribunalibus ipsis, & foro. Constaret tribu-

Ad Navarrum autem respondemus, tenovationem dispensationis satis utique non fuisse, ut matrimonium à principio nullum ea accedente ratum fieret; licet forsitan alii dixerint consensum initio præstitum; & intentionem virtualiter in casu nostro permanentem sufficere. Dicimus utique, novam dispensationem intelligendam esse, servatis servandis quod supponebatur; ut scilicet denuò ipsum matrimonium revocaretur iis modis, quos tract. de matr. omnes tradunt. Nec alia, quæ navamus affert, vim habent.

Aliter etiam textum intelligam tenendo, matrimonium illud fuisse ab initio validum; vel saltem hoc esse satis dubium. Etenim, quod tamen loci hujus non est tractare ubi falsitas causæ, seu causa falsa non est quasi principalis, nec necessaria ad obtinendam dispensationem, sed quasi ex superabundanti ponitur, nec ab initio falsitas quasi ex industria quæsita est, sed casu incidit ante obtentam dispensationem, tunc dispensatio tenet, & matrimonium valet. Sed ita fuit in casu nostro; nam & consanguinitas erat adeò remota, & solùm in quinto gradu; in quo sine ulla etiam prole frequentissimum erat dispensare: ergo causa prolis ad superabundantiam, & majorem falsitatem; non ad essentiam, non ad substantiam dispensationis attinebat. Præterea etiam verè hæc causa aderat, nisi quod occidit ante obtentam dispensationem, prolem, viam universæ carnis ingressam fuisse, ut dicit Pontifex. Quapropter vel quia matrimonium fuit ratum, & validum; vel quia res saltem erat satis ambigua; in dubio autem standum est pro possessore, maximè verò pro matrimonio, jure merito dissimulandum decernitur. Atque hæc interpretatio juvatur etiam ex cap. non debet eodem tit. Et est ejusdem Innocentii. Ex quo constat non adeò stricti juris tunc esse impedimentum: extra quartum gradum. Scrupulus superest, quod Pontifex motus videatur; quia scandalum gravè imminebat. Sed dici potest, ex hoc inter alia eum fuisse motum, & si quid dubii superesset, imminens scandalum juvasse, ut pro matrimonio diceretur.

Profectò, quidquid de ignorantia juris humani; & facti teneatur, quæ non sit causa violationis legis naturalis, & divinæ, ubi tamen per illam perindè utravis lex violatur, sicut si ignorantia esset ipsius legis naturalis, & divinæ; adduci facilè non possum, ut concedam, ignorantiam dissimulare posse saltem, quandò conferendum est Sacramentum; & nollem ego, & nollet, credo, quisquam in tali ignorantia obire, & ex vita fornicaria migrare ad judicium Dei; quod Sancti ejus longè à talibus potiti adeò timuissent.

De cætero tempore necessitatis quælibet cujuslibet juris ignorantia prætermittenda est, requirendo propositum universale juxta ea, quæ lib. seq. dicturi sumus de ignorantiis invincibilibus legis etiam Dei in iis, quæ necessitate medii necessaria non sunt. Deindè quando ignorantia invincibili juris humani, aut facti, pro qua comperienda lib. seq. regulas damus, non est causa ullius violationis legis naturalis, aut divinæ, si vel scandalum immineret, vel veritas nocitura esset, præteriri potest etiam à Confessore. Ad ea autem, quæ suprà de ignorantia juris divini dicta sunt, & tunc pœnitentem non esse dispositum; quia non est paratus discere legem Dei &c. responderi potest, non nos teneri ad tantam diligentiam, pro sciendi jure humano, aut factis, quibus nulla lex Dei violatur, ad quantam obligamur, ut nullam legem Dei violemus. Opponi tamen Bernardus poterit in tractatu de præcepto, & dispens. Sed eum explicent, qui tam indubitatam hanc partem existimant.

§. XI.

An distinguendum sit de sciente, de opinante, & dubitante?

Huic quæstionis particulæ occasionum Adrianus dedit; nam iis de quibus Doctores altercantur, & dissident; sive divini juris sint, sive humani, distinguit dicens. vel Confessor lumine naturalis rationis sine his, quæ sunt fidei, demonstratam habet dubii alteram partem, & insolubili medio novit; vel opinatur, sive credit, vel tertio dubitat. Primo casu tenetur confitenti demonstrare veritatem, & probat. Secundo casu, quia opinionem, vel credulitatem sequitur, non nos solùm, verùm etiam Ecclesiam, ut ait fallir, & fallitur cap. *à nobis* de sent. excommun. si à pluribus, vel gravioris; seu etiam æqualis authoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeò se præsumere debet, ut totum velit in suam opinionem (quæ forsitam erronea est) concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo; & dissimulare tunc debet. Si autem è paucioribus, vel minoris authoritatis, vel debili admodum fulcitis ratione, ut non possit ea in parte rationabiliter confitens dici rationabiliter errare, tenetur confitentem erudire. Si pro una parte plures fuerint, & pro alia magis ponderosi, tunc juxta Augustinum cap. in canonicis 19. distinct. ait, tenendum esse, sicut in casu dubii. Ac demùm ait in dubio non esse addimendam libertatem. Hæc ille.

Hæc videntur rationabiliter, ac plausibiliter dicta: ac primam partem de sciente omnes videntur acceptare, cum aiunt, probabilitates usui esse non posse contrarium scientibus, aut certissima aliqua authoritate cognoscentibus. Verum reflexiones subjunctæ in secundo casu contra opinantem urgent pariter contra scientem; nam contingit etiam nos falli ubi existimamus, nos scire, ac medium insolubile habere; quare non adeò quisque præsumere debebit in sua scientia (quæ forsitam pseudoscientia est) ut totum velit in ea concludere, & coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura sit cum eo. Hinc ista humilitatis specie, quæ ut supra tractavimus, maximam tentationem ingerit, scientes quoque tacere debebunt; tacereque ea consideratione debuissent pauci Prophetæ contra plurimos magni tunc habitos: tacere ille quoque debebit, qui contra acerbatos Magistros Timothei personam gesturus erit; non arguere, non increpare; licet enim contrarium sibi aut notissimum, aut fidei esse videatur, subibit mox ea consideratio, se non adeò præsumere debere, ut in eam, quæ sibi scientia vel fides videatur, totum modum concludere velit, quasi ipse solus

lus rideat, & scientia, vel fides cum ipso obitura sit. Contra quam vehementer sanè rationem suprà dedimus illud Eccli. 13. *noli humilis esse in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.*

Itaque ex opinante gradus fit ad scientem. Nihil non vidit, nihil non cavit stupor ingeniorum Augustinus: eo lib. contra mendac. Ad Consentium disputat, utrum mendacium licere aliquandò possit? ac post alios subtilissimos casus propositos ep. 18. proponit eum, in quo nisi Patri ægrotanti suum filium, qui jam obiit, vivere respondeatur, moriturus ipse dubie sit causa vertitur gravissima, scilicet vita hominis, & mendacium esset levissimum. Doctor sanè stupendus, ac disputationum pericula ubique, cavens, monens dicit inter respondendum. *Hæc accedit* inquit *miserabilius evitandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus esse mentiendum, ita paulatim, minutatimque succrescit hoc in malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum se sim subintrando perducitur, ut nusquam possit penitus inveniri, ubi tanta pestis per minima additamenta in immensum convalescentis possit obsisti. Undè providentissime scriptum est, qui modica spernit paulatim decidit.* Hæc Doctor. Mendacia quidem materia subjecta ei erunt; & in quolibet sanè ita sequitur: & sic in usuris, in simonia, in parvitatibus, in solutionibus, & in universa planè morum materia ex minimis initio concessis paulatim, minutatimque ad immensum illum, ventumque est miseranda morum strage: quia nec disputantes pares Augustino sunt, qui minima illa, & consequentias initio provideant; nec dicere saltem volunt; ac hoc universale documentum pluris fortè interest, quam scientia trium, vel quatuor conclusionum specialium.

Nos itaque in primis in præsentia tenet, ne ab opinante ad scientem, credentemve eatur, & omnia pessum eant, & tacenda sint: qua consideratione Dionysius in Areopago plerisque omnibus contrarium judicantibus, ac etiam irridentibus, ne fere solus sapere videretur, obituraque cum ipso mens, & ratio, ut humilis esse posset debuisset magis cum cæteris, quam cum veritate solus sapere, vel cum paucis, & hoc urget in quocumque, qui primus credidit in natione sua, vel gente, maximè quæ sapiens haberetur: nec omnes insolubili medio moti sunt; ergo consideratio illa, & reflexio Adriani, & in praxi plurimorum, & adeò plausibilis at specie humilitatis contecta movere non debet. Deindè ea consideratio non probat; quia cum æqualibus, parisque authoritatis, vel paucioribus longè tamen eminentioribus quis opinatur, non nimium præsumit, nec sequitur, quod ipse solus videat, & scientia obitura sit cum ipso; siquidem non ipse solus ita opinatur, sed vel plures, vel eminentes: & Bernardus difficulter dimoveri se posse aiebat, non à centum, sed à duabus solis illis columnis Augustino, & Ambrosio; quorum tamen authoritas medium concludens non est. Rursùs licet solus quis esset, ea consideratio non probat eum benè, vel malè sic opinantem ab opinione sua in sensu composito non ligari, sed eum ita opinari peregrinarique non debuisse, vel deponere debere opinionem jam conceptam; nam nullum medium opinandi æquivalet reliquorum omnium sensui, & judicio ut constat ex part. 1. atque in istum sic opinantem, & nolentem cedere cadit ea quasi exprobratio Adriani.

Tenendum proindè censemus quod part. 1. constitutum est. nullum confessorem posse absolvere contra opinionem suam; quod ibi latè probatum est. Etenim sola veritas est regula actuum humanorum omnium; ut toto hoc opere confectum est, ergo & actus absolutionis: ergo nec sacerdos absolvere potest contra opinionem suam quam veram censet, quamdiù ita censet: reflexas verò jam satis disjecimus, nimisque inanes arbitramur. Nec obstat, quod fortitam opinio Confessoris sit, vel erronea; quia ex ratione errante resultat conscientia, si militer errans: quæ tamen quamdiu manet, ligat ex omnium sententia, ut lib. 1. visum est. Jam porrò illud vel risimus, vel doluimus persæpè, quod opinio quidem probabilis, quæ utique non nisi opinio est, ad solvendum omnia sufficiat; ligare verò nihil unquam possit: & destruere cuncta cum valeat, ad ædificandum ducat numquam. Diximus eo loci Confessorem judicem esse pœnitentem reum: tam proindè esse absurdum quærere, cujus judicio standum sit, an judicis, an rei, an aliorum, atque in cæteris judicii, esse prætereà Medicum, ut ex cap. *omnis utriusque sexus*; & ex cap. *tum infirmitas* de sentenr. excom. & ex libris omnibus constat: quis ergo quærat utrius judicio standum sit, an medici, an infirmi? alii medici, inquis contrariè putant. Sed hoc credo, dici non potest medico corporis, qui non aliorum, sed suo judicio curare debet; sicut & judices judicare: nisi aliorum judicium prius suum faciat. Diceret credo, Medicus corporis, alios illos evocent, si non suo, sed eorum judicio curatio instituenda est. Confessor, inquis, errare potest. Sed vero an & judices errare non possunt, & medici corporis non possunt, & illi alii, ad quos appellatur, non possunt? Quid ergo in summa rerum quæstiones movemus, quæ ubique alias riderentur? Confessor item Doctoris, ac postremò Pastoris personam sustinet. An ergo discipulus, an ovis regere, duceteque debet? omnium denique in causa propria judicium parvi sit maximè in judiciis. Solùm ne ergo in confessionis judicio admittatur, ac judicii etiam sensui præferendum sit! Postremò quoad alios saltem parum refert, utrum demonstratione, vel opinione movearis. Nam demonstrationes pauci intelligunt, vel admittunt; quin offendunt magis, si contra multorum opinionem dicas demonstrationem habere: nos certè demonstratum à D. Thoma censemus, & ex Evangelio etiam compertum, in mutuo non licere vel propter lucrum cessans, vel propter periculum recuperandæ sortis, vel propter moram solutionis, (nisi in pœnam de tempore ultra conductum) aliquid supra sortem superabundantiamque accipere, & nullum, qui contra agere vult, absolvimus. Sed intereà D. Thomas quid sua demonstratione profecit apud plerusque? imò ægrius ferunt verbum demonstrationis. Unicuique igitur sua ratio data est, ad suam conscientiam pro omnibus suis actibus efformandam: videre quisque debet, & benè sanè videre, undè, & cum quibus judicet, & opinetur; nam & hoc districtè judicabimur: at sive benè, sive malè judicet, & opinetur; nam & de hoc districtè ju-

perversissima severitate durus, rigidusque confessarius, & integrior quasi judex hoc solum suum esse existimaret, increpare pœnitentem, & absolutionem negare, quasi hoc facto mundus sit à sanguine, fallitur rotus, & sanguis ejus de manu ipsius requiretur. Quid ergo, & quantum, & quomodo peragendum sit, ex Evangelio Apostolisque, & sanctorum libris dicet quisq; si vult. Deindè diligamus pœnitentes, sicut nos, ut justi sumus; & nihil sciendum supererit.

Ad alterius hanc de opinante, & dubitante doctrinam trahant forsitam aliqui textum ex cap. Dominus de secund. nup. & ex cap. inquisitioni de sentent. excom. & ex cap. quid culpatur 23. quæst. quos textus consilium erat discutere; sunt etiam verè difficiles duo priores: sed videri potest Navarrus in cap. siquis autem de pœnit. dist. 7. à num. 85.

Dicent itaque in cap. Dominus conjugem de morte prioris conjugis dubitantem obligari ad reddendum debitum, & si petere non possit, & similiter in cap. inquisitioni ad idem obligari opinantem, non quidem ex credulitate levi, & temeraria (nam tunc deponenda est existimatio) sed ex probabili, & discreta, & minimè deponenda, & in sensu composito talis fidei, vel opinionis, ut evidenter evincit Navarrus: & sanè deposita dubitatione, vel opinione, non reddi modo, sed reddi simul, & peti potest, ut patet. Sed in casu textuum petere non licet, sed solum reddere. Ergo textus sunt de dubitante, & opinante, non in casu diviso, & deponendo, sed in sensu composito, & non deponendo Nunc applicabunt, & dicent, & posse & debere Confessorem dubitantem, vel etiam opinantem contrarium absolvere, & quasi reddere, quod debet, pœnitenti ejus opinionem sequendo; sicut conjux vel dubitans, vel opinans etiam, actum esse fornicarium, concurrere ad eum potest saltem reddendo; quia alter conjux existimat, se in legitimo esse conjugio. adde, & pone, Confessorem etiam vel dubitare, vel opinari, sicut conjugem de vita prioris conjugis. Et tamen obligare non potest ad non reddendum; nam vana est ea interpretatio, quòd textus sint de foro exteriori, & non de interiori, ut Navarrus commonstrat. Ergo Confessor absolvere potest contra suam dubitationem, vel opinionem, non quidem de absolutione ipsa, sed de re.

Ingeniosissimi Reflexistæ, & Probabilistæ existimabunt fortè, in his contineri totam suam doctrinam, suisque reflexis cuncta conciliari, & aliter non conciliari; nam conjux dubitans, vel opinans, actum illum esse fornicarium, assumendo per reflexas judicium alterius conjugis, mox objicit, & format dictamen conscientiæ, licere sibi eam redditionem. Et sic etiam Confessor per similes reflexas consiliat omnia.

Verùm nisi valdè fallimur, his denuò textibus strangulantur viæ illæ; nam juxta eas, assumendo per reflexas opinionem contrariam probabilem, omnia sic sibi licent, quasi nihil ipse dubitares, vel opinareris in contrarium, nec opinio tua, vel dubitatio quidquam ligant. Ergo si doctrinam textuum huc trahere licet, conjux dubitans, vel opinans sese per reflexas, & assumendo judicium alterius conjugis, expediet in totum à dubitatione sua, & opinione; ergo & reddere, & petere poterit: & Confessor etiam utrumque concedere: atqui non potest: ergo vanum ubique invenitur hoc reflexarum, probabilitatumque artificium. Undè à contrario: cum tanta sint privilegia matrimonii; tamen ubi concurrunt quoad hoc par cum pari nihilominus dubitatio, & opinio propria ligat conjugem, ne petere possit: ergo in confessione, ubi concurrunt superior, & inferior; judex, & reus; Medicus, & infirmus, dubitatio, vel opinio ligabit Confessorem, ne absolvere possit. Rursùs cum in usu matrimonii sint petere, quod est quasi passivum, dubitatio, vel opinio privat toro eo quasi activo: at in confessione non concurrunt hæc quasi duo separabilia, sed unicum quasi activum Confessoris, quod est absolvere, à quo est inseparabile, quod pœnitens absolvatur. Ergo Confessor privabitur toto hoc suo quasi activo. Denuò quia in matrimonio intersunt illa duo jura separabilia quoad exercitium scilicet petendi, & reddendi; quin potest etiam esse jure impeditum alterum. Sed Pontifex in divisibilibus sic juribus non totum negandum, sed dividendum valdè juridice existimavit: ergo si parte concessa ineptè ad totum, & indivisibile, quale est absolvere arguitur. Primò quia in casu textuum non opinio, & opinio concurrunt, sed opinio unius conjugis, & ineptitudo saltem existimata contraria alterius. Ergo non sunt ad rem ad casus opinionum, & opinionum hinc, & hinc. Atque ex dictis suprà multæ disparitates pro Confessore reddun-tur.

Textuum ergo doctrina illud evincit, dubitationem, & opinionem non tantum operari, quantum certa scientia operatur; & sic in eo cap. *inquisitioni*, si certa scientia adesset, nec peti, nec reddi posset, etiam, jubente judice, sed magis excommunicationi etiam subjacere. Est autem valdè juridicum, quod aliæ cognitiones, & probationes non tantum operentur, sed mitius quam certæ cognitiones, & plenæ probationes. Si cui homicidium non planè probatur, nec omninò absolvitur, nec ad pœnam ordinariam, sed ad minorem damnatur. Sic etiam in aliis. Sic etiam in restitutionibus, & in aliis. Non ergo propter dubitationem, vel opinionem matrimonium omninò dirimi debuit, quasi nihil esset in contrarium. Jure ergo divisum est inter jura divisibilia: quod omitto comprobare. Cum ergo ista in absolutione locum non habent, hoc sequitur, Confessorem quoad pœnas, & restitutiones, & similia non tantum imponere debere, & obligare, ut de dubitante dictum est; Et casu etiam opinionis moderari, temperareque debere sententiam, nec tantum jubere, quantum in casu certitudinis.

§. XII.

Expediuntur authoritates quædam, quæ sæpè tacendum dissimulandumque jubere videntur.

Aliquarum summam, nihil tamen difficultatis detrahendo, in reliquarum specimen conferemus. Occurrit in primis Evangelium de zizaniis superseminatis; ubi & peccata, & malæ etiam doctrinæ fidei, & morum subintelliguntur,

guntur, ut supra hoc libro habitum est. Ibi agricolæ volentes tollere superseminata Zizania inhibentur, jubenturque sinere, ut utraque crescant, ne triticum una eradicetur. Ignorantia ergo, & errores tolerari, dissimularique debent, quoties timetur, ne bona simul fruges evellatur. Ergo cum Confessor fundare timet, reliquam bonam frugem, & propositum dissipandum, si ignorantia, & error aliquis detegatur, & reveletur, debet dissimulare: sin minus zelum quidem habebit instar agricolarum illorum; non tamen secundum scientiam. Quo etiam facit authoritas veritatis dicentis: *multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.* Sed pœnitens in casu portare non potest. Ergo Confessor imitari veritatem debet; & secum dicere, multa habeo tibi dicere, non potest portare modo; & sic tacere. Sic etiam Apostolus eadem de causa lacte initio, non esca pascebat. Ergo Pastor quisque, & Confessor faciliora, & quæ mandi possint, pœnitenti principio tradere debet, & duriora alia in posterum reservare, quæ ille jam adultus, robustiorque comedat, & deglutiat.

Hinc plurimis authoritatibus traditur, veritatem quidem semper esse dicendam; non tamen semper totam. Hinc Gregorius 43. dist. *sit Rector, inquit; sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat & infrà: ne igitur Rector incautus ad loquendum prorunt, hoc, quod jam præmisimus, per sententiam veritas discipulis clamat: habete sal in vobis* &c. Clemens verò in cap. in *mandatis* ibidem ulterius progreditur, & tradit, nunc quæ ignorantur, esse manifestanda, quandò scitur in iis, quæ bona esse, nemo dubitat, emendatum quem existere, *hoc est, si sobrius, si misericors, si justus, & humanus sit, qua bona esse nullus ambigit. Si verò, subdit, in iis, quæ palam sunt peccatis involutus permanet, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & remotis divinæ scientiæ proloqui &c.* Atque in hanc fermè sententiam Romæ percelebris vir desiniebar, plures, quæ de probabilibus, & aliis fervebant, lites finendas esse, & eò prius incumbendum, ut quæ indubitatè mala sunt, caverentur; quo facto, & consecuto, ad alia post iretur; sunt autem plerique omnes impudicitia, rapina, ac similibus involuti. Caveantur ergo hæc primum aiebat, & dein, id est, numquam de probabilibus, dubiisve aliis controvertatur. Prætereo authoritates alias, & ex Augustino quoque nostro lib. 6. contr Julian. cap. 16. argui in idem potest.

Postremò quia in Ecclesia mater, & Magistra nostra esse nobis debet regula, normaque, & loquendi, & tacendi. Ipsa porrò & manifestat multa, & multa etiam dissimulat, ac tolerat in doctrina, ut plurimis exemplis monstratur, & patet in ipsa doctrina probabilium; ignorantiarum, & in omnibus, quibus libri contrarii conferti sunt, doctrinis falsis morum. Sic ergo etiam Pastor quisque, & Confessor docere alia, alia dissimulare debet. Quorum ea est ratio, quod sicut cæteri omnes actus humani, sic etiam actus docendi, & ignorantias depellendi, ut rectus, honestusque sit, omnibus debitis circunstantiis debet circumscribi, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Hæ autem vel omnes, vel aliquæ deesse facile possunt, ex quo actus prophanetur. Et quis, precor, omnes illas palmo mensuret, & sciat se esse, quem loqui oportet, & quod oportet, & ubi, & quando, & cur, & quomodo oportet: ecce in quantis, & quam facile deficere possumus, & scriptum est, in multiloquio non defuturum peccatum; item perfectum eum esse, qui in verbo non offenderit: undè & nolite plures fieri Magistri, scientes &c. ut superiùs disputatum est: & undique profectò eunt angustiæ, & memento, inquit Hieronymus, quod in medio laqueorum ambulas.

Hæc in primis omnia, & alia apertam instantiam habent in Doctoribus publicis, & concionatoribus, quos tamen Rectores doctrinæ nostræ de Confessoribus minus concionatores, universim, & sine tot illis limitationibus obligant ad tradendam publicè veritatem: quamquam scandalum etiam timeatur, & de eis, ut vidimus, interpretantur authoritates, quas pro manifestanda veritate sibi objecerunt. Videt autem quisque, opinor, has alias, quas nobis nuper opposuimus, authoritates speciales saltem non esse de Confessore, deque illo peculiariter decernere. Ergo de publicis Doctoribus explicari ab ipsis quoque debebunt. Deindè compertum est eas maximè ad prædicationem publicam referri.

Quo animadverso; nunc ordine respondeo Evangelium in primis pro Confessoribus est abs re; ibi enim, ut omnes intelligunt, ager Ecclesiæ significatur, in quo boni cum malis, & vera cum falsis mixta ad finem usque sæculi sinuntur, ut vel mali corrigantur, vel ut boni per ipsos exerceantur, ut olim contra Donatistas, & nuper contra sectarios demonstraruit. In confessione autem locus non est huic commixtioni; quin ibi unusquisque purgatur, & Zizania evelluntur, peccataque omnia delentur, vel nulla, id est, mortalia.

Illud etiam Salvatoris Joan. 16. *adhuc multa habeo vobis dicere* est abs re: ibi quippè de institutione discipulorum tractatur, & de incremento scientiæ; non de cognitione peccatorum: & satis quidem multa non solùm ad peccata cavenda, sed ad magnam etiam perfectionem pertinentia iis in capitibus ipsis manifestavit, & alia reservat à Spiritu, quem missurus erat edocenda maximè de regimine Ecclesiæ. Alio etiam ista sensu; sed non doctrinæ nostræ contrario exponit egregiè Augustinus tract. 93. in Joanne. In hunc nos quoque modum lib. seq. dicimus, in credendis, & operandis esse suum ordinem, nec iis, qui non convertuntur, & instituuntur, & cathechizantur omnia simul esse obtrudenda. At non sic est de pænitentibus; qui tenentur obligationes suas, & leges nosse cum possunt; & à Pastore suo, & Confessore juvandi sunt: & quamquam peccatis assueti onus suis viribus portare non possint, tamen possunt gratia Dei: & illa legis pars, *declina à malo*, semper obligat, & portanda est; & si altera, *& fac bonum*, suos habeat gradus, & principio lacte opus est, ut Paulus faciebat. Authoritates verò docentes, non semper totam veritatem esse discendam, de publica prædicatione intelligatur, & de factis magis, quam de doctrina; in quo non semel peccatur vel particulares personas, quando non oportet, insequendo, vel satyram loco concionis texendo: quod similibus authoritatibus sanctissimè interdicitur.

Gregorii

Gregorii etiam contextus clarus est; nam primò, quæ nunc dicebamus, prohibet; deindè curiositatem vel rerum de se inutilium, in quo etiam non semel deficitur; vel rerum, quæ sciri à nobis nequeunt; & ideò affert illud Apostoli, *non plus sapere*, &c; cujusmodi non paucas quæstiones aliqui concionatores movent, quo etiam Ambrosius ser. 2. in psal. 18. revocat. loquacitatem sermonis, scientiæ jactantiam, adulationem, & si quæ sunt alia similia vitia planè cavenda.

Clemens totus est in instituendis prædicatoribus, & propagatoribus Evangelii juxta regulas Domini Matth. 7. *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos &c.* item cap. 10. *in quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis* &c. de his aget clemens. Videbunt verò, utrum his, qui margaritis verbi digni non sunt, an hia canibus, porcisvè liceat dare sanctum Sacramenti? Minimè sanè. Ergo doctrina Clementis haud congruit pœnitentibus, quibus conferendum sit Sacramentum; imò pro eo negando argumentum elicitur; & si quando conculcandum est, negatur verbum, planè iisdem à fortiori negandum est Sacramentum; sed quæstio est de conculcaturis verbum, & aiunt adversarii negandum esse verbum, nec manifestandum veritatem: non ergo statuere deberent, talibus nihilominus conferenda esse sancta Sacramentorum pœnitentia, & corporis Domini, sed magis multò esse neganda. Ad virum autem illum Romæ decernentem, primùm dico; ergo jam Theologis speculativis, & moralibus qui utique de controversis tractant, silentium indicendum erit; & hæreticis deindè, & Turcis, & Judæis, hoc nunc erit prædicandum, ut quæ credunt. Servent, quo facto, & consecuto, ad cætera ibitur. Omitto alia contra dicterium id regula scientiæ non se obligantium.

Forma & exemplum Ecclesiæ ad rem, non est; quæ scilicet, ut paulò ante dicebam, in agro suo & peccata, & errores, & ignorantias etiam voluntarias, & nimis affectatas in multa patientia tolerat: providit autem ipsa satis si per nos non statet; nec similia probat, sed sufferT: quod ut dicebam ad Sacramentum pœnitentiæ trahi nequit. Fatemur autem, ad honestatem cujuscumque actus, vel etiam omissionis, & sic quoque loquendi, & tacendi servandas esse circunstantias; atque in hoc haud exiguum esse periculum. Verùm Confessor est persona legitima, & sic servatur, *quis*; monet autem pœnitentem de obligatione sua, & sic si non esset, servatur *quid*: item *ubi*: & *quando* scilicet in loco confessionis, & tempore conversionis: instrumentum est Confessor ipse, & deficeret, si per alium moneret. Postremò *cur* debet esset salus pœnitentis errantis, & gloria Dei. Quamquam verò hinc indè superessent semper pericula, ex pilosoph. 2. Ethicor. sapientiumque consilio, illud in dubio extremum cavendum est, per quod plerumque peccatur, & ad alterum inclinandum. ut rectum: justumque sapere possimus, ut Philosophus ibi probat juxta illud *extra undam, & fumum longè compelle carinam.* Scitur porrò, & notissimum est in re nostra, extremum silentii, & dissimulationis, quin etiam adulationis esse, in quod plerique plerumque impingimus: quod casus ille Michææ Prophetæ egregiè declarat; & à Regibus ad plebeios quoque descende nemo est, cui veritas tristis, & ligata non displiceat: difficile est omnibus duplicentiæ, odiove exponi; ergo difficile est omnibus tristem, ligantemque veritatem ediscere. Sed difficilia in paucioribus, & rariùs contingunt. Ergo in paucioribus, & rariùs vel ad ipsum Medicum veritatem edicendi acceditur. Rariùs ergo per extremum exceditur. Ergo consultum est isthuc inclinare, ubi periculum est rarius, & contrarium vitare, & longè fugere. Hoe enim & conscientias, & respublicas perdere solet. Est verò id Confessori tutius, quàm Concionatori, nam hic ad populum, cui placere possit; in privato ille, & ad personam ipsam solam cui displicet veritatem manifestat.

§. XII.

Ex his aliqua Confessoribus, & pœnitentibus advertuntur, quæ utrosque benè scire oporteret.

Primum illud, quod ex toto hoc libro manifestum est, Confessorem malè Sacramentum administrando, & pœnitentem sequendo illum, non unum, & non alterum, sed utrumque simul perire posse; & prorsùs voluntariò, & nulliter hoc onus, & periculum ab altero in alterum vicissim rejici.

Secundo illud, nihil solidum superesse, quo statuatur, praxim communem, & omnium, vel plerumque, Sacramentum pœnitentiæ administrandi, & suscipiendi esse rectam, & validam. Constat hoc ex paucitate eorum, qui salvantur, ut §. 1. explicatum est. Undè Confessor quique, & pœnitens tenetur bene videre, qualiter vel conferat Sacramentum, vel suscipiat.

Hinc tertio, melius esse duobus benè, quantiscumque malè Sacramenrum administrare: undè Confessor, quisque rem faceret longè maximam, si uno integro mane vel solos quantos ad veram pœnitentiam, quantum, & qualem sancti Dei descripserunt, & emendationis, novitatisque vitæ inducerent; & sic sensim plures verè, & corde converterentur.

Quartò falsissimum esse, quod multi viri etiam Principes, & Reges, ac Primarii Magistratus ex capite suo supponunt, vel sufficere sibi quemlibet quomdolibet Confessores, vel omnes esse pares, vel nihil interesse, quem eligant. Fatemur absolutionem quorumlibet validam æqualiter valere; nihilominùs falsissimum est, quod supponunt; & cur id non supponunt de rebus ipsis, & mundi, quas diligunt, de uxore, de coquo, de domo, cursu, veste, & omnibus? existimare sanè videntur, in Ecclesia tantum unam esse clavem regni cœlorum, scilicet potestatis, qua temeritate quadam potentiæ cunctis illud aperitur. Sciant ergo, & benè recogitent duas esse claves, potestatis alteram, & alteram scientiæ, qua inter ligandos, solvendosque discernatur, & nisi simul ambabus, seras cœlorum non aperire. Patet ergo ex dictis suppositionis enormis sanè falsitas. Contulit in hanc rem Illustrissimus Arauso legem Regni leg. 3. tit. 9. part. 2. de Confessario Regis: *debe ser home*

Postremò id Confessores benè scire, docereque pœnitentes deberent, quid sit esse pœnitentes: quod sanè & ex distinctionibus de pœnitentia, & ex iis quæ D. Bonaventura Confessionali suo subjicit, discere facile possunt, si volunt. Omnis homo, qui post baptismum graviter lapsus est, ad statum pœnitentium jure pertinet; facto etiam, & professione sua quicumque venit ad Sacramentum pœnitentiæ. Hoc sanè Sacramentum plus indulgentiæ habet, quam pœnitentiæ, in quo videlicet, & culpa tollitur, æternaque pœna in temporalem commutatur, propter sanguinem, ac merita Salvatoris. Sed verò pœnitentia non tollitur, & Sacramentum pœnitentiæ vocatur, quam in primis Præcursor, & mox Dominus ante omnia prædicarunt. Lege, saltem rogo te, Augustinum lib. de fide, & oper. à cap. 7. ubi doceberis, quid sit, *pœnitentiam agere*. Sed exigua est apud multos harum rerum apprehensio, & plures fœminæ ad nuptias ire videntur: undè mirandum non sit, quod Ambrosius aiebat, facilius se invenisse, qui innocentiam servarint, quam qui debitè pœnitentiam egerint; & huc Augustinus quæque respiciebat dicens, & dolens, pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pænitentes, & non estis irridentes, mutate vitam. Fœminis certè hoc breve compendium ad salutem, veramque pœnitentiam fortè sufficeret, quod sibi persuaderent, duas facies se habere, quas excolerent, aliam faciem faciem suam, aliam faciem animam suam: quæ sanè mensura exorbitans, excedensque videri non potest.

QUÆSTIO XXI.

Utrum ex dictis facile colligatur quanta etiam doctrina Iudicibus sit necessaria, & qualiter ad judicium veritatis obligentur.

NOn de requisitis omnibus eorum dissero, ac multo minus de Inferiorum, Administrorum, Advocatorum, Procuratorum, & mille aliorum obligatione; quorum certè si quod aliud in Republica, periculis, laqueisque plenum munus arbitror; & rem profectò concludit authoritas illa Augustini epist. 54. quam part. 1. lib. 3. quæst. 17. consignavi; cumque judicia omnia eum in finem instituta sint, ut unusquisque habeat quod suum est, plerique ipsorum, utrivis partium adesse parati, aliud vix agunt, quam jura confundere, & quod nemo habeat quod suum est, aut sero habeat, & habeat quasi emptum, ac post tribulationes plurimas. Credant sanè, credant litis causas, ut quæst. sup. advertebatur, revidendas demum esse in alio tribunali, ubi fraudes legales nullæ suppetant, ubi sophismata nulla prosint: nullæ juvent cavillationes. His ergo hominibus suo Confessario relictis, consequenter ad ea, qua hoc libro constituta sunt; de doctrina ipsis judicibus necessaria, est dicendum.

§. I.

Occasio quæstionem istam addendi, & scribendi.

DOminus D. Ferdinandus Erest, Vir in Academiis, in Cathedris, Chancellariisque, & Regiis Senatibus hac ætate inter jurisprudentiæ Proceres in primis conspicuus, post lectam, perlectam comprehensamq; nostram de recta doctrina morum partem priorem, eamque probatam, & ingenti etiam eruditionis, legumque copia confirmatam in quadam doctrinæ particula discedendum ab illa existimavit; in quo dum sapientiæ, quam hominum amicitiorem se præbuit, nobis qui pro salute veritatis ubique pugnamus mire placuit, miratique sumus in argumento alieno, non suo viæ totius comprehensionem; quem nescias ubi magis probemus, an ubi ad eum accedimus, an magis ubi discedimus, dum probamus judices omnes, si non pares sibi debere, saltem esse sui similes, & tota hæc nostra quæstio non nisi quædam sua descriptio, ac laus est.

Probavit igitur, laudavitque ampliter, quod omnes ad veritatem obligentur; vivant omnes ex illa, ac judices etiam judicent. Verum non ita benè cum rebus humanis, actum est, inquit, ut his viris instructissimis (qui scilicet verum discernere valeant) fora & tribunalia replere possint: *& plerumque occurrunt, pares negotiis, non supra*, aut ait Tacitus, qui juris artem didicerunt, ut quicquid legant comprehendere, reddereque sciant; fabricare vero, & à se sufficere non dextrè possint, quidque dubitent magis, quam enodare valeant. Hos semidoctos appellat, & sufficientes, & quibus referta tribunalia sint; quibus si onus imponamus cum Authoribus disputandi, ab eisque veritatem ipsam extorquendi, planè impares sunt, ac manifestissimo periculo errandi se committunt, & tertium quid sæpè excogitant, quod nec rationi, nec juri congruat.

His proindè magis præcipiendum censent ut nihil innovent, de suo non audeant, sed vel eam opinionem in judicando sectentur, quæ lectis Authoribus citra partium affectionem primo aspectu magis sibi arriserit; sin vero, quod plerumque accidit, in ancipiti dubioque remanserint, aliquem gravissimorum, Authorum, Covarrubiam, similemve alium in judicando sequantur. Atque in hunc modum laudat Azorium, & Illustrissimum Tapiam, qui in classe Authores graves distinxerunt, & recensuerunt; hic in Catena morali lib. 1 quæst. 8. art. 11. ille tom. 1. lib. 2. cap. Hæc sunt, quæ vir sapientissimus excepit, in quibus certè ut ex hoc libro cernitur plurimum nobiscum convenit, qui agendo de Magistris, hos veritati explorandæ impares Professores ad Doctores suos alios faciendos obligavimus, multorumque de suo audientium libidinem, ausumque sanè temerarium compescuimus. Sed quoniam doctrina hæc complectitur plura scitu dignissima, in quibus falli hi ipsi semidocti possint, per partes dicendum est.

§. II.

In multis sæpè discordare videmur, quia alii de bono, & malo simpliciter & absolute alii ex suppositione, & quibusdam positis disserimus.

SUnt itaque qui de bono, & malo simpliciter, & nullo supposito, & quibusdam positis non tam de bono, & malo; sed de malo potius, vel minus malo philosophantur, & ubi dissidere maximè videntur, minimè dissideant. Exemplum sit in tribunalibus ipsis, & foro. Constaret tribu-

nal aliquod, vel Senatus vel Cancellarius viris præstantissimis veritati ipsi, jurique inter opinionum, interpretationumque palmas, & molem ingentem eruendo, discernendoque pares. Certè sine dissidio vir hic summus, quocum præcipuè hic non disputo, quem confero, inquam, hic, & similes, & ego consentimus eos ad veritatem, jus ipsum discernendum, dicendum esse gravissimè obligatos.

Esset vero tribunal aliud, vel Senatus alius, qui non quidem, ut poneba, judicibus sufficientibus, sed verè indignis, insufficientibusque foret referrus; quos tamen causas judicare, jusve dicere jam necesse sit. Nunc ergo à viro præstantissimo ita dissentiam, & ineptiam, ut hos qui Latinam etiam Linguam fortè haud ritè norint, ad veritatem quærendam obstringam, longè sane absim a delyrio. Hi porrò indigni sunt, ut porrò, & insufficientes, qui bene judicare possint. De his ergo quæstio est ex suppositione, & quibusdam positis; id est ipsis in officio, cui idonei, non sunt, positis, & constituti. De his ergo philosophare non possumus, quo modo bene, sed quomodo minus male judicent, & disparatio est de malo, vel minus malo. In qua sane quæstione minus malum erit, quod ex libro etiam quolibet, qua de suo judicent; & quo liber erit melior, vel minus malus, eò malum etiam minus. Et optandum valdè si Cobarruviam, similemve alium consequamur. Utrum autem omnes illi, qui veritati ipsi discernendæ, jurique, à feudojure dijudicando impares sunt, inter quos quomodo dignos, an inter indignos connumerandi sint, cendique pares, an impares negotiis discursu quæstionis constabit.

Eodem planè jure de multitudine Confessariorum loquendo, qui doctrinæ, ac Theologiæ ipsius in se experres sint, nec ingenio, aut intellectu valeant ad ipsum verum dignoscendum, præstat eos cuilibet autori alligare, quam sibimet committere; quanto magis gravioribus Doctoribus obstringere. Præcipiat itaque his quispiam, ut ex authoribus, doctoribusque pœnitentes regant, nec de suo audeant. Nos autem constituimus id non sufficere, ipsosque ad veritatem obligari. In quo sane ex integro discordare videmus, dum ille ad eos Authores sectandos, ego autem ad veritatem ipsam obligo. Nec tamen discordamus in his præcisè terminis; nam de Confessariis ego, de talibus Confessariis ille decernit, & de talibus ego ego quoque consentin præstare ut ex Authore magis quolibet, quam de suo regant, & resolvant, ego rursus absoluto. & nullo posito ad quid Confessarii teneantur differo; ille verò quibusdam positis, scilicet Confessarii in ipsis, munerique suo imparibus; unde sua quæstio est ad quid Confessarius insufficiens teneatur, mea vero ad quid Confessarius tenetur: quare mea de bono, & malo, illa de malo & minus est: & vera Theologia docet in necessitate duorum malorum, minus malū induere rationem boni. His ineptis Confessariis ut succurreretur excogitatum est famosum illud probabile ex quo vivant, & regantur, & regant: sed ostensum sæpè incapaces vero dignoscendo, incapaces eo ipso esse & dignoscendo vero simili, & probabili, quale ab Authoribus accurate descriptum, circumscriptum, cautumque est.

Hinc similiter præscripsimus non æqualem probabilitatem legi contrariam tam non esse regulam quam minorem probabilitatem; quia neutra est regula, at utramque pariter sequi volenrem rectè ad æqualem sakem induceremus. Ex quo factum est ut ex parte maxima doctrinæ morum multi forte non tam res ipsas in se, & secundum se quam ex suppositione considerantes, nec vel homines, vel Christianos ad tales homines, tales mores circunspicientes, regulas ubique posuerint, non bono, & malo, non homini, non Christiano, sed tali jam homini, talibusq; jam moribus introductis, consuetudinibusve congruentes: quorum proindè assertiones re ipsa ea quibusdam male positis sint, nec ad bonum, sed minus malum sufficiant, ut quod in mutuo alii ultra sortem permittunt decem, & viginti, & quidlibet, alii ut malum minuant restringuunt ad quinque.

Hæc optimè credo amplius declarantur, & intelliguntur ea, quam alias declaravi, distinctione ambulantium per spatiosam viam, & ambulantium per arctam multorum, & paucorum. Hæ duæ viæ, & ordines moribus utrique distant, ac differunt, & Sancti notant, & exponunt; atque sunt commixti confusique in agro ipso, marive Ecclesiæ, ut ex probabilis Evangelii constat, fietque separatio communis, & publica, & totius hominis tempore messis, & quando Angeli Dei separabunt malos de medio justorum, & ex eodem agro, ex lecto eodem unus assumetur, & alter relinquetur: quare levissimè aliqui ista ad alios aliarum sectarum, & religionum homines, quia jam etiam nunc separati sunt & extra viam omnem errant, detorquere solent. Erunt vero in ipsa etiam via spatiosa mali, & minus mali, moderatiores usurarii, & laxiores, & sic in aliis.

Reflexi porrò aliàs eos per viam spaciosam ambulantes multos haud sane homines aliquos in aëre, qui non sint, & nullius ordinis, nullius gradus, officiique nullius; sed esse aliquos cum justis ipsis confusos, & commixtos, qui sua officia, Confessores suos, Magistrosque habeant, & Sacramenta suscipiant, habeantque officia sua, & munera inter justos ipsos, & vivant regula demum aliqua: quin dixi incredibile esse, quod ex unoqnoque statu aliquis vel aliqui non sint, qui utramque eam viam non ambulent. Jam hoc posito, utriusque sane, viæ Doctores, & Doctores quæstiones suas habeant, & de bono, & malo statuant, necesse est. At Doctores spatiosæ decernunt conformiter ad eam viam, ad eos homines, ad mores, & consuetudines: unde eorum assertiones restrictæ, comparativè, & quibusdam male positis, sunt. Doctores contra viæ strictæ nihil ponunt, nec supponunt, & absolute enunciant, ac ideò dissentire magis videntur quam dissentiunt. Ex quo forte non erro, si dixero Doctores eos ipsos, qui nunc laxiora docent, & multis indulgent, non hæc sed contraria, aut stricta docturos fuisse, si in homines incidissent, qui omnea, vel plerique strictam, id est spiritualem & spiritualium impigrè sectarentur: & sic de facto talibus laxitanres illæ non obruduntur, sed Evangelium, Paulus, Augustinus, Avila, Puente, ac similes ingeruntur, ac Christus in primis crucifixus.

§. III.

§. III.

Non ergo valet ista consequutio: plurimi Iudices, verò jurique ipsi discernendo impares sunt; ergo ipsorum in judicando regula veritas, & jus ipsum non est.

HÆc consequutio nisi terminorum explicatione non indiget. Præscindo nimirum modo num regula judiciorum, & Judicium sit veritas, ac jus ipsum; & de consequentia solùm disputo: ex eo nempe quod vel plurimi, vel multi veritatem, jusque ipsum assequi non valeant, non sequi, veritatem, vel jus ipsum non esse regulam judicandi. Patet hoc quia dato etiam vel posito veritatem, & jus esse regulam, possent multi, vel plurimi fieri Judices ei regulæ percipiendæque impares: quia nec ex parte ipsorum, qui judices fieri volunt, & ambiunt; nec ex parte Principum, Ministrorumque superiorum eligentium, & consultantium id repugnat; ut de judicibus Confessoribusque insufficientibus, & aliis sup. §. exponebam: Non ergo valet; hi, vel multi, vel plurimi insufficientes sunt regulæ suæ percipiendæ, & assequendæ, scilicet veritati, & juri: ergo eorum regula veritas, & jus non est.

Declarantur terminis satis vulgò sciris, & notis, quibus in unaquaque professione, & arte dignos, indignos & digniores, & sic etiam indigniores distinguere moris est, & disputatur: utrum electores, vel consultores ad digniores teneantur. Sed utinam haberemus dignos saltem, & pares. Hi indigni, & indigniores quærere possunt, & consequi judicaturas, & in aliis officiis, artibusque contingit; & ridiculum est dicere: hic, vel ille judex constitutus est: ergo dignus est: hoc enim esset Consultores, & Electores donare immunitate in officio suo peccandi, quod superius de omni universim officio, & statu eversum est. Jam his indignis, & indignioribus in foro positis, illi impares essent, ut secundum regulam, suam judicarent, judiciaque perficerent, alioqui indigni non forent. Non ergo valet: hi insufficientes sunt ad istam regulam; ergo ista non est eorum regula: ergo quod multi, vel plurimi ad veritatem, jusque ipsum discernendum non valeant non probat quin absurda est consecutio, veritatem: & jus ipsum regulam non esse; neque propterea de alia quærenda, mutandavè regula tractandum est, sed ipsos insufficientes mutare oporteret.

Hoc cernitur in omnibus per aliam regulam regulandis. Habes horologium, quod vix duabus horis unam solis impleat. An ne ideò regulam horarum mutabimus, quia hæc, & illa horologia imparia sunt, & ex duabus unam conficiemus? Mensurandum est; & mensuratores loco ulnæ semiulnam afferunt; num quia semiulna ulnam non æquat, eam ulnam efficiemus? exercitum armarum esse oportere, ego sanè jure præscribo. Desiperet Regum aliquis, & pueris, qui arma ferre nequirent exercitum conflaret. Profectò exercitus hic arma ferre non posset, nec tamen valeret: ergo milites arma ferre non debent; & sic in aliis, & in omnibus.

Quorum ratio est, quia non artes per Professores, sed potius per artem Professores judicandi sunt; quia unusquisque est aptus, vel ineptus; bonus vel malus in arte qualibet, & officio, si opus artis, & officii regulas efficiat: quare ex paucis, vel multis secus facientibus ars ipsa judicanda non est, nec mutandæ leges ejus, magis quam quia plurimi vini venditores vinum adaquatum vendant, liceat vinum adaquatum venditare, & sic in officiis omnibus, quorum defectus sunt materiales, & visibiles conspiciunt omnes, & constituunt. Sic ergo erit & in regula judiciorum, & judicum, & si jus, & veritas invisibile quippiam sit.

Enimverò illud placendi Cacöethes omnia invertit, & ubi murmuramus, & audiri non possumus, facile damnamus omnes; ubi vero displicendi, offendendique periculum inest absolvimus, & liberamus. Undè satis consuetum est judicare, artes, & officia per Professores, utque sæpè ex Augustino usurpamus, illud dolosè, quid malum sit inquirentium dicimus, *Num omnes, non hoc faciunt? & quis non facit? nunquid omnes perditurus est Deus?* Hinc ad præsens si videret quia fora, & tribunalia referta judicibus, qui regulæ judicandi assequendæ impares essent; facile in tentationem eam cadit, & ne tot illos condemnet, ex judicibus de justitia, non ex justitia, ejusque regulis de judicibus constituit, sicut præc. §. exponebant sæpè aliquos ex quibusdam jam male positis, & ex suppositione philosophari, ac statuere. Solent etiam de tempore ad tempus de gente in gentem, ac de regno in regnum pro patrocinio ire: atque in præsentia dicere de judicibus quis alio tempore, aliove in regno essent judices indoctiores. Hæc omnia defectuosa sunt, nec bonum vel malum probant: addendum quippè esset, plurimi tales sunt, & tamen boni sunt: alio tempore, vel regno hoc, aut illud ita fit, aut minus benè fit; & tamen benè fit; quod cum non probent, neque probare nisi per ipsas regulas artium, & officiorum possint non aliud efficiunt, quam quod scriptum est, in circuitu ambulant alii per alios, & omnes per omnes vitioso sanè circulo excusantes, & dolosè iniquitatem quærentes.

Maneat ergo nostram hic quæstionem de judicibus, non de talibus judicibus, & quibusdam positis intercedere; neq; veritatem explorandam esse ex his, aut illis judicibus, sed ex ipsa natura officii hujus, & justitiæ: ex quo desumendum dein veniet qui boni, qui mali, vel indigni sint. Explorari etiam ex his aut illis judicibus potest si aliundè eos esse bonos evincatur, at non potest per locum communem de paucis vel multis: magis quam evinci possit, hunc esse bonum Christianum, quia plurimi tales, & quales ille, sunt.

Nec ad rem est si dixeris in ipsa etiam Lege Dei, & in qualibet alia excusare impotentiam antecedentem, & totalem: excusabit ergo etiam judices sua impotentia, si pares regulæ suæ non extiterint. Inquam, non est ad rem; quia ad Legem Dei omnes vocati sumus ab ipso, qui agentibus quod est in se præbet potentiam: non sic ad judicaturas, & officia; undè impotentia non excusat, de quo infrà.

§. IV.

Finis judiciorum, & Iudicum est ut unusquisque citra vim & violentiam habeat quod suum est, & hæc sua regula, remota.

VIdetur positio notissima, & innegabilis, hunc quem posuimus, esse finem judiciorum, & judicum: scitur autem ex utraque Philosophia,

finem esse mensuram, & regulam eorum, quæ sunt ad finem, est inductione rerum omnium constat, & superius expositum est; & à potentiia ipsis nostris, & sensibus, membrisque incipiendo, ac per omnes res, quæ alterius gratia sunt discurrendo, earum bonitatem, rectitudinemque omnem regulamus, mensuramus, & taxamus per fines suos, & apræ quidem bonæ censentur: ineptæ verò malæ, & aptiores meliores, ineptiores autem, & ineptissimæ pejores, pessimæque hac regula judicantur, & habentur notione naturali.

Sapienter verò vir gravissimus Victoria post notatam Theologiæ nostræ in omnia amplirudinem, bonoque ideò, ac solidorum Theologorum assertam verè inopiam, suam de potestate civili relectionem ortus est à causa finali; omnium quippè, est ait, prima, ac potissima: & certè maximè ostensiva, & demonstrativa; ex qua proinde & nos hanc de judiciis, judicibusque quæstionem retex imus.

Nec vero ab ovo, ut aiunt, rem incipiamus, id est à primo libro Politicorum, hominem animal esse sociabile ostendentes, indè domum, hinc pagum, subindè civitatem constituentes, ac dein ad Rempublicam, Regnumque venientes, quibus de rebus quasi arena sine calce, solutis quibusdam præceptis libros politicos, ac planè inutiles quidam componunt, quos inter celebratissimum alioquin, & subtilissimum Tacitum reponimus; Plato autem, atque Aristoteles per finem cuncta ordinate demonstrarunt, & longissimè his aliis soluta, ut sic loquar, orationis Authoribus præcelluerunt.

Supponimua itaque Civitatem jam, vel Rempublicam constitutam, cujus hoc est proprium, ut ad humanam fœlicitatem, pacemque Civium sibi sufficiat. Quoniam autem feliciraa ista, & pax à contrariove externo, vel interno turbari, impedirique potest; id vel ab hostibus Civitatis, & Regni, vel à malis, seditiosisque Civibus; hinc oportuit Rempublicam duplici potestate esse munitam: altera qua vis, & injuriæ hostium propulsentur, atque hæc est potentia militaria, potestasque bellum gerendi: altera potestas civitatis, potestasque bellum gerendi: altera potestas civilis, qua cives officio contineantur, ac seditiones caveantur; utque duobus his malis, interno, externoque occurreretur, totus quantus strepitus bellicus, & fori constitutus fuit. Quanquam verò multitudo, cui quod plus est in sensu est etiam plus in intellectu, præferat potestatem, ac potentiam militarem civili, quia illius major est strepitus; sapientes tamen, qui non tam sensu, quam intellectu judicant, civilem anteferant. Et probavit pridem Plato, quia tantum magis præstat bonum potestatis civilis proprium ac pax interna civium, quantò belli civilia externis, & hostium bellis deteriora sunt. Et sic rursus cum natura imitatione arte quaque ac etiam civitas, respublicaque constent, videmus sanè ea viventia, quæ in aliorum usum procreata non sunt, v. g. homines (ut feras prætercam) morbo magis, internoque maloque plerumque interire & non vi, & violen ia, atque ita profectò internis malis, & morbia Respublicæ etiam. Regnaque tabescunt, licet mors ipsa, & interitus vi, & violentia communius contingat: accidit quippè hæc vis exterior corpori jam semimortuo, nec resistere valenti, & inerti. Quod si divina humanis compatate liceret, ea proportione, qua operationes Divinæ ad intra operantibus ad extra præcellunt operationes quasi ad intra ipsius Reipublicæ iis præstant, quæ quasi ad extra, & ad alios exercentur. Adde robur omne, & potentiam operandi ad extra, & ad externos pendere, ut in naturalibus cernitur, ex recta compositione, & salute Reipublicæ in se, & ad se, & hoc est optimum ex quo illud deinceps consequitur, ut exemplis Lacedæmoniorum, & aliis Aristoteles demonstrat. Tanti est ad salutem Regni, & Reipublicæ potestas civilis, & politica, ejusque recta administratio

Nec porrò potestas Civilis, seu politica triplex est ex triplici ordine Regni, & Reip. quo triplici ordine & partes ad totum, & totum, & bona communis ad partes inter se coaptantur: unde triplici illa justitia legali, distributiva, & commutativa opus est; & qualibet illarum corrupta cadit Regnum. Et Deus quoque propter injustitias hominum de gente in gentem Regna transfert. Ex triplici eo ordine justitia judiciorum, judicumque propria commutativa est, quæ etiam annexam habet vindicativam, quia vis directivæ coercitiva etiam est necessaria; & alioqui contemnerentur sententiæ judicum, sicut Doctorum: & quia Deus in hac vita parum vindicativa utitur, ideo ipse, & lex sua adeo contemnitur, & non est timor Dei in terra. Quia ergo maxime oportuit, ut partes Civitas, & Reipublicæ rectè inter se ordinarentur, nec impotentiores à potentioribus, vel pauciores à pluribus injuriam paterentur, vel pares cum paribus perpetuo pugnarent, fœlicitatemque, & pacem civium, & partium inter interturbarent judicia, & judices constituti sunt, qui in bonis exterioribus, & corporis, & animæ injurias partium à partibus impedirent, illatasque punirent.

Ex his sic in genere de constitutione Reipublicæ insinuatis patet, finem judiciorum, judicumque eum esse quem proposuimus, ut scilicet citra vim & violentiam habeat unusquisque quod suum est in bonis exterioribus, & fortunæ, in bonis vitæ, & corporis; & in bonis animæ, quo & virtutes, & honor & fama pertinent. Quare si nullæ esse possent injuriæ civium in cives nihil necessarii essent judices, & judicia.

Hinc, ut ex Isidoro cap. 10. de verb. signif. tritum est, judex perindè est, atque jus dicens, & declarans, quid sit uniuscujusque secundum jus, & facto etiam esse debeat: nam hic est finis, & ideò judices potestatem habent ad sententias suas executioni mandandas; & inutile esset jus dicere, & in hoc sistere, nisi opere dein compleretur. Sic etiam judicium, vel locus, in quo jus dicitur, vel ipsa jurisdictio appellatur, & cætera verba fori eo capite declarantur; & satis certè utiliter; quia ex Philosopho sæpè etymologia nominis dat definitionem rei, & lex Logicæ est in definiendo definitionem quid nominis præmittendam esse definitioni quid rei. Quam, ergo proprium, ac munus ipsum formale Judicum est, uniuscujusque dicere, tam finis suus proprius, in quem dictio, & determinatio sua juris ordinatur, est, ut unusquisque modo dicto habeat quod suum est.

Eodem modo, juris studiosi hanc ante omnia lineam, lectionemque addiscunt, justitiam esse constantem, & perpetuam voluntatem jus suum unicuique tribuendum. Judicium autem hoc est quod

justitiæ, & ut 5. ethic, dicitur, homines ad Judices tamquam ad animarum quamdam justitiam confugiunt; ut utique consequantur quod suum est, quod ipsa justitia si loqueretur factura esset, hoc judices supplent, & idipsum dicunt, quod justitia diceret. Hinc etiam judicium, sumptum pro actu definitur 2. 2. q. 60. art. 1. recta definitio & determinatio ejus quod est justum, & juxta justitiam. Patet ergo judicium hoc esse propriissimum, & finem proximum, jus quippè suum unicuique tribuere, remotum verò, quod unusquisque habeat quod suum est. Undè judices Ministri etiam vocantur, non tam Principis, quam justitiæ; & earenùs etiam Principis, quatenus omnis ea triplex justitia resider in ipso architectonicè, & tamquam in Præsidente. Neque de his magis differendum est, nam judex quilibet rogatus, quid sit munus, & officium, ultrò respondebit esse uniuscujusque definire, ac jus suum unicuique servare, & tribuere.

§. V.

Hinc evidenter sequitur ipsam juris veritatem esse regulam judiciorum, & judicum.

Contingat fortitam, quod sicut quidam Theologi concedentes quidem quod citta fidem negare non possunt, legem æternam Dei (vel in se, vel participatam) esse primam regulam actuum humanorum, posteà tergiversantur, & nolunt veritatem, hoc est, conformitatem cum ea lege æterna esse regulam proximam eorumdem. Sed quippiam aliud, id est probabilem, vel etiam ignorantiam, vel nescio quid aliud: ita Judex aliquis concedat quidem scire jus, justitiam esse suam adæquatam regulam, & intereà nolit veritatem esse suam quasi proximiorem regulam, quod certè quis diceret terminos non intelligeret, qui proindè exponendi sunt quanta claritate fieri poterit. Est indè post concludamus omnes impares, ac incapaces adversum ipsum esse impares & insufficientes adjus dicendum & consequenter ad officium, munusque judicis, & sic non dignos, sed indignos.

Declaratur ergo in primis principia quodam familiari Philosophi, & S. Thomæ atque per se noto, quo dicitur id esse in intellectu verum, quod in rebus esse. Et Augustinus, verum dicimus esse quod est: & sic etiam veritas negationum exponitur Ergo id est in intellectu verum, seu veritas juris, quod in rebus est jus, & id veritas justitiæ, quod in rebus ipsa justitia. Ergo judex dicens, mea regula est jus, vel justitia; mea autem, regula non est ipsa præcise veritas, juris, vel justitiæ, terminos non intelligeret. Sed omnis judex fatetur suam regulam esse jus ipsum, vel justitiam ipsam. Omnis ergo judex fateri debet regulam suam esse ipsam præcisè veritatem juris, vel justitiæ. Et eodem modo arbitremur Recentiores Theologos hinc firmiter tenentes legem Dei esse primam unicam regulam actuum humanorum, ac morum, aliundeque nolentes veritatem esse secundariam unicam regulam eorundem actuum, & morum, terminos planè non capere.

Denuò quia qui judicat, & justitiam, judicat juxta, veritatem, & regulatur vera cognitione juris, & justitiæ, & similiter qui judicat juxta veritatem, judicat juxta jus, & justitiam. Ergo idem, vel mutuo convertibilia sunt judicare juxta jus, & justitiam, & judicare juxta veritatem, & regulari cognitione vera. Ergo quorum regula est jus, & justitia, ipsorum regula est veritas ipsa juris, & justitia. Quarè dicere hos, aut illos veritati dignoscendæ, discernendæque esse impares est dicere ea juri, justitiæque agnoscendæ esse impares: & hinc sequitur: ergo partes, & cives, ex talium judiciis consequi non possunt quod suum est: quem tamen probavimus esse finem universum judiciorum judicumque omnium, ac fori totius.

Rursùs, quia is juxta veritatem, & ex veritate non judicat, qui vel ignorat, vel fallitur, & errat. Sed omnis talis non tribuit jus suum ei, cujus est, sed magis aufert, & alteri tribuit, cujus non est. Quod patet; nam qui tribuit jus suum ei, cujus est, in eo planè nec ignorat, nec fallitur: ergo si ignorat: vel fallitur, non tribuit, sed adimit jus suum ei, cujus est, & alteri tribuit, cujus non est, undè sequitur quod unusquisque non habeat vero quod suum non est: quod ni fieret judicia, judicesque constituti sunt, & hic est finis tot hominum, & officiorum, scripturarum, & expensarum.

Præterea quia qui agnoscens veritatem ipsam juris esse pro uno, judicat pro altero, peccat juxta omnes; sed non ob aliud, nisi quia contrariatur ac discedit à sua regula: ergo sua regula est ipsa veritas juris. Sed dicis, in quo plurimi falluntur, regulam esse vel jus, vel justitiam, vel veritatem sibi existimatam talem, non tamen veritatem re ipsa, & probas; quia qui judicando discederet à veritate sibi existimata tali. Licet re ipsa falleretur, peccaret haud: ergo hæc veritas, scilicet veritas existimata talis est regula judiciorum, non autem ipsa re ipsa veritas; ac proindè omnes illi, quibus propositum, fixumque animo est ore judicare quemadmodum, corde intelligunt, apti judices sunt. Explentque regulam suam, quamquam ipsam reipsa juris, justitiæque veritatem assequi minimè valeant.

Verum hoc, quod multa confundit, & debilium mentium est, persæpè avertimus. Demonstravimus scilicet universim talia solùm existimata sicut in pane, in vino cernere pinguiores etiam animæ possunt, in quo etiam defecit levissima Recentioris cujusdam sententia dicentis, à peccatis solùm existimatis absolvi verè posse, quod proindè dictu est, atque me posse tollere, occidereque homines existimatos & fictos, solutionesque peragere auro existimato, & per intellectum confictò. Et *ad absolvo te à peccatis* in casu respondendum est, logicè nego suppositum. Sed ad rem. Sic ergo jus solum existimatum non magis est jus, quam panis solum existimatus sit panis; undè ejus hoc unicuique tribuere. Est sicut vesci, aliquo pane solum existimato. Quod porrò quis existimet, & fallatur maximis, ut vocant, fundamentis, motus, id est, revera deceptus, & illusus non facit res esse tales, ut vel talpæ rident. Non ergo facit, ut judex tribuat jus suum unicuique; magis quam in simili daret panem suum, quia re vera deest panis, & deest jus. Deindè demonstratum late fuit falsa omnia, nullo excepto, in unaquaque scientia non pertinere ad ipsam, sed ad pseudoipsam, & sophisticam ut patet ex definitione scientiæ, & sophisticæ: ergo sic est

veritas exiſtimata. Ar judices, opinor, non concedunt ſuum eſſe judicare ſecundum juris pſeudoſcientiam, & prudenriam, & ſaris eſſe ſe ſophiſticas eſſe, Ergo ſua regula non eſt jus ſolum exiſtimatum, ac ſibi viſum rale. Ergo eſt ipſum jus ſimpliciter, ſicut alimentum eſt ipſe panis. Ergo ſua regula non eſt ſolùm exiſtimata, & ſibi viſa veritas, ſed ipſa veritas. Alioqui judices per ignorantiam peccare non poſſent; ſed oſtenſum eſt poſſe: ergo inanis eſt ea evaſio. Irem alioquin conſcientia judicis eſſet ſuprema, & ulrima regula judiciorum, quæ cum priori alia concordanda non eſſet: hoc aurem falſum eſt, & conſcientia errare poteſt, ut nemo dubitat: ergo regula non eſt quod conſcientia exiſtimat, licet conrra eam agere peccatum ſit, ur l. 1. explicamus. Undè dolendi ſunt, qui in conſulrarionibus, & electionibus ſe turos exiſtimant, quia dictamen conſcienriæ formarunt, cum dictamen poſſit eſſe erroneum, & falſum, & vincibile, quod juxta omnes non excuſat. Atque demum quia ea verirate ſolum exiſtimata nemo conſequitur quod ſuum eſt; quin privatur, & pejus, quam ſi per vim, & violentiam privaretur; nam hæc licet recuperare clam, & per vim ſi judicia nulla eſſent: nullo aurem reperere ea poſſumus, quibus in judicio exproliamur. Ergo per veritatem ſolum exiſtimaram non obtinerur finis judiciorum, & judicum regula ergo eſt ipſa reipſa veritas.

Arguirur ulterius ſic: nam Ariſtot. 1. Rhet. cap. 17. ramquam notum ſupponir judicem eſſe ſicut auri, argenrique cognirionem, *ut verè juſtum ab adulterato diſtinguat.* Hoc eſt juſtum adulreratum, quod vere juſtum quidem videtur, ſed ramen non eſt; ſicur hoc eſt aurum adulteratum quod aurum videtur quidem eſſe, ſed non eſt; & patet in cæreris omnibus, & ſic etiam adulteratur verbum Dei: arque hoc eodem auri adulrerati, apparentiſque exemplo idem Ariſtoteles lib.1. Elench. cap.1. Sophiſtas, opuſque Sophiſtarum explicuit, rradidirque poſt ad ſapientem pertinere dignoſcere, & manifeſtare hæc opera falſata, & adulrerara, & quæ vera videantur. Ad hoc ergo in Rep. judices conſtituti ſunt, ur inter hæc jura alia vera, alia adulterara, & falſata diſcernant, & vere juſtum, & quod ſolum videtur eſſe, ſed non eſt dignoſeant, ac vere juſtum unicuique tribuant. Hoc aurem fir per verirarem: ergo hac eſt regula, à qua diſcedere perinde eſt atque ab ipſa juſtitia.

A litis itaque principio jus incipit confundi, & partis cujus revera jus non eſt, & Procuratoris ejus, & Advocati, & auxilianrium omnium hoc eſt opus totum, & negotium, ut non modo jus rerum confundant, ſed ur falſum, & quod non eſt, eſſe, & verum eſſe videri faciant. Jus vero ſic impugnatum, & confuſum ad judicium advehitur. Ad quid igirur judices ſedere arbitramur, niſi ur in hac confuſione diſtinguanr, ac vere juſtum diſcernanr, eliciant, vindicenr, eique tribuant, cujus eſt? Atque hoc ipſæ etiam Judicum ſenrenriæ ſignificant.

Eſt igitur veriras regula prorsùs neceſſaria judicibus 7. *noli fieri judex. Væ vobis o judices; væ vobis in æternum, & ultrà; quia non eſt in vobis veritas!* Exo. 18. *Provide autem de omni plebe viros Sapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas:* perindè quippe eſt in quibus ſit veritas, & in quibus ſit juſtitia; quæ præter verirarem eſſe non poreſt. Deuter. 19. *Cumque diligentiſſimè perſcrutantes, inveniſſent falſum &c.* Exo. 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Hic ſcilicer eſt ſcopus, & finis; ac perindè eſt à vero deviare, arque deviare à juſtitia. Sed hoc, inquis plures judices efficere non poſſunt. Reſponſio eſt, de qua poſt, officium aliud ediſcant, nam id non poſſe, & officium judicis non poſſe, perindè ſunr. Er Job. 29. *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam.* Inveſtigatio porro, & inquiſitio omnis, & conſultatio eſt veritatis gratia, ut conſtat ex Ethic. Er ex 1.2. Hoc etiam probat conſulriſſima illa petitio Salomonis Reg.3. cap.3. *Et nunc Domine Deus, tu regnare feciſti ſervum tuum pro David patre meo: ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum, & ſervus tuus in medio eſt populi,* &c. *Populi infiniti, qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum. Placuit ergo. &c. Sed poſtulaſti ſapientiam ad diſcernendum judicium, ecce feci* &c. Hoc ergo eſt neceſſarium judicaturo cuique & Regi, & cæreris, ut inter bonum, & malum, arque inrer judicia diſcernere poſſint; & bonum, ac jus, & vere juſtum accipere; reſpicere vero mala ſpecie boni, & juſtiriæ perſonalia, ficta, conrecta. Nec alia Dei ſapientia neceſſaria eſſet ad ſequendum bonum, & jus ſibi exiſtimarum, & viſum; ſi re vera ita ſit, ſive non ita ſir; imò ut in hoc diſcernatur, ſapientia illa poſtulata fuit, & conceſſa.

Hinc ipſe Salomon rotum illum ſuum de ſapienria librum ad Reges maximè, judiceſque dirigit. *Audite ergo Reges,* air cap.6. *& intelligite: diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, &c. Quoniam cum eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ.* Lex porrò juſtitiæ indubirata eſt, quod unuſquiſque habeat quod ſuum eſt. Subdit continenter illud: *horrendè, & cito apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet;* & inferius: *Ad vos ergo, Reges, ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis: qui enim cuſtodierint juſtitiam, juſte judicabunt, & qui didicerint juſta, invenient quid reſpondeant.* David quoque dixerat: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, &c.* Inquam, erudimini, non utique falſa, quæ nec Deus docet, nec hortarur ad ea: ergo vera: quin ſapientiam dicere, & veritatem dicere idem, vel connexa ſunr; & quot verba in ſapientiæ laudem, ac neceſſitatem ſcripta ſunt, totidem pro veritaris ſalure, ac neceſſitate irerantur, cum, ur ſæpè demonſtravimus, ſapientia omnis, & quælibet illius particula claudat eſſentialiſſime veriratem.

Judices itaque, *qui didicerint juſta, invenient quid reſpondeant?* Sed ubi precor, & quando? Sanè quando & ipſi judicabuntur; cujus judicii paulo anre meminerat, & nos l.4. fuſe oſtenſuri ſumus; per conformiratem ad illud judicium quod, & quale futurum fideles credimus, inveniri poſſe verirarem moralem: ideo ſicur multi recentiores probabilia ſua, & ſuum illud male acceptum jugum ſuave, & alia toties ingeminanr, nos hoc judicium, ur & Paulus fecir toties inculcamus. Diximus verò q. ſup. caſus, & cauſas omnes noſtras etiam minutiſſimas, & commiſſionis, & omiſſionis duplici ſententiæ, id eſt, quaſi viſionis,

nis, & revisionis subjacere, & alteram ferri in confessione, in illo judicio alteram: plurimas autem primas sententias, & absolutiones in ea revisione plane revocari, damnarique multos hic confessos, & absolutos. Sic plane omnes omnium judicum sententiæ revidebuntur ibi denuo, & quicunque justa ipsa non didicerunt, non invenient quid respondeant: quærentur quippè, cur fundum Petri Paulo consignaverint? Quoties enim errant hoc faciunt. Licet vero aliquam in his excusantem ignorantiam concessuri simus, communitates tamen non valebit, si respondeas; Existimavi fundum esse Pauli, & non Petri, ut intet jura discernere cum non posses, judex fieri voluisti? Annon hoc, sed contrarium ego non præscripsi? Num veritatem in judicibus non requisivi, in judicibus non imperavi? Quod si illum in tenebras exteriores misit, qui ad nuptias degeneri veste intravit, quid existimamus fiet, si qui in tribunalia, & judicia cum impari doctrina irruant? Et re ipsa non aliud faciunt quam quod suum est unicuique adimere.

Hanc ipsam veritatis præcise ipsius necessitatem ea omnia supponunt quæ pro fori, judiciorumque rectitudine in utroque jure caura sunt, & constituta; quod nemo judex fit in causa, vel suorum; Nam in talibus fallitur facile: non item hostis: & in summa, cum *quatuor modis judicium humanum pervertatur*, metu, & cupiditate, amore, & odio, ut ex Gregorio traditur cap. *quatuor* 11. q.3. Cautiones omnes, suspiciones, recusationes ad has quatuor causas amputandas erroris, vel cordis, vel oris diriguntur. Hac de causa judex antequam sententiam ferat agnoscere debet quæ in principio causæ, medio, & fine acta sunt, ne scilicet fallatur. Hac de causa non ad unam probationis speciem, sed ad omnes inspicere debet ne scilicet fallatur. Hac de causa suspectus esse non debet nec inimicus, nec ipse similem ei, de qua judicat causam, litemque habere, quia facile in talibus fallitur. Eadem item de causa judicia præcipitari non debent, termini concedendi sunt, de informationibus, de scripturis, de testibus, de exceptionibus, de nullitatibus infinita constituta sunt; quorum omnium, legum omnium, fori totius, expensarum, administrorum, quo in uno negocio Reip. tanta pars occupatur, finis, & scopus universus est, ne in judicando fallantur, aut scienter falso definiant judices; utrovis enim modo error contingat, unusquisque jure suo, & re privatur. Idcirco in Areopago nec Advocati quidem, & alii, qui in alterutrum partes judices deflectere, inclinareve possent, admittebantur, prohibebaturque ne aliud quippiam, quam factum ipsum dicerent, quod Relatores apud nos, unus judicum apud Italos facit: cætera quippè judices ipsos nosse debere merito supponebant. Quod laudat Aristot. 1. Rhet. 1. dicitque inter alia: *Non enim oportet in iram, aut invidiam, aut misericordiam impellendo à recto judicem flectere, ne similes ei simus, qui eam qua usurus est regulam prius inflectat.* Omnia ergo judicii rectitudinem, veritatemque necessariam undique stabiliunt.

§. VI.

Jure ergo à nobis p. 1. inductum videtur melius fore flatibus quam judicio causas terminare, si à judicibus non haberetur pluris verum quam falsum.

Hanc non thesim, sed hypothesim parte 1. induximus, ut ostenderemus judicum, judiciorumque regulam non esse nec æque probabilia, hec minus probabilia: ex qua nimirum regula non magis habetur, & obtinetur verom ipsum quam falsum: quin ex minus probabili magis habetur falsum saltem quoad nos: ergo non magis habetur jus ipsum, quam non jus: Ergo nec magis servatur, quam violatur justitia ipsa, nec magis cives consequuntur quod suum est, quam priventur, spolienturque suo nec judices magis justitiæ, quam injustitiæ re ipsa ministrarent: quæ omnia connexa sunt, & absurdissima. Miramur autem semper recentiorum quorundam inconsiderationem qui regulam istam pro judiciis quidem respuant, & tanti faciant quod homines habeant quod revera suum est; & non tanti faciant quod homines servent legem Dei, quæ revera est; quasi vero magis judicium esset tribuere unicuique quod suum revera est, quam sit omnium hominum vivere juxta legem Dei, quæ revera est, & tanti sit spoliare revera homines fundis suis, & nihil sit violare revera legem Dei: quibus sanè ita arbitrantibus hoc unum esset explicandum, quid sit fundus, quid Deus, & quid lex ejus.

Ad hypothesim itaque illam redeamus; & fingamus tribunal, senatumve alicubi aliquem ex quo cives, & partes, non magis verum ipsum, quam falsum habeant, & consequantur. Hoc posito dicimus, consultius civibus, & Reipublicæ, Regnoque futurum, si loco similis Senatus, judiciique sortes instituerentur, eisque causæ, & lites terminarentur. Hoc nunc demonstratione, quæ offendere quidem malos judices posset, solvi tamen, ut opinor, non possit est manifestandum; & primo de civibus, quorum gratia judices, & judicia constituta sunt.

In concursu duorum quorumlibet mediorum quorum utrovis æque certò, vel incertò finis obtinetur, illud est omnibus melius, consultius, & eligendum, quo brevius, & commodius finis obtinetur. sed in hypothesi incertitudinis propositi Senatus, in primis æque certò, vel incertò ejus judiciis, vel sortibus finis obtinetur; aliunde vero brevius, & commodius comparatione civium per sortes: ergo in hypothesi medium sortium esset melios, consultius, & eligendum civibus. Major & experientia, & inductione, & ratione est conspicua: & omnes in omnibus ea media deligunt, quibus cæteris paribus brevius, commodiusque propositos sibi fines vel honoris, vel lucri, vel voluptatis, vel etiam salutis æternæ consequuntur. Et ratio est quia tota bonitas mediorum mensuratur, taxaturque per finem: quare labor, vel prolixitas unius medii, ubi alio labor, & prolixitas vitari potest, induit rationem mali: & propter alia obvia. Sic ut potestati civili militatem, opponamus, si Rex arces suas æque certo tueri posset pictis militibus, atque vivis, fatuum esset non uti pictis, qui non comedunt, nec moriuntur. Minor etiam propositio est notissima: quia cives in primis plurimum in judiciis expendunt; in sortibus vero nihil, vel valde parum expenderent. Sed non expendere commodum est civibus: commodius ergo esset eis medium sortium. Præterea judicia in longum trahuntur, sortes brevissime expediuntur: ergo medium sortium esset brevius. In hypothesi porrò servatur paritas, & æqualitas in certitudine, vel in incertitudine consequendi finem: nam finis est, ut constituimus, ut unusquisque habeat quod suum est;

& litis universado hoc uno est, cujus scilicet sit res litigiosa, & vnaquæque pars hoc imum dicit, & allegat, suam esse; & supponit utraque ei esse illam assignandam, cujus est. At in posito illo Senatu hic finis certius non obtinetur per ejus judicia, quam per sortes: nam posuimus illum æqualiter se habere ad verum, & falsum: ergo pure casuale, pure contingens,&, ut dicimus, pure ad utrumlibet esset quod ex illo quis consequeretur suum: sed hæc ipsa est natura, & incertitudo sortium: ergo par omnino foret certitudo, vel incertitudo judiciorum positi Senatus, ac sortium, & contingere utrovis medio posset, ut partes semper, vel sæpè consequerentur quod suum est; & etiam quod nunquam, vel raro,& utrumvè casuale esset, & sicut in sortibus.

Exponamus rem clarissimam, & relicto regno, & civitate fingamus in mundo non aliud esse quam pagum unum, & duos tantum litigantes, & unum judicem, qui tamen nesciat magis verum ipsum falsum, id est vere justum, quam non justum: & consultatio fiat, utrum ab eo judice sperare alter eorum possit quod suum est magis, quam medio sortium? Profectò nulla superest ratio spei ullios: nam ex æqualibus se habentibus ad effectum aliquem nihil est cur ab vno præ alio speretur effectus; ut patet in causis omnibus; sed judex ille, & sortes æqualiter se habent ad verum ipsum: ergo non magis à judice illo,quam à sortibus sperandum esset verum ipsum; ergo nec vere justum, & suum. Par ergo prorsùs, & æqualis est certitudo, vel incertitudo. Sed sic se habent cives omnes, & litigantes ad positum illum Senatum; sicut duo illi in pago ad unum illum judicem. Ergo sicut in uno illo judice sic in Senatu posito par omnino, & æqualis certitudo, vel incertitudo superest, quæ in sortibus. Ergo medium sortium esset in hypothesi civibus eligendum.

Etiam Regno, & Reip. quia in primis Regnum, & Princeps facit sumptus magnos pro conservandis judiciis; vtile autem, & commodum esset Regno tantos hos sumptus vitare, si sine illis alio medio, quale tunc foret sortium æque bene,& certò finem intentum consequeretur. Esset præterea utilitas alia maxima; quia infinita multitudo civium, qui foro, judiciisque inserviunt, in bello, & in aliis Regno utilibus occupari posset. Ergo Regno etiam, & Principi in hypothesi eligendum esset medium sortium.

Dicis: Princeps nollet tunc uti sortibus, sed judiciis: ergo posita etiam ea paritate certitudinis, vel incertitudinis servari posset ille Senatus. Resp. Princeps male faceret: nam judicia instituta non sunt propter libitum Principis, & quia ipse vult, vel non vult, sed, quia ipse tenetur civibus servare justitiam inter se; & quia omnia so solo videre, & expedire non posset, ex gravissima obligatione judices, & judicia sanctissime instituta sunt: & prorsùs probo quod victoria, & alii commostranr potestatem civilem non esse aliquid institutionis humanæ, sed naturalis, & Divinæ. Nec Resp. vel Regnum, vel Princeps tollere potest potestatem istam civilem, quam supra trifariam divisimus, nec fines ejus invertere.

Dices rursus absurdam, & civilem, & nullibi cultarum saltem gentium visam fore Remp. quæ sortibus lites, causasque terminaret, & judicia, judicesque tolleret. Et ego certe nihil repugno, sed maxime probo. Sed ex hypothesi est sermo noster; & dato, & posito, quod in judiciis, & judicibus non magis superesset verum ipsum, quam falsum; & tunc etiam non sortes inducendæ essent, sed judicia ordinanda, & ad rectum restituenda, tamen hoc non facto, & servata hypothesi, ac in sensu composito illius præstaret medium sortium.

Hæc autem ex hypothesi dicta duo absolute,& sine hypothesi demonstrant. Primum quam sit necessarium verum ipsum in judiciis,& judicibus, ut explicatum est: sin minus judices, & judicia gravissime & civibus, & Regno damnificarent. Alterum est; quanta, quamque indispensabili obligatione Principes, Ministrique omnes justitiæ distributivæ teneantur sub pœnis damnationis ad consultandum, & eligendum judices, in quibus sit magis verum ipsum, quam falsum: corrupta scilicet semel justitia distributiva, per consequentiam necessariam commutativa etiam evertitur. Nec enim judices impares reddere unicuique possunt quod suum est, qui quod cujus sit dignoscere non valent. Refricanda sanè est ubique fides, & credendum Deum non casu, aut ludo quodam loquutum; vel ad Judæos quidem loquutum ad Christianos verò non esse loquutum; vel Reges, & Proceres esse exemptos. Ad Reges quoque, & Ministros singulos justitiæ distributivæ fuit illa: *Pro vide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas.* Ad ipsos est: *Nolo fieri judex, va vobis*, &c. ad ipsos: *Horrende & cito apparebit*, &c.

Atque hæc gravissima obligatio hic cursim ex eo etiam patet; quia judicaturæ non magis sunt Principis, vel Ministrorum consulentium, quam sint fundi ipsorum judicum justitiæ commutativæ; quia sicut finis quasi proximior istorum est, ut unusquisque consequatur quod suum est; ita hic ipse est finis remotior exercentium justitiam distributivam: ergo sicut propria obligatio judicum ipsorum est reddere unicuique suum, ita illorum propria obligatio est providere judices, qui possint unicuique reddere suum: & tam tenentur nosse quinam hoc possint, quam judices tenentur nosse juxta uniuscujusque: & solum in æqualitate omnimoda aliquorum, & in quo judices commutativæ deberent vel rem litigiosam dividere, vel ad componendum partes obligare. In simili, inquam, æqualitate eligenda Principi, vel Ministris justitiæ distributivę libertas superest. Ubi omitto alia; nam non de hoc præcipuè, sed de judicibus justitiæ commutativæ, judiciisque tracto: è re tamen existimavi horum exemplo illis obligationem suam manifestare forte enim sint qui in justitia commutativa exactissimi sint, & rem hanc existiment longe gravissimam, de qua etiam districtè judicandi sint: distributivam verò rem esse valdè arbitrariam, & in qua amicitiis,& clientibus locus sit: & in qua non teneamur diligentissime inquirere dignos, & digniores, & non sint de hoc judicandi, atque de pravis etiam judiciis suorum electorum non patium, deque serie quadam magna consequentiarum interrogandi.

Nihil itaque est Reip. cuique probe institutæ magis adversum, quam jus dicere, causasque terminare sortibus,casu,& fortuna. Si ergo sortium hoc medium tam incertum, ac volubile judiciis, judicibusque præstat, a quibus verum ipsum non magis haberetur, quam falsum, profectò si judices aliqui

aliqui vel multi; vel pauci in extremum ejusmodi devenissent, vix quidquam infœlicius Reip. civibusque obvenire posset; est enim semper corruptio optimi pessima.

§. VI.

Ergo quicunque impares sunt vero ipso dignoscendo, non digni, sed indigni sunt ad munus judicandi.

HÆc consecutio sequitur ex dictis: primo quia ad judicandum idoneus, & dignus utilior esse debet. Reip. & civibus ad finem judiciorum, & ut unusquisque obtineat quod suum est, quam medium sortium; sed qui vero dignoscendo pares non sunt, utiliores non essent, nec certius talium judicio, quam usu sortium contingeret unicuique quod suum est: ergo qui vero dignoscendo pares non sunt, digni, idoneique non sunt ad judicandum, & ad judicandum, & ad officium judicis, qui proinde non pares negociis sunt, sed infra.

Secundo: quia §. 5. constitutum est ipsam præcisè veritatem esse regulam judiciorum, & judicum. Unde arguitur: impares regulæ judicum, & judiciorum non digni, sed indigni sunt ad munus judicis; sed impares dignoscendę veritati sunt impares regulæ judiciorum, & judicum; ergo non digni, sed indigni sunt ad munus judicis, nec judices fieri licite possunt: unde peccant, & in factum perniciosum concurrunt, ut supra cum Cajetano de Doctoribus exposuimus, tam eligentes, quam ipsi electi, ad quorum quemlibet est illud: *Noli fieri judex: væ vobis judices, &c.* Etenim excusabilius quidem, quam fures, revera tamen facient, quod fures auferre scilicet his, & illis quod suum est: parum quippè ejus interest, cujus erat jure res quod fur sibi acquirat, judex alteri tribuat rem jure, vel etiam facto suam.

Tertio, quia similiter §. 4. constitutum est regulam remotam, & finem judiciorum & judicum esse quod unusquisque consequatur, quod non existimatione, sed revera suum est. Per quem finem dijudicanda, mensuranda, taxandaque est aptitudo, vel ineptitudo; dignitas vel indignitas uniuscujusque ad munus judicis, & judicandi, & si ex suo judicio non magis hic finis obtinetur quam contrarium, plane ineptus est, & indignus; sed ex judicio eorum qui veritati ipsi dignoscendę impares sunt, non magis obtinetur finis ille quam contrarium; & qui nescit verum ipsum nescit quid cujus sit, ut patet. Ergo impares veritati inepti, indignique sunt ut judices fiant.

Confirmatur, & declaratur illata hæc conclusio: nam qua regula dignos, digniores, & summos in utraque arte, & rerum genera dignoscimus, eadem utique dignoscendi sunt indigni, & pessimi, ut patet ad oculum in cibo, & potu, & vestibus equis, domibus, in artificiis & in omnibus. Sed per veritatis ipsius in se cognitionem majorem, vel minorem cæteris paribus dignoscimus dignos, & digniores, & summos viros ad munus judicandi, & summos habemus tali ea cognitione confertissimos, quos etiam Jurisconsultos vocamus, ac Principes in arte existimamus, & digniores eos qui ad eam sapientiam propinquius accedunt; & bonum, & magis bonum in unoquoque genere, ut toties S. Th. usurpat dijudicamus per majorem, vel minorem similitudinem ad primum, & summum illius generis. Ergo regula, qua dignos, digniores, & summos ad munus judicandi dignoscimus cæteris paribus est per majorem, vel minorem cognitionem veritatis ipsius juris in se. Ergo hac etiam regula dignoscendi sunt indigni. Ergo impares huic cognitioni & regulæ sunt indigni ad munus judicandi: sicut trabs impar, & minor regula est inepta ad ędificium, & sic etiam calceus, vestis, pannus, &c.

Dixi cæteris paribus: nam ad munus judicis non satis est verum ipsum, jus ipsum nosse, & seu de jure, apparentique jure distinguere corde, sed necesse est etiam ut ore id ipsum efficiatur: & hunc transitum sententiæ cordis ad os multa impedire possunt, quæ in jure cauta sunt: quare quis alioqui sapientissimus potest aliunde fieri indignus, quia non ut corde novit sic ore dicit jus. At ut ore dicere, & distinguere possit, necesse est ut mente primum dignoscat, & distinguat; quod fit per cognitionem veri ipsius, juris ipsius in se. Ergo impares veritati indigni sunt ad munus judicis, id est, ad dicendum jus.

Nihil porrò refert, unde demum hæc imparitas, & insufficientia ad veritatem obveniat, sive ex ipsa naturali ineptitudine, sive ex defectu studii, & doctrinæ, sive quia quis libros colit, & sequitur, in quibus non sit magis verum ipsum, quam falsum. Nam undecunque is defectus proveniat, deficitur à regula, & universus finis judiciorum, & judicum cassatur, & frustratur, ut patet ex dictis. Et quid, oro te, mea interest utrum vinea mea me expoliaveris sive libros tales sequendo, sive non studendo, sive quia ineptus à natura es ad jus dignoscendum? Hoc tamen inter eos interest, quod inepti à natura apti, & digni effici non possint, cæteri vero possint; & aliis renunciandum est officio, aliis mutanda vita, & libri. Atque hæc omnia ex his stabiliuntur, quos autoritate toto hoc libro de Doctore primum, ac Magistro Theologiæ, dein de Illustrissimis Dominis Episcopis, & Pastoribus, & Confessoribus constituta sunt. Sicut enim horum omnium finis est docere fideles fidem, & legem ipsam Dei, quæ est, ac pascere populos doctrina fidei illi, illi legi conformi, & sic vera: sic judices sunt ut civibus jura re ipsa sua custodiant, ac tribuant, & hic est finis. Ubi quod de Magistris declaravimus, Magistros non esse ut sint Magistri, nec Cathedras esse, ut sint Cathedræ, nec Episcopos esse, ut sint Episcopi, & sui gratia, sed propter aliud, ut 1. ad Corint. 3. Paulus describit, ita nec potestas ulla civilis, vel politica est propter se, nec judices sunt, ut sint in mundo judices, & gratia sui, sed gratia alterius. Hoc porrò est ut cives habeant res suas, quod demum in bonum & felicitatem ipsius Reipublicæ ordinatur, ut explicatum fuit.

Conclusionem hanc ipsam promptum erat pluribus etiam denuò stabilire ex his, quæ summus ille vir in confirmationem nostræ partis prioris expositioni, selectaque jurisprudentia contulit. Quidquid enim inter Consultos disputatum est, ut est casus in lege Cornel. 69. de hæred. inst. & aliter à Trebatio, aliter à Cartilio, Boculoque judicatum: quidquid uno verbo à summis illis viris sapientiæ, laborisque impensum est hoc evincit, hoc probat, & clamat non sufficere Reipublicæ, & civibus existimare, quid cujus sit, sed requiri, ut sciretur, quid cujus revera esset. Hoc

autem

aurem est scire, & dignoscere verum ipsum. Ergo hoc est necessarium Reipublicæ, & civibus. Ergo impares ad hoc, sunt impares, & indigni ad judicandum: & si alioquin sint, quos volueris, & rectissimam intentionem habeant, ut cernitur etiam in medio rectissimæ intentionis, qui eas res inter non distingueret.

§. VII.

Tamen, ut dignus quis sit, sufficit, si fere semper verum ipsum sciat, & discernat, & si aliquando, & in paucioribus deficiat.

HÆc quasi limitatio novi nunc momentis munienda non est, sed brevissime significanda, & exponenda: cujus scilicet veritas ex dictis hoc libro de Magistris, de Dominis Episcopis de Confessoribus & Pastoribus est aperta. Satis nimirum est, si, quod Paulus de Episcopo constituit. *Ut sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, ut superius explicuimus, & tractavimus, de judicibus in sua materia verificetur. Ut quippe sint potentes jus suum unicuique reddere magis, quam tribuere; & in super in eo errantes manifestare, revincereque posse.

Explicuimus eo loci, cum, qui æquè se habet ad verum, & ad falsum, seu magis ad falsum, nec inter utrumque plerumque salrem distinguit, non esse potentem exhortari in doctrina sana, nec eos, qui contradicunt, arguere; secus autem, si plerumque distinguit, & scit. Sic ergo & judex, qui æquè se habet ad verum, & falsum, seu magis ad falsum, cuique non magis inest non falli, quam falli, nec inter utrumque salrem plerumque discernit, non est potens tribuere & reddere unicuique jus suum, sin vero plerumque saltem potest, jam est potens, ut declaratum fuit.

Rursùs ex communi, & universali ratione omnis mensuræ, & regulæ. Nam omnis prorsùs mensura, & regula ad duas, quoad præsens, revocatur; quarum altera nunquam erret, & fallat; altera, quæ rarò, & fere in paucioribus fallat: & infra has nulla superest ratio regulæ, & mensuræ, sed sors, fortuna, & casus, ut part. 1. larè propter contentiosos prosecuti sumus, & si de cætero res sit ipsa sui propositione notissima. Judex porrò est mensura quædam, & regula juris uniuscujusque, & quædam justitia animata; inæqualitatisque æqualizativa; & sicut mensura vini scimus, quantum vinum sit in dolio, ita per sententiam judicis scimus, quid cujus sit. Ergo judicis est vel nunquam errare, & fallere. Vel saltem rarò, & in paucioribus errare, & fallere; sin minus, ad sortem redimus.

Enim vero judices requirere, qui nunquam errent, vel fallant, nimium profectò est, & Angelorum magis, quam hominum. Hoc ex loco occlamare probabilistæ solent, & veritatem à mundo tollere, quod de universitate causarum ferendum esset, ad singulas causas, & actus obtrudendo quasi nullibi, nuspiam, nunquamque veritate ipsa regendi simus, & Angelorum sit in controversiis saltem veritatem alicubi aliquam nosse, hominis. Vero nunquam, & sic forte fortuna animas gubernant.

Itaque ratio essentialissima mensuræ, & regulæ postulat eorum, quæ posuimus, alter utrum, nunquam, vel raro deficere: & primum Angelorum esse, posterius autem hominum, sive Doctorum, sive Judicum, & sic in aliis, cordatius opinor, nos adstruimus. Id in primis de Magistris & Pastoribus constitutum superius est, & explicatum. At sic est judicis verum ipsum nosse, & jus ipsum dicere; sicut Magistri morum est ipsam Dei veram, & realem legem tradere. Satis ergo erit, si judex verum ipsum, ac jus ipsum plerumque, & fere semper noverit: quamquam raro, & in paucioribus deficiat.

Denuò, quia in his, quæ plus, & minus admittunt, locus est bono, meliori, & optimo, & sic etiam ad munus judicis alios dignos, digniores alios, & alios dignissimos, & summos arbitramur, etiam quantum ad doctrinam, & scientiam. Non ergo requiritur omnia prorsùs, & sine exceptione nosse: Ergo satis est fere semper, & ut in plurimum sapere: alioqui pares omnes essent, & omnes dignissimi; nulli autem digni, quod est contra notionē naturalem. Et confirmatur exemplo aliarum Artium, & Professorum. Quinimo ipso etiam summorum in Ecclesia, & Theologia Doctorum exemplo: nam gradus Doctoris Ecclesiæ non destruitur, una vel alia rarissima falsitate, & si quando raro desecisset: & ob hoc supra Doctores Ecclesiæ habemus ipsam nunquam deficientem Ecclesiam, ut supra habitum est; & contritus stupor ille aliquorum, qui hinc ægrè ferunt Doctorum eorum quamlibet quomodolibet indefectibilitatem: hinc vero eam aliis longe imparibus attribuunt; & hoc si tangat quisquam, commoventur; audacter multas falsas opiniones inuunt: à quo spiritu avertat nos misericors Deus. De cætero non esset contra eminentem in Ecclesia gradum S.Thomæ, si, ut multis videtur, nobis vero non videtur, si, inquam, in puncto immaculatæ conceptionis Matris Dei defecisset: non item contra eminentem gradum Augustini, si falsum esset quod de reviviscentia peccatorum edocuit. Satis porrò, & valdè satis nobis est, si summi etiam judices sint in judicando pares his summis in Ecclesia Doctoribus.

Confirmatur fortissime: quia Deus erecturus in mundo infallibile, ac indefectibile quoddam judicium, & Ecclesiæ in Concilio, vel in capite, consequens existimavit, concedendam esse specialem quamdam assistentiam Spiritus sancti: quam certe reliquis judicibus non concessit. Ergo hi non tenentur esse regulæ indefectibiles Justitiæ: ergo satis est, si sint regulæ in gradu inferiori, id est, si non semper, salrem ut in plurimum partium jura dignoscant, ac discernant, reddantque singulis sua.

Postremo finem potestatis omnes civilis, judiciorumque, ex quo Philosophati sumus, considerando satis Reipublicæ, civibusque conferrur, si regulas habeant plerumque veras, & raro deficientes: sicut in aliis artibus, hoc scilicet medio vis, & violentia aliorum in alios compescitur. Sic judicia præstant fortibus; sic etiam politia cultiorum gentium, præ politia barbarorum asseritur, & defenditur. Apud eos namque brevius judicia expediuntur; moræ, expensæ, aliaque mala vitantur. Cum tamen omnia citra ullam Doctrinam, & ex cerebro fiant, instar fortium cuncta evadunt. Ex nostra vero politia cives plerumque saltem hoc debent, ut consequatur quisque, quod suum est. Quapropter nullus, opinor,

judex

judex offendetur, si ipsum veris plerumque ab eo requiramus: quo scilicet uno ablato, non dabunt, unde politia nostra præstet mori barbarorum. Atque ex his facile colligi, explicarique potest, quid, & quantum judices teneantur ad compescenda sophismata, motas, cavillationes & fraudes inferiorum administrorum.

Adversus positam limitationem, unum, quod sciam, opponi potest. Judex, inquis, nec semel potest non dicere jus ipsum, quod novit, sed semper tenetur. Ergo nec semel ignorare jus ipsum potest, sed semper tenetur. Et probas; quia par sequitur præjudicium, sive scienter, sive per ignorantiam auferatur parti, quod suum est. Confirmatur: quia, qui jura ipsa noscit, & si semel neget alicui suum, poterit reddere alia vice, secus qui ignorat. Respondeo brevissime, alterum esse possibile, alterum impossibile saltem communiter loquendo; possibile enim semper est, ut judex pronunciet, sicut novit: possibile autem, & omnium saltem judicum non est semper nosse jus ipsum, & verum ipsum. Unde judex raro deficiens involuntario aufert parti, quod suum est, & sic non peccat; secus quando novit. Ad peccandum vero, præter illatum præjudicium requiritur voluntarium. Poterit tamen uni digniori, ac scientiori judici esse voluntarium, & peccatum, quod alteri digno peccatum non est; & ab eo, qui plus accepit, plus exigitur, & cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, ut Gregorius ex Evangelio colligit: ubi alia omitto.

§. VIII.

Satis item est, si quis, vel proprio scrutinio, vel ex aliquo Autore suo facto verum plerumque norit, & raro deficiat, & qualiter.

Ecce jam eum viro illo sapientissimo ex integro convenisse videmur, & non modo indignos, & impares ad Doctorem aliquem sequendum obligamus, ut dictum est §.1. Sed unumquemqoe ad munus judicis parem dignumq; præterea arbitramur, undecumque demum, sive scrutinio suo, sive ex autore, Doctoreque aliquo suo facto verum ipsum plerumque noverit, raroque deficiat: quod vix ille sapientissimus concedendum jure existimabat.

Hac de re tractavimus fusè quæst. 13. agendo de Magistris, & quæ ibi constituta sunt, hic de judicibus dicta volumus. Ibi, quod ad Theologiam attinet explicatū est, quos, & quales Doctores licite nostros facere possimus, ac etiam teneamur; quos item, & quales non possimus; & contra libertatem opinandi, seu verius ineptiendi multa diximus. Duo enim in Theologia, ac proportione etiam in judiciis desiderari possunt; primum, & per se est, ut Magistros bonos, & judices dignos habeamus; alterum, ut habeamus saltem minus malos, ut etiam §.1. distinximus: quæ duo valde distant.

Ad primum quærendus est Doctor, & suus cujusque faciendus, qui, ut in plurimum verus existat, raroque deficiat: ad secundum satis est alios etiam Doctores suos facere, quamquam adeo veri non sint; nam hoc minus malum erit, quam si gregarla quædam ingenia de suo moliantur.

Quod ad Theologiam attinet, habemus Dei gratia Doctores plurimos famosos, plerumque saltem veros & notissimos, quos nostros facere, & sequi liceat, & teneamur, ut eā quæst.13. declaravimus. Utrum autem pro judiciis suppetant pares alii, & similes, quos sequendo judices boni, dignique simpliciter evadant, & non solum minus mali, id est, quos sequendo jus suum unicuique, saltem fere semper custodiatur, & tribuatur (hic quippè est finis indispensabilis) judicare nos non possumus, qui scientiam ipsam Doctorumque ejus gradum, ac veritatem, nec experiri, nec nosse aliunde potuimus. Plurimum certè Reipublicæ, civiumque interesset, quod in condiendis favri legibus desideratum, intentumque fuit, si quis doceret, inde demum, & quomodo tot inter involucra opinionum contrariatum verum ipsum, jus ipsum inveniri queat: parum quippe Reipublicæ, civiumque intereft, sive falsis opinionibus sive sortibus, ut exposuimus, suo priventur, & ubi tuendi erant, spolientur, ac perdantur.

Dedimus quæst. illa 13. & aliàs signa, & notas, quibus deprehendi, invenirique possunt Doctores, vel semper veri, vel plerumque saltem veri; ex quibus notis hæ duæ sunt, quas Juristæ usurpare possint: altera est, quod Doctor non habeat parem alium vel etiam superiorem sæpè sibi contrarium; nam cum in contrarietate alteruter saltem necessario erret, & par pari præferri jure nequeat, & minus digniori, plane non surperest nisi pura libido, & voluntas, cur alterater vel semper, vel ferè semper verus præsumatur: in quo defecit distinctio illa, & quasi graduatio Azoris, & Japiæ, si non de minus malo, sed de bono disseramus. Altera nota est, quod autoritate Doctoris liceat rei veritatem probare, sicut loco dicto declaravimus, omnis scilicet probatio rei cujusque vel est certa, vel concludens, vel saltem probabilis, & plerumque vera; & infra has nulla est probatio, quia nulla est connexio cum re, & cum conclusione magis, quam cum non conclusione, vel tam exigua, ut pro nulla habeatur. Si Doctor est semper verus notus, autoritas sua concludit rem, verumque ipsum certo evincit. Si Doctor saltem plerumque verus sit, autoritas sua evincit conclusionem, & veritatem probabiliter, & quam quam exceptionem habere possit, tenetur adversarius eam fortiori aliquo medio ostendere. Ergo Doctoris semper veri, vel plerumque veri autoritate res apte utique probamus, ac tem ita esse ostendimus. Ergo Doctores illi omnes, quorum autoritate in Academia, vel Consilio non auderemus arguere, nec ita esse affirmare, quia ipsi dixerunt, nec semper veri, nec plerumque veri saltem nobis noti sunt. Ergo nullum talem suum faciendo, & sequendo, ac jus ex eo dicendo judex bonus evadit, sed ut summum minus malus: est verò valdè usitatum in rerum quarumque malarum multitudine minus malas bonas vocare, ac etiam forte existimare.

Hinc Juristis videndum supererit, utrum habeant hujusmodi Doctores aliquos, qui nec pares alios, nec superiores sortiantur sibi sæpè contrarios: & quorum autoritate, & quia ipsi dixerunt, possint in Schola, & in Senatu enunciare, & affirmare, rem ita esse, jus non Titii, sed Sempronii esse. Quod si habent eos suos facere, & sequi possunt, & debent, eruntque judices boni; sin vero non haberent, aut alios sectarentur, minus mali fieri

fieri poterunt; boni tamen, dignique, & pares negotiis non erunt. Hæc enim est essentia tota quanta sui negotii, & civibus, & partibus suum tribuatur, & reddatur saltem plerumque, & raro deficiat.

Quoniam vero pauci præstantissimi in ulla professione sunt, & vel de arte oratoria Augustinus notat & experientia demonstrat, plerisque Consultum erit Doctorem aliquem excellentiorem sectari, unde saltem minus mali fint. Quocirca practicissima est glossa illa S. Thomæ, quam supra de Magistris exhibuimus. Inquit, scilicet, Jacobus Apostolus: *Nolite plures fieri Magistri, fratres mei, scientes quoniam minus judicium sumitis.* Sic & Ecclesiasticus dicit: *noli fieri Index*; *Va vobis* &c. Et uterque textus videtur simillimus. Jam glossa S. Thomæ est: *non prohibet quantitatem, sed qualitatem, quam tamen nomine quantitatis significabat; quia plerumque eam sequitur*, id est non prohibet Magistros esse plures, & multos, sed esse malos, quod tamen Apostolus nomine quantitatis, hoc est multitudinis declaravit; quia plerumque eam sequitur, id est in multitudine plerumque mali non desunt; & illud de electa frequentia Oratoris & Philosophi. Quare, quod sapientissimus vir ille præscribebat, hi vel solum boni, vel nec boni quidem, sed mali obligandi, ligandique prorsus sunt Doctoribus, & Communioribus opinionibus; compescendique, ne innovare, vel de suo opinari, ac monstrare audeant: & sanè, ubi est multitudo opinatorum, & inventorum, erit ibi multitudo monstrorum mularum instar parturientium.

§. IX.

Quod si adversus universam doctrinam opponant, hoc pacto non inveniendos dignos insufficienti numero, respondemus ex D. Thoma negando.

Superius q. 19. §. 4. S. Thomas sibi objiciebat, non inveniendos ministros idoneos Ecclesiæ in sufficienti numero, si eam in idoneitatem, qualem Sancti desciperunt, requiramus, Et similiter in præsentia opponent nobis, non inveniendos idoneos dignosque Judices in sufficienti numero pro implendis tribunalibus, si hanc tantam idoneitatem, doctrinamque requiramus, ut sint scilicet, ut minimum mensura, & regulæ justitiæ, jurisque uniuscujusque saltem plerumque suum unicuique tribuenre raroque deficiente. Sunt scilicet in hoc toto opere nostro hujusmodi multa non tam argumenta, quam retriculamenta. Et certè, si hoc, quod opponunt non falsum, sed verum esset, indè haud sequeretur vel doctrinam nostram falsam esse, vel Judices id non potentes esse dignos, sed quærendum esse in Republica medium aliud, & modum, quo certius sua Civibus jura custodirentur, ac redderentur,

Tradit ergo S. Thomas responsionem tanto dignam Doctore, & ut Christianos decet, non adulatoriam, dicendo omnes esse idoneos, sed sinceram, & veram: *dicendum*, inquit, *quod Deus nunquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei Magistri sufficientes ad necessitatem Plebis, si (* hoc opus, hic labor *) digni promoverentur, indigni repellerentur, & si non possent tot Ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset paucos Ministros habere bonos, quam multos malos, ut dicit B. Clemens*; quæ non ego, aut Doctor ullus quispiam, sed S. Thomas dicit, atque pro judiciis eadem ad verbum reponimus, non enim opinor, quibus adeo ineptiat, ut dicat, Ministros quidem Ecclesiæ posse esse malos, Judices vero non posse ipsaque sua electione accipere omnes supervenientem Spiritum Sanctum, & scientiam infusam.

Illud opponi potest, rectè S. Thomam assumpsisse, Deum ita nunquam Ecclesiam suam deserere, ut digni Ministri non veniantur, si indigni repellantur, & digni promoveantur, & quærantur, quia Ecclesiæ hoc promisit: & præterea agitur de salute animarum, ad quam Deus in necessariis non deficit. Sed Reipublicæ nihil tale promisit, & præterea agitur de fundis, quos, an hic, vel ille habeat parum interest, quin prodest, ad salutem multis, si rebus suis priventur.

Verum in primis hæc objectio non tam doctrinam, quam judicia ipsa quatit. Deinde objectio stulta est, & providentiam Deo naturalem, curamque auferre videtur: & si tam nihili est unumquemque suo spoliari sive jure, sive re, quid Præcepit, non furaberis, ac tantoperè aliis etiam præceptis cavit, ne proximis nostris mala ulla inferamus? est ergo in Deo, ut fide sanctum est, providentia naturalis, quin adeo indeficiens, & accurata, ut axioma sit naturam, ejusve Authorem non deficere in necessariis. Necessarium porrò fuit, ut loco suo magis explicatur, ut homines in societate viverent: *ideò masculum, & feminam creavit eos*, & omne vivens solitarium, vel Deus est, vel cum Deo agit, vel bestia est, ut ex Philosopho correcto habetur. Quoniam tursùs, ut supra delibavimus domus sola sibi non sufficit, nec item pagus sibi sufficit, ex rerum ipsarum natura necessarium fuit Civitas, & Respublica, quæ sibi sufficeret, non utique excluso Deo. Huic porro sic constitutæ Civitati, vel reipublicæ necessaria fuit civilis potestas: quare eam supra cum victoria, & aliis naturalem, ac juris naturalis constituebamus, maxima vero pars hujus potestatis eò refertur, quod certè maximum in republica est, ut Civibus jura sua custodiantur: ergo natura, seu verius Author naturæ Deus non deficit in necessariis ad hunc finem: at sunt necessarii homines, qui scire, discernereque possint, quid cujus sit. Ergo Deus in sufficienti numero creat eos, & providet: nisi homines ipsi deficiant, nec partes suas expleant. Quod certè a fortiori tenendum est de republica quaque Christiana, quæ multipliciter juvatur etiam ad finem naturalem mediis supernaturalibus, & gratiæ, quippè quæ naturam non destruit, sed perficit, ut est axioma, nec hic exponendum est.

Cæterum homines ipsi in hoc plurimis modis vel deficiunt, vel deficere possunt; & duos hic possibiles defectus memorabo consequentiis gravidos, & alter est ex parte consultantium, eligentiumque judices; & alter ex parte electorum. Primus quidem valdè voluntario, & contra conscientiam committeretur, si providentiæ Dei ultra terminos poneret, quos ipse sibi non posuit, & circulum quemdam sibi præfigerent vel gentis vel nationis, vel partis Reipublicæ ex qua & non ex alia consultarent, eligerentur Judices: contra quod est illud exord. 18. *Provide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.* Itaque ex

omni

omni plebe, inquit, non ex hac parte vel illa, sed *ex omni, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est* ut supra disseruimus, atque hoc Moyses servavit, & ratio naturalis dictat, & obligat, & electurus Deus Reges, & Judices Israel, vide tu unde Saulem, unde Davidem evocaverit, traxeritque? Et patet hæc obligatio ex tota quæstione, & ex fine judiciorum; nec enim res est ista gratiæ Principis, aut res præmii, aut privilegium nobilitatis, aut quidquam hujusmodi, sed res strictæ justitiæ, non circumscriptæ ad hos est non illos; ad prætendentes, & non alios, sed complectentis universam rempublicam cujus rei gravitas declaratur hoc casu conscientiæ: quæraratur enim, vt rum Princeps, vel consultor proponere, eligere ve possit pro uno millione aureorum unom indignum? Vel, utrum cum tota vita dignissimos elegerit, unum semel indignum ad ostendendam suam magnitudinem, & potentiam possit constituere? Patet, quod non: sicut Judex ipse nec vel unam semel sententiam malam ferre potest. Dicis, non pro pecunia, sed gratis id ego facio. Et respondeo, gratis graviter peccas, & omnium tui judicis malarum sententiarum rationem plane reddes, & hoc inter alia illud significat: *& ab alienis parce servo tuo*: quorum scilicet commissione, vel omissione causa fuisti. Atq; hoc in genere ex universa republica eligendi eminuit non pridem apud nos Philippus 2. Rex, qui in regni angulis latentes, & non quærentes. Episcopos, & Judices quærebar ipse, & eligebat; sed forsitam dicat quispiam, quod Achab & Michæa, *remansit vir unus; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed* malum. Vere enim non parum hac in re desiti potest, ex quo forum, & tribunalia hominibus negotio haud paribus repleantur, si hæreditarii juris, dotalesve togæ, ac judicaturæ fierent; & interea consultoribus, & electoribus regnum cœlorum tutissimè promittitur, & prophetatur. Aulicus ille ad Michæam missus nuncius dixit satis quidem aulice, prudentiaque sæculi sapienter ad ipsum: *ecce sermones Prophetarum ore uno Regi bona prædicant: fit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Sed renuit vir Dei, & in durum carcerem conjectus est: at melius est pro veritate pari supplicium, quam pro adulatione consequi beneficium, ut dicit textus, vere enim arcta est via, & pauci ambulant per eam, ut dicit veritas.

Ex parte vero electorum ipsorum gravissimè delinqui etiam potest, si nihil examinarunt, nec noverunt, quid, quantum, quales ut ipsi sint, utrum pares muneri, an inepti, rudesque, & ad omne aliud nati, vel quamquam apti nati sint, & mente valeant, doctrinam tamen non compararunt, & interea in togas, judiciaque irruant, & lapidem omnem, moveant, ut consequantur. Hi omnes sive pauci, sive multi (& utinam nulli) extra statum salutis sunt, quandiu impares muneri illud exercent, & tenentur renunciare quotquot ad eam, quam explicavimus, sufficientiam, dignitatemque pervenire non possunt. Nec est excusatio & defensio per alios similes vel etiam inferiores; neque per consuetudinem; quia hoc, ut toties ex Augustino resumimus, & dolose iniquitatem suam quærentium; & rursus, quia in hoc, ut etiam sæpe declaravimus, committitur circulus vitiosus, & ad singulos eorum dicitur: *quia cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, horrendè, & citò apparebit vobis &c.* Ecce quantis de causis dicitur: *noli fieri Iudex: O Iudices, væ vobis* &c. Non enim nugatur Dominus, dum ista & alia denunciat. Et patet res exemplo medici insufficientis, & aliis: nam tenetur sanè non curare. Quod tamen nihil ista considerent filii hominum, & omni spiritu, & corde quærant fieri Judices, sive apti sint, sive inepti; digni vel non digni, ad magnam certè tristitiam movet.

Atque ex his patet, quam verum etiam de judicibus sit, quod D. Thomas de ministris Ecclesiæ statuebat, non defuturos in sufficienti numero, *si digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et si non possent tot ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset paucos ministros habere bonos, quam multos malos.* Sunt autem mali, ut ostendimus, omnes insufficientes ad jus ipsum, verumque saltem plerumque dignoscendum, pronunciandum, tribuendum.

§. X.

An in aliqua saltem causa possit Iudex veritatem egredi, & judicare ore, quod mente judicare, discernereque non valuit?

Hoc nunc ad quæstionis complementum quærendum fuit; quia vir ille summus probavit quidem in primis, eam regulam Juris in dubio datas a nobis explicationes, quas part.1.libr.4. pro reo, pro possessore, pro dote, pro causa pia, cæteris qoe privilegiatis prosecuti sumus, ut de re dividenda, vel quando est divisibilis, ubi nulla partium jure, vel privilegio præstat. Hinc vero transit ad quæstiones perplexas, in quibus pari vtrinque robore decertatur, ut est vtrum naturales filii excludant substitutum in conditione, si sine liberis decesserit; & similes, quæ quotidie occurrunt, nec legibus, abscissæ sunt.

Quærit itaque, quid his in litibus Judici agendum sit? Et primo resolvit, si Chancellaria aliqua, majus ut aliud tribunal morem receptum habeat. Eum esse sequendum, quia non est facile recedendum ab eo, quod diù æquum visum fuit l. 2. ff. de const. Princip. & sufficit dicere, sic invenit, semper senatum censuisse l. filius emancip. 14. in fine principii ff. ad leg. Cornel. de falsis. Cùm verò hoc subsidium do fuerit viris doctis instructissimisque judicibus onus imponit serio descendendi ad Autorum perscrutanda fundamenta utra præstent, & legi rationique magis congruant, ac propiora sint, proximioraque veritati & fin minus, eos peccare. Quod si post omnem suam inquisitionem, & indaginem in neutram partem Judex magis inclinet, sed anceps, dubiusque hæteat, tunc poterit, ait, ex opinionibus æque probabilibos alter utram præferre, & secundum illam judicare: non quidem secundum unam modo, & secundum contrariam post vænali quodam desultorisque affectu; quod scilicet tribunalia dehonestat, ut docet Sanchez in præcep. Decal. lib. 1. cap. 9. n. 47. estque grave peccatum scandali, ut censet illustris. Tapia in at mor. to. 1. lib. 1. quæst. 8. art. 17. n. 8. turpis enim est, inquit Lipsius, ista vacillatio sententiam mutantium, & certum signum non certæ mentis.

Integram istam sapientissimi. Doctoris senten-

finem esse mensuram, & regulam eorum, quæ sunt ad finem, est inductione rerum omnium constat, & superius expositum est; & à potentiis ipsis nostris, & sensibus, membrisque incipiendo, ac per omnes res, quæ alterius gratia sunt discurrendo, earum bonitatem, rectitudinemque omnem regulamus, mensuramus, & taxamus per fines suos, & aptæ quidem bonæ censentur: ineptæ verò malæ, & aptiores meliores, ineptiores autem, & ineptissimæ pejores, pessimæque hac regula judicantur, & habentur notione naturali.

Sapienter verò vir gravissimus Victoria post notatam Theologiæ nostræ in omnia amplitudinem, bonoque ideò, ac solidorum Theologorum assertam verè inopiam, suam de potestate civili relectionem ortua est à causa finali; omnium quippè, est ait, prima, ac potissima: & certè maximè ostensiva, & demonstrativa; ex qua proinde & nos hanc de judiciis, judicibusque quæstionem retexemus.

Nec vero ab ovo, ut aiunt, rem incipiamus, id est à primo libro Politicorum, hominem animal esse sociabile ostendentes, indè domum, hinc pagum, subindè civitatem constituentes, ac dein ad Rempublicam, Regnumque venientes, quibus de rebus quasi arena sine calce, solutis quibusdam præceptis libros politicos, ac planè inutiles quidam componunt, quos inter celebratissimum alioquin, & subtilissimum Tacitum reponimus; Plato autem, atque Aristoteles per finem cuncta ordinate demonstrarunt, & longissimè his aliis soluta, ut sic loquar, orationis Authoribus præcelluerunt.

Supponimus itaque Civitatem jam, vel Rempublicam constitutam, cujus hoc est proprium, ut ad humanam fœlicitatem, pacemque Civium sibi sufficiat. Quoniam autem felicitas ista, & pax à contrariove externo, vel interno turbari, impedirique potest; id vel ab hostibus Civitatis, & Regni, vel à malis, seditiosisque Civibus; hinc oportuit Rempublicam duplici potestate esse munitam: altera qua vis, & injuriæ hostium propulsentur, atque hæc est potentia militaris, potestasque bellum gerendi: altera potestas civitatis, potestasque bellum gerendi: altera potestas civilis, qua cives officio contineantur, ac seditiones caveantur; utque duobus his malis, interno, externoque occurreretur, totus quantus strepitus bellicus, & fori constitutus fuit. Quanquam verò multitudo, cui quod plus est in sensu est etiam plus in intellectu, præferat potestatem, ac potentiam militarem civili, quia illius major est strepitus; sapientes tamen, qui non tam sensu, quam intellectu judicant, civilem anteferant. Et probavit pridem Plato, quia tantum magis præstat bonum potestatis civilis proprium ac pax interna civium, quantò belli civilia externis, & hostium bellis deteriora sunt. Et sic rursus cum natura imitatione arte quaque ac etiam civitas, respublicaque constent, videmus sane ea viventia, quæ in aliorum usum procreata non sunt, v. g. hominea (ut feras præteream) morbo magis, internoque maloque plerumque interire & non vi, & violen ia, atque ita profectò internia malis, & morbis Respublicæ etiam. Regnaque tabescunt, licet mors ipsa, & interitus vi, & violentia communius contingat: accidit quippè hæc vis exterior corpori jam semimortuo, nec resistere valenti, & inerti. Quod si divina humanis compatare liceret, ea proportione, qua operationes Divinæ ad intra operantibus ad extra præcellunt operationes quasi ad intra ipsius Reipublicæ iis præstant, quæ quasi ad extra, & ad alios exercentur. Adde robur omne, & potentiam operandi ad extra, & ad externos pendere, ut in naturalibus cernitur, ex recta compositione, & salute Reipublicæ in se, & ad se, & hoc est primum ex quo illud deinceps consequitur, ut exemplis Lacedæmoniorum, & aliis Aristoteles demonstrat. Tanti est ad salutem Regni, & Reipublicæ potestas civilis, & politica, ejusque recta administratio

Nec porrò potestas Civilis, seu politica triplex est ex triplici ordine Regni, & Reip. quo triplici ordine & partes ad totum, & totum, & bona communia ad partes inter se coaptantur: unde triplici illa justitia legali, distributiva, & com mutativa opus est; & qualibet illarum corrupta cadit Regnum. Et Deus quoque propter injustitias hominum de gente in gentem Regna transfert. Ex triplici eo ordine justitia judiciorum, judicumque propria commutativa est, quæ etiam annexam habet vindicativam, quia vis directivæ coercitiva etiam est necessaria; & alioqui contemnerentur sententiæ judicum, sicut Doctorum: & quia Deus in hac vita parum vindicativa utitur, ideo ipse, & lex sua adeo contemnitur, & non est timor Dei in terra. Quia ergo maxime oportuit, ut partes Civitas, & Reipublicæ rectè inter se ordinarentur, nec impotentiores à potentioribus, vel pauciores à pluribus injuriam paterentur, vel pares cum paribus perpetuo pugnarent, fœlicitatemque, & pacem civium, & partium inter interturbarent judicia, & judices constitui sunt, qui in bonis exterioribus, & corporis, & animæ injurias partium à partibus impedirent, illatasque punirent.

Ex his sic in genere de constitutione Reipublicæ infinuata patet, finem judiciorum, judicumque eum esse quem proposuimus, ut scilicet citra vim & violentiam habeat unusquisque quod suum est in bonis exterioribus, & fortunæ, in bonis vitæ, & corporis; & in bonis animæ, quo & virtutes, & honor & fama pertinent. Quare si nullæ esse possent injuriæ civium in cives nihil necessarii essent judices, & judicia.

Hinc, ut ex Isidoro cap. 10. de verb. signif. tritum est, judex perindè est, atque jus dicens, & declarans, quid sit uniuscujusque secundum jus, & facto etiam esse debeat: nam hic est finis, & ideò judices potestatem habent ad sententias suas executioni mandandas; & inutile esset jus dicere, & in hoc sistere, nisi opere dein compleretur. Sic etiam judicium, vel locus, in quo jus dicitur, vel ipsa jurisdictio appellatur, & cætera verba fori eo capite declarantur; & satis certè utiliter; quia ex Philosopho sæpè etymologia nominis dat definitionem rei, & lex Logicæ est in definiendo definitionem quid nominis præmittendam esse definitioni quid rei. Quam, ergo proprium, sc munus ipsum formale Judicum est, uniuscujusque dicere, tam finis suus proprius, in quem dictio, & determinatio sua juris ordinatur, est, ut unusquisque modo dicto habeat quod suum est.

Eodem modo, juris studiosi hanc ante omnia lineam, lectionemque addiscunt, justitiam esse constantem, & perpetuam voluntatem jus suum unicuique tribuendum. Judicum autem hoc est quod justitiæ

justitiæ, & ut 5. ethic. dicitur, homines ad Judices tamquam ad animatum quadam justitiam confugiunt; ut utique consequantur quod suum est, quod ipsa justitia si loqueretur factura esset, hoc judicea supplent, & idipsum dicunt, quod justitia diceret. Hinc etiam judicium, sumptum pro actu definitur 2. 2. q. 60. art. 1. recta definitio & determinatio ejus quod est justum, & juxta justitiam. Patet ergo judicium hoc esse proprissimum, & finem proximum, jus quippè suum unicuique tribuere, remotum verò, quod unusquisque habeat quod suum est. Undè judices Ministri etiam vocantur, non tam Principis, quam justitiæ; & earenùs etiam Principis, quatenus omnia ea triplex justitia residet in ipso architectonicè, & tamquam in Præsidenre. Neque de his magis differendum est, nam judex quilibet rogatus, quid sit munus, & officium, ultrò respondebit esse uniuscujusque definire, ae jus suum unicuique servare, & tribuere.

§. V.

Hinc evidenter sequitur ipsam juris veritatem esse regulam judiciorum, & judicum.

Continget forsitam, qnod sicut qnidam Theologi concedentes quidem quod citta fidem negare non possunt, legem æternam Dei (vel in se, vel participatam) esse primam regulam actuum humanorum, posteà tergiversantur, & nolunt veritatem, hoc est, conformitatem cum ea lege æterna esse regulam proximam eorumdem. Sed quippiam aliud, id est probabilem, vel etiam ignorantiam, vel nescio quid aliud: ita Judex aliquis concedat quidem scire jus, justitiam esse suam adæquatam regulam, & intereà nolit veritatem esse suam quasi proximiorem regulam, qnod certè quis diceret retminos non intelligeret, qui proindè exponendi sunt quanta claritate fieri poterit. Est indè post concludamus omnes impares, ac incapaces adversum ipsum esse impares & insufficientes ad jus dicendum & consequenter ad officium, munusque judicis, & sic non dignos, sed indignos.

Declaratur ergo in primis principia quodam familiari Philosophi, & S. Thomæ atque per se noto, quo dicitur id esse in intellectu verum, quod in rebus esse. Et Augustinus, verum dicimus esse quod est: & sic etiam veritas negationum exponitur Ergo id est in intellectu verum, seu veritas juris, quod in rebus est jus, & id veritas justitiæ, quod in rebus ipsa justitia. Ergo judex dicens, mea regula est jus, vel justitia; mea autem, regula non est ipsa præcise veritas, juris, vel justitiæ, terminos non intelligeret. Sed omnis judex fatetur suam regulam esse jus ipsum, vel justitiam ipsam. Omnis ergo judex fateri debet regulam suam esse ipsam præcisè veritatem juris, vel justitiæ. Et eodem modo arbitremur Recentiores Theologos hinc firmiter tenentes legem Dei esse primam unicam regulam actuum humanorum, ac morum, aliundeque nolentes veritatem esse secundariam unicam regulam eorundem actuum, & morum, terminos planè non capere.

Deuuò quia qui judicat, & justitiam, judicat juxta, veritatem, & regulatur vera cognitione juris, & justitiæ, & similiter qui judicat juxta veritarem, judicat juxta jus, & justitiam, Ergo idem, vel mutuo convertibilia sunt judicare juxta jus, & justitiam, & judicare juxta veritatem, & regulari cognitione vera. Ergo quorum regula est jus, & justitia, ipsorum regula est veritas ipsa juris, & justitia. Quarè dicere hos, aut illos veritati dignoscendæ, discernendæque esse impares est dicere ea juri, justitiæque agnoscendæ esse impares: & hinc sequitur: ergo partes, & eives, ex talium judiciis consequi uon possunt quod suum est: quem tamen probavimus esse finem universum judiciorum judicumque omnium, ac fori rotius.

Rursùs, quia is juxta veritatem, & ex veritate uon judieat, qui vel ignorat, vel fallitur, & errat. Sed omnis talis non tribuit jus suum ei, cujus est, sed magis aufert, & alteri tribuit, cujus non est. Quod patet; nam qui tribuit jus suum ei, cujus est, in eo planè nec ignorat, nec fallitur: ergo si ignorat: vel fallitur, non tribuit, sed adimit jus suum ei, cujus est, & alteri tribuit, cujus non est, undè sequitur quod unusquisque non habeat vero quod suum non est: quod ni fieret judicia, judicesque constituti sunt, & hic est finis tot hominum, & officiorum, scripturarum, & expensarum.

Præterea quia qui agnoscens veritarem ipsam juris esse pro uno, judicat pro alrero, peccat juxta omnes; sed non ob aliud, nisi quia contrariatur ac discedit à sua regula: ergo sua regula est ipsa vetitas juris. Sed dicis, in quo plurimi falluntur, regulam esse vel jus, vel justitiam, vel veritarem sibi existimatam talem, non tamen veritatem re ipsa, & probas; quia qui judicando discederet à veritare sibi existimata tali. Licet re ipsa falleretur, peccaret haud: ergo hæc veritas, scilicet veritas existimata talis est regula judiciorum, non autem ipsa re ipsa veritas; ac proindè omnes illi, quibus propositum, fixumque animo est ore judicare quemadmodum, cordè intelligunt, apti judices sunt. Explentque regulam suam, quamquam ipsam reipsa juris, justitiæque veritatem allequi minimè valeant.

Verum hoc, quod multa confundit, & debilium mentium est, persæpè avertimus. Demonstravimus scilicet universim talia solùm existimata sicut iu pane, in vino cernere pinguiores etiam animæ possunt, in quo etiam defecit levissima Recentioris cujusdam sententia dicentis, à peccatis solùm existimatis absolvi verè posse, quod proindè dictu est, atque me posse tollere, occidereque homines existimatos & fictos, solutionesque peragere auro existimato, & per intellectum conficto. Et *ad absolvo te à peccatis* in casu respondendum est, logicè nego suppositum. Sed ad rem. Sic ergo jus solum existimatum non magis est jus, quam panis solum existimatus sit panis; undè ejus hoc unicuique tribuere. Est sicut vesci, aliquo pane solum existimato. Quod porrò quis existimet, & fallatur maximis, ut vocant, fundamentis, motus, id est, revera deceptus, & illusus non facit res esse tales, ut vel talpæ rident. Non ergo facit, ut judex tribuat jus suum unicuique; magis quam in simili daret panem suum, quia re vera deest panis, & deest jus. Deindè demonstratum late fuit falsa omnia, nullo excepto, in unaquaque scientia non pertinere ad ipsam, sed ad pseudoipsam, & sophisticam ut patet ex definitione scientiæ, & sophisticæ: ergo sic est

veritas existimata. At judices, opinor, non concedunt suum esse judicare secundum juris pseudoscientiam, & prudentiam, & satis esse se sophisticas esse. Ergo sua regula non est jus solum existimatum, ac sibi visum tale. Ergo est ipsum jus simplicitet, sicut alimentum est ipse panis. Ergo sua regula non est solùm existimata, & sibi visa veritas, sed ipsa veritas. Alioqui judices per ignorantiam peccare non possent; sed ostensum est posse: ergo inanis est ea evasio. Item alioquin conscientia judicis esset suptema, & ultima regula judiciorum, quæ cum priori alia concordanda non esset: hoc autem falsum est, & conscientia errate potest, ut nemo dubitat: ergo regula non est quod conscientia existimat, licet contra eam agere peccatum sit, ut l. 1. explicamus. Undè dolendi sunt, qui in consultationibus, & electionibus se tutos existimant, quia dictamen conscientiæ formarunt, cum dictamen possit esse erroneum, & falsum, & vincibile, quod juxta omnes non excusat. Atque demum quia ea veritate solum existimata nemo consequitur quod suum est; quin privatur, & pejus, quam si per vim, & violentiam privaretur; nam hæc licet recuperare clam, & per vim si judicia nulla essent: nullo autem repetere ea possumus, quibus in judicio exproliamur. Ergo per veritatem solum existimatam non obtinetur finis judiciorum, & judicum regula ergo est ipsa reipsa veritas.

Arguitur ulterius sic: nam Aristot. 1. Rhet. cap. 17. tamquam notum supponit judicem esse sicut auri, argentique cognitionem, *ut verè justum ab adulterato distinguat.* Hoc est justum adulteratum, quod vere justum quidem videtur, sed tamen non est; sicut hoc est aurum adulteratum quod aurum videtur quidem esse, sed non est; & patet in cæteris omnibus, & sic etiam adulteratur verbum Dei: atque hoc eodem auri adulterati, apparentisque exemplo idem Aristoteles lib. 1. Elench. cap. 1. Sophistas, opusque Sophistarum explicuit, tradiditque post ad sapientem pertinere dignoscere, & manifestare hæc opera falsata, & adultetata, & quæ vera videantur. Ad hoc ergo in Rep. judices constituti sunt, ut intet hæc jura alia vera, alia adulterata, & falsata discernant, & vere justum, & quod solum videtur esse, sed non est dignoseant, ac vere justum unicuique tribuant. Hoc autem fit per veritatem: ergo hac est regula, à qua discedere perinde est atque ab ipsa justitia.

A litis itaque principio jus incipit confundi, & partis cujus revera jus non est, & Procuratoris ejus, & Advocati, & auxiliantium omnium hoc est opus totum, & negotium, ut non modo jus rerum confundant, sed ut falsum, & quod non est, esse, & verum esse videri faciant. Jus vero sic impugnatum, & confusum ad judicium advehitur. Ad quid igitur judices sedere arbitramur, nisi ut in hac confusione distinguant, ac vere justum discernant, eliciant, vindicent, eique tribuant, cujus est? Atque hoc ipsæ etiam Judicum sententiæ significant.

Est igitur veritas regula prorsùs necessaria judicibus 7. *noli fieri judex. Væ vobis o judices, væ vobis in æternum, & ultrà; quia non est in vobis veritas!* Exo. 18. *Provide autem de omni plebe viros Sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas*: perindè quippe est in quibus sit veritas, & in quibus sit justitia; quæ præter veritatem esse non potest. Deuter. 19. *Cumque diligentissimè perscrutantes, invenissent falsum &c.* Exo. 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Hic scilicet est scopus, & finis; ac perindè est à vero deviare, atque deviare à justitia. Sed hoc, inquis plures judices efficere non possunt. Responsio est, de qua post, officium aliud edisceant, nam id non posse, & officium judicis non posse, perindè sunt. Et Job. 29. *Causam quam nesciebam diligentissimè investigabam.* Investigario porro, & inquisitio omnis, & consultatio est veritatis gratia, ut constat ex Ethic. Et ex t. 2. Hoc etiam probat consultissima illa petitio Salomonis Reg. 3. cap. 3. *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum, & servus tuus in medio est populi,* &c. *Populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum. Placuit ergo. &c. Sed postulasti sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci* &c. Hoc ergo est necessarium judicaturo cuique & Regi, & cæteris, ut inter bonum, & malum, atque inter judicia discernere possint; & bonum, ac jus, & vere justum accipere; respicere vero mala specie boni, & justitiæ personalia, ficta, contecta. Nec alia Dei sapientia necessaria esset ad sequendum bonum, & jus sibi existimatum, & visum; si re veta ita sit, sive non ita sit; imò ut in hoc discernatur, sapientia illa postulata fuit, & concessa.

Hinc ipse Salomon totum illum suum de sapientia librum ad Reges maximè, judicesque dirigit. *Audite ergo Reges,* ait cap. 6. *& intelligite: discite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, &c. Quoniam cum essetis ministri Regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ.* Lex porrò justitiæ indubitata est, quod unusquisque habeat quod suum est. Subdit continenter illud: *horrendè, & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet*; & inferius: *Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis: qui enim custodierint justitiam, justè judicabunt, & qui didicerint justa, invenient quid respondeant.* David quoque dixerat: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, &c.* Inquam, erudimini, non utique falsa, quæ nec Deus docet, nec hortatur ad ea: ergo vera: quin sapientiam dicere, & veritatem dicere idem, vel connexa sunt; & quot verba in sapientiæ laudem, ac necessitatem scripta sunt, totidem pro veritatis salute, ac necessitate iterantur, cum, ut sæpè demonstravimus, sapientia omnis, & quælibet illius particula claudat essentialissime veritatem.

Judices itaque, *qui didicerint justa, invenient quid respondeant*? Sed ubi precor, & quando? Sanè quando & ipsi judicabuntur; cujus judicii paulo ante meminerat, & nos l. 4. fuse ostensuri sumus; per conformitatem ad illud judicium quod, & quale futurum fideles credimus, inveniri posse veritatem moralem: ideo sicut multi recentiores probabilia sua, & suum illud male acceptum jugum suave, & alia toties ingeminant, nos hoc judicium, ut & Paulus fecit toties inculcamus. Diximus verò q. sup. casus, & causas omnes nostras etiam minutissimas, & commissionis, & omissionis duplici sententiæ, id est, quasi visionis,

nis, & revifionis fubjacere, & alteram ferri in confeffione, in illo judicio alteram: plurimas autem primas fententias, & abfolutiones in ea revifione plane revocari, damnarique multos hic confeffos, & abfolutos. Sic plane omnes omnium judicum fententiæ revidebuntur ibi denuo, & quicunque jufta ipfa non didicerunt, non invenient quid refpondeant: quærentur quippè, cur fundum Petri Paulo confignaverint? Quoties enim errant hoc faciunt. Licet vero aliquam in his excufantem ignorantiam conceffuri fimus, communitates tamen non valebit, fi refpondeas; Exiftimavi fundum effe Pauli, & non Petri, ut exponetur. Dicet fcilicet judex ille, cur inter jura difcernere cum non poffes, judex fieri voluifti? Annon hoc, fed contrarium ego non præfcripfi? Num veritatem in judicibus non requifivi, in judicibus non imperavi? Quod fi illum in tenebras exteriores mifit, qui ad nuptias degeneri vefte intravit, quid exiftimamus fiet, fi qui in tribunalia, & judicia cum impari doctrina irruant? Et re ipfa non aliud faciunt quam quod fuum eft unicuique adimere.

Hanc ipfam veritatis præcife ipfius neceffitatem ea omnia fupponunt quæ pro fori, judiciorumque rectitudine in utroque jure cauta funt, & conftituta; quod nemo judex fit in caufa, vel fuorum; Nam in talibus fallitur facile: non item hoftis: & in fumma, cum *quatuor modis judicium humanum pervertatur*, metu, & cupiditate, amore, & odio, ut ex Gregorio traditur cap. *quatuor* 11. q.3. Cautiones omnes, fufpiciones, recufationes ad has quatuor caufas amputandas erroris, vel cordis, vel oris diriguntur. Hac de caufa judex antequam fententiam ferat agnofcere debet quæ in principio caufæ, medio, & fine acta funt, ne fcilicet fallatur. Hac de caufa non ad unam probationis fpeciem, fed ad omnes infpicere debet ne fcilicet fallatur. Hac de caufa fufpectus effe non debet nec inimicus, nec ipfe fimilem ei, de qua judicat caufam, litemque habere, quia facile in talibus fallitur. Eadem item de caufa judicia præcipitari non debent, termini concedendi funt, de informationibus, de fcripturis, de teftibus, de exceptionibus, de nullitatibus infinita conftituta funt; quorum omnium, legum omnium, fori totius, expenfatum, adminiftrorum, quo in uno negocio Reip. tanta pars occupatur, huis, & fcopus univerfus eft, ne in judicando fallantur, aut fcienter falfo definiant judices; utrovis enim modo error contingat, unusquisque jure fuo, & re privatur. Idcirco in Areopago nec Advocati quidem, & alii, qui in alterutrum partes judices deflectere, inclinareve poffent, admittebantur, prohibebaturque ne aliud quippiam, quam factum ipfum dicerent, quod Relatores apud nos, unus judicum apud Italos facit: cætera quippè judices ipfos noffe debere merito fupponebant. Quod laudat Ariftot. 1. Rhet. 1. dicitque inter alia: *Non enim oportet in iram, aut invidiam, aut mifericordiam impellendo à recto judicem flectere, ne fimiles ei fimus, qui eam qua ufurus eft regulam prius inflectit.* Omnia ergo judicii rectitudinem, veritatemque neceffariam undique ftabiliunt.

§. VI.

Jure ergo à nobis p. 1. inductum videtur melius fore fortibus quam judicio caufas terminare, fi à judicibus non haberetur pluris verum quam falfum.

Hanc non thefim, fed hypothefim parte 1. induximus, ut oftenderemus judicum, judiciorumque regulam non effe nec æque probabilia, nec minus probabilia: ex qua nimirum regula non magis habetur, & obtinetur verum ipfum quam falfum; quin ex minus probabili magis habetur falfum faltem quoad nos: ergo non magis habetur jus ipfum, quam non jus: Ergo nec magis fervatur, quam violatur juftitia ipfa, nec magis cives confequuntur quod fuum eft, quam priventur, fpolienturque fuo nec judices magis juftitiæ, quam injuftitiæ re ipfa miniftrarent: quæ omnia connexa funt, & abfurdiffima. Miramur autem femper recentiorum quorundam inconfiderationem qui regulam iftam pro judiciis quidem refpuant, & tanti faciant quod homines habeant quod revera fuum eft; & non tanti faciant quod homines fervent legem Dei, quæ revera eft: quafi vero magis judicium effet tribuere unicuique quod fuum revera eft, quam fit omnium hominum vivere juxta legem Dei, quæ revera eft, & tanti fit fpoliare revera homines fundis fuis, & nihil fit violare revera legem Dei: quibus fanè ita arbitrantibus hoc unum effet explicandum, quid fit fundus, quid Deus, & quid lex ejus.

Ad hypothefim itaque illam redeamus; & fingamus tribunal, fenatumve alicubi aliquem ex quo cives, & partes, non magis verum ipfum, quam falfum habeant, & confequantur. Hoc pofito dicimus, confultius civibus, & Reipublicæ, Regnoque futurum, fi loco fimilis Senatus, judiciique fortes inftituerentur, eisque caufæ, & lites terminarentur. Hoc nunc demonftratione, quæ offendere quidem malos judices poffet, folvi tamen, ut opinor, non poffit eft manifeftandum; & primo de civibus, quorum gratia judices, & judicia conftituta funt.

In concurfu duorum quorumlibet mediorum quorum utrovis æque certò, vel incertò finis obtinetur, illud eft omnibus melius, confultius, & eligendum, quo brevius, & commodius finis obtinetur. fed in hypothefi incertitudinis propofiti Senatus, in primis æque certò, vel incertò ejus judiciis, vel fortibus finis obtinetur; aliunde vero brevius, & commodius comparatione civium per fortes: ergo in hypothefi medium fortium effet melius, confultius, & eligendum civibus. Major & experientia, & inductione, & ratione eft confpicua: & omnes in omnibus ea media deligunt, quibus cæteris paribus brevius, commodiusque propofitos fibi fines vel honoris, vel lucri, vel voluptatis, vel etiam falutis æternæ confequuntur. Et ratio eft quia tota bonitas mediorum menfuratur, taxaturque per finem: quare labor, vel prolixitas unius medii, ubi alio labor, & prolixitas vitari poteft, induit rationem mali: & propter alia obvia. Sic ut poteftati civili militatem, opponamus, fi Rex arces fuas æque certo tueri poffet pictis militibus, atque vivis, fatuum effet non uti pictis, qui non comedunt, nec moviuntur. Minor etiam propofitio eft notiffima: quia cives in primis plurimum in judiciis expendunt; in fortibus vero nihil, vel valde parum expenderent. Sed non expendere commodum eft civibus: commodius ergo effet eis medium fortium. Præterea judicia in longum trahuntur, fortes breviffime expediuntur: ergo medium fortium effet brevius. In hypothefi portò fervatur paritas, & æqualitas in certitudine, vel in incertitudine confequendi finem: nam finis eft, ut conftituimus, ut unusquisque habeat quod fuum eft;

& litis universado hoc uno est, cujus scilicet sit res litigiosa, & vnaquæque pars hoc imum dicit, & allegat, soam esse; & supponit utraque ei esse illam assignandam, cujus est. At in posito illo Senatu hic finis certius non obtinetur per ejus judicia, qoam per sortes: nam posuimus illum æqualiter se habere ad verum, & salsum: ergo pure casuale, pure contingens, &, ut dicimus, pure ad utrumlibet esset quod ex illo quis consequeretur suum: sed hæc ipsa est natura, & incertitudo sortium: ergo par omnino foret certitudo, vel incertitudo judiciorum positi Senatus, ac sortium, & contingere utrovis medio posset, ut partes semper, vel sæpè consequerentur quod suum est; & etiam quod nunquam, vel raro, & utrumvè casuale esset, & sicut in sortibus.

Exponamus rem clarissimam, & relicto regno, & civitate fingamos in mundo non aliud esse quam pagum unum, & duos tantum litigantes, & unum judicem, qui tamen nesciat magis verum ipsum salsum, id est vere justom, quam non justum: & consultatio fiat, utrom ab eo judice sperare alter eorum possit quod suum est magis, quam medio sortium? Profecto nulla soperest ratio spei ullius: nam ex æqualibus se habentibus ad effectum aliquem nihil est cur ab vno præ alio speretur effectus; ut paret in causis omnibus; sed judex ille, & sortes æqualiter se habent ad verum ipsum: ergo non magis à judice illo, quam à sortibus sperandum esset verum ipsum; ergo nec vere justom, & suum. Par ergo prorsùs, & æqualis est certitudo, vel incertitudo. Sed sic se habent cives omnes, & litigantes ad positum illum Senatum; sicut duo illi in pago ad unum illum judicem. Ergo sicut in uno illo judice sic in Senatu posito par omnino, & æqualis certitudo, vel incertitudo superest, quæ in sortibus. Ergo medium sortium esset in hypothesi civibus eligendum.

Etiam Regno, & Reip. quia in primis Regnum, & Princeps facit sumptus magnos pro conservandis judiciis; vtile autem, & commodum esset Regno tantos hos sumptus vitare, si sine illis alio medio, quale tunc foret sortium æque bene, & certò finem intentum consequeretur. Esset prætereà otilitas alia maxima; quia infinita multitudo civium, qui foro, judiciisque inserviont, in bello, & in aliis Regno utilibus occopari posset. Ergo Regno etiam, & Principi in hypothesi eligendum esset medium sortium.

Dicis: Princeps nollet tunc uti sortibus, sed judiciis: ergo posita etiam ea paritate certitudinis, vel incertitudinis servari posset ille Senatus. Resp. Princeps male faceret: nam judicia instituta non sunt propter libitum Principis, & quia ipse vult, vel non vult, sed, quia ipse tenetur civibus servare justitiam inter se; & quia omnia se solo videre, & expedire non posset, ex gravissima obligatione judices, & judicia sanctissime instituta sunt: & prorsùs probo quod victoria, & alii commõstrant potestatem civilem non esse aliquid institutionis humanæ, sed naturalis, & Divinæ. Nec Resp. vel Regnum, vel Princeps tollere potest potestatem istam civilem, quam supra trifariam divisimus, nec fines ejus invertere.

Dices rursùs absurdam, & civilem, & nullibi cultarum saltem gentium visam fore Remp. quæ sortibus lites, causasque terminaret, & judicia, judicesque tolleret. Et ego certe nihil repugno, sed maxime probo. Sed ex hypothesi est sermo noster; & dato, & posito, quod in judiciis, & judicibus non magis superesset verum ipsum, quam falsum; & sunc etiam non sortes inducendæ essent, sed judicia ordinanda, & ad rectum restituenda, tamen hoc non facto, & servata hypothesi, ac in sensu composito illius præstaret medium sortium.

Hæc autem ex hypothesi dicta duo absolute, & sine hypothesi demonstrant. Primum quam sit necessarium verum ipsum in judiciis, & judicibus, ut explicatum est: sin minus judices, & judicia gravissime & civibus, & Regno damnificarent. Alterum est; quanta, quamque indispensabili obligatione Principes, Ministrique omnes justitiæ distributivæ teneantur sub pœna damnationis ad consultandum, & eligendum judices, in quibus sit magis verum ipsum, quam falsum: corrupta scilicet semel justitia distributiva, per consequentiam necessariam commutativa etiam evertitur. Nec enim judices impares reddere unicuique possunt quod suum est, qui quod cujus sit dignoscere non valent. Refricanda sanè est ubique fides, & credendum Deum non casu, aut ludo quodam loquutum; vel ad Judæos quidem loquutum ad Christianos verò non esse loquutum; vel Reges, & Proceres esse exemptos. Ad Reges quoque, & Ministros singulos justitiæ distributivæ sunt illa: *Pro vide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas.* Ad ipsos est: *Noli fieri judex, væ vobis*, &c. ad ipsos: *Horrende & cito apparebit*, &c.

Atque hæc gravissima obligatio hic cursim ex eo etiam patet; quia judicaturæ non magis sunt Principis, vel Ministrorum consulentium, quam sint fundi ipsorum judicum justitiæ commutativæ; quia sicut finis quasi proximior istorum est, ut unusquisque consequatur quod suum est; ita hic ipse est finis remotior exercentium justitiam distributivam: ergo sicut propria obligatio judicum ipsorum est reddere unicuique suum, ita illorum propria obligatio est providere judices, qui possint unicuique reddere suum: & tam tenensur nosse quinam hoc possint, quam judices teneantor nosse juxta uniuscujusque: & solum in æqualitate omnimoda aliquorum, & in quo judices commutativæ deberent vel rem litigiosam dividere, vel ad componendum partes obligare. In simili, inquam, æqualitate eligenda Principi, vel Ministris justitiæ distributivę libertas superest. Ubi omitto alia; nam non de hoc præcipuè, sed de judicibus justitiæ commutativæ, judiciisque tracto: è re tamen existimavi horum exemplo illis obligationem suam manifestare forte enim sint qui in justitia commutativa exactissimi sint, & rem hanc existiment longe gravissimam, de qua etiam districtè judicandi sint: distributivam verò rem esse valdè arbitrariam, & in qua amicitiis, & clientibus locus sit: & in qua non teneamur diligentissime inquirere dignos, & digniores, & non sint de hoc judicandi, atque de pravis etiam judiciis suorum electorum non patium, deque serie quadam magna consequentiarum iuterrogandi.

Nihil itaque est Reip. cuique probe institutæ magis adversum, quam jus dicere, causasque terminare sortibus, casu, & fortuna. Si ergo sortium hoc medium tam incertum, ac volubile judiciis, judicibusque præstat, a quibus verum ipsum non magis haberetur, quam falsum, profecto si jodices

aliqui

aliqui vel multi; vel pauci in extremum ejusmodi devenissent, vix quidquam infælicius Reip. civibusque obvenire posset; est enim semper corruptio optimi pessima.

§. VI.

Ergo quicunque impares sunt vero ipso dignoscendo, non digni, sed indigni sunt ad munus judicandi.

HÆc consecutio sequitur ex dictis: primo quia ad judicandum idoneus, & dignus utilior esse debet. Reip. & civibus ad finem judiciorum, & ut unusquisque obtineat quod suum est, quam medium sortium; sed qui vero dignoscendo pares non sunt, utiliores non essent, nec certius talium judicio, quam usu sortium contingeret unicuique quod suum est: ergo qui vero dignoscendo pares non sunt, digni, idoneique non sunt ad judicandum, & ad judicandum, & ad officium judicis, qui proinde non pares negociis sunt, sed infra.

Secundo: quia §.5. constitutum est ipsam præcisè veritatem esse regulam judiciorum, & judicum. Unde arguitur: impares regulæ judicum, & judiciorum non digni, sed indigni sunt ad munus judicis; sed impares dignoscendę veritati sunt impares regulæ judiciorum, & judicum; ergo non digni, sed indigni sunt ad munus judicis, nec judices fieri licite possunt: unde peccant, & in factum perniciosum concurrunt, ut supra cum Cajetano de Doctoribus exposuimus, tam eligentes, quam ipsi electi, ad quorum quemlibet est illud: *Noli fieri judex: væ vobis judices, &c.* Etenim excusabilius quidem, quam fures, revera tamen facient, quod fures auferre scilicet his, & illis quod suum est: parum quippè ejus interest, cujus erat jure res quod fur sibi acquirat, judex alteri tribuat rem jure, vel etiam facto suam.

Tertio, quia similiter §. 4. constitutum est regulam remotam, & finem judiciorum & judicum esse quod unusquisque consequatur, quod non existimatione, sed revera suum est. Per quem finem dijudicanda, mensuranda, taxandaque est aptitudo, vel ineptitudo; dignitas vel indignitas uniuscujusque ad munus judicis, & judicandi, & si ex suo judicio non magis hic finis obtinetur quam contrarium, plane ineptus est, & indignus; sed ex judicio eorum qui veritati ipsi dignoscendę impares sunt, non magis obtinetur finis ille quam contrarium; & qui nescit verum ipsum nescit quid cujus sit, ut patet. Ergo impares veritati inepti, indignique sunt ut judices fiant.

Confirmatur, & declaratur illata hæc conclusio: nam qua regula dignos, digniores, & summos in utraque arte, & rerum genere dignoscimus, eadem utique dignoscendi sunt indigni, & pessimi, ut patet ad oculum in cibo, & potu, & vestibus equis, domibus, in artificiis & in omnibus. Sed per veritatis ipsius in se cognitionem majorem, vel minorem cæteris paribus dignoscimus dignos, & digniores, & summos viros ad munus judicandi, & summos habemus tali ea cognitione confertissimos, quos etiam Jurisconsultos vocamus, ac Principes in arte existimamus, & digniores eos qui ad eam sapientiam propinquius accedunt; & bonum, & magis bonum in unoquoque genere, ut toties S.Th. usurpat dijudicamus per majorem, vel minorem similitudinem ad primum, & summum illius generis. Ergo regula, qua dignos, digniores, & summos ad munus judicandi dignoscimus cæteris paribus est per majorem, vel minorem cognitionem veritatis ipsius juris in se. Ergo hac etiam regula dignoscendi sunt indigni. Ergo impares huic cognitioni & regulæ sunt indigni ad munus judicandi: sicut trabs impar, & minor regula est inepta ad ędificium, & sic etiam calceus, vestis, pannus, &c.

Dixi cæteris paribus: nam ad munus judicis non satis est verum ipsum, jus ipsum nosse, & seu de jure, apparentique jure distinguere corde, sed necesse est etiam ut ore id ipsum efficiatur: & hunc transitum sententiæ cordis ad os multa impedire possunt, quæ in jure cauta sunt: quare quis alioqui sapientissimus potest aliunde fieri indignus, quia non ut corde novit sic ore dicit jus. At ut ore dicere, & distinguere possit, necesse est ut mente primum dignoscat, & distinguat; quod fit per cognitionem veri ipsius, juris ipsius in se. Ergo impares veritati indigni sunt ad munus judicis, id est ad dicendum jus.

Nihil porrò refert, unde demum hæc imparitas, & insufficientia ad veritatem obveniat, sive ex ipsa naturali ineptitudine, sive ex defectu studii, & doctrinæ, sive quia quis libros colit, & sequitur, in quibus non sit magis verum ipsum, quam falsum. Nam undecunque is defectus proveniat, deficitur à regula, & universus finis judiciorum, & judicum cassatur, & frustratur, ut patet ex dictis. Et quid, oro te, mea interest utrum vinca mea me expuliaveris sive libros tales sequendo, sive non studendo, sive quia ineptus à natura es ad jus dignoscendum? Hoc tamen inter eos interest, quod inepti à natura apti, & digni effici non possint, cæteri vero possint; & aliis renunciandum est officiu, aliis mutanda vita, & libri. Atque hæc omnia ex his stabiliuntur, quos autoritate toto hoc libro de Doctore primum, ac Magistro Theologiæ, dein de Illustrissimis Dominis Episcopis, & Pastoribus, & Confessoribus constituta sunt. Sicut enim horum omnium finis est docere fideles fidem, & legem ipsam Dei, quæ est, ac pascere populos doctrina fidei illi, illi legi conformi, & sic vera: sic judices sunt ut civibus jura re ipsa sua custodiant, ac tribuant, & hic est finis. Ubi quod de Magistris declaravimus, Magistros non esse ut sint Magistri, nec Cathedras esse, ut sint Cathedræ, nec Episcopos esse, ut sint Episcopi, & sui gratia, sed propter aliud, ut 1. ad Corint.3. Paulus describit, ita nec potestas ulla civilis, vel politica est propter se, nec judices sunt, ut sint in mundo judices, & gratia sui, sed gratia alterius. Hoc porrò est ut cives habeant res suas, quod demum in bonum & felicitatem ipsius Reipublicæ ordinatur, ut explicatum fuit.

Conclusionem hanc ipsam promptum erat pluribus etiam denuò stabilire ex his, quæ summus ille vir in confirmationem nostræ partis prioris expositioni, selectaque jurisprudentia contulit. Quidquid enim inter Consultos disputatum est, ut est casus in lege Cornel.69. de hæred. inst. & aliter à Trebatio, aliter à Cartilio, Boculoque judicatum: quidquid uno verbo à summis illis viris sapientiæ, laborisque impensum est hoc evincit, hoc probat, & clamat non sufficere Reipublicæ, & civibus existimare, quid cujus sit, sed requiri, ut sciretur, quid cujus revera esset. Hoc

autem

autem est scire, & dignoscere verum ipsum. Ergo hoc est necessarium Reipublicæ, & civibus. Ergo impares ad hoc, sunt impares, & indigni ad judicandum: & si alioquin sint, quos volueris, & rectissimam intentionem habeant, ut cernitur etiam in medio rectissimæ intentionis, qui eas res inter non distingueret.

§. VII.

Tamen, ut dignus quis sit, sufficit, si fere semper verum ipsum sciat, & discernat, & si aliquando, & in paucioribus deficiat.

HÆc quasi limitatio novis nunc momentis munienda non est, sed brevissime significanda. & exponenda: cujus scilicet veritas ex dictis hoc libro de Magistris, de Dominis Episcopis de Confessoribus & Pastoribus est aperta. Satis nimirum est, si, quod Paulus de Episcopo constituit. *Ut sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, ut superius explicuimus, & tractavimus, de judicibus in sua materia verificetur. Ut quippè sint potentes jus suum unicuique reddere magis, quam tribuere; & insuper in eo errantes manifestare, revincereque posse.

Explicuimus eo loci, eum, qui æquè se habet ad verum, & ad falsum, seu magis ad falsum, nec inter utrumque plerumque saltem distinguit, non esse potentem exhortari in doctrina sana, nec eos, qui contradicunt, arguere; secus autem, si plerumque distingait, & scit. Sic ergo & judex, qui æquè se habet ad verum, & falsum, seu magis ad falsum, cuique non magis inest non falli, quam falli, nec inter utrumque saltem plerumque discernit, non est potens tribuere & reddere unicuique jus suum, lin vero plerumque saltem potest, jam est potens, ut declaratum fuit.

Rursùs ex communi, & universali ratione omnis mensuræ, & regulæ. Nam omnis protsùs mensura, & regula ad duas, quoad præsens, revocatur; quarum altera nunquam erret, & fallat; altera, quæ rarò, & fere in paucioribus fallat: & infra has nulla superest ratio regulæ, & mensuræ, sed sors, fortuna, & casus, ut part. 1. latè propter contentiosos prosecuti sumus, & si de cætero res sit ipsa sui propositione notissima. Judex porrò est mensura quædam, & regula juris uniuscujusque, & quædam justitia animata; inæqualitatisque æqualizativa; & sicut mensura vini scimus, quantum vinum sit in dolio, ita per sententiam judicis scimus, quid cujus sit. Ergo judicis est vel nunquam errare, & fallere. Vel saltem rarò, & in paucioribus errare, & fallere; sin minus, ad sortem redimus.

Enim vero judices requirere, qui nunquam errent, vel fallant, nimium profecto est, & Angelorum magis, quam hominum. Hoc ex loco occlamare probabilistæ solent, & veritatem à mundo tollere, quod de universitate causarum ferendum esset, ad singulas causas, & actus obtrudendo quasi nullibi, nuspiam, nunquamque veritate ipsa regendi simus, & Angelorum sit in controversiis saltem veritatem alicubi aliquam nosse, hominis. Vero nunquam, & sic forte fortuna animas gubernant.

Itáque ratio essentialissima mensuræ, & regulæ postulat eorum, quæ posuimus, alter utrum, nunquam, vel raro deficere: & primum Angelorum esse, posterius autem hominum, sive Doctorum, sive Judicum, & sic in aliis, cordatius opinor, nos adstruimus. Id in primis de Magistris & Pastoribus constitutum superius est, & explicatum. At sic est judicis verum ipsum nosse, & jus ipsum dicere; sicut Magistri morum est ipsam Dei veram, & realem legem tradere. Satis ergo erit, si judex verum ipsum, ac jus ipsum plerumque, & fere semper noverit: quamquam raro, & in paucioribus deficiat.

Denuò, quia in his, quæ plus, & minus admittunt, locus est bono, meliori, & optimo, & sic etiam ad munus judicis alios dignos, digniores alios, & alios dignissimos, & summos arbitramur, etiam quantum ad doctrinam, & scientiam. Non ergo requiritur omnia prorsùs, & sine exceptione nosse: Ergo satis est fere semper, & ut in plurimum sapere: alioqui pares omnes essent, & omnes dignissimi; nulli autem digni, quod est contra notioné naturalem. Et confirmatur exemplo aliarum Artium, & Professorum. Quinimo ipso etiam summorum in Ecclesia, & Theologia Doctorum exemplo: nam gradus Doctoris Ecclesiæ non destruitur, una vel alia rarissima falsitate, & si quando raro defecisset: & ob hoc supra Doctores Ecclesiæ habemus ipsam nunquam deficientem Ecclesiam, ut supra habitum est; & contritus stupor ille aliquorum, qui hinc ægrè ferunt Doctorum eorum quamlibet quomodolibet indefectibilitatem: hinc vero eam aliis longe imparibus attribuunt; & hoc si tangat quisquam, commoventur; audacter multas falsas opiniones inurunt: à quo spiritu avertat nos misericors Deus. De cætero non esset contra eminentem in Ecclesia gradum S. Thomæ, si, ut multis videtur, nobis vero non videtur, si, inquam, in puncto immaculatæ conceptionis Matris Dei defecisset: non item contra eminentem gradum Augustini, si falsum esset quod de reviviscentia peccatorum edocuit. Satis porrò, & valdè satis nobis est, si summi etiam judices sint in judicando pares his summis in Ecclesia Doctoribus.

Confirmatur fortissime: quia Deus erecturus in mundo infallibile, ac indefectibile quoddam judicium, & Ecclesiæ in Concilio, vel in capite, consequens existimavit, concedendam esse specialem quamdam assistentiam Spiritus sancti: quam certe reliquis judicibus non concessit. Ergo hi non tenentur esse regulæ indefectibiles Justitiæ: ergo satis est, si sint regulæ in gradu inferiori, id est, si non semper, saltem ut in plurimum partium jura dignoscant, ac discernant, reddantque singulis sua.

Postremo finem potestatis omnes civilis, judiciorumque, ex quo Philosophati sumus, considerando satis Reipublicæ, civibusque confertur, si regulas habeant plerumque veras, & raro deficientes: sicut in aliis artibus, hoc scilicet medio vis, & violentia aliorum in alios compescitur. Sic judicia præstant sortibus; sic etiam politia cultiorum gentium, præ politia barbarorum asseritur, & defenditur. Apud eos namque brevius judicia expediuntur; moræ, expensæ, aliaque mala vitantur. Cum tamen omnia citra ullam Doctrinam, & ex cerebro fiant, instar sortium cuncta evadunt. Ex nostra vero politia cives plerumque saltem hoc debent, ut consequatur quisque, quod suum est. Quapropter nullus, opinor, judex

judex offendetur, si ipsum veris plerumque ab eo requiramus: quo scilicet uno ablato, non dabunt, unde politia nostra præstet mori barbarorum. Atque ex his facile colligi, explicarique potest, quid, & quantum judices teneantur ad compescenda sophismata, moras, cavillationes & fraudes inferiorum administrorum.

Adversus positam limitationem, unum, quod sciam, opponi potest. Judex, inquis, nec semel potest non dicere jus ipsum, quod novit, sed semper tenetur. Ergo nec semel ignorare jos ipsum potest, sed semper tenetur. Et probas; quia par sequitur præjudicium, sive scienter, sive per ignorantiam auferatur parti, quod suum est. Confirmatur: quia, qui jura ipsa noscit, & si semel neget alicui suum, poterit reddere alia vice, secus qui ignorat. Respondeo brevissime, alterum esse possibile, alterum impossibile saltem communiter loquendo; possibile enim semper est, ut judex pronunciet, sicut novit: possibile autem, & omnium saltem judicum non est semper nosse jus ipsum, & verum ipsum. Unde judex raro deficiens involuntario aufert parti, quod suum est, & sic non peccat; secus quando novit. Ad peccandum vero, præter illatum præjudicium requiritur voluntarium. Poterit tamen uni digniori, ac scientiori judici esse voluntarium, & peccatum, quod alteri digno peccatum non est; & ab eo, qui plus accepit, plus exigitur, & cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, ut Gregorius ex Evangelio colligit: ubi alia omitto.

§. VIII.

Satis item est, si quis, vel proprio scrutinio, vel ex aliquo Autore suo facto verum plerumque norit, & raro deficiat, & qualiter.

Ecce jam cum viro illo sapientissimo ex integro convenisse videmur, & non modo indignos, & impares ad Doctorem aliquem sequendum obligamus, ut dictum est §.1. Sed unumquemque ad munus judicis parem dignumq; prætereà arbitramur, undecumque demum, sive scrutinio suo, sive ex autore, Doctoreque aliquo suo facto verum ipsum plerumque noverit, raroque deficiat: quod vix ille sapientissimus concedendum jure existimabat.

Hac de re tractavimus fusè quæst. 13. agendo de Magistris, & quæ ibi constituta sunt, hic de judicibus dicta volumus. Ibi, quod ad Theologiam attinet explicatū est, quos, & quales Doctores licite nostros facere possimus, ac etiam teneamur; quos item, & quales non possimus; & contra libertatem opinandi, seu verius ineptiendi multa diximus. Duo enim in Theologia, ac proportione etiam in judiciis desiderari possunt; primum, & per se est, ut Magistros bonos, & judices dignos habeamus; alterum, ut habeamus saltem minus malos, ut etiam §.1. distinximus: quæ duo valdè distant.

Ad primum quærendus est Doctor, & suus cujusque faciendus, qui, ut in plurimum verus existat, raroque deficiat: ad secundum satis est alios etiam Doctores suos facere, quamquam adeo veri non sint; nam hoc minus malum erit, quam si gregaria quædam ingenia de suo moliantur.

Quod ad Theologiam attinet, habemus Dei gratia Doctores plurimos famosos, plerumque saltem veros & notissimos, quos nostros facere, & sequi liceat, & teneamur, ut eā quæst.13. declaravimus. Utrum autem pro judiciis suppetant pares alii, & similes, quos sequendo judices boni, dignique simpliciter evadant, & non solum minus mali, id est, quos sequendo jus suum unicuique, saltem fere semper custodiatur, & tribuatur (hic quippè est finis indispensabilis) judicare nos non possumus, qui scientiam ipsam Doctorumque ejus gradum, ac veritatem, nec experiri, nec nosse aliunde potuimus. Plurimum certè Reipublicæ, civiumque interesset, quod in condendis favri legibus desideratum, intentumque fuit, si quis doceret, inde demum, & quomodo tot inter involucra opinionum contrariarum verum ipsum, jus ipsum inveniri queat: parum quippè Reipublicæ, civiumque interest, sive falsis opinionibus sive sortibus, ut exposuimus, suo priventur, & ubi tuendi erant, spolientur, ac perdantur.

Dedimus quæst. illa 13. & aliàs signa, & notas, quibus deprehendi, invenirique possunt Doctores, vel semper veri, vel plerumque saltem veri; ex quibus notis hæ duæ sunt, quas Juristæ usurpare possint: altera est, quod Doctor non habeat parem alium vel etiam superiorem sæpè sibi contrarium; nam cum in contrarietate alteruter saltem necessario erret, & par pari præferri jure nequeat, & minus digniori, plane non superest nisi pura libido, & voluntas, cur alteruter vel semper, vel ferè semper verus præsumatur: in quo defecit distinctio illa, & quasi graduatio Azoris, & Japhæ, si non de minus malo, sed de bono disseramus. Altera nota est, quod autoritate Doctoris liceat rei veritatem probare, sicut loco dicto declaravimus, omnis scilicet probatio rei cujusque vel est certa, vel concludens, vel saltem probabilis, & plerumque vera; & infra has nulla est probatio, quia nulla est connexio cum re, & cum conclusione magis, quam cum non conclusione, vel tam exigua, ut pro nulla habeatur. Si Doctor est semper verus notus, autoritas sua concludit rem, verumque ipsum certo evincit. Si Doctor saltem plerumque verus sit, autoritas sua evincit conclusionem, & veritatem probabiliter, & quam quam exceptionem habere possit, tenetur adversarius eam fortiori aliquo medio ostendere. Ergo Doctoris semper veri, vel plerumque veri autoritate res apte utique probamus, ac rem ita esse ostendimus. Ergo Doctores illi omnes, quorum autoritate in Academia, vel Consilio non auderemus arguere, nec ita esse affirmare, quia ipsi dixerunt, nec semper veri, nec plerumque veri saltem nobis noti sunt. Ergo nullum talem suum faciendo, & sequendo, ac jus ex eo dicendo judex bonus evadit, sed ut summum minus malus: est verò valdè usitatum in rerum quarumque malarum multitudine minus malas bonas vocare, ac etiam forte existimare.

Hinc Juristis videndum supererit, utrum habeant hujusmodi Doctores aliquos, qui nec pares alios, nec superiores sortiantur sibi sæpè contrarios: & quorum autoritate, & quia ipsi dixerunt, possint in Schola, & in Senatu enunciare, & affirmare, rem ita esse, jus non Titii, sed Sempronii esse. Quod si habent eos suos facere, & sequi possunt, & debent, eruntque judices boni; sin verò non haberent, aut alios sectarentur, minus mali fieri

omni plebe, inquit, non ex hac parte vel illa, sed *ex omni, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est* ut supra disseruimus, atque hoc Moyses servavit, & ratio naturalis dictat, & obligat, & electurus Deus Reges, & Judices Israel, vide tu unde Saulem, unde Davidem evocaverit, traxeritque? Et patet hæc obligatio ex tota quæstione, & ex fine judiciorum; nec enim res est ista gratiæ Principis, aut res præmii, aut privilegium nobilitatis, aut quidquam hujusmodi, sed res strictæ justitiæ, non circumscriptæ ad hos eft non illos; ad prætendentes, & non alios, sed complectentis universam rempublicam cujus rei gravitas declaratur hoc casu conscientiæ: quæratur enim, vt rum Princeps, vel consultor proponere, eligere ve possit pro uno millione aureorum unum indignum? Vel, utrum cum tota vita dignissimos elegerit, unum semel indignum ad ostendendam suam magnitudinem, & potentiam possit constituere? Patet, quod non: sicut Judex ipse nec vel unam semel sententiam malam ferre potest. Dicis, non pro pecunia, sed gratis id ego facio. Et respondeo, gratis graviter peccas, & omnium tui judicis malarum sententiarum rationem plane reddes, & hoc inter alia illud significat: *& ab alienis parce servo tuo*: quorum scilicet commissione, vel omissione causa fuisti. Atq; hoc in genere ex universa republica eligendi eminuit non pridem apud nos Philippus 2. Rex, qui in regni angulis latentes, & non quærentes. Episcopos, & Judices quærebat ipse, & eligebat; sed forsitam dicat quispiam, quod Achab & Michæa, *remansit vir unus; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed* malum. Vere enim non parum hac in re deficit potest, ex quo forum, & tribunalia hominibus negotio haud paribus repleantur, si hæreditarii juris, dotalesve togæ, ac judicaturæ fierent; & interea consultoribus, & electoribus regnum cœlorum tutissime promittitur, & prophetatur. Aulicus ille ad Michæam missus nuncius dixit satis quidem aulice, prudentiaque sæculi sapienter ad ipsum: *ecce sermones Prophetarum ore uno Regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Sed renuit vir Dei, & in durum carcerem conjectus est: at melius est pro veritate pari supplicium, quam pro adulatione consequi beneficium, ut dicit textus, vere enim arcta est via, & pauci ambulant per eam, ut dicit veritas.

Ex parte vero electorum ipsorum gravissime delinqui etiam potest, si nihil examinarunt, nec noverunt, quid, quantum, quales ut ipsi sint, utrum pares muneri, an inepti, rudesque, & ad omne aliud nati, vel quamquam apti nati sint, & mente valeant, doctrinam tamen non compararunt, & interea in togas, judiciaque irruant, & lapidem omnem, moveant, ut consequantur. Hi omnes sive pauci, sive multi (& utinam nulli) extra statum salutis sunt, quandiu impares muneri illud exercent, & tenentur renunciare quotquot ad eam, quam explicavimus, sufficientiam, dignitatemque pervenire non possunt. Nec est excusatio & defensio per alios similesvel etiam inferiores; neque per consuetudinem; quia hoc, ut toties ex Augustino resumimus, & dolose iniquitatem suam quærentium; & tursus, quia in hoc, ut etiam sæpe declaravimus, emmittitur circulus vitiosus, & ad singulos eorum dicitur: *quia cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, horrende, & cito apparebit vobis &c.* Ecce quantis de causis dicitur: *noli fieri Iudex: O Iudices, væ vobis* &c. Non enim nugatur Dominus, dum ista & alia denunciat. Et patet res exemplo medici insufficientis, & aliis: nam tenetur sane non curare. Quod tamen nihil ista considerent filii hominum, & omni spiritu, & corde quærant fieri Judices, sive apti sint, sive inepti; digni vel non digni, ad magnam certe tristitiam movet.

Atque ex his patet, quam verum etiam de judicibus sit, quod D. Thomas de ministris Ecclesiæ statuebat, non defuturos in sufficienti numero, *si digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et si non possent tot ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset paucos ministros habere bonos, quam multos malos.* Sunt autem mali, ut ostendimus, omnes insufficientes ad jus ipsum, verumque saltem plerumque dignoscendum, pronunciandum, tribuendum.

§. X.

An in aliqua saltem causa possit Iudex veritatem egredi, & judicare ore, quod mente judicare, discerneréque non valuit?

HOc nunc ad quæstionis complementum quærendum fuit; quia vir ille summus probavit quidem in primis, eam regulam Juris in dubio datas a nobis explicationes, quas part.1.libr.4. pro reo, pro possessore, pro dote, pro causa pia, cæteris que privilegiatis prosecuti sumus, ut de re dividenda, vel quando est divisibilis, ubi nulla partium jure, vel privilegio præstat. Hinc vero transit ad quæstiones perplexas, in quibus pari vtrinque robore decertatur, ut est vtrum naturales filii excludant substitutum in conditione, si sine liberis decesserit; & similes, quæ quotidie occurrunt, nec legibus, abscissæ sunt.

Quærit itaque, quid his in litibus Judici agendum sit? Et primo resolvit, si Chancellaria aliqua, majus ut aliud tribunal morem receptum habeat. Eum esse sequendum, quia non est facile recedendum ab eo, quod diu æquum visum fuit l. 2. ff. de const. Princip. & sufficie dicere, sic invenir, semper senatum censuisse l. filius emancip. 14. in fine principii ff. ad leg. Corner. de falsis. Cum vero hoc subsidium de fuerit viris doctis instructissimis judicibus onus imponit serio descendendi ad Aurorum perscrutanda fundamenta utra præstent, & legi tationique magis congruant, ac propiora sint, proximioraque veritati & sin minus, eos peccare. Quod si post omnem suam inquisitionem, & indaginem in neutram partem Judex magis inclinet, sed anceps, dubiusque hæreat, tunc poterit, ait, ex opinionibus æque probabilibus alter utram præferre, & secundum illam judicare: non quidem secundum unam modo, & secundum contrariam post vænali quodam desultorisque affectu; quod scilicet tribunalia dehonestat, ut docet Sanchez in præcep. Decal. lib.1.cap.9. n.47. estque grave peccatum scandali, ut censet illustris. Tapia in at mor. to. 1. lib. 1. quæst. 8. art. 17. n. 8. turpis enim est, inquit Lipsius, ista vacillatio sententiam mutantium, & certum signum non certæ mentis.

Integram istam sapientissimi Doctoris senten-

tiam, doctrinamque nos libentissimè ampleramur, præter extremam particulam: de qua hic conferendum, inquirendumque censuimus, utrum vel in una sola causa, & lite liceat Judici veritatem egredi, & id ore judicare, quod mente judicare, discernereque non valuit? Ut in casu proposito, in quo Judex instructissimus post omnem suam adhibitam diligentiam dubius, anxiusque remansit, & cui partium revera jus competat, nescit. Supponimus enim ex append. par. 1. quod & hic vir præstantissimus probavit, neminem mente, & intellectu suo judicare posse in concursu æqualium utrinque fundamentorum sibi occurrentium, jus esse hujus partis, & non illius, sive homogenea, sive etherogenea sint fundamenta: inter quæ, quorum etiam sensus, & significarum in hac materia ignoratur, distinguere placuit nuper cuidam Magistro. Forte ergo, ut nos, & alios tantoperè in causa probabilium impugnant, habuit quidem ipse fundamenta, quæ ipsi vel paria, vel etiam minora visa sunt, sed Etherogenea: nam hoc sibi sufficit ad philosophandum: fortè ergo causam nostram parem fortè meliorem, sed etherogeneam contrariæ censuit; & ideo insecutus est, nec veritatem, sed etherogeneitatem probavit, & improbavit, sed ludrica relinquamus, & ætherogeneitatem illam palam fatemur, quæ nihil ad intellectum faciat, causam nostram displicere; contrariam placere; nostram mores, & virtutes statuere; contrariam cuncta ac ipsa etiam judicia arbitrariam reddere, & dissipare.

Proponimus itaque Sapientissimo nostro doctori, amplissimo que consiliario, nunquam prorsùs, necvel in una sola lite in tota vita licere judici ulli, quandiù dubius, anceps que hæret, sivè alterutram ex duabus vtrinque paribus opinionibus eligendo, sivè aliter in judicio judicare, sententiam que ferre, eamque omnino, & semper debere esse sententiam oris, quæ cordis: quare, si in corde, & in intellectu deest sententia, & judicium (sententia quippe intellectus est judicium suum) quia vel lex deest, vel ignoratur, nulla oris potest sequi sententia.

In primis enim quæst. præc. illud universalissimum ad omnes materias periculum cum magno Augustino cavebamus, quo minutius aliquid, & rariùs semel admittitur, ex quo mox minutatim per connexas sequelas moles quædam ingens inconvenientiũ nascitur. Disputabat Doctor, utrum aliquãdo aliquod, vel levissimum mendacium liceret? Atque inter implexos alios casus illum sibi objicit, in quo pater aliquis, & filius ægrotarent, & filius jam deindè obiisset. Pater verò, qui impensissimè eum diligebat, si illum mortuum sciat, obiturus etiam ipse sit, & hic est casus. Ergo de salute filii solicitus, quærit, vivat ne, an melius habeat? Si mortuum dicant moriturus est, ut ponit; si taceat, crediturus est eum jam mortuum, ut etiam ponit & moriturus est. An non ergo hoc in casu rarò adeo, & pœnè metaphysica mendaciolum non probemus, quod nihil orbis terrarum intersit, & veritas, ut sanctus loquitur, homicida ingerenda est? Ad hæc magnus Doctor: *huc accedit*, inquit, *ubi miserabilius ejulandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægroti de vita filii ejus esse mentiendum, ita paulatim, minutatimque succrescit hoc malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitus inveniri ubi tanta pestis per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti. Undè providentissimè scriptum est, qui modica spernit, paulatim decidit*: & sic etiam, qui pauca multa deindè devorat, & unum sæpe trahit innumera in moribus, & in consequentiis. Ubi prophanus Ille dixit, principiis obsta, sero medicina paratur &c. Et Philosophus dixit, modicum a principiis discessum, fieri progressu decies centena millia majorem. Atque vel ex hac una origine, ut quæst. prox. insinuatis exemplis significatum est, paulatim, minutatimque crevit in immensum relaxatio Doctrinæ moralis. Sunt enim, quod & idem Philosophus tradidit, principia instar seminum mole minima, virtute autem maxima; & oculis ferme aquilinis opus est ad ea exactè perspicienda, & distinguenda, & ad minimum quemque discessum deprehendendum, & obsistendum: Quare, cum rem moralem omnes aggrediantur, strages tanta secuta est.

In hunc igitur modum timendum sanè est, ne, si cuiquam quantocumque judici, & post quam libet impensam diligentiam concedamus, eum vel semel, & in una sola, vel rara. Etiam implexissima causa posse citra cordis judicium, quo noverit hujus, & non illius esse jus, huic, & non illi ore jus tribuere, sensim minutatimque per minima additamenta ad maxima præjudicia trahamur.

Primò siquidem bincansam accipiet multitudo etiam ipsa Judicum: & dicent, licere etiam ipsi judicare per opiniones æque probabiles quamlibet eligendo; nam si instructissimus ille Judex sic judicando exercet actum justitiæ, nec leges judicis violat planè non est, cur etiam ipsi ex opinione æquo probabili judicando, aut non exerceant actum justitiæ, aut leges judicis violent. Ergo in casibus saltem omnibus opinionum communium contra communes poterunt, cui volent, rem quo litigiosam consignare. A fortiori verò poterunt communiores opiniones sequi contra minus communes. Undè fiet quod de Theologis, & Theologia supra tractatum est, judicibus suffecturam hanc unam historicam cognitionem, & Doctrinam, qua norint, ubi sint opiniones communes contra communes, aut communiores contra minus communes; juris autem ipsam, scientiam nihil fore necessariam, cùm ea reflexa notio opinionum non magis jurisprudentia sit, quam Laërtius de sectis Philosophorum sit, ut supra dixi, ipsa philosophia, aut strada de bello Belgico bellũ Belgicum. Quamquam verò huic cõsecutioni vir ille sapientissimus obsistere possit, fortè tamen non tam responsionem percipere multitudo poterit, quam positionem ipsam, quod liceat alicui aliquãdo ex opinione æque probabili judicare, quin judicaverit intus, nec discernere valuerit, cujus sit jus, & res litigiosa.

Ibunt deindè ad opiniones etiam minus probabiles: nam vel quidpiam quasi Dominii judicibus competit in judicando, vel nihil prorsùs? Si hoc posterius respondeatur, profectò nec in concursu æqualitatis arbitrari quidpiam, determinare ut possunt ut dicemus, sin verò quidpiam quasi Dominii haberent, non esset cur etiam in inæqualitate arbitrari non possent, & minus probabile sequi, sicut eleemosinam minus indigenti tribuere quis de suo potest. Princeps quidem ex duobus æque dignis ad perfecturam, judicaturamvè, eligere alterutrum potest; & tamen minus dignum non potest. Ratio porrò est, quia debet, & tenetur ex justitia civibus vel provinciæ dignis vel digniorem providere: in æqualitate verò ipse est primum movens, & primum determinans

quare

quare ipsius est determinare, non ita judicum, & si Princeps in æqualitate non determinaret, cives remanerent sine judice, & Provincia sine Præfecto: meliusque eis esset ex æqualibus habere vnum, quam nullum. In lite autem non sic est, nam parti damnatæ meliùs erat sic relinqui, vel aliis viis sibi aliquid concedi, quam damnari, & jus dubium, quam nullum.

Quamquam rursùs consultissima sit ea cautio, quod non vnam modo, & dein contrariam opinionem judex sequatur, & labes magna sit tribunalium ista sententiarum contradictio, tamen vno concesso, hoc etiam sequitur, & ut est nobis axioma, dato uno inconvenienti, sequitur quodlibet, & si semel in æqualitate pars una præferri in judicio possit, non est, cur sententia in alia lite mutari non possit. Finis quippè judiciorum, & tribunalium non est decus ipsorum, sed administratio justitiæ, & quod unusquisque consequatur quod suum est; & ex hoc quasi secundario, & per consequentiam decus, splendorque judiciorum, ac tribunalium refluit, resultatque. Undè, quod contra finem illum administrationis justitiæ &c. Non est certè contra decus, splendorem, autoritatemque tribunalium non erit. Sed Judex jam vnam in hac lite, jam contrariam in alia sequendo juxta positionem nnn violaret administrationem justitiæ, nec in obligationem reddendi unicuique suum delinqueret magis, quam deliquisset; & violasset in prima lite, & sententia. Non esset ergo, cur tribunalium, judiciorum que proprium decus, splendorem, autoritatem que debitam violaret. Ex quo sequitur, quod illa quidem sententiarum contradictio contra decus tribunalium absolutè sit; quia contra administrationem justitiæ, & legem reddendi vnicuique suum est absolutè illa unius partis ad aliam in æqualitate prælatio: semel autem posito, hanc prælationem juxta justitiam esse, non est, cur illa contradictio, & variatio tribunalia lædat; & eodem modo distinguitur de scandalo.

Exponitur magis. Ponamus Titium habere duas similes lites, & damnatus sit in prima in æqualitate per opinionem æquè probabilem. Venit iterùm ad eundem judicem cum secunda lite. Videtur sanè, quod æquitas omnis postulet, ne pauper Titius, qui, si Judex voluisset, bis juste vincere potuisset, damnetur bis; & siquidem jam semel in æqualitate juste posthabitus est, & condemnatus, & majoratu privatus, saltem in secunda lite præferatur; quique juste duos majoratus consequi potuit, consequatur saltem vnum. Deindè vniversalitet par. 1. disputatum est, juxta æquitatē æqualitatēque esse, quod ex æque probabilibus, & paribus, quorum non vnus est vsus, non semper eisdem vtamur, sed vicem rependamus, & quos Doctores in æqualitate vltrò præhabui paribus aliis posthabeam etiam aliquando; & posito casu quod Augustinus & Hieronimus sibi contradicerent in aliquo, in quo etiam essent pares, non semper uterer Augustino cùm Hieronimum, dequo late par. 1. tractatum est.

Neque ex hoc ex hypothesi ullum scandalum activum sequeretur, sed passivum, & ex ignorantia, Nam revera, ut ponitur, potest Judex in casu posito ex arbitrio, & quia vult, alterutram opinionem sequi. Populus deindè facile de hoc edoceri poterit, esse scilicet lites aliquas, in quibus nullæ sint leges; sed præter leges, & jura judices determinent: quo semel posito, & scito, nullum scandalum erit si jam vnum, jam contrarium determinaverint: ideo enim hoc scandalum de facto, & absolutè sequitur, quia omnes persuasum habent, judices ex ipsa juris ratione semper judicare debere, & unipartium præ alia jus tribui, quia illius præ alia jus ipsum erat: quo semel ablato, si justè auferri semel potest, miraretur sanè nemo nec scandalizaretur eo quod jam vni partium, jam contrariæ alia vice jus rependeretur.

Vitari denique nullo modò potest labes illa, & contrarietas Tribunalium, quod namque unus Judex, vel tres vnam opinionem eligant, quam tota vita sequantur, non impedit quominus alius vel tres alii ejusdem senatus in alia aula contrarium æque probabile eligant, quam sequantur, vndè ex eodem senatu, vel Chancellaria sententiæ omnino contrariæ eodem etiam die prodire poterunt. Deindè, quamquam omnes nunc Judices quasi ex condicto candem opinionem eligant, abeunt hi ad senatus superiores, & alii veniunt: his porrò priores nullam necessitatem imponunt, vt in casu puræ electionis eligant eandem opinionem; & in diversis etiam Regni tribunalibus, hic uno modò, alibi contrario judicabitur. Nec leges dicunt, non esse facile recedendum ab eo, quod aliis æquum visum est, sed ab eo, quod diù æquum visum est: nec item sufficere dicere, sic inveni, senatum censuisse, sed sic inveni, senatum semper censuisse. Nam diuturna ista, & quasi perpetua senatus Regni praxis, & consuetudo, ubi contra leges saltem, & jura non est, in novam quasi legem, & jus transit. Utinam Theologis recentioribus has consultissimas leges, & regulas servare placuisset, nec quasi ipsi primum in mundum venissent philosophati, innovare que libuisset.

§. II.

Nullius ergo videtur dabilis casus, in quo liceat, Iudici judicare, nisi priùs mente dijudicaverit, & discreverit, cujus sit jus.

Hoc nostrorum Theologorum est (casuistis non loquor) 2. 2. quæst. 67. art. 2. ubi ex Augustino ponitur: *bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges, & jura pronunciat*: & cunitat etiam ex Philosopho libr. 1. Rhetor. & leg. qualem. ff. de arbitr. & alias statuitur, *omnino dicat quod sibi videtur*: quare, si nihil ei videretur, nihil dicere posset, ut exponemus.

Ostenditur autem ratione perspicua S. Thomæ; nam, ut ibi assumit S. Doctor, & videtur manifestissimum, judicium, & sententia judicis est actus justitiæ, sed actus justitiæ & actus voluntatis jus suum vnicuique tribuendi, ut sua definitio justitiæ judicibus constituit. Ergo judicium, & sententia judicis est actus voluntatis jus suum vnicuique tribuendi. Sed, si judex priùs mente non dijudicaverit, & discreverit cujus sit jus, judicium suum, & sententia non est actus voluntatis jus suum vnicuique tribuendi: ergo non est actus justitiæ: ergo nec judicium, & sententia judicis; sed abusus, & corruptio muneris, & judicis.

Quod autem actus judicis, qui priùs mente non dijudicavit, & discrevit, cujus sit jus non sit actus voluntatis tribuendi vnicuique jus suum, patet; quia tunc judex non putat, jus esse magis ejus, cui tribuit, quam contrarii, & propriissimè dubitat, an illius sit, an non sit, sed magis contrarii: ergo actus suus non potest dicere, *volo huic tribuere hoc jus suum*:

ergo non est actus voluntatis tribuendi jus suum unicuique. Exponitur; quia actus voluntatis non regulatur, & dirigitur sententia, & judicio oris, quod potiùs sequitur ad actum voluntatis judicandi: regulatur ergo, & dirigitur ex aliqua sententia, & judicio cordis, & mentis: sed in mente non est suum hujus magis, quam non suum, ut est casus: ergo actus voluntatis non potest velle hoc suum tribuere huic: cùm ex verò proverbio nihil sit volitum, quod non fuerit præcognitum. Non est autem præcognitum, hoc jus esse magis hujus, quam non esse, quia non est præcognitum esse hujus magis, quam contrarii: & esse contrarii est non esse hujus. Ergo non est dabilis tunc casus voluntatis tribuendi ei jus suum.

Exponitur denuò: quia tunc datur voluntas tribuendi huic jus vel suum, vel non suum: sed voluntas tribuendi jus vel suum, vel non suum non est voluntas justitiæ; vt constat ex qualibet definitione justitiæ. Ergo tunc non datur voluntas justitiæ: ergo judicium, & sententia judicis non est actus justitiæ, nec judex ipse in eo est minister justitiæ. Quare limites muneris sui egreditur, & peccat contra ipsam justitiam, & ministerium.

Præterea, quia in casu mentitur judex in materia gravi justitiæ, ergo peccat mortaliter ex summis etiam omnibus, vt de obligatione restituendi omittam dicere. Antecens de mendacio patet: nam mentiri est contra, vel præter mentem loqui: sed in casu Judex loquitur præter mentem, & contra mentem: & aliundè supponitur, materiam esse gravem, & justitiæ. Ergo sicut fuit assumptum. Minor patet, quia judex ore loquitur, & declarat, & affirmat, jus, & rem litigiosam competere huic parti, & non contrariæ, sed nihil est hujusmodi in mente judicis. Ergo loquitur prorsùs præter mentem: deindè etiam contra: nam judex mente dicit se nescire, cujus sit, nec magis sibi videri esse hujus partis quam contrariæ: ore autem dicit magis esse hujus, quam contrariæ: in mente est vtriusque æqualitas, in ore inæqualitas, & unius partis ad aliam prælatio: in mente nulla est affirmatio pro una; in ore autem est: ac demum in mente est affirmatio æqualitatis & negatio inequalitatis; in ore est affirmatio inequalitatis; declaratur enim, & pronunciatur jus esse unius præ alio. Ergo tota quanta sententia est præter, & contra mentem, quæ tam clara esse videntur, quam clarum est, mentiri eum, qui rogatus de re quam nescit, v. g. Utrum arenæ maris sint pares, responderet affirmando, vel negando.

Iterum ostenditur, quia judices non est jus condere, sed dicere quod jam erat; & à jure dicendo dictus est judex, ut supra notavimus; atq; hoc probatur ex constitutis de fine judicum, & judiciorum sed in casu nequit judex velle dicere jus; nam ponimus, vel jus ab eo nesciti; vel litem esse præter leges, & jura. Ergo non vult exercere officiũ suum. Vult ergo quasi concedere jus novum. Usurpat ergo autoritatem Principis vel Reipublicæ: quorum est, vbi deest, jus concedere, legem que ferre, judicis autem nosse, & pronunciare. Ergo autoritatem omnem suam excedens, & alienam vsurpans peccat; sicut, si auri, monetæque cognitores, quibus Aristoteles judices comparabat, novam monetam cuderent propria autoritate.

Et confirmatur; quia aliquo demum jure res litigiosa per sententiam fit hujus & non illius. Non aliquo jure sententiam ipsam antecedente, quod supponimus non esse; vel pro judice esse, quasi non esset: Ergò res fit hujus, & non illius jure proveniente ab ipsa sententia. Judex ergo vult sua sententia judicare jus, quod non erat, hoc autem est Principis, vel Reipublicæ personam vsurpare: quod non licet: & alioqui posset etiam alios obligare. Ubi omitto alia. Tam ergo in casu nequit judex, quam nequeat miles, rem litigiosam alterutri adjudicare: & judex, in quo terminos justitiæ egreditur, perindè est, atque si judex non esset: & sicut, si alius quispiam, qui judex non est sæpe judicem effingens jura daret; & rectè prophanus alioqui homo ait, judicum non esse dare, sed reddere. Adde, justitiam, ut quidam loquuntur, esse proprie æqualizativam: in casu porrò judex ille prorsùs æqualia æqualizaret. Ageret ergo contra justitiam. Sententiam alii judicis gnomoni comparant: omnes verò comparant mensuræ, & regulæ. Est autem contra hæc omnia determinare æqualia esse inæqualia, ut si mensura aliqua dictaret, ex duobus doliis, in quorum vno non plus vini est quam in alio, alterum esse plenum vino, alterum verò vacuum.

Obtrudent se hic forsitam probabilistæ cum suis reflexis: sed nihil nobis modo est cum ipsis, sed cum intelligentioribus aliis conferimus: & saltem in Hispania Dei gratia egregii quique senatores, quin etiam judices fere omnes detestantur, quod possit judex per opiniones probabiles judicare; & casus noster non hic erat, à quo longe abest vir ille inter paucos, primos que eminens; sed erat casus, in quo lex, & jus videretur deesse, sed vellem ut adverterent integerrimi judices, quibus rectoribus conscientias suas gubernandas committerent; nam probabilistæ in controversiis omnibus habent in manu sua sic, & non, & vtrumque contradictorium, & bilinguem Doctrinam: & omnia faciunt arbitrii & voluntatis, suamque mox suam, & conscientiam obligantes, vt pro amico dicant, facile invertere, evertere que possint indoctiores, & moliores, quo in genere audivi, non pridem Theologum, qui sibi & aliis magnus videri posset in gravissima omnium causa contestatum fuisse judici super conscientia sua & animam sic suam obligando posse eum vtrilibet partium, ut vellet, jus dare: & sic salva posita anima, magis sua inter esse, si Titio daret, & Sempronium condemnaret. Sed planè sequitur semper sententia Evangelica, si cæcus cæco ducatum præstet, si non judex judicem in foveam ducat, ambo in foveam cadunt; nec liberabitur judex, quia alter animam suam obligavit. Et Theologus interes ille nescit, quid jus, justitia quæ sit, & quod officium judicis: & via ista probabilium, nisi restinguatur, omnia demum per consequentiam evertet: & jam par. 1. ostendimus planè non esse, cur illa pro judiciis non valeat, si semel valet pro lege Dei.

Ad rem itaque nostrâ redeundò, vt lex statuebat, debet omnino judex dicere, quod sibi videtur si jus sibi videtur hujus, debet hoc dicere, & si videtur cõtrarii, hoc. Si neutriùs magis sibi videtur esse & locus sit de regulis juris de reo, de possessore, de dote, de Ecclesia, de re litigiosa dividẽda, de partibus ad cõpositionem Obligandis, de quibus par. 1. libr. 4. tractatũ est, debet judex illis vti: item, si semper senatus ita censuit, hoc ipsi pro lege esto: nam leges humanæ cõsuetudine abrogari possũt. Deindè fortibus etiam dirimi lis poterit, ut ipse ille vir summus admittebat, nec tũc judici licet judicare; nam debet omnino dicere quod sibi videtur: sed sibi non videtur, rem hujus esse magis, quã illius: ergo hoc

&

& non aliud dicere tenetur. Ad hoc dicendo non judicat, nec sententiam pronunciat: Ergo non potest judicare.

Quid ergo, inquis, huic judici agendum est? Respondeo; si plures essent, vel plerique ita existimantes, recurrendum tunc est ad Principem, vel rempublicam, ut legem, jusque concedat, quod videtur deesse. Si unus aliquis esset, cujus dicto nec Princeps, nec Respublica movenda sit, excusare eximereque se debet à judicio. Perdet inquis plurimum, & perplexus habebitur. Respondeo, quod etiam miles arcem invadens perdit plurimum, nam perdit vitam. Coram Deo autem, & Angelis ejus plurimum lucrabitur nolens ore dicere, quod corde nescit: & ipse Deus, si illius ita intersit, honorem aliundè resarciet, nam exaltat humiles, & perdit omnes, qui loquuntur mendacium. An non, inquis, collegis suis ita judicantibus, judicare & ipse poteris? Respondeo, si collegarum tanta sit apud ipsum existimatio ut iis auditis verum sibi videatur, jus esse hujus, & non illius. Sin vero non ita videatur, sed dubius semper maneat, sumus in casu, & non potest judicare, etsi ad manum habeat opiniones æquè probabiles hinc, & hinc: & centum autores pares hinc, & hinc: & idem est centum & centum; & unus, & unus: sed probabilistæ, quoties centum audiunt, cohorrent. Verum à pueto discit quisq; in Arithmetica, sic se habere centū ad centum sicut unum ad unum, & quantamcumque summam debiti ponamus, reposita mox pari summa solutionis, sic supputatione, quam vulgo vocamus *restat* prodit, nihil superesse solvendum, sicut, si unum & unum posuissemus. Verè autem existimabamus probabilistas esse magis ingeniosos, & intelligentiores. Atque hæc satis de libro 2.

FINIS LIBRI SEXTI.

Ad Lectorem.

HÆc, Lector, est pars illa altera de recta doctrina motum, quam in priori pollicebar, typis jam antea mandari capta, mox intercepta, seu verius impedita; quæ an aliquando in lucem edenda sit, an non sit, scire ego minimè possim. Non in doctrinam, non in causam certè bonam, non in alios ullos; in me unum, & peccata una totum refero: cui Dominus dicit, utique peccatori: *quarè tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Nihil enim est, quod hoc ex loco lacessant nos, satyris qui cuncta confundant: nam peccatores nos esse, & maximos quidem peccatores, ultro confitemur? Non sequitur indè, licere usum omnium probabilium, ac laxitatum? Verum Augustinus, qui post unum Magistrum nostrum, & Ecclesiam, præcipuus nobis ductor est, hic etiam manum porrigit satis sanè metuenti; *videtis*, inquit, *fratres, cumque tremore ista dicamus: assumimus testamentum Dei per os nostrum, & prædicamus vobis eruditiones & justitias Dei. Et quid dicit peccatori Deus? Ut quid tu prædicas? Prohibe ergo prædicatores? & ubi est illud; quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere? Ubi illud; sive veritate, sive occasione Christus annuncietur?* Deprehendit igitur in peccatore Deus, quod ipse prior non se audiat, & auscultet, enervetque moribus doctrinæ alioquin bonæ vim & virtutem: atque efficere peccata mea potuerunt, ut illorum doctrina ipsa pœnas lueret; & qui ex ingenti suo planè zelo adjuturi essent, modis omnibus obsisterent.

Quibus ita in caput meum syncerissimè versis, multa sunt, Lector, quæ te in limine moneam. Illud in primis maximè nobis obesse videtur, quod modò ultrò fatebamur. Nimirum intemperies morum, deteriorque cordis affectio non modo doctrinæ vim labefactant & virtutem, sed ingens etiam periculum est, ut doctrinam quoque ipsam corrumpant, quo etiam haud dubiè Dominus respexit: scitur videlicet ex Ethicorum doctrina universa, quam experientia unicuique sua demonstrat, nobis finem, & reliqua, qualiter intus affecti sumus, pulchra, fœda, bona, malaque cuncta videri: & si intellectus duos instar visus oculos haberet, dextrum oculum, ac sinistri præterea dimidium voluntatem futuram esse; ejusque istam, vel contrariam affectionem, minimè sanè ambigerem ego, at longa oratione singulis poni ob oculos potest. Videretur ergo viris solum sanctissimis relinquenda; à peccatoribus autem nequaquam tangenda ista de morum doctrina tractatio, discussio, determinatio. Nos porrò à sanctissimis illis procul distamus, nec negamus; quin de illis, ut loquitur Bernardus, sophisticæ religionis monachis sumus, qui nempe dicimus, & non facimus: Periculum ergo ingens est, ne doctrinam etiam ipsam contaminemus,

Verùm, ut fatear ingenuè, hic est, ubi mutuo minus; novi scilicet periculum, & longissimè fugi; non enim me secutus sum, non cerebrum meum, non ingeniolum, non cor sed ista contemnens, eos adii, qui fecerunt utique, & docuerunt; & sicut faciunt ipsi, ita prorsùs etiam aliis tradiderunt, unum in primis Magistrum nostrum, atque Apostolos suos, & Prophetas: dein Ecclesiæ sanctæ constitura; indè mox ordine doctores ejus Augustinum, Hieronymum, Chrysostumum, Thomam, per quos potissimum profeci, atque hujus ordinis alios, à quibus sanè columnis, ut inquit Bernardus, difficulter, fateor me avelli permittam à quantacumque multitudine repugnante. In hos porrò non quidem censor, judexve; non item tanquam pars, & disputaturus accessi, sed velut fungus essem, & impar sane etiam discipulus, in quo Deum, & conscientiam meam testor; humillimè, quid dicerent, solum inquisivi, & mallem, fateor, fur esse; aut latro, quam alio nescio quo spiritu erga sanctos Patres affectus esse. Undè temerè vix possim, sin minus concham, quod Bernardus desiderat, canalem saltem me exhibere, quo fluat ad alios doctrina aquæ illius salientis in vitam æternam sic ubi vero nesciens *reliquias pasqu***[illegible]**, ut Propheta loquitur, *pedibus meis*, id est, discursibus, ac ratiunculis, *conculcavi, aut aquam purissimam turbavi*, hæc mea sunt, & nihil sunt, aut liquido inde sumuntur, serva; cætera pedibus conculca: quid enim sum in mundo ego, ut autoritatem mihime teferam ullam? Doctores non facientes; ritè tamen docentes scribio olim contulit Hieronymus quod cum immundum ipsum sit munda tamen alia? Augustinus vero biviorum inscriptioni: quæ inquit: *hac in Civitatem itur*: desiperet sanè viator, si quia illuc etiam non vadit, teminaret etiam ipse: & quidem tibi Doctores porrigo, qui statuunt, & currunt.

Hoc ita, ut in prælio moris est, præoccupato monte scripturarum divinarum, Ecclesiæ, & sanctorum; quod opere completum esse opus hoc ipsum demonstrabit, nullo planè negotio eos omnes sternimus, qui ex profundo vallis rationum humanarum, ingeniique viribus citra scripturas, citra sanctos congrediuntur. Hi scilicet, quod lib. 2. planè evincetur, in primis nobis Theologi non sunt sed hoc falsi nominis scientiæ vocabulo fallunt; nisi desipere placeat, & dicere, Aristoteles, Platones, ac mundi sapientes illos Theologos extitisse, ac regendis conscientiis pares; aut Recentiores moralistas illos antecellere præstantia ingeniorum, & virtute, Omnes itaque jam pridem Senatoris doctrinæ robore contriti sunt. Quod si scripturas Dei, atque sanctorum nobis arrogare, hoc ipsum fastum, jactantiamque existimabunt, opera tunc ipsa causam dirimant; nam quæstio facti est, quæ apertis libris brevi oculorum jactu constet. Et quid, quæso, illud fuit, quod nuper fol. recor. Alexander. 7. Serm. *sine magno animi sui mærore audivit, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodere, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina*, &c. Ergo quibus sedes Apostolica in

ſede ſua eſt, verum eſt factum : & nobis nulli tales Theologi ſunt, nec Philoſophi quidem aut doctrinæ
Methodo, aut mentis acumine; aut ſcientiæ ſapore excellentes: & licet, ſanctumque eſt, eos quantos-
cumque ſedis Apoſtolicæ inhærendo profligare.

Sed num, inquis, naturam accuſamus, & ingenium, rationem diſcurſum & hoc, genus cœte-
De nat. ras præſtantiſſimas naturæ dotes inſequimur, & Manichæiſmum vix non ſuſcitamus? Objectum, &
& grat. hoc pridem fuit Auguſtino à Pelagianis : *porrò autem*, inquit, *quod Dei cauſam ſibi agens videantur defen-*
cap. 34. *dendo naturam*, &c. *Non ergo*, ſubdit, *ſic debemus laudare creatorem, ut cogamur dicere, imò convincamur super-*
fluum ſalvatorem, ac multa alia. Neque ergo & nos ita debemus laudare naturæ Creatorem, ut cogamur
dicere, imo convincamur, ſuperfluum unum Magiſtrum noſtrum, & Doctorem, Quorum verò
quiſque jam hodiè inter moraliſtas eſt, qui bonum, & malum, ac univerſam ſalutis viam ex Evange-
lio Magiſtri, & reliqua doctrina revelata ſcripturæ Dei. Convincuntur ergo factis ſuis, ſibi inſuffi-
cientem, ſuperfluumve eſſe unum Magiſtrum noſtrum, & Doctorem : & qua mali magnitudine, lib.
2. Natura itaque bona eſt, ſi tamen diſcere velit, ſin minus non natura, ſed ſuperbia eſt, & *fallax e-*
quus ad ſalutem, & fallax ingenium, & in abundantia virtutis ſuæ non robarabitur.

Verum Recentiores aliqui hoc ſcripturarum, & ſanctorum examen ingredi nollent, & oſciran-
De util. do tamen non vincere vellent; primo, quod cavimus, quæſtionem à Doctrina ad nos divertendo,
creden. quaſi de hoc tractaremus, utrum ſanctiſſimi ſimus, vel ipſi ſint. Deindè *nugas quaſdam*, ut loquitur
c.1. & 2 Auguſtinus, *locorum communium movendo, quibus ſuboffendant ignaros animos, & ſe negligentes, quæ maxima tur-*
ba eſt: & non ſolum ſe non rectè impugnari, quidem à bello mortalium poſſe, & inimpugnabiles ef-
fectos eſſe, neſcientes, planè quid dicant opponunt; quod enim ad nos dicunt, ad quemlibet diſcere
poſſunt, & hoc eſt, de locis communibus, fere dixerim; grunnire.

Ariſt. 3. Ergo primum quidam planè inſigniter humilis, cui D. Thomas nihil eſt, & Berriceli magnus,
Ethic. eſt, illud Auguſtini ſparſit, quod ab aliis avide arreptum eſt : *de quo tribunali*, inquiunt, *judicas mundum*
De tribunali utique ſuperbiæ. Hoc non vident cuilibet quantocumque opponi poſſe? Sed ſanctum eſt, in-
quit ille, pro ſalute veritatis amicos etiam refellere, & ipſi nunc fortè propius de aliquibus interro-
gandi ſunt, de quibus non omnes rogari poſſint. De quo primum tribunali ſe mundum faciunt.
Qui microcoſmus, parvuſque mundus vix ſunt. De quo tribunali modum illum opinandi omnino
alienum ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina inducere ſe poſſe judicaverint.
Quod ſi ipſi hi non ſunt, hos, & non ipſos, non ego, ſed ſedes Petri judicat. De quo tribunali peccata
tollere ſe poſſe exiſtimaverint? De quo ſine ſcripturis, tribunali ſine ſanctis viam cœli quo non pauci am-
bulent, ſed multitudines quoq; ruant, excogitare ſe poſſe arbitrari ſunt. De quo tribunali ſanctos Patres
Theologos ſcholaſticos non eſſe, exaggerando, & concionatorio modo locutos eſſe, ſibi confinxe-
rint : eorum etiam lapſus vel veros, vel ſibi exiſtimatos diligenter cumulaverint : De quo tribunali
voces ac denunciationem univerſaliſſimam Romani Pontificis adverſus complures opiniones, & ad-
verſus ipſum etiam opinandi modum, aut à Senatibus regiis revidendas, probandaſque eſſe; aut qua-
ſi Doctores privati Decreta conderent, eas Doctoris privati, non Romani Pontificis eſſe: aut quia de-
finitiones fidei non ſunt, ex Cathedra non eſſe; neque valere, ac ſimilia ſatis ſanè miſeranda oblo-
quantur? Et non vident jam hoc ficto nihil valituras bullas, & decreta Apoſtolica, quibus vel Reli-
giones confirmatæ ſunt, vel canonizati ſancti, vel conceptioni Matri Dei cultus adſcriptus, vel da-
mnatus Bajus, & hujuſmodi compluta. De quo demum tribunali, ut alia quærere deſinam, ſe, &
alios in dirigendis moribus, eximendiſque à peccato infallibiles regulas Romano Pontifici, Conci-
liis, Eccleſiæ, Apoſtolis, Salvatori etiam ipſi pares effinxerint, & in extenſione quidem quaſi duplo
etiam ampliores; ut part. 1. oſtenſum eſt? Et de quo nunc tribunali ſuperbiæ de impugnari non poſſe
inaudito defenſionis genere ſtatuerint? Non utique de tribunali propriæ cognitionis profundiſſimæ.
De cætero mundi, & mundioli in mundo mundo multi ſunt, & utinam Eccleſiæ etiam ſint : qui pa-
go ſuo egreſſus non eſt, mundum exiſtimat pagum : ſic his Recentioribus Recentiores aliqui, & ætā-
tis Autores, quibus cum vitam agunt, mundus ſunt; qui nobis, qui alibi vivimus, tantilla pars
mundi vix ſunt : & ſi quod cum Giezi puero factum eſt nobis datum eſſet efficere, viderent plane, mul-
to plures eſſe pro nobis, quam contra nos; qui ſcilicet pro perpetua morum doctrina in Eccleſia ſuper-
ſtite, & ante iſtum ſuum, mundum natum regnante decertamus. Quidquid demum erit, hunc mun-
dum ſuum complures antiquatas opiniones partim ſuſcitatas, partim noviter prodeuntes, & animarum
perniciem inferentes, ac modum etiam opinandi alienum omninò ab Evangelica ſimplicitate, ſancto-
rumque Patrum doctrina non ego, ſed Romanus Pontifex judicat de tribunali utique ſcripturarum,
de tribunali veritatis.

Neque iſta ſuperbiæ incurrendæ larva territuros exiſtiment nos, qui pridem à Domino adver-
ſus tentationem iſtam præventi ſumus, dicente Eccl. 13. *noli humilis eſſe in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtul-*
titiam ſeducaris. Item illud firmabitur num ut humiles eſſe poſſimus, probabiliſmum, aliaſque ma-
gnæ matris filias relaxationes probare oportet; ne audiamus, de quo tribunali judicas mundum? Ju-
venis adhuc Edmundus Campianus Oxonii agebat : florentiſſima Academia pœnè univerſa, Magiſtri
ipſi ſui defectionem ſuam non contra fidem ipſam eſſe ſtatuerunt, & hic erat ſibi quaſi ſuus mundus.
De quo ergo tribunali, adoleſcens judicas mundum? Si (quod avertat Deus) Academia apud nos ali-
qua, regnumve deficeret, conſentiendum eſſet ne de tribunali ſuperbiæ mundum judicare videremur.
Facere etiam Timotheus ille debet, vel quiſquis in ultimis diebus perſonam ejus acturus eſt: erit enim
tempus (quod univerſaliſſimum quippiam ſignificat) in quo ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed
coacervabunt ſibi Magiſtros. Non ergo, ut jubet Apoſtolus, arguere, obſecrare, increpare debebit,
ſed ut hi Recentiores imperant, tacere; nam Magiſtri etiam opinor illi coacervati perſtrepere pote-
De nat. runt, de quo tribunali judicas mundum? Pridem omnia cauſa ſunt & pridem Auguſtinus à Pelagio
& grat. quæſivit, qua in parte, an veritatis, an falſitatis humilitatem reponeret. Repoſuerunt eam ambo
c. 37. & cum veris, & ſuperbiam cum falſis, *ne humilitas conſtituta in parte falſitatis perdat præmium veritatis.* Eja
42. nunc

ſtinc agite Recentiores: da hoc inter nos & vos cauſa univerſa vertitur, utrum ex veris ſolùm, an ex veris ſimul & falſis, modo probabilia ſint, Chriſtianis ſit vivendum? Vos ergo ipſi concludite, lib. de & concludat Auguſtinus adverſus hæc omnia loca communia: *deſinant talibus agere, ut quemadmodum* uti.cred *ille ait, ſeparatis nugis locorum communium, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione confligat.* Sed in- cap.1. telligo, hoc multi laboris eſt: quibuſdam vero locis communibus ſuitatis maximè favore turbas ciere facillimum.

Movent etiam alium locum communem ex multitudine Moraliſtarum qui probabiliſſimum, & modum illum opinandi, & complures illas opiniones laxiores ſecuti ſint, & referunt centum, & ducentum. Quid ergo ſibi volunt? num in impugnabiles effecti ſunt? Et an miſeri antiquiores multitudine ſua immunitate iſta, quo minus à poſteris everterentur, potiti non potuarunt, nec ſciverunt? Et quid coacervatis illis Magiſtris hoc aodem multitudinis jure præſcribere non licebit? Et quid non licuit olim quadringentis, & pluribus illis contra unum? Hoc eodem jure agera videbatur nuncius ille miſſus ab Achab ad Michæam: *ecce ſermones Prophetarum ore uno Regi bona prædicant: ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona.* 3. Reg. 22. Agendum eſt libro 2. de hoc multitudinis privilegio, illudque locis in Eccleſia Dei notoriis concremus. Nunc fateor multi ſunt, ſed quorum plurea Romanus Pontifex nuper notavit. Multi ſanè ſunt; ſed quorum plures eo conſilio ſcripſerunt, ut peccata rollerent, id eſt, ut cœli cardines trudetent. Multi ſunt, ſed quorum plures eo juiſſe videntur, ut viam ſalutis, quam, ut idem ait Alexander, ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, dilatarent, novamque artem ſalvandi plurimos ſtatuerant, qui ſine ſcripturis ſine ſanctis egerint, qui nobis Theologi non ſint; qui in Ariſtotelis Logicam, Phyſicamve commentarios edere tum erubuiſſent, in hanc tamen ſummam ſcientiam, artiumque artem ſubtiliſſimam, & longè difficiliorem, libros ſine fina conſcribere auſi ſunt: qui poſtremo veritatis ſe lege ad vivendum docendumve teneri nolint. Ex quo ſi quando alias, hic locum habet gloſſa S. Thomæ ad Jacobum Apoſtolum nolentem plures fieri Magiſtros, non prohibet, inquit, quantitatem, id eſt multitudinem, ſed qualitatem, ſcilicet malam; *quam tamen*, inquit, *nomine quantitatis ſignificavit; quia frequenter eam ſequitur.* ſup Ep. Iacobi. Scitur quo in loco Philoſophia moralis Philoſophis habita ſit: an ergo noſtræ Theologiæ tanto altiori pares ſint quilibet, eorumque magno numero præſcribendum eſt? Quid, quod in cauſis aliis jactare ſolent, eſſe multos avium inſtar, & ovium alios ſequentium hoc etiam loco non reſumunt? Plures forſitam pro ſcientia media numerari poſſint, plures etiam pro prædeterminatione & ſcotiſtarum numerus eſt, ſicut arenæ, quæ eſt in littore maris & quidlibet impugnari licite poteſt: & Moraliſtæ multitudine ſua præſcribunt.

Sed verò addunt, fuiſſe etiam inter hos aliquos pietate ſanè inſignes viros. Peccaviſſent ergo hi fidelibus non tutas doctrinas pro tutis conſignando. Cæterum hoc obloquentes Recentiores exorbitant, ſuaque ipſa nimietate conciduot. Quid ergo? Num hos pietate inſignes viros, ne eos peccaſſe ſequatur, morum indefectibiles regulas in Eccleſia Dei conſtituemus? Anne omnia retro antiquitas, ac plurimi ſanctitate inſignes, ne ab his ipſis poſteris piis vitia repellerentur, & relinquerentur, conſecuti non ſunt, & fas erat eos revincere; & nunc demùm, & his ſolis pietate præclaris vitia hoc privilegium cælitus conceſſum eſt? Neſciunt, credo, Recentiores, planè neſciunt quid agant, quidve opponant. Nos libr. 2. hos pietate inſignes viros in tuto locabimus: interea liceat de eis dicere: quæ fecerunt, facite: quæ dixerunt, facere nolite, non enim ex ſua doctrina illa vivendo, ſed ex alia in tantam pietatem emerſerunt. Quis ſcilicet eorum non cohorruiſſet in concurſu opinionum æqualium, vel inæqualium de peccato mortali, æqualem vel minus probabilem ſequendo quidpiam agere, quod par meliorve apud ipſos opinio mortale eſſe conſtitueret? Nullus itaqua hactenus hac via opinionum ullam pietatis laudem conſecutus eſt: & hoc ſufficeret ad eas ſuſpectas ſaltem habendas.

Jam autem illud capitalius ex his ſequi exiſtimant, fore ſcilicet quod extrema hac ætate Eccleſia deſtituta fuerit recta doctrina morum. Sed hærent ſemper in eodem luto. Jam ergo poſtremæ ætatis Moraliſtæ tangi non poſſunt ſed in impugnabiles, indefectibiliſque regula facti ſunt. Veteres non potuerunt, & hi potuerunt. Quid ergo Alexander ipſorum ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcentem taxavit? Hi ſanè aliqui ſunt; vos quinam ſint dicita, & non hos ſed alios opponite: quibuscum ſanè nobis nihil ſit. Non pridem oborta inter ſcholas de relaxatione contentiona, in relaxatione conſenſerunt ambæ; ſed utra cauſa fuerit, quæſtio omnis devoluta eſt. Utramque ergo ex ſua Confeſſione noſtram habemus. Et dicite, an ante hos, quos nobis obtenditis Autores natos ipſorumque editos libros Eccleſia Dei in doctrina morum caligaverit? An nunc primum ſpeciali Dei aſſiſtentia regi cæpta ſit? Quid ergo ad extremam hanc ætatem cauſam cogitis, & concluditis? Non certè anno ſalutis centeſimo, ſed hoc ipſo ſæculo anno 1604. doctiſſimus Corduba Salmanticæ conteſtabatur, in concurſu opinionum inæqualium pro, & contra legem, ſequendam eſſe ſub peccato probabiliorem pro lege, & in hoc Doctores omnes convenire: & jam extrema ætas contrarium ponit. An ergo mutata eſt Eccleſia, & Doctores in ea paulo antè, ac per omnes etiam retro ætates ignorare, errareque potuerant, & modo non poſſunt, ſed Eccleſia ipſa facti ſunt? Ignorant ne Eccleſiam ſanctam, propter peccata utique hominum ſine certo etiam viſibili in terris capite eſſe ſchiſmate aliquandiù jactatam? Ignorant ne in ipſo agro Eccleſiæ, cum dormirent homines, ſcilicet cuſtodes ac præſules ſuperſeminanda eſſe zizania? Ignorant ne ex prædictione Apoſtoli forè tempus in quo ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed coacervabunt ſibi tot illos Magiſtros, id eſt. indiſcretam, confuſamque multitudinem, ait Chryſoſtomus? Num tunc Deus glorioſus Eccleſiam ſuam recta doctrina morum deſtituet? Minimè porrò omnium deſtituit hanc extremam ætatem pænè noſtram. Nobis ſcilicet etiam tacentibus ora omnibus obſtruunt Caroli, Borgiæ, Saleſii Ludovici, Roſæ & alii judicio etiam Eccleſiæ probati ſervi Dei: & infrà hos alterius ordinis viri ſanctiſſimi. Nunc dicete vos utrum iſti ignoraverint hac ætate rectam doctrinam morum?

rum?

rum? Sciverunt ergo: ab aliquibus igitur eam didicerunt; quam etiam ipsi aliis consignarunt. An vero vestris probabilibus, vestris aliis notis opinionibus in eam sanctitatem provecti sunt? Non ergo Ecclesia Dei hac etiam extrema ætate recta doctrina morum destituta fuit; & num plenissimè vulgati etiam sermone cunctis non eam ministrant Avila, Granata, Puente, & tot alii insignes sanè viri? Sed rident, & hos non Theologos morales, sed libros spirituales esse reponunt. Præclarè sanè vobis ergo Theologia moralis definitur morum doctrina minimè spiritualis; siquidem hos de moribus utique tractantes libros, quia spirituales sunt, à Theologia expungitis. Jam ergo ipsi vos Epistolas Pauli percurrite, & spirituali, quod aliud semper membrum divisionis contraponat perspicite.

Revictis sic, & in ipsorum caput detortis his locis communibus Recentiorum, multitudo alia superest, nec scire nec posse causam nostram volentium, & tamen insequentium, altissimèque condemnantium. De hoc olim profunde conquerebatur Tertullianus: *unum gestit interdum, ne ignorata,* inquit

in apol. gent. in princ. *damnetur.* Quid hinc *deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur. An hoc magis gloriabitur potestas eorum, quod etiam inauditam damnabunt veritatem. Cæterum inauditam si damnent, præter invidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ nolentes audire, quod auditum damnare non possint. Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis, odium erga nomen Christianum. Quam iniquitatem idem titulus & onerat & revincit, qui videtur excusare, ignorantia scilicet. Quid enim iniquius, quam ut oderint homines quod ignorant, etiam si res mereretur odium? Tunc enim meretur cum cognoscitur, an mereatur. Cum ergo propterea oderint homines, quia ignorant, quale sit quod oderunt, cur non liceat ejusmodi illud esse quod non debeant odisse? Ita utrumque ex altero redarguimus, & ignorare illos dum oderunt; & injuste odisse dum ignorant: testimonium ignorantiæ est, quæ iniquitatem, dum excusat condemnat.* Hactenus inter alia Tertullianus, quæ utinam ad rem non sint, & causam nostram qui non noverit, oderit etiam nemo & desæviat. Atrocius sanè fuit, quis dubitat, in Christianum nomen sævisse: iniquum tamen est ubique odisse quod ignoras. Nec existimandum est illis tunc Imperatoribus Senatus suos, Consultores, Sacerdotes, divos etiam sibi suos defuisse; aderant hæc, & quod religio præterea sua everteretur: noverunt quidem hæc sed causam ipsam inauditam damnarunt, & ignorantia hæc dum excusat, condemnat, utpote intelligere nolentium. Viderent scilicet, si legerent, nos non novam aliquam, ut ajunt salutis viam ab trudere, sed eam quæ semper fuit contra aliam noviter institutam propugnare.

Sed præter causam ipsam, stylus etiam dictioque vehementior displicuit; An verò de alæ muscæ compositione quæstio vertitur, & non de salute in primis nostra, & dein etiam reliquorum, ut quantacunque orationis vi & efficacia uti non liceat? Utinam Augustini magnitudinem illam dicendi & virtutem qua non aurei fluminis sed torrentis instar in falsa quæque ruit, ebibere valuissemus. Displicuit hoc in genere Corinthiis quibusdam Apostolus: *ut autem non existimet tanquam terrere vos per Epistolas, quoniam quidem Epistolæ, inquiunt, graves sunt & fortes; præsentia autem corporis infirma, & sermo*

super psal. 49. *contemptibilis,* &c. Ubi è re Augustinus; *erant autem quidam quasi docti, & spirituales* (id est quasi) *qui de Paulo detraherent: Epistolæ quidem ajunt graves & fortes sunt.* Num Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, ubi de moribus causa vertebatur, molli oratione fluxerunt? aut unus Magister noster adversus falsas morum opiniones Doctorum legia leniter labebatur? Jussi planè sumus arguere obsecrare, increpare; quod ut faciemus & non adulemur, patientia quidem omnis necessaria fit ut Paulus supposuit. Quod si nihilominus excessimus, imprudentiusve aliquid excidit, omnium ait hos aliosque defectus ignoscere; optimam enim nos agere causam, ut non ambigimus, ita optimè agere minimè delyramus: ac præstantius ab aliis agi posse, etiam eorum, si vellent, qui modo adversantur, procul absumus, ut diffiteamur: velint sanè ex scripturis & sanctis viam salutis ostendere, & unum sumus.

Ad hos etiam defectus spectat nimia quædam eorundem, ut ajunt, principiorum repetitio. Sunt tamen quæ excusare in hoc quadantenus possint. Primo illud Apostoli: *vos me coegistis ipsi* enim paginas omnes implent suis quibusdam problematibus, *probabile est, illud probabile est,* quo uno omnia solvunt: hoc durum est, alioqui multi damnarentur: *jugum Christi suave est* in suo sensu, & similibus, quæ proindè sæpius revincere ipsi coegerunt. Primis deindè principiis proximè in hæretentium est eorum repetita mentio. Sic S. Thomas universam pænè primam partem texuit illo principio, *quia Deus est suum esse.* Sic Augustinus, ut ipse etiam fatetur, *ingero, inculco, infertio*, iisdem principiis in his & illis operibus Pelagianos attrivit. Sic Paulus Apostolus suas Epistolas de recta ubique doctrina morum, illo morum omnium primo principio Jesu-Christo, eoque crucifixo dicto, redicto construxit: à quo planè abesse multi Moralistæ possint, qui soluta quadam oratione quæstiones selectas, sylvasque varias casuum congerunt magis, quam texunt. Illud præterea Augustini me induxit; nam ait eandem rem uno modo dictam non movere; alio modo dictam movere; hunc movere, hunc non movere. Addit omnem nostram utriusq; partis disputationem, esse uno velut filo nexam quod genus contexti operis pauciores perlegere solent. Fortè ergo saltando quæstiones alii aliquas legunt; capitaliora proindè quædam, ut semel saltem legantur, sæpius jam breviùs, aliter perstringere consilium visum est; nec singulas singulatim opiniones, quæ in infinitum vergunt, insequi potuimus, sed jugulum petere; nam

Tullius de fin. *radicem effodere, & extirpare*, ut ait Augustinus, *compendium est.*

De cætero, Lector aures erigendæ sanè sunt; non enim de terminis, & quasi limitibus, ut inquit ille, sed de tota possessione virtutum est dissensio, & undè evadere laici quidam solent de causa non sua, non de salute Theologorum, sed omnium quæstio vertitur; quo genere evasionis si quondam usi fuissent Evangelium prædicandum. Ecce ergo non de hac, aut illa, sed de universa lege Dei disputatur. Hoc scilicet unum tota priori parte egimus, & hoc opere universo imus, ut unum & solam veritatem directam doctrinarum ostendimus esse omnem, & adæquatam regulam actuum humanorum omnium ac vitæ Christianorum. Hoc porrò intelligentibus, ut hoc opere etiam demonstrabitur, perindè vel connexum est, atque non hoc, non illud, sed ipsam sanctam legem Dei esse omnem & adæquatam supremam regulam humanorum omnium & vitæ Christianorum. Nolunt autem ferre primum adversarii nostri, numero plurimi, sed fortissimè resistunt. Noluntergo regulam

vitæ

vitæ Christianorum esse ipsam sanctam legem Dei sed opiniones suas. Deindè de probabilitate, & veritate, utri regnum deferendum sit, lis est. Nos porrò hoc unum volumus, veritatem ipsam esse necessariam, & ex ea cunctis vivendum, & docendum, quantis viribus possumus statuimus in illa civitate, *cujus lex veritas est*, inquit Augustinus. Pudor est, quod causa hæc adversarios habere potuerit: habet tamen plurimos, qui in simulachrum probabilitatis juraverint, parumque interesse in doctrinis dicant, utrum veræ, vel falsæ sint: modo enim probabiles existant, ducunt ex æquo nos, & utique præter Christum, qui veritas est, in vitam æternam: cumque ex vera omni Theologia *compertissimum sit, nullas falsas esse à Deo, unoque Magistro nostro, sed eas nulla excepta omnes, vel a mundo esse, vel à carne, vel Dæmone tenebrarum Principe de hoc, si superis placet, inter Christianos disputatur, utrum ex hac doctrina sit vivendum, suis Lector, problema olim illud fuisse propositum, quænam rerum mundi omnium esset potentior? Pro vino desipere cuidam placuit. Regem ante tulit alter sapientissimus verò Zorobabel ostendit, regibus etiam ipsis potentiorem, remque exemplo Bozazi non pridem Regis concubinæ demonstravit: mox autem palmam omnem detulit veritati, eamque vino, & Rege, & muliere, rebusque omnibus potentiorem esse robusta oratione conclusit, (l. 3. Esd.) *& omnes populi clamaverunt, & dixerunt: magna est veritas, & prævalet*: nisi cæterarum quidem rerum omnium potentissima illa sit, cedat verò probabilitas, quæ regno etiam posita videatur. Sed truditur sanè, trudetur meretrix, veritatis, & sic alienis, furtivisque fucata coloribus, quæ quoties veritatis expers est, & deserta non nisi spectrum est, simulacrum, idolum, phantasma est, quia error est. Fert ergo auxilium veritatis amatores, eamque in sedem suam restituite; non illa viribus indiget sempet victrix, sed numero: adversariisque hic nostris, una ea veritatis particula obtigit, qua ipsam ex ipsa oppugnatent, eam scilicet non esse necessariam, nec ejus nos lege teneri. Sed utrum vel hoc unum verum censeant, planè nescias, siquidem ulro se à regula veritatis exemerunt: cumque probabile ad omnia sibi sufficiat, forsitam, & hoc solùm probabile visum est: & acotissimis reflexis assumpserunt. Tanta scilicet est virtus veritatis, & majestas, ut nisi ipsius festè saltem accepta lege nec impugnari quidem possit. Dicant enim, utrum veritatis ipsius, rerumque ipsarum lege vivere, docereque teneantur, & vincimus, ut non teneantur; sed reflexis illudant, & vincimus; nam qui, quid quando eis credat? *Non enim*, definit Apostolus, *possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* (Tertull.) Adeo verò veritati renunciarunt, ut novissimus probabilium assertor non erubuerit dicere, errorem aliquando esse bonum intellectus, & veritati præstare. Effectum est tamen piorum virorum laboribus, ut his postremis diebus refriguerit saltem, vel repressa sit libido illa, & cachoëtes libris moralibus Bibliothecas impleri; alii etiam, qui scribunt, simulare coacti sunt, & ne vel apud ipsum jam nauseantem mundum sordescerent, severiores se sequi doctrinas affectaverint. Latet tamen dolus malus: nam laxas etiam quasque diligenter proposuerunt, & quantis potuerunt Autoribus ratiunculisque cumularunt: mox verò, quod ad laxitates omnes falsum conductum est, probabilia omnia licere statuentes, ipsas illas in specimen sibi contrarias ad praxim approbarunt. An fraus ista non est, severiorem siquidem, ac disciplinæ assertorem effingere: & revera manus omnibus laxare, & simulare? Adeo præter veritatem ficta sunt omnia.

Constituto igitur priori parte non probabilitatem veritatis inanem, & vacuam sed unam, & solam veritatem directam esse totius visæ Christianæ regulam, ex hoc ipso, ubi desivimus, alteram istam de eadem tecta doctrina partem exorsi sumus; & in quatuor illam libros divisimus & in primo, quoniam illi qui ex veritatis lege teneri nos negant, errores subinde, ignorantiasque nihili ducentes peccata ignorantiæ revera sustulerunt, restituimus, & statuimus scripturarum, & sæculorum retro omnium de peccatis ignorantiæ, errorisque proprietatibus indubitatam, & jam pridem definitam doctrinam.

Quia rursùs veritas rectaque, & sana doctrina à Prælatis maximè, & Magistris populo ministranda est liber secundus est de Doctore, Magistroque Theologiæ, præsertim morum. Hic immunitatem, illam non peccandi, à quibusdam sibi, & aliis arrogatam frangimus, statuimusque sententiam Evangelicam de cæco cæcum ducente. Hic Magistros omnes ad ipsam præesse veritatem obligamus. Hic de sciratibus doctrinarum, quibus regnorum instar scholæ divisæ sunt, scissæque; hic de sanctarum scripturarum necessitate, rebusque aliis magni ponderis pro utriusque Civitatis, & regni salute diputamus.

Quoniam verò ab operis principio, in medio, & fine hoc, quo turbas concilient, Recentiores obloquuntur, veritatem scilicet inveniri non posse, eamque exulem, ubi nescias, elegere, & longissimè a nobis vel peregrinari, liber tertius est de invenibilitate veritatis moralis, eamque luculentissimis veritatis promissionibus, sanctorumque Patrum constitutis, ad terras nostras excusamus: *quis* scilicet ait Augustinus referendos *falli timeat ubi premittit veritas?* Distinctoque omni genere jurium, tractamus, quotum, & quando dari possit, vel non possit ignorantia invincibilis, quæ à peccato ignorantem eximat.

Quartus demum liber est de modis inveniendi veritatem moralem, seu de gladio misso in terram à salvatore: atque hoc certè gladio dissidentium inter se moralistarum quæstiones, & nodos, non tam sigillatim expedimus, quam abscindimos universamq; morum doctrinam in pristinum; restituere connitimur (lib. de præscri.) omne enim genus ex præscriptione probata Tertulliani ad originem suam rectè censemus: Theologiã moralem inprimis ad ipsa Theologiæ natalitia ducimus; inde ordine ab opinionum in certo egredientes, ad sanctorum Patrum doctrinam; postremo ad Salvatorem, *qui via, veritas, & vita est*, eam deferimus; ibique, & indè, ut Alexander exoptaverat, censemus: & quidquid manavit inde, & exivit, (Idem.) probamus; respuimus, quidquid aliundè irrepsit: atque his in caosis, & in Ecclesia *id verum quod prius*, verissimum esse ostendimus. Et his fermè constat hæc altera pars.

In priori parte Augustinum secuti jus jurandum adversus probabilia inter posuimus; sed videtur post, hoc displicuisse Augustino: quod vero ei displicuerat, displiceat etiam nobis, necesse est. Sed

fortè

fortè tunc temporis, cum solum Gentiles Academici ex probabilibus vivendum assererent, jus jurandum necessarium haud fuerat; modo tamen sit. Reverendissimum etiam, P. Julium Mercorum non ritè intelleximus, ubi existimavimus, eum in parte prorsus certa intellectus prudentiam collocare: turpius verò, nescio planè quis in indice scripsit *error Mercori*. Displicuit etiam aliis, quod de Epicheja constituimus; in quo sanè nihil nostrum immiscuisse, sed Philosophi & S. Thomæ planam de plano doctrinam retulisse nobis videbamur: sed quia magnopere doceri cupimus, aliis etiam probabilistis id revidendum exhibuimus, & nihil quod temperandum esset, invenerunt: & quidquid docere nos fraterna dilectione volent, oratione excipiemus; modo non ratiunculis, sed ex Theologia agant, locisque cujus, & fontibus doctrinam ducant: nam cætera puerorum vix non ludum arbitrabimur. Nomina porrò eorum, quos refellimus, Augustinum, Hieronymumque imitati tacuimus: *sic eos facilius corrigi posse sperans*, ait ille: Hieronymus verò, *nec tamen huc usque prorupi, ut Autorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari: non enim hominum, sed erroris inimicus sum.*

Ea autem præsentissima fide, quæ his in causis momentum pænè omne est, scripsisse me contestor, qua credo, non esse Christi discipulum; non item Christo dignum omnem eum, qui Patrem aliquem, vel matrem (sive natio illa sit, vel terra, vel gens, scholave) plus ipso diligit; quin, ubi dissidet, non odit: & quamvis de cætero non occidamus, non furemur, & si tamen primo patrem aliquem, matremve ponimus; post verò Christum subjicimus, incunctanter assero, peribimus. Christi vero, & veritatis causæ individuo nexu conjunctæ sunt. Via est ista, fateor, displicendi, offendendi, sufferendi; veritatis tamen est, *& melius est* inquit, *textus pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione consequi beneficium.* Hæc autem ipsa lex veritatis, & amor, non sanè nolentes trahit, sed volentes nos subjicit sacrosanctæ, Romanæ Ecclesiæ columnæ, & firmamento veritatis; quin etiam veritatis Assertoribus quibuslibet: probabilistas verò omnes, qui vera falsis æquarunt, & post habere etiam incipiunt, recusamus; quos utique ipsa in primis veritas recusaret.

Vale.

LIBER VII.